ESDRAS ET NEHEMIAS. COMMENTARIO LITERALI ALLEGORICO, ET...

Nicolas Lombard

NAZIONALE
55
8 H
6 H
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
ROMA

ESDRAS
ET
NEHEMIAS,

COMMENTARIO LITERALI ALLEGORICO, ET MORALI,

primùm illustrati.

Authore R. P. NICOLAO LOMBARDO,
Macerensi Societatis IESV Theologo.

Opus cùm rerum varietate tùm multiplici eruditione insigne, & ad Concionatorum vsum aptum omnino ac peridoneum.

Cum IV. Indicibus, I. Quæstionum Præambularum ad vniuersum opus & ad singula quæque capita, II. Expositionum Allegoricarum, III. Dissertationum Moralium, IV. Rerum ac verborum memorabilium.

PARISIIS,
Apud MICHAELEM SOLY, viâ Iacobæâ, sub Signo Phœnicis.

M. DC. XLIII.

Cum Priuilegio & Approbatione.

REVERENDISS. AC ILLVSTRISS. D.

DOMINICO SEGVIERIO,

EPISCOPO MELDENSI,

PRIMO CHRISTIANISSIMI REGIS ELEEMOSYNARIO, SACRI CONSISTORII Comiti, S. Ioannis Ambianensis Abbati dignissimo, &c.

GESTIT tandem aliquando primus hic in diuinam Scripturam ingenij mei fœtus sub luce tua in lucem erumpere, (Antistes illustrissime) *nec te illibenter id passurum confido, cum tecum ipse reputaueris, quàm non vna causa sit, sed multæ, eæque non vulgares, quæ me impulerint, vt sacras istas commentationes nomini tuo dicatas consecratasque esse voluerim: Ac primum quæ duæ res spectari ab iis solent, qui ad sui tutelam ac defensionem, aliorum patrocinium aduocant, humanitas qua velint, authoritas qua poßint, quos in suam fidem ac clientelam receperunt, ab omni offensionis genere vindicare, sic in te efferunt se se atque emicant* (Præsul illustrissime) *vt nemo sit quin experiatur, illam aditum aperire expeditum & facilem omnibus quos fortunæ munera aliaque naturæ ornamenta destituunt, hanc tutum illis præbere paratumque perfugium, qui se famæ discrimini, & variis hominum iudiciis, nominis sui existimationem, non sine aliquo timore committunt; hinc est cur te ex omnibus vnum elegerim, operis huius vindicem ac patronum, cuius scilicet, apud viros totius Galliæ Principes, tantùm est gratiæ, vt detinere poßis ad alienos, tantùm authoritatis, vt queant ex ea, quæ ad te quoquomodo pertinent, aut in sinum tuum confugiunt, momenti plurimum dignitatisque arcessere; quod vt in te singulare omnino esse non asseuerem, etsi cum paucis commune, tamen percellit animos intuentium, commouitque me non parum; sed quæ tibi, vt ipsi mihi propria sunt ac domestica, generis tui*

ſplendor eximius, excelſæ animi dotes ac virtutes tuæ, excellens dignitas quam ornas tute non minus, quam ab ea ornaris ipſe, tua in Societatem noſtram merita, tuus in me amor, mea in te obſeruantia, operis ratio, fructuſque ex eo colligendus, abs me vel inuitò & reluctante, ſi eiuſdem modi eſſe poſſem, id officij repoſcerent. Habes hoc à præclara naturæ bonitate, quod eos ad pietatem ſtimulos ſentias qui te non niſi de rebus æternis ferè, de veris ac ſolidis animi ornamentis cogitare ſinant, ſed neſcio quomodo (quod ipſum meliore luto efficti experiri omnes ſolent) illi ipſi qui à natura inditi ſunt igniculi, domeſticis accenduntur exemplis, & præclari ad virtutem impetus, eorum etiam memoria quos habes generis ac ſanguinis communione coniunctos, quique oculis tuis occurſant quotidie, magis ac magis incitantur. Neque enim à centum modo annis, ſed à quadringentis amplius, maiorum tuorum ſplendor & claritas eluceſcit. Ac licet quæ iam ab eo tempore belli togæque præclara facinora, ab iiſdem maioribus tuis expreſſa perfectaque in hiſtoriæ luce verſantur, huc inferre nec libet nec vacat, illud tamen dicam, ſub Ludouico nono, eoque ſancti nomine per omnes orbis Chriſtiani plagas inſignito, ſub Philippo item cognomine Pulchro, aliiſque poſtmodum Galliæ Regibus permultis, multos eoſque verè illuſtres floruiſſe SEGVIERIOS, *cùm Regum ipſorum conſiliis iuuandis, ac fulciendis, tùm rebus fortiter gerendis admiuiſtrandiſque adhibitos, magna ſua cum laude, atque apud omnes vulgo non vulgari nominis ſui commendatione. Quanquam nec tam longè maiorum tuorum fumoſas (vt ſic loquar) imagines, aut illorum præclara ad virtutem exempla aduocare neceſſe eſt, in tanta rerum copia, quæ ad nos ferè pertingunt, remetiri ſpatia temporum à nobis diſiunctiſſima nihil eſt opus. Auos, abauos, vtroſque difficillimis calamitoſiſque temporibus, rerum geſtarum memoria inſignes, lubens prætermitto, parentem tuum (Deus bone qualem virum?) meminiſſe non potes, non tam vrbis quam orbis Pariſienſis, cui quondam ipſe in iure dicundo præerat, ſub Prætoris Vrbani nomine ac munere, funeri dicam, an cladi, ex auræ peſtilenti afflatæ, morte ſua parentantem, poſt ſuſceptos, ciuium ac popularium ſuorum causâ, immenſos labores, ad graſſantem vbique tùm & imminentem illorum ceruicibus peſtem depellendam; Non potes, matrem tuam, fœminam olim ex omnium calculo lectiſſimam ac pientiſſimam recordari, è regularis vitæ cella quam imperiis prætulerat ad miraculum, non multos ante annos, ad cœlum abductam. Non potes, ſororem inter ſanctimoniales adhuc ſpirantem, & iam virtutis cuiuſdam eximiæ ſanctitatiſque fama percelebrem intueri, non po-*

tes fratrem tuum spectare oculis, cuius purpura ad primam Togæ dignitatem peruenit, Cancellarium dignissimum, Ludouici Iusti Oraculum, melius dixerim, os sanctissimum, ac totius Iustitiæ in Imperio Gallico, sub Principis nomine Ducem Primarium, & Administratorem æquissimum, quin vbique monimenta laudis, & auitæ pietatis sparsa impressaque non leuiter intelligas, quæ præclaram indolem tuam ad summa omnia famæ & existimationis decora, acrius excitent atque impellant. Sed dicant alij copiosius de clarissima antiquissimaque familia ex qua oriundus es, siquidem genere ipso illustria sunt ac multitudine prope infinita, quæ neque assequi potest neque complecti paucis hoc nuncupatorium scribendi genus, quod eo duntaxat consilio susceptum est, vt patronum sibi atque aram veluti asciscat, non vt de natalium tuorum splendore ac gloria prolixiore stilo, longam texat euulgetque historiam. Huc ego tantum refero non inuitus (Præsul illustrissime *) quod ad familiam quoque tuam pertinet vel maxime, te videlicet ipsummet vnum, neque missa facere sine flagitio rear posse, quæ indolis ac naturæ ornamenta iure quasi hæreditario ad te peruenerunt, equidem scio te de tuis rebus non intelligere perlibenter, noui animi tui modestiam, scio quam inuitus & verecundè de tuis laudibus audias, pro ea indole quam à multis iam annis in te obseruare licuit, nec sum ignarus eorum passim quæ in tui commendationem tota Gallia sparguntur in vulgus, & gloriosè prædicantur, ipsi tibi iucundam minus acceptamque esse commemorationem. Verum vna hac in re (dabis amori veniam) malo posteris studere quam pudori obsequi tuo scrupulosius, malo inquam vtilitati publicæ consulere, quam modestiæ velificari tuæ indulgentius. Neque enim iam primum hac ætate præstantissimas animi tui dotes & agnosco, & amo, anni propè sunt triginta, cum te Flexiæ Andegauorum, in Regio Henrici Magni Collegio, strenuè currentem vidi in studio literarum, florentem ingenio ac vegetum, in Palestra Philosophica, & in publicis agonibus laureas decerpentem, cum adhuc in flore ætatis ageres, tanta morum suauitate, tam excellenti genere modestiæ, vt omnes suspicerent, tanta virtute, tamque ingenua, vt vniuersi mirificè caperentur, ex quo fit vt mirari ipse modo desinam, quod ad tantam perfectionem absolutionemque peruenerit, cum ab eo tempore, sic tanquam Apelles in tabula, tu in illa virtutis imagine polienda assiduè elaboraueris, nec momento quidem, manum, quod aiunt, ab opere subduxeris. Mihi crede, non excidit è memoria, nec elabetur vnquam, tempus illud præteritum*

quidem, sed tamen recordatione præsens veluti, atque adeo mihi periucundum, quo primos ingenij tui satus, præclarosque impetus, in studiorum campo obseruabam attentè, & mecum tacitus non sine suauissimo animi mei sensu considerabam, enimvero (vt iam rerum fides in oculis est) tùm aliquid præsagiebat animus, eorum quæ nunc in te lubens, ac mihi ipsi quodammodo gratulans, & veneror, & suspicio, Amari, coli, diligi, maius Imperio est: *aiebat ille.* Symmachus in orat. pro ara victoriæ. *Tu* (Præsul illustrissime) *is es quem amari ab omnibus video, obseruarique plurimùm, à paucis, verius dicam, à nemine vno timeri, quò fit; vt qui te omnibus imperantem dixerit censuram ei cuiusquam minus reformidandam esse existimem (cum hæc loquor, nihil gratiæ concedo, nihil adulationi, quæ à viro religioso abesse debet longissimè) video te, seu Præsules inter, seu inter Curiales & Aulicos, quo te officij ratio ire compellit, rerum experientia maiorem, grauitate consilij, maturitate, fide, sapientia, venerationi & exemplo esse vniuersis, & quod singulare est eam quibusvis passim benignitatem ostentare, vt facillimos ad te aditus præbeas, sicque dignitatis tuæ non immemor, eam muneri grauiter sustinendo suauitatem admisceas, qua comiter ac perhumanè omnes exceptos atque à conspectu tuo dimissos velis: Pridem hæc tibi nec inaudita, nec incognita Sapientis vox:* Ennod. lib. 4. Epist. 7. Qui fastum in sublimitate castigat, docet se meminisse quod adeptus est. *Vt sanè tuam ferè, vel vnius maximè, facilitatem in moribus cum grauitate coniunctam, quasi penicillo expressam dicas, quam alicubi D. Gregorius Nyssenus depinxit his verbis:* Sicut palpebrarum prominentibus pilis quasi vallo obiecto, puritatem & vehementiam radiorum natura obumbrans, & frangens, temperatum ac dilutum splendorem oculis infert, quo placidius sol pro eo modo quem vsus poscit cum vmbra quam palpebræ faciunt, contemperatus existat, ita morum grauitas atque majestas, cum moderata animi demissione coniuncta, non auertat oculos intuentium, sed iucundum efficiat obtutum, vt neque grauitatis ac seueritatis splendor obscuretur, neque latens in animo vis, propter humilitatem despiciatur, sed alterum æqualiter in vtroque, tùm in celsitudine ac sublimitate comitas, & humanitas, tùm in humilitate vice versa grauitas ac seueritas animaduertatur. *Amabo, nùm hic Nysseni penicillus*

quæ in te vbiuis extant, virtutes contemperatæ, graphicè delineat, ipsasque de facie velut agnoscendas proponit? Noui quidem (Præsul illustrissime) *qualem te in primis annis exhibueris, & cum præsens ipse viderim (quod non multo ante significaui) aliorum testimoniis non egeo, quemadmodum reliquum ætatis cursum institueris, ineasque, semper tibi constans & similis, tot habes testes, quot habes habuistique iampridem in sacro Galliæ Præsulum consessu spectatores ac socios. Certè diuini numinis fauorem propitium in omnibus negotiis adfuisse tibi singulari quadã ratione oportuit, qui Episcopatum tot iam annis in tanta rerum ac tẽporum varietate, singulari virtute ac prudentia, absq; vllius, qui quis sit, offensione aut querela, tam sapiẽter administrasti. Quo etiã in munere, quanto cum religionis studio, quàm insigni pietatis laude versatus sis, qui ad diuersas Galliæ Prouincias inde permanauit fructus vberrimus satis loquitur. Tuã vero in omnibus Diœceseos tuæ partibus, populisq; longè latéq; dissitis ad excellens pietatis studium incitandis, sedulitatẽ quis non prædicet, atq; admiretur? cum vicaria aliorũ opera minimè contentus, vicos ipse pagosq; circumcurses, & loca omnia, ditionis ac Prouinciæ tibi à Deo traditæ, sũmo cum animi tùm etiã corporis labore, obire non detrectes. Quid tua vigilantia factum sit in Altissiodorensi primum, deinde in Meldensi Diœcesi, aut ad rudes instituendos, aut ad semina virtutum altiùs inserenda in animis iam excultis, aut ad vindicandos ab improbis moribus reliquos ditioni tuæ subditos, nemo est qui non audierit vel ab his oris longè dissitus, nemo qui pedem eò intulerit primùm, qui non viderit, & operæ tuæ fructum oculis ipse suis vsurpauerit. Atenim (quod in Episcopo summum atque excellens est) in quos vsus facultates tuas, conferre soleas, testãtur variis in locis, ad tutandã multorum salutem, ad præstandos incolumes, eruendosque à præsenti discrimine obuios quosque, cùm animo tùm corpore laborãtes, factæ nobiles impẽsæ. Nẽpe memor illius iustitiæ quæ cum ab Ambrosio definitur,* foris tota esse dicitur & quicquid habet quadã inclementia sui, dum rapitur amore cõmuni, trãsfundit in proximos, *Diœcesanorũ amore raptus, in ipsorũ cõmodum atq; vtilitatẽ, omnes curas & cogitationes continenter defigis. Testes sunt Altissiodorenses olim tui: Testes Meldenses quibus iam incubas totus, quos, vbicumq; res tulit, quà potuisti ope, quà authoritate apud Regem regiosque ministros, subleuasti, & à præsenti rerum difficillimarũ discrimine non semel amicè vindicasti. Quod si quàm subtiliter, tam verè dixit Gregor. Nyss.* Pro purpura datam esse hominibus virtutem quorum animi ad magna nati sint & cœlestia, *Et si de te iam augurari licet, quod aliquando Roma in Galliæ nostræ decus atque ornamentum perfectura est, tamen dicam audacter*

& verè dicam, antequam in humeris tuis ostrum igneum rutilet, iam eximiæ mentis purpureo amictu decoratus incedis. Sed in tuarum laudum prædicationem excurrere longius, aut exspatiari liberius, non ausim, atque adeò ad carceres me reuocat, modestioris animi tui ac demissè, vltra quàm facile quiuis existimet, de se sentientis, pudor ingenuus atque incredibilis verecundia. Cui vt omni ex parte indulgere nefas duxerim, sic nec quidquam concedere, vereor vt illiberale sit & inhumanum: Et hæc quidem quæ hactenus commemoraui (Præsul illustrissime*) grauia sunt, atque huiusmodi, vt animum meum ad studiorum meorum fructus qualescumque tibi nuncupandos, sponte currentem vehementius incitarint, eoque perpulerint, quò suopte iam pondere ferebatur; sed adde si lubet propriam ad hæc, potentissimamque rationem ortam ab officio animi non immemoris, aut ingrati, qui cum beneficium abs te acceptum agnoscat, & illud quoque publico monumento testatum esse vehementer optat. Dicam planius, ad superiora incitamenta quæ me ad officij in te mei partes hic aliquas exequendas, non leuiter commouerunt, accedunt tua in Societatem nostram merita, ac beneuolentiæ non vulgaris edita passim monimenta, neque enim obscurum est quàm nos & nostra iam à multis annis studiosè cures, constanterque tuearis, quàm antiquum illud in nos studium, nouis quotidie officiis augeas foueasque. Scio res tibi nostras in amore esse ac pretio, noui studium quo nos amplecteris, & quàm sæpe, quàm multis in negotiis, quamque non dubiis argumentis illud ostenderis, noui sparsa non vno in loco, tuæ in nos beneficentiæ ac liberalitatis monimenta, Altissiodorense Collegium, quia nostrum, societatique nostræ destinatum, tuum largitionibus effecisti: Recens adhuc facti memoria est, quod in æternitatẽ transcribetur, illud scilicet primis initiis satis tenue & angustum, rerum etiam inopia afflictũ, ac tantum non iacens atq; oppressum penitus, donis ac muneribus erexisti, magnis sũptibus instruxisti, ornasti. Iam proprium mihi ac singulare est, quod me immerentẽ licet, atq; obscurum hominẽ amore quodam singulari complecti semper visus es, quod studiũ in me tuum, etiam in virorũ consessu conspectuque sæpius explicasti, quod nec oblitus veteris consuetudinis iam olim à teneris annis inter nos initæ, in bonarum artiũ studio, literarumq; commercio, me identidem laborum tuorum socium, testẽque operæ tuæ in Aristotelico Lycæo vtiliter positæ, suauissimè compellare soleas. (Quæ, vt vides, splendida per sese ac magnifica, longam orationem desiderarent, ea, ne multus sim, strictim ac festinanter attingo.) Itaque quod hîc erga te præstare me profiteor (* Præsul illustrissime*) debeo hoc studio in te meo, debeo amori in te meo, quem excitauit dudùm in ipso primæ florentis ætatis curriculo, literarũ inter nos cõmunio consuetudoq; suscepta, cum Philosophiæ cursum emensi sumus, hoc inquã mea in te obseruãtia non exigit modo sed extorquet amicissima vi, suauiq; violẽtia. Consequens est, vt de ratione suscepti*

operis

operis mei, fructuque ex eo abs te colligendo, dicam breuiter, instituti-tique mei rationem inde stabiliam, quod vtrumque sic me ad te rapit, omnesque animi mei traducit affectus, vt dignitati tuæ, Pastoralibusque infulis quibus insignis es iniurius sim, ni donum offero meum tibi vni, & quasi votiuam hanc tabellam nomini tuo appendo; sacras quippe literas offero in quibus euoluendis pertractandisque maximam vigiliarum mearum partem collocasse me non inficior, tuum hocce tuique muneris studium est, & cum in hoc offerendo munere meipsum ad pedes tuos abiicio, teipsum quodammodo ipsi tibi restituo. Commentarius hic est in diuinam Scripturam, si Scriptura sacra, Liber Sacerdotalis est, *teste Ambrosio, si totius veluti* Sacerdotij substantia, *& dicitur & habetur ab Areopagita. Cui melius quam tibi Antistiti scilicet dignißimo librum iure ipso tuum, ac dignitati tuæ per se se consignatum consecrari oporteat? Do sub tuis auspiciis in publicum, & tanquam in orbis theatrum profero. Esdram & Nehemiam, vtrumque & Ducem & Sacerdotem, vtrumque, inquam, populi Israelitici à captiuitate Babylonica, Ducem amantißimum, vtrumque Pastorem vigilantißimum, vtrumque hortatorem ad præclara omnia virtutisque præconem integerrimum, vtrumque afflictæ gentis suæ ab inimicorum impetu, vindicem & propugnatorem acerrimum, vtrumque Templi ac ciuitatis Hierusalem nouum conditorem. Quid aptius Præsuli qui animarum saluti totus inuigilat? Quid Episcopo spiritualem virtutum fabricam in animis curæ ac fidei suæ creditis quotidie molienti, & ad fastigium perducere conanti commodius? Quid conuenientius muneri quo sanctissimè defungeris offerri queat* Præsul illustrissime? *Habes quippe in hac ipsa Esdræ ac Nehemiæ cùm vbere & copiosa, tùm suaui iucundaque historia, ad commissum tibi gregem prudenter ac piè gubernandum, ad res populi fæliciter tractandas, instaurandas sanctè ac componendas, documenta non pauca, quæ vsui tuis rationibus possint esse non exiguo; Quàm sæpe in mœrentium animorum perturbatione atque æstu Deus adesse soleat, qui rebus accisis et profligatis salutem, spem & exultationem miseris sortemque suam lamentantibus, gestientibus vero præpostere, sibique iam de fælici rerum successu inaniter gratulantibus exitium afferat, ex his sacrorum Authorum monimentis si è sinu tuo in manus ac sub oculos aliquando veniant, momento condisces, quàm variis in negotiis, quæ desperata videntur omnia, integrare illico, ac subleuare, nonnunquam amet amica diuini numinis Prouidentia, quàm sæpe, debellare vires aduersarias, deprimere spiritus insolentes, quo tempore nulla opponi commodè videtur posse aut solertia quæ eludat, aut potentia quæ fortiter inimicorum impetus retundat, hæc tu in*

Lib. 3. de Fide cap. 7.

Esdra atque Nehemia non sine animi voluptate suspicies; hinc ad bene de rebus iam in speciem fœdè miseréque labantibus sperandum, animum assumes, ad omnes obnitentium conatus, insultusque impauidum, hinc ad constituendam vbiuis, nec apud tuos solum, sed apud exteros etiam, Christianam Religiosamque disciplinam, eiusque puritatem ab sectariorum (sicubi res ferat) aut aliorum quorumvis oppugnatione vindicandam (quæ tibi Prouincia extraordinario Principis Edicto non raro demandatur) illos spiritus generosos, illum ardorem immensum concipies, quem nulla vis aut industria, nulla hominis calliditas, quibuscumque artibus aut machinis armata perãincat. Sed vereor vt publicè peccem, si te diutius à publicis auocem, quare ne plus æquo te distineam, libens hic me contineo. Leuidense igitur hoc munus si lubet iis oculis aspice quibus offero, (Præsul illustrissime) *& sicut tantum in munere probari solet quantùm ab animo exhibetur, immo vnum in exhibendo munere animum intueri par est, sic tu ingens credo hoc meum, aut saltem non omnino spernendum existimabis, exiguum licet reapse ac specie minus illustre, quando totum cum exiguo munere, ac vili etiam si voles, animum impendi memineris, & in animum ipse induces tuum. Cæterùm quod agis diu age, de sacris studiis, vt facis, de viris eruditis ac virtute præditis, vt soles, optimè mereri nunquam desiste* (Antistes illustrissime) *hæc ad extremum & mea et omnium vota sunt. vt dum terram incolis explendoque muneri tuo diligenter studes, cœlum tibi tuisque demereri contingat, hoc vnum, omnium vnus ardentissimè tibi adprecatur.*

Illustrissimæ Amplitudini
tuæ deditissimus,
N. LOMBARDVS,
è Societate IESV.

PRÆFATIO AVTHORIS AD LECTOREM.

De suscepti operis consilio, de illius forma seu idea, ac demum de eiusdem suas in partes distributione, deque ipso dictionis genere.

QVONIAM à plerisque omnibus sacræ Scripturæ interpretibus ipso fere Commentariorum initio quædam apponi obseruarique video, quæ cæteris postmodum consequentibus lucis aliquid allatura sint, sic instituti mei rationem ac methodum (Æquissime Lector) hac Præfatione libet exponere, vt quæ me ad illud suscipiendum causa impulerit, primùm aperiam. Ergo quod in hoc opere Esdræ ac Nehemiæ explanando, nulli hactenus, aut perpauci, bene penitus operam posuerint, id vero mihi incitamento fuit, vt ex omnibus sacris voluminibus vnum selegerim, tanquam ab interpretibus cùm antiquis tùm recentioribus magis derelictum. Et certe antiqui Patres, de eo admodum nihil, si modo D. Hieronymi prologum excipias. Bedæ allegoria in multis breuis ac stricta, vbi fusior, aliquando humilis, ac demissa. Hugo Cardinalis, ac Dionysius Carthusianus annotatiunculas texunt potius quam Commentarios. Paucos ante annos vnus è nostris Sanctius litteram primus attigit, & is quidem quem ego in cæteris omnibus plurimi facio, me à labore continuando, edendoque opere aliquandiu retardauit. Verum [vt quod res est ingenuè dicam, quodque legenti cuique facilè constabit] licet animaduertere in toto eius Commentario, sanè perbreui, multa leuiter expensa, multa etiam prorsus intacta, nonnulla ita strictim perstricta, vt maiorem operam, lucemque desiderare vi-

Quid ad eiusdem Commentariũ Authorem impulerit.

deantur. Quanquam (ne hoc quoque diffitear) quod in hoc authore aliisque eiusmodi visum est mihi acute dictum notatumque, ad obscuriora loca explicanda libens arripui, & in rem meam transtuli, fontes ex quibus riuulos deduxi non dissimulanter indicando, nec suppressis (quod à multis plerumque fit) authorum nominibus, neque vero cum morum ingeniis mihi conuenit, *Qui*, vt ait D. Gregorius in Pastorali tertia parte, *cum se præ cæteris sapientes arbitrantur sequi alios ad melius intellecta despiciunt, & vt apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen extorqueant, student summopere, & ab aliis intellecta destruere, & sua peruerse roborare.* Profecto, *discendum est citra pudorem*, inquit Basilius, epistola quæ est inter epistolas Libanij, *et docendum citra inuidiam, & si quid ab altero edocti sumus, idipsum occultandum non est, velut improbæ mulieres spurios partus subijciunt; sed dicti parens cum gratitudine prædicetur.* Ad cuius sanctissimi Patris sensum sic libens me accommodo [vt quod apud Platonem in Hippia maiori Socrates de se ipse prædicat) nunquam apud auditores vendicem mihi aliorum inuenta, sed docentem laudibus semper extollam, illique apud omnes quæ sua sunt tribuam, in quo vereor etiam vt plus æquo religiosum me nonnemo in multis huius Commentarii locis existimet. Quod operis formam atque ideam spectat, sane, vt magna est iudiciorum humanorum varietas, sic periculosa omnino eorumdem alea, quo fit vt nec semper beneuoli, nec æqui sint iudices, quibus famæ ac nominis tui fortunam committas, cum aliis alia probentur, alia aliis displiceant. Enimuero multi sunt qui ieiunos (vt aiunt) circa litteram Commentarios fastidiunt, & ad vberem Allegoriam, vagamque Mystagogiam animum appellunt libentius: quod scilicet suas illi ad populum conciones ex sacrarum Litterarum locupletissimis thesauris, & sanctorum Patrum amœnissimis viridariis ornari vehementer velint; Alij contra solam illam commentandi rationem probant, quæ euoluendæ

Operis forma.

literæ insistit tota, & ad mores parcissime diuagatur. Ego sic ad omnium ingenia indolemque me accommodo, vt explicandæ literæ quanta possum diligentia incumbam, nec tamen aridam suis locis, aut parum copiosam informandis moribus, aut texendis concionibus rerum & argumentorum syluam subministrem. Sic Commentariis quidem Historiæ, seu literæ expositio, nudam ac simplicem verborum interpretationem continet; vt si quis relictis aliis sensum tantum cuiusque loci, aut Historiæ lucem desiderat, eam ad manum promptè & expeditè habere possit, quæ sensum Moralem & Allegoricum attingunt, reliqua omnia, fusius illustrantur & cùm rerum tùm verborum segetem ampliorem ambitu suo comprehendunt. Iam vero vt ad operis totius ordinem œconomiamque designandam aggrediar: Primùm, Quæstiones Præambulæ, & Annotationes Procemiales, præmittuntur textus expositioni, sic vt Quæstiones nonnullæ, & Annotationes non paucæ vniuersim totum opus spectent, aliæ ad singula queque capita referantur, ne scilicet longior rerum quæ aut disputantur, aut annotantur tractatio, textus expositioni inserta, lectori fastidium creet, aut ad alia festinantem moretur, deinde textus cuiusque capitis ad literam explanatur, postremò ad calcem capitis historicè & literaliter expositi, Allegoria & Tropologia eiusdem attexitur. Sic porro Allegoriam à Tropologia seiungo, vt qui alteram sine altera volet, eam breuiter percurrere lectitando sine fastidio queat, & in eo quod arridere sibi magis viderit diutius immorari. In annotationibus autem complura disputantur, & hinc inde è variis Authoribus afferuntur, quæ ad variam multiplicemque eruditionem pertinent, quibus etiam non pauca aspersa sunt ad mores spectantia in concionatorum vsum. Sic igitur opus hoc vniuersum (vti iam significatum est) suas in partes distribuendum censui variumque in ordinem, ne rebus ipsis exponendis confusionem afferret & obscuritatem, idem rerum varia-

Ordo, & œconomia operis.

rum ordo ac permixta congeries, atque adeo ne legentis cursus hæreret nimium, & cognoscendæ veritatis auiditas. Quod ad stylum genusque dictionis pertinet, scio quod D. Hieron. in epist. ad Damas. quę incipit *Postquam epistolam tuæ sanctitatis, &c.* Eruditè annotauit, de sacris Libris disputanti atque adeo scripturam tractanti necessariam esse orationem pedestrem illam quidem, & quotidianæ similem, hoc est, quæ nullã lucubrationem redoleat, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat, atque illud ego quidem orationis genus in exponendo literæ sensu, quantum per ingenii mei tenuitatem licuit, consectari studui, existimaui tamen in dissertationibus moralibus, vbi plerumque rerum earum semina iacienda sunt, quæ cum animorum motu in ipsis concionibus pertractantur, posse non incommode, stylum nonnihil assurgere, & maiori paulum cultu atque ornatu sermonem efflorescere. Cęterum etsi de me ambitiosius nihil dictum velim, fidenter dicam quę vel ex sacrę Scripturę libris, vel ex SS. Patrum scriptis ac Commentariis eruta huc à me proferuntur, eorum loca vere & accurate designari, vt mihi vix vllius censuram hac in parte reformidandam esse existimem. Tu Lector Arbiter sede & pronuntia: & quoniam hic tanquam cum amico tecum ingenue colloquor, vt D. August. verbis vtar epist. 57. ad Dardanum in fine. *Quicquid in opere styli nostri vtiliter elaboratum esse cognoscis, Deo gratias age, si qua autem vitia mea perspicis, vti charissimus amicus ignosce, eadem scilicet synceritate dilectionis mihi optans medicinam qua concedis, & veniam.* Id abs te si consecutus fuero, magnam profecto à me inibis gratiam, quem ad alia postmodum in lucem emittenda animatum magis, & multo quam antea procliuiorem effeceris. Interim viue & vale.

Stylus Authoris.

Series Quæstionum & Annotationum Præambularum, Libri primi.

Series Quæstionum & Annotationum Præambularum Libri secundi.

Series Expositionum Allegoricarum Libri primi.

Series Dissertationum Moralium Libri primi.

infestum sit in illud vers. 18. *Inuenti sunt de filiis Sacerdotum qui duxerant vxores alienigenas*, pag. 275. & seqq.

Series Dissertationum Moralium Libri secundi.

I. SVMMVM Dei amorem ac gloriæ eius zelum ardentissimum ex dolore de alienis criminibus, animarumque pernicie concepto eminere admodum atque illustrem fieri maxime in hæc verba cap. 1. vers. 4. *Cum audissem verba huiuscemodi, sedi, & fleui, & luxi diebus multis, &c.* pag. 325. & sequentibus.

II. Morale de rerum præsentium & spectabilium vanitate, eaque tanquam illecebra homines induci ad peccandum, cuius fucum ac mendacium cum agnoscunt, facilè ab eo auocantur & effugiunt, in illud cap. 1. vers. 7. *Vanitate seducti sumus & non custodiuimus mandata tua, &c.* pag. 329. & seqq.

III. Orantis dignitatem & gratiam apud Deum multum conducere ad effectum orationis consequendum, in hæc verba cap. 2. vers. 5. *Si placet seruus tuus ante faciem tuam mittas me in Iudæam, &c.* pag. 351. & sequentibus.

IV. Quanta sollicitudine Principes Ecclesiastici spiritualibus debeant inuigilare & sæculares temporalibus, in illud cap. 2. vers. 13. *Egressus sum per portam Vallis nocte, &c.* pag. 353 354.

V. Pronum ijs ac facilem esse aditum, ad emergendum ex statu conscientiæ per peccatum è gratia Dei deiectæ ac disturbatæ, qui statum illius ruinas ingentes, sordesque ipsas & miserias diligentius contemplantur, in illud cap. 2. vers. item 13. *Et considerabam murum eius dissipatum, & portas eius consumptas igni*, pag. 355. & sequentibus.

VI. Morale de vano hominum timore expellendo, & fortissimos quosque aduersarios minus reformidandos vbi diuinum adest auxilium, aut de eo certam spem concipere iubemur, in illud cap. 2. vers. 20. *Reddidi eis sermonem, dixique ad eos Deus cœli ipse nos iuuat, & nos serui eius sumus, surgamus & ædificemus, &c.* pag. 356. & sequentibus.

VII. Ædificare Ecclesiam, seu corpus Christi mysticum in se esse, sancte vitam instituere, proueh in dies ac crescere in virtute, & potissimum in charitate, in cap. 3. vers. 1. & seq. pag. 383. & sequentib.

VIII. Nullam difficultatem ab ædificanda spirituali Hierusalem nos deterrere debere in illud cap. 4. vers. 10. *Debilitata est fortiudo portantis, & humus nimia est, &c.* pag. 399. 400.

IX. Quinam præfecti aut præficiendi mysticæ Hierusalem custodiendæ, in illud cap. 41. vers. 9. *Et orauimus Deum, & posuimus custodes supra murum die ac nocte, &c.* pag. 403. & seqq.

X. Prius humum nimiam egerendam, quæ erecta congestaque est quàm Hierusalem mystica ædificetur, & ad spiritualem virtutum structuram excitandam, ponendum altius in animo veræ humilitatis ac syncerae demissionis fundamentum, in

COMMENTARIVS IN LIBRVM PRIMVM ESDRÆ.

Quæstiones, & Annotationes prçambulæ ad vniuersum Esdræ opus.

I. QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

Esdras quis fuerit, de genere eius & patria.

I. Certũ Esdræ genus ex Scriptura.

SVVM ipse genus prodit Esdras, hoc opere lib. 1. cap. 7. v. 1. cum se filium indicat Saraiæ, quem fuisse Sacerdotem illum magnum Hierosolymâ captâ, temploque combusto occisum, à Nabuchodonosore, in Reblatha ex 4. Reg. cap. 25. v. 21. colligere est. Saraias porro, qui dicitur ab Esdra filius Asariæ, filij Helciæ, filij Sellum, filij Sadoc, &c. quemque suum patrem tradit, eosdem refertur habuisse parentes lib. 1. Paralip. c. 6. vbi & eius filius Iosedech nominatur, qui summus fuit Sacerdos ex quo natus est Iesu, qui etiam Sacerdos fuit, & cum Zorobabele, è Babylone in Iudæam remigrauit, quo fit vt eodem natos parente Iosedech, & Esdram oporteat, & Iesum sacerdotem, Esdræ nepotem ex fratre fuisse: addo, quod aduertit noster Sanctius, Esdram ipsum iam tum ętate admodum prouectum fuisse cum in patriam rediit; siquidem Saraias, pater eius, cum Sedecia captus fuit, & interfectus, sub initium captiuitatis Babylonicæ, Etsi enim quotennis esset iam, cum pater interiit, & quot annos postmodum vixerit patriæ restitutus non constat, tamen cum natus vt minimum existimari possit Olympiade 47. quo tempore fuit perfecta captiuitas, vt docet Eusebius in Chronico, & ætatem produxerit ad Artaxerxis Lõgimani annum septimum, qui in Olympiadem 82. incidit, 140. annos attigisse oportuit reditus sui tempore, cum totidem inter vtramque Olympiadem intercurrant.

II. Saraias Esdræ pater, illius frater Iosedech, eiusdem nepos, Iesu siue Iosue summus sacerdos.

III. Esdras ætate admodum prouectus è captiuitate in patriam rediit.

Errant igitur & qui Esdram Babylone natum esse putant, quos esse non paucos notat idem Sanctius, cum ante transmigrationem natus sit, & qui eundem esse cum Iosedech existimant apud Sixtum Senensem, hac vna ducti ratione quod Iosedech lib. Paralip. cap. 6. traditur habuisse Saraiam parentem, & Esdras seipsum hic Saraiæ ipsius filium nominet, quasi vni parenti duos esse filios inauditum sit: certe Esdrã non fuisse Iosedech, sed eius fratrem, hinc satis commode conficitur à Sanctio, quia nimirum (inquit) quo tempore vixit Esdras, vixit etiam Iesus, qui filius dicitur Iosedech sacerdotis magni, qui & ipse sacerdos magnus fuit, ac proinde si Esdras esset Iosedech, esset vtique sacerdos magnus, & non Iesus, neque Iesus tanquam princeps cum Zorobabele ad instaurandas vrbis, templique ruinas, esset è Babylone dimissus, sed potius Esdræ, vtpote magno sacerdoti, hæc prouincia demandari potuisset: facit etiam ad id peruincendum, quod quoties Iesu sacerdotis magni meminit Esdras in hoc opere, tanquam de alieno loquitur, neque filium appellat suum, sed filium Iosedech, quo in argumento mirum quantum acquiesco, nec minus peccant, meo iudicio, qui scriptorem hunc sacrum cum vltimo ex minoribus Prophetis confundunt.

IV. Falsa multorum opinio, qui Esdram eundem cum Malachia faciunt.

Rabbi Salomon, apud Lyranum in cap. 7. Esdræ, statim initio, refert magistros, sic loquitur, id est, ex Hebræis Doctores præcipuos, in ea esse opinione, vt sentiant & dicant Esdram, ipsum Malachiam, qui in duodecim Prophetis vltimus ponitur.

Idem notat Hieronymus in Prologo Commentariorum in Malachiam, & in Commentariis ipsis non rarò, quin & ab hac sententia non admodum abhorret, probat etiam Rupertus in Prologo Malachiæ, astipulatur Chaldæus, qui sanè, vel hoc vno, reuinci possunt, in rem consensisse minus probabilem, quod si vera sunt, quæ omnes ferme scriptores de Malachiæ ætate & tempore prodiderunt, nullo modo in Esdræ, nec tempus, nec ætatem conuenire possunt, nisi A mirum, ex communi antiquorum Epiphanij, Isidori, Dorothei in Synopsi, ac demum ex Chronici Alexandrini sententia, natus est Propheta Malachias, soluta iam captiuitate Babylonica, immò, & iisdem testibus, immaturam iuuenis mortem obiit, constat aliunde non dubiis scripturæ argumentis, Esdram fuisse filium Saraiæ magni sacerdotis, quem sub transmigrationis initium occidit Nabuchodonozor, atque adeò soluta, iam primum captiuitate longius ætate fuisse progressum, quare cum hæc simul cohærere non possint, ne vnus fuisse diuersis temporibus, aut idem eodem tempore, iuuenis, & grandæuus dicatur, consequens est, vt Esdras alius à Malachia censeatur. B

II. QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

De Esdræ officio, & an fuerit Propheta.

V. Latè accepto Prophetæ nomine, certum est Esdram fuisse Prophetã, strictè sumpto non improbabile.

QVOD à nonnullis disputari video, vtrum Esdras Propheta fuerit pendet, tum ex variâ nominis Prophetæ acceptione in sacris litteris, tum ex discussione eorum quæ scripsit ipse & in sacram scripturam retulit, quod in progressu operis expendetur, video ægrè ab Augustino lib. 18. de Ciuitate cap. 36. nomen Prophetæ huic authori tribui, *Esdras (inquit) magis rerum gestarum scriptor est quam Propheta*, certè si scriptura diuinitus Esdræ fuit reuelata, & ab ipso restituta in integrum, cum ante periisset, si scripsit inter alia benè multa, libros Paralipomenon, caput 36. Genesis & caput Deuteronomij vltimum, in quibus occultissima de Genealogiis Hæbræorum narrantur, vt aliquibus non displicet, magnum ex eo sumitur ad Prophetæ nomen argumentum. Scio nomen hoc, illi attribui a Calendario Romano ad diem 13. Iulij; in qno illius recolitur memoria, his verbis: *Eodem die sanctorum Ioelis & Esdræ Prophetarum*: in quæ verba sic annotat, & commentatur Baronius: Esdras (inquit) *Propheta extra numerum duodecimum ponitur, ab omnibus, exceptis his qui Hebreis consentientes eundem putant esse eum Malachia.* Sic ille: Sed; cum, vti dixi, alia & alia nominis Prophetæ interpretatio sit, tùm in nouo, tùm in veteri testamento, fac etiam (si voles) Esdram nihil prædixisse, Propheta tamen iure meritissimo haberi potuit, vtpote, qui populum docuerit, & ad officium & pietatem reuocarit, qui diuinis laudibus ex instituto C vacarit, qui scripturam sacram sit interpretatus, quod Prophetarum munus fuisse non minus, quam futura prædicere, liquet ex 1. Regum cap. 10. & lib. 2. Paralip. cap. 25. 1. Corinth. 11. & 13. & 14. ex sensu & interpretatione sancti Hieronymi, & Diui Thomæ locis citatis. Quid enim illud est? 1. Reg. c. 10. v. 5. *cum ingressus fueris vrbem obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipsosque Prophetantes*; &c. An non ibi Prophetę dicuntur habuisse tympanum, psalterium, & tibiam, vt alibi, 1. scilicet, Paralipom. 25. Cytharam quoque & cymbalum, atque adeo Prophetasse, quod sic ex more, atque instituto solemni, cum illis instrumentis diuinas laudes personarent.

D An non Diuus Paulus iam citatus 1. Corinthiorum 14. cum qui prophetat hominibus, asserit loqui ad ædificationem, exhortationem & consolationem, quod si cumulatè perfecit, Esdras, quidni Propheta dicendus sit? Adde fieri potuisse, vt reapse Prophetam egerit strictè etiamsumpto nomine, & futura prædixerit aliquando; licet illius vaticinia, non extent in sacris monumentis, sicut multis contigit, qui in scriptura sacra vocantur Prophetæ, quorum ad nos Prophetiæ non peruenerunt. Quod fusè persequitur D. Chrysostomus Homilia 7. in 2. caput, Epistolæ 1. ad Corinthios, vbi cum retulisset illud Actorum 3. v. 24. ex concione D. Petri dicentis ad populum Iudaicum de Christo. *Et omnes Prophetæ à Samuel*,

& deinceps: qui locuti sunt annuntiauerunt dies istos, &c. Ait ille: Dicit Apostolus à Samuele, & iis qui deinceps fuerunt Prophetis, omnes de ipso dixerunt, non habentur autem hæc omnia, quibus verbis manifestè ostendit, vt sibi sit nec cuiquam dubium esse posse, quia multa de scripturis etiā prophetice dicta, lapsu temporis diuturni, & longa annorum vetustate deperierint, sed iam ad librorum Esdræ, seu qui Prophetæ, seu qui sacri tantum nomen authoris illi conciliant, censum veniamus.

A

III. QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

Quos libros Esdras composuerit.

VI. Esdras scripsit librum primū nomine suo prænotatū.

NON erit opinor iniucundum, aut inutile sensum hic variorum authorum super quęstione proposita percensere. Igitur de hac re, sic Sixtus Senensis lib. 1. Bibliothecæ sanctæ. Esdras (inquit) siue Ezra, quem primus Paralipomenon liber Iosedech sacerdotem appellat, & Hebræi Malachiam vltimum Prophetarum esse putant, filius Saraiæ, filij Azariæ, ab Aaron sacerdote magno duodecimi, scriba legis Domini ingeniosus & velox, edidit librum sui nominis, titulo pręnotatum Hebraicis quidem literis, & a se primum repertis, sed Chaldaico sermone digestum in quo conscripsit reditum Israelitici populi, ex captiuitate Babylonis in Iudæam vrbisque Hierusalem instaurationem, & noui templi exstructionem. Alterum verò librum qui secundus Esdræ inscribitur, & eandem historiam pertractat, scripsit Nehemias, filius Helchiæ sacerdos, & in captiuitate Pincerna Regis Artaxerxis, vnde & præfatio libri eius est, *verba Nehemiæ filij Helchiæ*, qui & in omnibus fermè libri sui capitulis de se per primam personam loquitur. Sortitur autem hic liber nomen Esdræ ob duas causas, primùm: quod ea continent, quæ simul ab Esdra & Nehemia gesta sunt, deinde, quod vtrique libri, tam apud Hebræos, quàm apud Græcos in vnū connectuntur volumen, apud Latinos in duo diuisum. Dissident tamen à nobis hac in parte Græci Patres, quia quem nos tertium Esdræ librum inscribimus, & inter apocrypha scripta reijcimus, illi in sacro Canone collocant, & primum, in ordine librorum Esdræ statuunt, quod ea, quæ in eo narrantur, gesta sint ante ea, quæ Esdræ & Nehemiæ libris continentur, qui verò apud nos primus & secundus sunt, illi vtrumque sub secundo volumine Esdræ comprehendunt.

Esdras non est author libri secundi, qui dicitur Esdræ, sed Nehemias.

VII. Græci tertium librū Esdræ recipiunt, & primum in ordine collocant, primum autē & secundū apud Latinos secundo Esdræ nomine comprehendunt

Quapropter apud eos primi Esdræ initium sic habet, κ' ἤγαγεν Ιωσίας τὸ πάσχα ἐν Ἱερουσαλὴμ, hoc est fecit Iosias Pascha in Hierusalem, & diuiditur in capita centum & nouem. Secūdus verò sic incipit Καὶ ἐν τῷ πρώ-

B τῳ ἔτει Κύρου βασιλέως Περσῶν: & in primo anno Cyri Regis Persarum & secatur in capita octoginta: feruntur & alia sub nomine Esdræ volumina, quę refert libro secundo, idem Sixtus Senēsis, & inferiùs attingemus.

VIII. Alij qui dicuntur Esdræ libri sed incerti.

Quid, quod in Psalmis Dauidicis, qui primus recensetur, credi potest, vt nonnullis visum est, & præsertim Lyrano, compositus ab Esdra, vtpote qui Psalmos omnes collegerit, & collectioni suæ hunc Psalmum præposuerit per modum cuiusdam Proœmij, siue Prologi, qui tamen verè dicitur Psalmus aliis compaginatus, vt habetur Actuum 13. vbi dicitur *scriptum est Psalmo 2. Filius meus es tu*, quod habetur Psalmo

C sequenti qui non posset dici secundus, nisi iste esset primus. Sunt etiam ex Patribus, qui librū Nehemiæ, quem nos Esdræ secundum nuncupamus, illis adstruant. Abulensis in Prologo lib. 1. Paralip. dub. 8. ait libros Paralip. compositos ab Esdra, & lib. 1. c. 1. q. 8. addit scriptum ab Esdra cap. 36. Gen. & vltimum Deuteronomij, cui suffragatur Bellarminus. Reperiuntur etiam nonnulli qui Esdram authorem libri Esther existiment in quibus Aug. lib. 18. de Ciuitate, & Isidorus lib. etym. cap. 2. quin & idem sensisse alios ante horum tempora tradit Euse-

D bius in Chronico anno mundi 4734. Sed vt in hoc argumento eruditi lectoris & studio, & votis plenè satisfiat ad Senensem redeamus. Esdras ergo, vt ait idem ille, lib. 2. Bibliothecæ, cum esset de captiuitate Babylonis reuersus, afflante Spiritu Dei dictauit, de his quæ in sacro-sanctis scripturis in excidio Hierosolymitano incensis continebantur, libros quatuor & ducentos, quos ab ore eius quinque velocissimi scribæ per continuos quadraginta dies excipientes, in tabellis buxeis descripserunt, Ex his Esdras centum & viginti sex, passim euulgauit, reliquos verò secretiore scientiâ, & sublimiore sapientiâ elaboratos, solis sapientibus ac doctioribus legis peritis maiori curâ, & solertiori studio occultè legendos reseruauit. Meminit horum librorum ipsemet Esdras in 4. suarum visionum volumine, cap. 14.

IX. Libri Cabale apud Hebræos, ad Esdram referuntur à nonnullis quasi illorū author sit.

v. 21. his verbis. *Quoniam o Domine, lex tua incensa est, &c.* quæ sic clauduntur v. 44. *Sc Scripti sunt per 40. dies libri 204. & dixit ad me altissimus. Priora quæ scripsisti in palam pone, & legant digni & indigni nouissimos autem 70. conseruabis, vt tradas eos sapientibus de populo tuo. in his enim vena est intellectus & sapientiæ fons & scientiæ flumen, & feci sic.* Idem habet ex Athanasio, Genebrardus lib. 2. Chronol. Iam vero vt reliquos fontes exhauriamus eodem authore Senensi. Picus Mirandolæ Comes, Apologiæ suæ quæstione quinta asserit, his septuaginta libris posterioribus contineri vniuersam illam secretiorem diuinæ legis expositionem, quæ a Iudæis Cabala appellatur. est autem Cabala secretior diuinæ legis expositio ex ore Dei à Moyse recepta, & ex ore Moysis à Patrib. per continuas successiones, non quidem scripto, sed viua voce suscepta, quæ similitudinem habet eius expositionis, quam nos Anagogicam vocamus, cæteris idcircò sublimiorem, quia sursum nos ducat à terrenis ad cœlestia, à sensibilibus ad intelligibilia, à temporalibus ad æterna, à corporeis ad spiritualia, ab humanis ad diuina. Porrò de 70. voluminum illorũ, quæ Kabalam cõtexuerunt, prima origine & occasione, sic accipe (illam enim supra citatus author Picus Mirandolæ ex sententia Mosis Ægyptij refert his verbis) Cum Moses montem Sina conscendisset, duplicem a Deo, legem accepit, vnam literalem, quam ipse literis exaratam A ex præcepto Dei omnibus Iudæis euulgauit, alteram spiritualem, quam ita iubente Deo non scripsit, sed solis 70. sapientibus, quos ipse sibi ad custodiam legis delegerat, occulte communicauit, eisque itidem præcepit ne eam scripto proderent, sed successoribus suis viua voce reuelarent, tum & illi, posteris suis eodem in perpetuum seruato ordine, aperirent. Quod autem Deus Moysi præter legem scriptam, aliam legem spiritualem, siue mysticam eiusdem legis scriptæ expositionem dederit, Esdras lib. 4. c. 14. Origenes in Epistola ad Rom., & Hilarius in exposit. Ps. 2. satis indicant, vt B probatum reperies in eodem authore citato apud Senentem, &c. Cum igitur vsque ad tempus Babylonicæ captiuitatis, nihil de hac secretiori expositione scriptum esset, Esdras post vrbis reædificationem & legem à se restauratam, voluit huiusmodi Cabalisticã expositionem literarum monumentis mandari, ne forte perderetur propter captiuitates & dispersiones Iudaïcas, in quibus seruari non poterat ordo & prisca consuetudo tradendi Cabalam per manus. Accitis ergo ad se fidissimis notariis, redegit omnia Cabalę mysteria in libros 70. iuxta numerum 70. seniorum Synagogæ solis sapientibus in posterum communicandos. C Sed quàm hæc postrema certæ aut incertæ fidei sint apud authores, rem ad amussim Ecclesiasticam diligentius exigentes, ex sequentibus intelligetur.

Quid sit Cabala.

X. *Prima origo & occasio Cabalæ Hebræorũ.*

IV. QVÆSTIO SEV ANNOTATIO Procœmialis.

De auctoritate librorum Esdræ,

XI.

PRETIOSVM hic à vili secernendum est, certa ab incertis seiungenda. Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecæ sanctæ hæresi 2. refert Anabaptistas libros Esdræ vniuersos, tanquam incertæ fidei & auctoritatis reiicere, sed vt ibidem præclarè addit, damnant hanc hæresim totius Ecclesiæ authoritas, Conciliorum decreta, & Patrum testimonia. Primus enim & secundus Esdræ, qui Nehemias dicitur, non solùm in omnibus Catalogis vetustissimorum Ecclesiæ Patrum inueniuntur, & in decretis Pontificum eorum testimonia citantur, sed etiam apud Hebræos inter *Chethubim*, hoc est Hagiographa, vel sancta scripta, quæ locabantur in arca, computantur. Ergo fixum in primis & constans esto, duos priores libros quibus Esdræ præfixum nomen est, Canonicos D esse sicut proximè declaratum est à Concilio Tridentino sessione 4. De duobus postremis libris, qui authoris eiusdem nomine circumferuntur, nemo opinor hoc tempore in dubium reuocat exauctoratos esse, atque alienos à sacrorum librorum, qui vulgo Canonici vocantur Catalogo: citari tamen, interdum ab antiquis Patribus non nego, ab Aug. lib. 18. de Ciuit. Athanasio orat. 3. contra Arrianos, à Clemente Alex. lib. 1. strom. Cypriano epistola ad Pompeium, & plerisque omnibus, sed neque id mirum cum etiam passim ab illis citentur prophani libri, cum res exigit: deinde minus eo ab illis citandis abstinuerũt sancti Patres, quòd suo tempore nondum fuerat

Libri duo Esdræ Canonicæ fidei authoritatem habent, ex Cõcilij Trid. declaratione, contra Anabaptistarum sensum.

XII. *Duo postremi Esdræ*

libri qui circumferuntur ab alio quam ab Esdra compositi.

de illorum auctoritate constitutum. Cæterùm ab alio potius, quàm ab Esdra eosdem libros fuisse compositos probabilius existimo ac pœne certum, quicquid contra sentiat sixtus Senensis, ne scilicet idem sacer scriptor, vno tempore vera & sancta afflante Spiritu: alio inania, aut fabulosa, ex sensu suo, scriptis mandasse sentiatur. Ad hæc A quod Esdræ somnium vulgo & vaticinium de fatis Monarchiæ Romanæ alicubi reperitur & à nonnullis authoribus notatum est, librum esse ab Hæreticis superiorum temporum confictum addit Senensis, quem Romanæ inquisitionis Senatus nominatum inter damnatas scripturas haberi voluit.

V. QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

Quæ sit subiecta materia horum librorum, & quod idioma scriptorum Esdræ.

XIII. *Subiecta librorum Esdræ materia ex Lyrano, sed remota & mediata.*

PLacet quidem quod annotauit Lyranus prologo in Esdram statim initio, Deum sub ratione gubernantis populum Israel subiectum esse (sic loquitur) in libro Iudicum, & alijs libris historialibus sequentibus, vario tamen modo, secundum varietatem huius regiminis, Deus enim (inquit) hunc populum post ingressum terræ promissionis tripli ci modo gubernauit, primo per Iudices & sic de eo agitur in libro secundo Iudicum, secundò per Reges, & sic tractatur de eo in libris Regum, & Paralipom. Tertio per Sacerdotes, scilicet à reditu captiuitatis Babylonicæ, vsque ad Christum, expeditis autem duobus primis modis, tertium præ manibus habemus, quia liber Esdræ incipit à reditu captiuitatis Babylonicæ, à quo incepit regimen Sacerdotum, tamen sub Deo principali rectore, de quo regimine dicitur. *Erit Sacerdos super solio suo.* Zach. 6. &c. bene id quidem, vti dixi, sed obiectum hoc, siue subiectam materiam librorum Esdræ, Philosophi remotam & mediatam dicerent, non proximam, & im- B mediatam, vnde propiùs ad rem nostram veniendum est, & de argumento librorum Esdræ vlteriùs inquirendum.

Proximum & immediatum vtriusque libri Esdræ argumentum.

Igitur vt breuiter, sic optimè de hoc argumento Hieronymus ad Paulinum. Primum historicè percenset Esdras ea quæ fecerunt filij Israel, ex quo factâ à rege Persarum remigrandi facultate, redierunt in Iudæam; donec è Babylone, defuncto iam Esdrâ, Hierosolymam ascendit Nehemias cum ingenti populi multitudine, & id quidem vsque ad cap. 1. porrigitur, inde ad finem vsque totius libri, populus ad pietatem instruitur, & antiqua religio, & veteres C sacri cultus ceremoniæ, quæ longo exiliò exciderant, ad pristinam formam primigeniùmque splendorem rediguntur.

XIIII. Hebraico sermone scripsit Esdras licet nonnulla Chaldaice permiscuerit.

De idiomate quo vsus est sacer hic author, planũ omnibus ac peruium, sermone Hebraico scripsisse pleraque omnia, nonnulla tamen admiscuisse Chaldaicè, quod inter Chaldæos diu consueuerit, & inde patriam linguam non nihil corruperit, vt & accidisse quoque Danieli ipsi dicendum est, in cuius prophetia quædam Hebraico, mul- D ta Chaldaico sermone scripta comperies.

VI. QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

Quid in reliquam scripturam contulerit Esdras, & an eam vere instaurarit, & quomodo.

XV.

VAria varii sentiunt, atque haud scio, an quidquam ita exactè vt in alterutram partem disputare non liceat, quod habetur lib. 4. Esdræ cap. 14. & fusè disseritur de studio ac solicitudine Esdræ in sacrorum librorum restauratione, quasi illustratus fuerit à Deo & ab eo diuinitùs scripturam sacram acceperit, quæ Chaldæorum incendio tota periisset, magnam partem explodit Bellarminus & post illum Sanctius, cum alijs pluribus, tanquam minùs simile veri, & à Rabbinis fortè confictum, eóque potissimum, authores illi in hanc sententiam inducuntur, quòd scripturam sacram omnino fuisse exustam & prorsus abolitam à Chaldæis in animum suum inducere nõpossint. Quis enim credat (in-

Ex multorum opinione tota scriptura sacra ab Esdra non fuit in integrum restituta aut instaurata quod tota Chaldæorum incendio non deperierit.

quiunt) populum Iudaicum vſque adeò pietatis, & auitæ religionis immemorem, vt nemo vnus fuerit de tot millibus, qui ſacros libros habuiſſet domi deſcriptos, cùm præſertim illo tempore, neque Prophetæ defuerint, neque legum doctores, quorum induſtria, & ſapientia in ſacrarum literarum cognitione potiſſimum ſpectabatur. Deinde alijs in locis ab Vrbe ſanctâ, ad quæ non peruenit Chaldæorum incendium, quis dubitet fuiſſe quoque ſacra monumenta & illi à ſuis dominis cautè ac religiosè cuſtodita? quin & veri ſimile eſt ciues Hieroſolymitanos, cùm viderent nihil eſſe propius, quam vt hoſtes in ciuitatem ingrederentur, libros ſacros qui in templo aſſeruabantur, & ſi quid aliud ſacrum ſanctumque habuere, in illis occultaſſe latebris, quas explorare non poſſet aut inuenire hoſtilis ſolertia. Qui & addunt Romanos olim non minus potentes fuiſſe quàm Babylonios, nec minus in Chriſtianos exarſiſſe, quàm in Iudæos ſæuiere Chaldæi, neque tamen ſacros libros, cum in id ſummo ſtudio incubuiſſent, abolere vnquam potuiſſe, edictis etiam in eam rem ſeuerè ſancitis, vt videre eſt apud Euſebium lib. 8. hiſt. cap. 38. c. 1.

A B C

Sed contra ſentit Chryſoſtomus in epiſtolam 1. Corinth. cap. 2. vbi ſic ait: *Magna librorum copia periit, & pauca ex priori captiuitate volumina ſuperfuerunt, quod ex reliquiis plane conſtat, & quid ego captiuitatem memoro? nam etiam ante captiuitatē multa abolita ſunt librorum volumina.* In hanc Chryſoſtomi ſententiam propendere videntur reliqui Patres cum de Eſdra loquuntur, quos ſequenti poſtmodū lectione, quo res magis illuſtretur, & ipſi ſuo ore quaſi litem dirimant, audiemus.

Contrà ſentiunt patres fere vniuerſi qui de hac controuerſia loquuntur.

XVI Interim (vt dicam ipſe quod ſentio) placet mihi præ cæteris quod de hac controuerſia ſtatuit Sanctius, verúſque exiſtimo 1. Captiuitatis tempore, ſcripturam ſacram varijs rerum ſucceſſibus, varia etiam detrimenta ſubiiſſe 2. diſſolutam quodammodo, diſperſam, ac diſſipatam varijs in locis. 3. in illam, ſiue ſacerdotum inopiâ ſiue incuriâ, ſiue aliorum plebis ignorantiâ, multa irrepſiſſe aliena, multa excidiſſe genuina, multa è ſuo loco in alium traiecta, rem denique ita perturbatam, ac perditam, vt in Scriptura ſacra penè Scripturam ſacram non agnoſceres. Conſtat in hac ſententia fuiſſe Athanaſium in ſynopſi cum de Eſdra ſermonem inſtituit, de cuius vt & aliorum ſanctorum Patrum ſententia, mox à nobis fuſius eſt inquirendum.

Scriptura in captiuitate penitus ſola, nec penitus conſeruata aut à mendis pura eſſe potuit.

VII. QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

Quid ſenſerint SS: Patres de Eſdra præſertim quoad Spiritum diuinitus illi afflatum, ad ſcripturas inſtaurandas.

XVII Libet hùc ſanctorum Patrum inferre teſtimonia, vt ſuam ipſi conceptis verbis de quæſtione noſtra ſententiam dicant, ſicque datam fidem exoluam. D. Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 25. loquens de tempore ſubſecuto captiuitatem Babylonicam, INSPIRAVIT, inquit, *Deus Eſdræ ſacerdoti tribus Leui præteritorum prophetarum omnes rememorare ſermones & reſtituere populo eam legem quæ data eſt per Moyſem*, idem ipſe proximè antè, *in captiuitate populi corruptas, aſt fuiſſe ſcripturas*, &c. Athanaſius in ſynopſi, *narratur*, (inquit) *& hoc de Eſdra, quòd cum libri quoque per incuriam* populi, *ac diuturnam captiuitatem periiſſent, ipſe illos, cùm vir eſſet honeſti ſtudioſus, induſtrius, & lector, apud ſe omnes cuſtodiuerit, ac tādē protulerit, omnibúſque tradiderit atque ita ſeruauerit* &c. nimirum eo tempore confuſa admodum Iudæorum erat Reſpublica, neque Rex erat, neque Sacrificiū, neque Altare, neque Theraphim, quod in vaticiniis ac comminationibus ſuis poſuerat Oſeas cap. 3. vt mirum non ſit, ſi in tanta rerum omnium perturbatione parum accuratus inerſque rerum ſacrarum vſus, Scripturam ſacram ſordibus ac næuis obleuerit, ergo cum in ſacris codicibus omnia pene ita diſſipata & lacerata eſſent, ea coagmentauit, ſuiſque locis, puritatique, Eſdras reſtituit; Eo nomine ſacrarum literarum cuſtodem alii vocāt, nos inſtauratorem, aut Reſtitutorem illum appellamus, quibus verbis, non magis ſignificantur ea quæ omnino perierant rurſus excitata, quam quæ ſemiruta erant, refecta, & ad ſuum ſplēdorem integritatemque reſtituta, Ita igitur nobiſcum & loquuntur & ſentiunt inter cæteros vt iam vidimus, Irenæus & Athanaſius. His nominatim adiungi poſſunt. Theodoretus & Hilarius, de quibus opportunum erit etiam in ſequentibus dicere & vniuerſim quid ſācti reliqui quoque Patres

Irenæus *Athanaſius* D

de Esdra senserint intelligere.

Tertullianus. Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 3. *Hierosolymis* (inquit) *Babylonicâ expugnatione deletis omne instrumentum Iudaicæ literaturæ per Esdram constat restauratum*, lib. 30. Carm. contra Marc. cap. 6. ita canit.

Esdras vates legis doctor & ipse sacerdos
Qui populum captum post tempora multa reduxit.
Ignibus & multa consumpta volumina patrum
Spiritu impletus memori omnia reddidit ore

XVIII. D. Augustinus. D. August. lib. 2. de mirabilibus scripturæ cap. 33. *Esdras* (inquit) *combustam à Chaldæis, in Archiuis templi restituit legem, nempe qui eodem spiritu, quo antea scripta erat, plenus fuit*, Clemens Alexandrinus (Clemens Alexandr.) lib. 10. strom. *Per Esdram* (ait) *facta est diuinitus inspiratorum eloquiorum recensio & renouatio.*

Eusebius. Eusebius in Chronico ad ann. 4740. *Esdras* (inquit) *affirmatur diuinas scripturas memoriter condidisse, vt in Samaritanis non miscerentur, literas Iudaicas commutasse.*

Augustinus. Idem qui paulo ante citatus Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 36. postquam indicauit vix rationem inueniri cur in Prophetis censeri Esdras debeat, addit tamen postea. *Nisi fortasse in eo Christum prophetare intelligendus est quod inter iuuenes quosdam ortâ quæstione, quid amplius valeret in rebus, veritatem super omnia demõstrauit esse victricem, consulto autem Euangelio Christum cognoscimus esse veritatem.*

XIX. Non satis consulte carpit Augustinum Sanctius. Non me latet (quod obiter hic est aduertendum) hanc Augustini rationem, moderno authori è nostris Sanctio, minus probari, primum (inquit) quod illa quæstio, de qua agit, è libro est, qui inter canonicos non censetur, est enim tertius Esdræ, deinde quòd, vt legenti cuique obuium est, cap. 4. v. 13. qui veritatem omnium dixit esse fortissimam, non fuit Esdras, sed Zorobabel. Sed pace ipsius dixerim, aut argutari scrupulosiùs hac in re, aut tantum patrem, vellicare videri non debuit, nam vt suas illis rationes reponam, infirmémque, ætate Augustini nõdum Ecclesiæ decreto, tertius Esdræ expunctus erat è Canone, & si Canonicus vere haberetur, quod Zorobabel olim dixisset, & narraret Esdras, diuino spiritu ipsi reuelante, quidni Esdram ipsum dixisse censeri posset. Hęc de Augustino, iam ad alios gradum faciamus;

Theodoretus. Theodoretus pręfatione in Psalmos, *Esdras* (inquit) *diuino numine afflatus sa-*

A *crorum voluminum memoriam illis hominibus renouauit.*

Hilarius. Idem Hilarius vterque præfat. in Psalm. piget enim diuersorum authorum, easdem voces referre.

Hieronymus. D Hieronymus lib. aduersus Heluidium ante medium, *siue Moysem dicere velis authorem Pentateuchi; siue Esdram eiusdem instauratorem operis non recuso.*, alibi tamẽ ne quid dissimulem, videtur aliquibus idem Hieronymus non admittere, Esdram legis libros reparasse, sed tantum nouos characteres inuenisse, cum ita scribat epistola 106. quę est Prolog. galeat. *certum est* (inquit) *Esdram scribam legisque doctorem post captam Hierosolymam & instaurationem* B *templi sub Zorobabel alias literas reperisse quibus nunc vtimur cum ad illud vsque tempus ijdem Samaritanorum & Hebræorũ characteres fuerint*, Hieronymo astruendus, S. Ambros. epistola 82. cũ ait *O immemorem scripturarũ Esdrã qui memoria scripturas reddidit.* (Ambrosius) Rabban. lib. 2. inst. cleric. (Rabbanus.) cap. 25. *Esdras libros omnes sacros dum Iudæi ingressi fuissent in Hierusalem diuino afflatus Spiritu reparauit cunctaque prophetarum volumina, quæ fuerant à gentilibus corrupta correxit.*

XX. Isidorus. C D. Isidorus in lib. de vita & morte Sanctorum, *Esdras* inquit, *legem incensam renouauit*, &c. Quam sane doctrinam probabile est patres collegisse ex illis verbis sacræ historiæ 1. Esdr. 7. & 6. *ipse Esdras ascendit de Babylone & ipse scriba velox in lege Moysi*, quasi idcirco dicatur scriba velox in lege Moysi, quòd illam extinctam reparauit, & verò ab interpretibus vulgo sic exponi animaduerto, è quibus Beda, loco citato, (Beda) *Esdras*, inquit, *non solùm legem, sed etiam vt est communis maiorum fama, omnem sacræ scripturæ seriem, quæ pariter igni absumpta est, prout sibi videbatur legentibus sufficere scripsit*; vbi & addit non solum Esdram D reparasse veterem scripturam, sed etiam aliqua verba denuò addidisse, in cuius rei confirmationem, duplicem adducit locum; vnum, Deut. 34. v. 10. vbi sic habetur, *& non surrexit vltra Propheta, in Israel, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem*; quæ verba; inquit Beda, non nisi is qui longo post Moysem tempore viueret dicere potuit, alterum. 1. Reg. c. 9. v. 9. *olim in Israel sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum, venite vt eamus ad videntem, qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns*, nam cùm author illius operis, loquutus de tempore Samuelis, in quo hęc omnia contigerunt, dicit, *olim in Israel*, multo recentiorem Samuele ipso fuisse plane necesse est. Neque desunt

Esdras punctorum quæ in Bibliis sunt Hebraicis non est author.

qui existiment, punctorum quæ sacris Bi- A bliis addita sunt, authorem quoque fuisse Esdram, sed id verum omnino non esse, ex eo conuincitur, quod ex libris Sancti Hieronymi, non obscurè pateat, eius tempore nulla fuisse puncta in Bibliis, sed inuenta postmodum (vt est communis Doctorum opinio) sub imperio Honorij, anno à Christo nato 510 in Tiberiade vrbe Galilææ, quò ad id conuenerant, ex Hebræorum gente Viri eruditiores Ita Genebrardus in Chronologia sua ad annum mundi 3638. ex Eliâ in Masoreth.

Ego vt rem tandem absoluam; siue sacros codices suo splendori ac veritati restitutos, siue ab interitu ad lucem & vitam quodammodo ab Esdra reuocatos dicamus, certum est non nisi diuino afflatu id factum esse, quod fatentur omnes, & præterea ingens sanè humano generi ab Esdra qui tantum nitorem sacris scripturis indidit collatum beneficium.

VIII QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

Quinam floruerint tempore Esdræ, & quænam maxime notanda circa illud tempus acciderint.

XXI.

Apud Hebræos Esdra Coætanei

SI celebriores ab Eusebio B Chronologos consulimus, sub ipsum Esdrę tempus floruerunt 1. apud Hebræos, Hieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, Aggeus, Zacharias, Malachias, Prophetæ, è genere regio Ioachim, qui & Iechonias, Salatiel, Zorobabel, è Sacerdotali ordine Saraias, à quo natus Esdras, Iosedech, Esdræ frater, Iesus Filius Iosedech, & Ioachim. Quo tempore contigit historia Iudith & Esdræ, vt nihil hic de magna Iudęorum synodo dicam, de qua alibi & cuius notarius, seu amanuensis fuisse Esdras C ipse, à plerisque existimatur, atque ideò loco iam proxime à nobis citato lib. 1. c. 7. vocati scribam velocem in lege Domini. 2. Apud Chaldæos seu Babylonios, hac tempestate vixerunt Nabuchodonozor, Euilmerodach, Balthazar, è Persarum, Medorumque principibus, quotquot intercessere inter Astyagem & Cyrum & Artaxerxem Longimanum, cuius anno septimo Esdras in Iudæam remeauit 3. Apud Romanos, incurrerunt in hæc tempora, qui intercesserũt inter Tarquinium priscum, & Consulatum Valerij maximi, & Virginij, sub annum fere trecentesimum ab vrbe condita, si rem expendimus ad fideliorem recentiorum authorum Chronologiam.

Apud Chaldæos & Persas

Apud Romanos

4. Hac item Esdræ ætate contigerunt Persarum expeditiones infelices plurimæ, quæ ab Historicis passim describuntur, septuaginta hebdomadum, quæ Daniel Iudæis prędixerat initium, Atheniensium & Lacedemonum decantatæ victoriæ, extinctum apud Romanos regium nomen, inductis Cõsulibus. Tyrãnis Polycratis apud Samũ, qui cum illam cum duobus fratribus Pantagnoto & Sylosonte partitus esset, postea hoc expulso, interfecto altero, solus tenuit, & cum Amasi fœdus init, teste Herodoto libro 3. quid plura? Tandem viros inter nobiles, tam duces, & reges quam scriptores, XXII. floruerunt ab hoc æuo propius, septem illi sapientes, quos Græcia, vsque adeo & tam eximiè celebrat. Floruerũt Herodotus, Simonides, Ceus Poëta lyricus, Aristoxenes, Archilocus, Arion, Anacreon, Alcæus, Sappho, Sophocles, Euripides, Empedocles, Parmenides, Pindarus, Phocylides, Socrates, Sybilla Cumæa & Hellespontica, Xenophanes item Physicus, & Poeta, Pythagoras quoque ipse, cuius fama tam celebris, sed his & alijs id genus fusius percensendis supersedeo, quod authores prompti passim & ad manum sint, ex quibus antiquitatis studiosus ista colligat.

Apud Græcos viri illustres ætate Esdræ.

QVÆSTIO

IX. QVÆSTIO PRÆAMBVLA. ad cap. 1. atque adeò vniuersum opus Esdræ

Quomodo deducantur septuaginta anni captiuitatis Babylonicæ, quæ imperante Cyro soluta est.

CVm primo anno Cyri imperantis, seu imperij Babylonici, passim dicatur soluta Iudæorum captiuitas, hoc, 1. Esdr. cap 1. 2. Paralip. cap. vltimo, & Daniel. cap. 9. & aliū de certum ex scriptura sit, 70. omnino annos durasse, Hierem. cap. 25. v. 11. satis laborāt interpretes, in exordio ac fine illius cōmodè indicando, quare operæ pretiū est hîc obiter quemadmodū varie à varijs anni illi captiuitatis enumerātur, aperire. Primū igitur, hoc modo deducuntur 70. anni desolationis Iudæorum, seu captiuitatis Babylonicæ, iuxta quorumdam opinionem, quam satis probabilē etiā existimo, Nabuchodonozor regnauit annis 43. Ita Berosus apud Iosephum 1. contra Appionē, Eusebius consentit 9. præpar. euangel. ad finem, ex sententia Alexandri Polyhistoris, ex his deme 19. nā eo regni anno euertit templū 4. Reg. 25. v. 8. reliqua sunt 23. his adijce 2. an. filij Euilmerodach, qui biennio regnauit, ex eodem Beroso, secutus est Balthazar cui Daniel cap. 8. v. 1. nō amplius tribus annis tribuere videtur, mox Cyrus, à quo vsque ad 2. an. Darij Histaspis, nō pauci numerant annos 42. sic fiunt 70. anni.

XXIII. Prima ratio computandi 70. annos captiuitatis.

Quidā annos captiuitatis, secernūt ab annis desolationis, & quidē annos captiuitatis finiūt, primo Cyri anno, cū Iudæi redierunt in patriā, quod non displiceret: si retro cōuersa ratione, initium conueniens eorum 70. captiuitatis annorum inuenire liceret, inuenisse quidem videtur Lyranus, aut certè mediam quandam viam inijsse, cum in hæc verba capitis 1. Esdræ, versu 1. *vt compleretur verbum Domini* &c. sic aliorum explodit sententias, vt suam stabiliat, hunc audiamus. *Dicunt hebræi* inquit Lyranus, *quod isti 70. anni sunt accipiendi à tempore destructionis templi per Nabuchodonozor, & fuerunt impleti sexto anno Darij, in quo completum fuit templum, sed hoc est falsum, quia secundum omnes Historiographos alios, fuerunt multo plures anni, supponunt etiam quod Cyrus regnauerit tantum 15. annis, qui tamen regnauit 30. secundum historiographos Persarum, Iosephus autem dicit quod isti 70. anni sunt accipiendi à destructione templi prædicta, & terminati fuerunt anno primo Monarchiæ Cyri, secundum vero expositores latinos isti 70. anni cōmuniter incipiūt* A *à destructione ciuitatis, & terminātur anno 1. Cyri, sed quia computantur secūdum chronicos vt ait, ad quam cōputationē, sequitur, Mardochæum, fuisse 1,9. annorum, quando fuit exaltatus ab Assuero rege, ideo non intēdo sequi eorum computationē, quia non videtur possibile, Mardochæū tandiu vixisse. Rabb. Sal. dicit quod isti 70. anni incipiant à transmigratione Iechoniæ, & terminantur in 1. anno Cyri, quia tunc dedit licentiā populo, redeūdi, dicens, quod à transmigratione,* B *vsque ad destructionem ciuitatis, fuerunt 18. anni, & inde vsque ad 1. Cyri annum, 52. qui simul iūcti faciūt 70 annos, vt patet, sed quantum ad primum numerum, dicit manifeste contra textum 4. libri regū: vbi dicitur cap. 24 quod Sedecias, immediate regnauit, post Iechoniā, qui alio nomine dictus est Ioachin, & fuit plius Ioachin, qui similiter alio nomine fuit dictus Iechonias, vt plenius habetur. Math. 1. & ibid. scilicet 4 regum 24. dicitur quod tantū regnauit 11. annis, & sic ab eius numero deficiūt 7. anni, propterquod,* C *videtur mihi* (hæc tandem est, cœteris ab eo reiectis Lyrani sententia) *quod isti 70. anni incipiunt ab 8. anno Ioachim, patris Iechoniæ siue Ioachin, tunc enim captus fuit, per manus Nabuchodonozor, & factus ipsi tributarius, & nobiles de Hierusalem obsides ducti in Babylonem, inter quos, Daniel & socij eius fuisse dicuntur, propter quod ex tunc incæpit transmigratio Babylonis, licèt magis completa fuerit tempore Iechoniæ, filij eius, & adhuc perfectius in captiuatione Sedeciæ, destructa ciuitate, & terminantur in 4. anno Cyri,* D *quod sic ostenditur, quia Ioachim regnauit 11. Annis 4. Reg. 24 & ideo, incipiendo ab eius anno 8. inclusiue, habentur 4. anni, & de tēpore Sedeciæ 10. integri nam 11. anno, 4 mense fuit captus & exoculatus & ductus in Babylonem 4. Reg. 21. propterquod, ille annus computandus est inter annos destructionis ciuitatis, quia maior pars eius fuit sub destructione: aliter vnus annus bis computaretur, scilicet in tēpore Sedeciæ, & in tempore destructionis, & inde 52. vsque ad Cyrum, qui licet 1. anno suæ Monarchiæ dedit licentiam populo, redeundi in Iudæam, vt hic dicitur, tamen Iudæi ex longa mansione in terra Babylonis*

XXIV. Sententia lyrani

Iuxta Lyranum incipiunt 70. anni 8. anno Ioachim.

vxores acceperat,& prolem procreauerant,& ibidem possessiones acquisierant,propter quod ad dispositionem de rebus,& familijs,manserunt in terra Babylonis,primo anno Cyri & secundo,& tertio venerunt in Hierusalem,vt dicitur in scholastica historia,& anno sequenti, posuerunt fundamenta templi 1. Esd. 8. isti anni simul iuncti sunt 70. qui Danielis 9 dicuntur 70 anni desolationis Hierusalem, qui tunc proprie fuerunt completi,quia fundato templo fecerunt Iudæi festum magnum & gaudium , &c. Sic ille.

XXV. *Partim probanda, partim reiicienda Lyrani sententia.*

Nec, admodum mihi displiceret hæc opinio nisi Iudæos omnes, captiuos in Babylone,nimis remissos& negligentes faceret,in excutiẽdo seruitutis iugo,nimirum, trium vel quatuor annorum, vt author iste asserit,longior sanè quàm par est mora, in Iudæis censeri debet , ad opus,quod ab iis tãto studio desiderari oportuit,inchoandum, sin de aliquibus dũtaxat intelligi velit, qui in ibi , id est, in Babylone , ad 3. vel 4. annum Cyri, commorati sint, interim dum alii in Iudæa, iam operi intenti essent, quibus se postmodum adiunxerint , probabiliorem ego, tum , illius sententiam omnino existimem.

Altera ratio computandi septuagenarium interuallum captiuitatis commodior & facilior

Alij annos istos Captiuitatis,sic ad calculum suum reuocant, vt velint,anno primo regni Nabuchodonosor,cæptam esse captiuitatem,cum Regem Ioachim,& cũ eo Danielem , & plures alios captiuos abduxit, quod liquet ex Hieremiæ cap. 25. v. 1. *Verbum inquit quod factum est ad Hieremiam, de omni populo Iuda in anno 4.* Ioachim, *filij Iosiæ, Regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor Regis Babylonis* & Danielis capite 1. *anno*, inquit, 3. *Ioachim, Regis Iuda, Venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Hierusalem & obsedit eam & tradidit Dominus in manum eius Ioacim, Regem* Iuda, Neque est cur quenquam commoueat quod primus annus Nabuchodonosor incidisse dicatur in annum quartũ Ioacim, Hierem. 25. & Danielis , primo capite, dicatur, Ioacim, tertio anno regni sui traditus, in manus Nabuchodonosor, ex quo, videri posset Nabuchodonosor, nondum iniisse regnum, id enim nasci potuit, ex scripturæ consuetudine , quæ annos nondum completos solet præterire, & interdum numerare pro integris, quam in rem, vide si voles Salmeronem Prologomeno 9. quinquag. 1. Can 30. Hoc posito, iam ad septuagenarium annorum numerum indicandum veniamus.

Anni nondum completi nonnunquam in scriptura numerantur nonnunquam omittuntur,

Cœpit igitur, inquiunt, Captiuitas, anno primo Nabuchodonosor, quem in Regno vixisse 45. annos non 43. vt supra nonnulli aiebant , satis ex scriptura constat, nam anno 8. Regni sui, obsedit iterum Hierusa-A lem, & secum abduxit in Babylonem, Ioachim filium Ioacim. 4. Regum. 24. mortuus est autem anno 37. post transmigratione Ioacim. 4. Regum 25. eo si quidem anno Euilmerodach subleuauit Ioacim è carcere *anno*, inquit, scriptura, *quo regnare cæperat*, id est, primo, eodem nempe, quo pater mortuus est. Ex quo, fit omnino planum, à prima captiuitate, de qua sine dubio loquebatur Hieremias, ad mortem Nabuchodonosor intercessisse 45. annos , iam quot annos regnauerit Euilmerodach, etsi nihil ex scriptura certum, tamen Hebræi vulgo 23. existimant in *Seder Holam* quos etiam communiter

B sequuntur recentiores. Balthasar autem 3. regnauit annos, vt scribit Daniel, cap. 8. quod si hos omnes ad summam vnam colligas, plenum deprehendes septuagenarium annorum numerum , quod vero vnus redundet annus, ex eo accidit quia imperfecti aliqui anni, in tot Regum temporibus, pro integris adhibiti sunt. In hac tanta Authorum & sententiarum varietate , certum illud ac constans est, ex omnium calculo, primo anno Regni Nabuchodonosor, vt ante diximus , obsessam ab eo fuisse Hierusalem, & ab illo tempore, numerari à plerisque omnibus annos 70. Ca-

Sæpe in scriptura imperfecti anni pro integris adhibentur.

C ptiuitatis. Tunc vero desolata non est Hierusalem, immò relictus est Ioacim, Tributarius tamen, à Nabuchodonosor. Anno deinde octauo nondum tamen perfecto , vt apparet , quia qui octauus vocatur. 4. Reg. 24. idem septimus dicitur Hierem. 25. quia cum imperfectus esset postremus annus, ex vsu scripturæ, vel omitti vel numerari potuit Anno inquam octauo, rediit Nabuchodonosor in Hierusalem, iterum post 3. menses abduxitque secum Ioachim, neque tunc vrbs est excisa, aut templum exustum, quin relictus est Sedecias, Regis Captiui patruus eius loco, anno vero 9. Sedeciæ & 19. sui imperii capit , vastauitque . Hierusalem, & templum succendit, vt constat. 4. Reg. 25.

XXVI. *Certum est in hac disceptatione aliam fuisse primam populi transmigrationem seu captiuitatem aliam vrbis funditus dirutæ desolationem & Vtramque septuagenariam dici ab authoribus.*

D & Hierem. 52. Hoc ergo anno, dici potest desolata ciuitas, nam ante illud tempus, erepta erat ciuitati præda , ac splendor potius, quam ipsa incendio tradita, ex quo intelliges, aliam esse primam transmigrationem seu captiuitatem , aliam vrbis ipsius funditùs dirutæ desolationem, & vtramque fere ab authoribus assignari septuagenariam , atque hinc egregie Theodoretus in cap. 9. Danielis, conciliat Hieremiam, & Esdram cum Zacharia dum dicit, illos, à primæ captiuitatis initio, ducere 70. annos, hunc, à nouissima obsidione, qua funditus Ciuitas & Templum deleta sunt. cap. 1. v. 12. his verbis. *Et respondit Angelus Domini & dixit vsquequo non misereberis Hierusalem Iste*

iam septuagesimus annus est. Et certè Eusebius in Chronico sub Olympiade 58. duplicem etiam distinguit septuagenarium numerum & captiuitatis primæ qui sub Cyro & desolationis extremæ qui sub Dario finitus est, quam etiam distinctionem adducunt Hebræorum magistri, & expresse traditur in Chronico abbreuiato Hebræorum, vbi anno septuagesimo imperii Babylonici rediisse dicitur Zorobabel, ac proinde solutam esse captiuitatem, & septuagesimo anno ab exciso templo id est decimo octauo anno imperii Persarum ascendisse, neque aliter conciliari possunt illi qui modo anno primo Cyri completos esse tradunt annos 70. modo anno 2. Darii Histaspis quos inter illustris est præ ceteris D. Hieronymus, qui in proœmio Commentarii super Aggæum, & in caput 4. Ezechielis terminum statuit sub Dario, vbi apertè dicit ab excidio templi ad secundum annum Darii produci annos 70. at vero in caput 25. & 29. Hieremiæ ineunte Cyri, imperio annos illos definit, quam etiam sententiam ostendere videtur, & satis apertè confirmare Zacharias ipse aut Angelus qui in ipso loquebatur vti mox audiuimus: nam quasi admonitus ab illis qui dixerant. *Omnia Regna terræ habitari & esse in pace*, dixit, *vsquequo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda quibus iratus es? Iste septuagesimus annus est.* Ac si diceret cum reliquæ Ciuitates habitentur paratæque sint cur pateris tandiu ciuitatem hanc nostram esse deletam? Vsquequo non misereberis Hierusalem nempe vt ædificetur, ecce septuagesimus annus est ex quo deleta est, & quasi ad Angeli votum respondeat Dominus statim subdit *domus mea ædificabitur in ea, &c. & perpendiculum extendetur super Hierusalem.* Iam quemadmodum à templi vrbisque desolatione interiecti sint anni 70 facile intelliges si à Ioannis 19. detrahas, nam vt iam sæpius diximus, anno primo Nabuchodonosor primùm capta est Ciuitas, deinde anno eiusdem 19. funditus euersa. Si totidem annos à primo anno Cyri ad secundum Darii deprehendas totum negotium peractum est. Sic autem illos statuo. 7 annos tenuit Cyrus imperium Babylonicum ex Xenophonte lib. 8. Cyropœdiæ, Cambyses eius filius qui illi successit 8. annos ex Herodoto, Eusebio in Chronicis & Hieronymo in caput 1. Zachariæ, ita censent & alii fermè omnes. Ex annis ergo Cyri atque Cambysis quindecim fiunt, quibus si rursus addas aliquot menses quibus regnarunt duo Magi fratres, & duos annos Darii, summa exurget annorum 18. aut circiter. Nec est quod quis opponat iuxta calculum nostrum, non quidem annos 19. quos quærebamus, sed 17. aut 18. duntaxat reperiri, nam vti iam supra semel atque iterum monuimus, quia imperfecti anni interdum numerantur, interdum omittuntur, aut plures hic anni sunt quam decem & octo, aut pauciores forte quam decem & nouem inter primam captiuitatem & templi ac Ciuitatis excidium intercesserunt. Et hæc de quæstione apud Chronologos & Scripturæ interpretes difficili non nihil atque impedita, satis dicta sint. Cui hæc satis non fuerint aut qui minutiora quæque ad quæstionem propositam pertinentia scrupulosiùs quàm hic fecimus volet expendere consulat vbi otium erit è recentioribus Vatablum imprimis lib. 3. de apparatu vrbis ac templi 1. parte. cap. 1. & 2. Petauium nostrum lib. 12. de doctrina temporum cap. 22. & sequentibus, Sanctium in caput 1. Zachariæ, Phelippæum in caput 4. Oseæ.

XXVII. Vera ratio deducendi 70. annos ab vrbis desolatione vsque ad Cyrum

X. QVÆSTIO PROOEMIALIS ad vniuersum opus.

Quis fuerit Politicus Iudæorum status solutâ Captiuitate. an Magistratus & Duces habuerint, an verè liberi tunc & plane sui Iuris fuerint, &c.

PLacet obseruatio Saliani in annalibus veteris testamenti ad annum Mundi 3517. super his quæ totâ hac quæstione proponuntur indaganda. Illam verò ad tria omnino capita sic reduco.

Iudæi etiam solu- Primò iuxta prædicti auctoris mentem statuendum est à restaurata quoquo modo Republica Iudæorum post reditum à Babylone nunquam illos deinceps planè sui iuris fuisse, sed primum Persis, tum Græcis, postremò Romanis seruiisse, ita vt qui Babylone antea seruierant, postea in patria sua alienigenarum serui facti sint, vt in eius rei testimonium tributa pependerint, vt patet ex primo Esdræ cap. 4. v. 13. vbi inimici Iudæorum scribūt ad Cambysem, alio *ta Captiuitate nunquam bene penitus iuris sui fuerunt atque omnino liberi*

nomine Artaxerxem Cyri filium his verbis A nunc, inquiũt, *Notũ sit Regi quia si Ciuitas illa ædificata fuerit & muri eius instaurati tributum & vectigal & annuos reditus non dabunt*, vnde facile est concludere dedisse ergo antea; & tributum illud exoluisse; Clarissimum item est super hac re, Nehemiæ apud Deum orantis, testimonium 2. Esdræ cap. 9. v. 36. *ecce nos ipsi hodie serui sumus*, ait Deo supplicans, *& terra quam dedisti patribus nostris, vt comederent panem eius, & quæ bona sunt eius, & nos ipsi serui sumus in ea, & fruges eius multiplicantur regibus quos posuisti super nos propter peccata nostra, & corporibus nostris dominantur, & iumentis nostris, secundum voluntatem* B *suam, & in tribulatione magna sumus*; Hęc Nehemias anno vigesimo Artaxerxis quo tamen beneuolentissimo vtebatur, sed aliud etiam seruitutis argumentum est quod non nisi ex eorum nutu atque arbitrio Duces aut Principes in Republica sua habuerint, vt ex sequentibus planum fiet.

XXVIIII. *A soluta Captiuitate Duces ac Magistratus Iudæis assignati à quibus regerentur ex Principum alienigenarum voluntate.*

Secundò igitur dicendum Iudęos ex alienigenarum voluntate modò aut permissione, Duces ac Magistratus habuisse in Iudæa, certe de Nehemia Duce id patet 2. Esdræ cap. 5. v. 14. *à die illa*, inquit, *quapræceperat rex*, Artaxerxes Longimanus, *mihi, vt essem dux in terra Iuda, ab anno vigesimo*, &c. De Zorobabele, quem in tex- C tus explanatione, vocatum fuisse nomine Chaldaico Sassabasar, ostendemus; rem conficit, illud 1. Esdrę. cap. 1. v. 7. & cap. 5. v. 14. *Protulit Cyrus Rex vasa de templo Babylonis & data sunt Sassabasar vocabulo quem & Principem constituit*. Aggæus cap. 2. v. 22. Ducem Iuda vocat quem & Iosephus lib. primo antiq. cap. 1. & 4. passim Principem Iudæorum; De Esdra quoque patet ex contextu lib. 1. cap. 7. v. 14. eum accipere à Rege Artaxerxe, anno 7. imperii sui, potestatem visitandi Iudæam & constituendi Iudices, quin & Principem populi egit vsque ad annum eius vigesimum. De aliis Ducibus vniuersè sic habetur non obscurum argumentum Nehemiæ, siue lib. D 2. Esdræ cap. 5. v. 14. *Per annos duodecim*, (inquit Nehemias) *ego & fratres mei annonas quæ Ducibus dabantur non comedimus: Duces autem primi, qui fuerũt ante me, grauauerunt populum*, &c. Dum eos nominatim accusare voluit, ignotos nobis reliquit. De minoribus autem magistratibus constat ex 1. Esdræ cap. 7. v. 14. accepisse Esdram ipsum ab Artaxerxe potestatem illos constituendi; sic enim ad Esdram Artaxerxes, eo loco, *tu autem Esdra*, inquit *secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue Iudices, & Principes præsides, vt iudicent omni populo, qui est trans flumen*, ex quo loco, facile intelligere est, inutilem omninò futuram fuisse istam promissionem, si primarii duces, sine ea, minores magistratus constituere potuissent.

XXX. *Sæpe ab eo tempore penes Pontifices summa fuit authoritas.*

Tertiò denique habendum est pro certo, fuisse hoc tempore & deinceps in Iudæorum Republica Pontifices, qui sæpe summam authoritatem in ea exercuerint; & quidem Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 46. ait institutam hoc tempore in Iudæa eam formã Reipublicæ, quæ per Optimates administratur, *penes Pontifices enim*, inquit, *fuit summa authoritas, donec Assamonæorum gens mutato rerum statu regnum obtinuit*, sed quidquid dicat Iosephus, satis constat, & norunt eruditi Assamonæos, qui & Machabæi, non fuisse Reges sed temporum necessitate cogente, sacram administrationem, cum profana iunxisse, quod & aliis etiam contigisse videtur, si ritè consuletur historia. Ideoque Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex, requirens scripturæ interpretes, ad Pontificem scripsit; res enim erat Pontificis. In re quoque profana, Alexander magnus, cum Tyrum oppugnaret, commeatus causâ Hierosolymam ad Pontificem scripsit, vt ait Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 8.

Cæterum, ne illud omittam, an dux Pontifici, an vice versa Põtifex Duci subordinatus esset, vix potest ex scripturâ definiri. Nam quod ad Ducem primum, primumque Pontificem attinet, modò Iosue nominatur ante Zorobabelem, modò Zorobabel ante Iosue, vt legenti passim obuium est 1. Esdræ. cap. 3. v. 2. & v. 8. & cap. 4. v. 3. & Aggæi 1. v. 1. 2. & 14. & cap. 2. v. 3. & 5.

Notiores in scriptura Pontifices quam Duces.

Notiores tamen scriptura Pontifices reliquit quam Duces, si quidem sex Pontifices ordine nobis suggeruntur 2. Esdræ cap. 2. v. 10. & aliquot etiam alij in libris Machabæorum. Duces autem plerosque significatos, vix autem tres nominatos habemus. Zorobabelem, Esdram, & Nehemiam, donec Respublica Iudæorum ad tempora Assamonæorum, siue Machabæorum, peruenit. Et hæc satis de quæstione proposita, quæ politicum Iudæorum statum tempore solutæ captiuitatis indagabat.

XI. QVÆSTIO PRÆAMBVLA, ad vniuersum opus.

An sint Iudæi soluta Captiuitate moribus emendatiores facti quàm anteà.

XXXI.

QVæri etiam non immeritò potest, de extrema hac Hebræorum apud Babylonios seruitute, omnium quæ ante præcesserunt misertima, an postquam tandem secundo numine à vinculis seruitutis expediti prodierunt; (quod Cyro primum regnante contigisse iam diximus & sæpiùs deinceps in ipso operis decursu dicendũ erit) exuerint illos vitiorum laqueos quibus implicati, tenebantur, & seipsis meliores effecti sint? non ita, inquiet aliquis, immò in grauiorum morum corruptelam delapsi sunt, si rectè, cum Esdræ nostri, tùm Machabæorum libri consulantur. Vnde D. August. lib. 18. de Ciuitate de cap. 45. sic in hæc verba suam super ea re sententiam aperit.

Videntur ex D. Augustini verbis peiores fuisse Iudæi post solutam captiuitatem quàm ante.

Postquam, inquit, *gens Iudæa cœpit non habere Prophetas, procul dubio deterior facta est, quod scilicet tempore quo se sperabat instaurato templo, post Captiuitatem, quæ fuit in Babylonia, futuram esse meliorem*, &c. *Misera profectò, & præpostera Gentis conditio, quæ nec diuinis coërcita castigatáque supplicijs, nec sustentata beneficiis, ad meliorem frugem redibat*, &c. Nemo id diffiteri ausit quanquam nec illud quæstioni penitus satisfacit, atque alia citati Doctoris mens est, quàm quæ specie primùm ipsa apparet. Verum quidem est, quatenus Augustini verba ad bonum, sic ad verum sensum trahuntur, initio quidem hoc est aliquot annorum spatio, à soluta recens captiuitate Iudæos in procurando diuini numinis cultu diligentissimos fuisse; sed postea sensim suopte pondere & prauâ morum inclinatione, ad antiqua vitia defluxisse, nec sic tamen vt peiores fuerint, quàm maiores sui, aut de maioribus suis bene multi, qui præcedentibus sæculi extiterant.

XXXII.

Bene instituta rerum omnium comparatione deteriores longe fuerunt Iudæi ante, quàm post solutam Captiuitatem.

Vnde placet, quod in eam rem annotauit Lyránus, in fine prooemii sui in Esdram nimirum à reditu captiuitatis Babylonicæ quo tempore præfuerunt Sacerdotes, quorum gubernationem, cum regimine Regum & Iudicum confert, & huic illam præfert, melioremque iudicat, *non legi populum Israel ita declinâsse à veritate fidei, sicut antea, quia*, inquit *temporibus Iudicum & Regum multoties maior pars populi, immò quasi totus populus declinabat ad Idololatriam, propter quam inducta fuit Captiuitas Babylonica, sed à reditu Captiuitatis Babylonicæ, pauci leguntur à veritate Latriæ declinasse vtpote tempore Machabæorum, aliqui ex ambitione, & aliqui ex Antiochi nobilis persecutione, multi è contrario pro fidei veritate leguntur mortem acerbissimam tolerâsse*, &c. Quò fit, vt omnibus ritè pensiculatis deteriores fuisse Iudæos ante, quàm post solutam Captiuitatem absolutè, & vniuersim dici oporteat. Nunc ad quæstiones seu annotationes, quæ singuli quibusque capitibus in progressu totius operis exponendis lucis aliquid allaturæ sunt, veniamus. Ac primùm de persona Cyri, qui primus, in primo textu ac velut aditu libri primi occurrit, nonnulla annotemus, ne longior istorum tractatio ad literalem expositionem attexta, lectori studioso licet, ad vlteriora properanti fastidium creet.

bellorum cursus eò spectant, vt seruum meum, electumque populum, Israeliticum ab exilio & seruitute vindices, ornatúmque muneribus in patriã remittas, Ideo futurorum author, & præscius tuo te voco nomine *Assimilaui te & non cognouisti me*, quasi dicat, Assimilaui te mihi, & tam in suscipiendis, quàm in exoluendis ac perficiendis rebus, meum esse Typum volui, & cùm ad meum exemplar, omnia administraueris; me tamen quem factis adumbrabas, neque intuebare, neque agnoscebas. Ad Iudæos tandem inferius, hoc eodem cap. 45. v. 13. De Cyro sic adiungit Propheta, ex Dei voce; *Ego suscitaui eum ad Iustitiam & omnes vias eius dirigam. Ipse ædificabit ciuitatem meam, & Captiuitatem meam dimittet, Hæc dicit Dominus, labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes, ad te transibunt, & tui erunt*, &c. hoc est, quicquid suo labore atque negotiatione quæsierunt Æthiopes, & Ægyptij, ad te, Cyre, totum transcribetur. *Post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur*, &c. nimirum viri potentes ex Saba, ceruices suas, Persico iugo subiicient, proni cadent, & supplices ante

A pedes tuos, vinctique manicis, seruilem in modum adducentur, *tantùm in te est Deus & non est absque te Deus*, vere, ô Cyre, in te est, tuósque conatus ad tam felicem exitum moderatur, *qui tantùm est Deus*; qui profectò Deus est, suam in te diuinitatem quodammodo, ac potestatem extendit, atque illustrem fecit, verè abs te, Cyre, Deus non abest, *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel, saluator*, exclamat idem Propheta, quasi dicat. Verè tu, ô Deus absconditus es in Cyro, per quem, occultè admirabilia, hæc molitus es. Verè, tu saluator

B es Israelitici populi, non Cyrus. Hæc Isaias quæ quàm illustria sint, & quantum per sese Cyri nomini, splendoris atque ornamenti afferant, nemo non videt, quid enim augustius, aut præclarius dici potuit, ad designandum eum, quem Deus, ex omnibus orbis vniuersi Regibus, ac Principibus, vnum delegerat, ad populum Israeliticum, sibi charissimum à miserrima seruitute liberandum; Fœlicem sanè fortunatúmque principem; si in vnius veri Dei, à quo tantis præter cæteros sui generis, locupletatus fuerat muneribus, cultu atque obsequio conquie-

C uisset.

XIII. QVÆSTIO SEV ANNOTATIO ad caput primum.

De Cyro, eiusque gloria ex sacris & prophanis authoribus.

XXV.

Cyri encomium.

Agnus sanè in omnium pœne Gentium opinione fuit Cyrus, Persici fundator imperii, toties sacris literis profanisque decantatus; Princeps non tam regnis, tãtaque Monarchiã fœlix, quàm quòd in veri Dei cognitionem veniens, ea sibi tanto antequam nasceretur promissa diuinitùs, præstitáque, deinceps agnouit, atque professus est: Fœlix, quem Deus tanto honore dignatus est, vt eum Christi Domini typum, & quendam quasi liberatorem, & saluatorem populi Dei esse voluerit. Sed longè fœlicior, si quem cœli terræque Dominum prædicauit, cuius cultum restituit, cui templum suis sumptibus excitari præcepit, cuius cultores beneuolentiã ac fauore prosecutus est, eundem etiam ipse depositã inanium deorum superstitione, veneratus esset vnicum vnicè, ac si seriò, ac constanter, quem typicè & in figura exhibuit, totã vitã coluisset. Certè quidem, Cyrum Regem Persarum, eximiã

omnes fortitudine, animique magnitudinẽ celebrant, prophani auctores, addunt etiam felicitatem, ac rerum gerendarum prudentiam. Ideóque Plutarchus indignè fert, Cyrum, apud Herodotum, à Crœso, sæpius ad prudentiam monitis erudiri. In Deos etiam

D relatũ docet Arrianus lib. 6. expedit Alex. ait que ædiculam in turris ambitu, fuisse à Magis exstructam, qui sepulchrũ custodiebant, iam inde à Cãbyse, Cyri filio, custodiæ munere, à Patribus ad filios transmisso. Atque his quidem, ouis in singulos dies, à Rege dabatur, vinique & farinæ certus modus, singulis etiam mensibus, equus vnus, quem Cyro sacrificarent. Sic Arrianus. At Iosephus hos magos Iudęos fuisse ait lib. 10. antiq. cap. vlt.

A nonnullis Cyrus in Deos relatus.

De Cyro multa Herodotus, Xenophon, Iustinus. Illud ex summa eius vitę percelebre, quòd cùm recens natus, ab Astyage auo, quem Daniel Assuerum vocat cap. 9. Medorum Rege, iussus esset occidi, singulari Dei prouidentiã seruatus, eam ampli-

Singulari Dei prouidentia statim ab ortu conseruatus.

tudinem & gloriam consecutus est, quam A passim demirantur, ac pleno ore deprædicant Historici.

Cyrus Persarum lingua solem significat.

Porrò quòd nomen ipsum spectat, Cyrus, solem significat, persicâ linguâ, quem præcipuum, immo solum Deū, Persę olim venerabantur quod quidem nomen regibus accommodatum est, & Regum mores, atque ingenium, aptissimè significat, certè Darius, Pasatidem filium, Cyrum appellauit à sole, vt auctor est Ctesias. Idem clarius docuit in Artaxerxe Plutarchus.

Cyrus oppidum in Syria à Iudæis in gratiam Cyri Regis conditum.

Facit etiam non parum ad gloriam, nominisque ipsius splendorem, quod norunt B Geographi. Cyrus, oppidum est in Syria situm, à Iudæis olim è captiuitate dimissis in gratiam Cyri Regis Persarum conditum, de quo Procopius,

XXXVI.

Iam vero de annis vitæ Cyri plena portenti ac prodigii, est hæc narratio, apud Tullium, lib. 1. de diuinatione. *Quid ego,* inquit, *qua Magi Cyro illi principi interpretati sunt, ex Dionisij Persici libris conferam, nam cum dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetiuisse manibus; cum se conuoluens sol elaberetur, & abiret, eique magos dixisse (quod genus Sapientum & Doctorum habebatur in Persis) ex triplici appetitione solis triginta annos Cyrum regnaturum esse portendi, quod ita contigit. Nam ad septuagesimum peruenit* ita ille, quem annorum vitæ Cyri calculum, eruditiores Chronologi non ferunt, ideoque credibile existimant illos quadraginta annos, de quibus Tullius ad initium imperii, siue Monarchiæ Persarum, non autem regni, esse referendos, sicque non septuaginta, sed quadraginta septem duntaxat vixisse annos, septem in imperio, vt habet Xenophon lib. 8. Pædiæ Cyri, tres admodum & viginti, in Regno D quod anno circiter 17. capessiuit, ita vt totos triginta annos, seu Rex seu Monarcha sceptrum tenuerit, & Persis imperauerit quod est in communi fere omnium opinione. Cui ętati fauet magnitudo expeditionū, quas versabat animo, cum Massagetas bello petijt à quibus tandem oppressus est, imperante Massagetis pugnanteque Thomyride, vt referūt Herodotus & Iustinus.

Cyrus ex veriori Chronologia seu Rex seu Monarcha sceptrum tenuit triginta annos, septem circiter in imperio, tres & viginti in Regno ad

quadraginta septem vitam produxit annos decimo septimo regnum capessiuit.

XXXVII. Cyri Cenotaphium.

De illius non tam sepulchro, quam mero Cenotaphio, apud Persas, quod tamē Persę ipsi ornare non destiterunt; sic Strabo lib. 15 hic, inquit, *Cyri sepulchrum in hortis vidit;* (De Alexandro Macedone loquitur qui in Pasargadas venerat; vbi erat antiqua Regum Persarum sedes,) *turrim non sane magnam arborum densitate occultam, à parte inferiore solidam, superiore tabulatum habentem & cellam perangusto aditu. Per eum Aristobulus introisse se ait iussu regis, atque sepulturam exornasse, vidisse autem lecticam auream, & mensam, cum poculis, & aureum alueum, vel vrnam, vestem plurimam, & mundum gemmis ornatum.* Verum hęc vidisse affirmat primo aduentu, postea direpta fuisse, ac cætera quidem asportata, lecticam vero & confractam & alueo loco moto, cadauer nusquam comparuisse. Sic Strabo, qui & ipse inscriptionem etiam monumenti hanc affert. *O homo ego Cyrus sum, qui Persis imperium paraui, & Rex Asiæ fui. Ne igitur mihi monimentum inuideas.* Notat Salianus ad ann. 1523. n. 8. ex Onesicrito turrim decē tabulata habuisse & in supremo Cyrum cum hac inscriptione iacuisse? *Hic ego iaceo Rex* C *Regum*, qui & addit, turrim illam, videri eam fuisse quam scribit Iosephus lib. 10. antiq. capite vlt. à Daniele excitatam. De eodem Cyri sepulchro spoliato, sic Arrianus lib. 6. *Nonnulli,* inquit, *ne ipsius quidem corpori, pepercerunt, sublato enim vrnæ operculo, corpus eiecerunt, ipsam vero vrnam, & mole minorem, & latu faciliorem, reddere voluerunt;* Hæc ille, quæ vt rectè annotat, proximè citatus Salianus maiorem fidem sibi conciliarent, si corpus Cyri interfecti, à Thomyride redemptum Græci authores ante docuissent. Nam Quintus Curtius lib. 10. *Sepulchrum,* inquit, *Cyri, Alexander iussit aperiri, in quo erat conditum eius corpus, cui dare volebat inferias, & auro argentoque repletum esse crediderat, quippe fama ita Persæ vulgauerant, sed præter clypeum eius putrem, arcus duos Scythicos, & acinacem, nihil reperit.* Sic Curtius. Et hæc hactenus de Cyro.

Inscriptio adhibita sepulchro Cyri.

QVÆSTIO

XIV. QVÆSTIO SEV ANNOTATIO Procœmialis ad caput primum.

De ingentibus Cyri thesauris.

XXXVIII Nihil adeo mirum videri debet, quòd Cyrus tam liberalem in Deum se præstiterit, vt ex primi capitis textu manifeste constat. v. 7. & 8. quippe qui Deum in se tam liberalem, ac magnificum expertus ipse primum fuisset: vt sane verum sit, quòd de illo longè antè ab Isaia prædictum fuerat c. 45. *dabo tibi thesauros absconditos*, &c. Dedit siquidem illi thesauros, & verè thesauros, vt illam Prophetæ vocem obiter explicemus. Nec enim omnia, quæ etiam pretiosa sunt, in thesauris propriè numerantur, sed quæ reposita sunt occulto quodam in loco, re ab hominum oculis summota. Dedit igitur Dominus Cyro multorum regum opes reconditas, in primis Crœsi Lydorum Regis, quem ante Babylonicam expeditionem oppressit, cuius opulentia prouerbio locum fecit. Item Chaldæorum, qui vt erant rerum domini, ijdemque auari, ac violenti, facile aliarum gentium diuitias ad suos vsus & fastus transtulerunt, quas Cyrus, vt est verisimile: non minori, quàm illi cupiditate, atque solertiâ scrutatus est.

Cyrus Crœsi Lydorum Regis primum & postea Chaldæorum ipsorum opibus ditatus

Sed præstat audire Plinium, qui quantâ, quamque immensam opum vim ex subiugata Asia Cyrus collegerit enarrat his verbis lib. 33. cap. 3. Cyrus (inquit) deuictâ Asiâ, pondo auri triginta quatuor millia inuenit, præter vasa aurea, aurúmque factum, & in eo folia, alij legunt solia, ac platanum vitémque, quâ victoriâ, argenti quinque millia talentorum reportauit, & insuper craterē Semiramidis, cuius pondus quindecim talenta Ægyptia colligebat. Talentum autem Ægyptiū pondo octoginta capere Varro tradit. Hactenus Plinius. Quæ si ad Attici talenti rationem, nostrámque computationem redigas, trecentorum millionum summam omnino complent.

XXXIX. Iam vt alterum ex altero colligere aut coniectare nobis liceat, quantum auri atque argenti in vno tantùm templo fuerit, ex Diodoro Siculo condiscere non pigebit. Is igitur libro 3. Biblioth. siue rerum Antiq. cap. 4. *In summo*, inquit, templi tres ingentes aureas statuas Iouis, Iunonis, Opisque erexit (se mirantis scilicet) quarum Iouis, adhuc extat longitudine pedum quadraginta, mille Babyloniorum talentorum ponderis. Opis simili pondere, in sella aurea residet, ad cuius genua, duo astant leones, iuxtaque serpentes argentei, ingentis magnitudinis, ponderis quilibet est talentorum triginta. Iunonis stans signum, ponderis est talentorum octingentorum. His omnibus communis erat mensa aurea, longitudinis pedum quadraginta, duodecim latitudinis, ponderis talentorum quinquaginta duo, præterea Carchesia talentorum triginta erant, totidémque vasa vaporibus apta, vtrumque talentorum triginta. Crateres ex auro tres, quorum Ioui dicatus, talenta mille & ducenta Babylonia pendebat aliorum quilibet sexcenta. Hæc Diodorus Siculus, qui & statim subijcit, (quod ad nostrum institutum facit) quæ omnia postea Persarum Reges surripuere. Quod si in vno tantum templo, tantum auri atque argenti repertum est, quid credendum est repertum fuisse in alijs templis, quid in Regia domo? quid in publicis priuatisque thesauris, nec sane difficile est creditu, ingentem illam statuam, quam ex auro conflauit sibi Nabuchodonosor, fuisse quoque sublatam, quæ cum fuerit sexaginta cubitorum altitudinis, & latitudinis cubitorum sex, oportet illam multorum thesaurorum instar obtinuisse.

Ex deuicta Asia trecentorum millionum summam collegit.

Addendum etiam postremò, manuscriptos codices Chaldaicos, qui sunt in Complutensi Bibliotheca, hæc tradere de thesauris à Cyro repertis, statim initio libri Esther. Cyrus quando vastauit Babyloniam fodit in latere Euphratis, & inuenit ibi sexcentas & octuaginta hydrias æneas plenas auro optimo & lapidibus pretiosis & margaritis & gemmis &c. Hæc ferè omnia ad verbum, aut certe ab his non longe dissentanea, perpaucis exceptis, exscripsit è citatis authoribus Sanctius, & in suos in Scripturam commentarios coniecit, non semel, primum in cap. 45. Isaiæ, deinde in finem, 1. cap Esdræ, quibus te amice lector quod ad rem nostram non parum pertineant fraudare noluimus.

Cyrus cùm vastauit Babyloniam inuenit 680. hydrias plenas auro & lapidibus pretiosis.

XV. QVÆSTIO SEV ANNOTATIO ad caput primum.

De Cyri pietate in Deum & humanitate in homines.

XXXX.

Ex verbis atque oratione Cyri quæ animi index est deprehenditur eius pietas & bona indoles.

I (quod vulgo aiunt) animi est A index oratio, profecto Cyrum perquam optimâ indole præditum, eundémque propensissimo in pietatem animo fuisse prort... cesse est, quandoquidem tam insigniter atque eximie in ipsius verbis virtus ipsa ac pietas elucescunt. Quid enim aliud sonant, amabo, quid indicant, quid sub ipsos pene oculos ponunt, hæc illius verba primo statim huius operis capite v. 2. & 3. *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem, ei domum in Hierusalem, quæ est* B *in Iudæa, quis est in vobis de vniuerso populo eius? sit Deus illius cum ipso; Ascendat in Hierusalem, quæ est in Iudæa, vt ædificet domum Domini Dei Israel; ipse est Deus qui est in Hierusalem* Sic ille. Et hæc sanè illius verba, quibus suum de diuinis sensum, atque adeo mentis omnino suæ totam indolem profert, & explicat, digna sunt, quæ non leuiter, aut cursim expendantur.

Verba Cyri 1. Esd. v. 2. & 3. diligentius expenduntur.

Vide quæso, quanto pietatis sensu, quanta cum veneratione de Deo loquatur. Primo agnoscit eum, totius mundi principem & moderatorem; Nam & Deum cœli C vocat, & regnorum omnium Dominum agnoscit, qui ea pro arbitrio distribuat hominibus atque dispenset; Dominus Deus cœli, inquit, omnia regna terræ dedit mihi. Secundò, se eius subditum profitetur, qui humiliter eius præceptis obsequatur, longè aliter, quàm olim Pharao in Ægypto, & Nabuchodonosor, Babylone. *Et ipse*, inquit, *præcepit mihi.* Tertiò, agnoscit peculiarem eius prouidentiam circa populum vnum quem sibi in populum singulariter elegerit, cùm ait, *quis est de vniuerso populo eius.* Quartò, postpositâ omnium, qui vulgo appellantur Dii, memoriâ, de populi istius Deo, dicit; *Ipse est Deus*; vt non Persarum Regem commentitiis diis innutritum, sed Iosiam aliquem, aut de superioris ætatis Regibus, pietatis nomine insigniorem quempiam alium, audire mihi videar, tanta est diuini numinis in corda hominum potestas, tanta Regis Regum in principum voluntatibus omnem in partem inflectendis vis atque authoritas, sic spiritus A vbi vult spirat: Sic personarum non est acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi, Act. 10.

XXXXI.

Beda explicans verba Cyri eius fidem ac pietatem commendat.

Certe istius eiusdem Cyri Regis Persarum, fidem ac virtutem commendat Beda citatus in glossa, cùm exponit versum hunc proxime a nobis citatum, *quis est in vobis de vniuerso populo eius, ascendat in Hierusalem* Sic enim ille, Magna, inquit, in his verbis fides Regis, magna claret & enitescit pietas; fides quidem, quia populum Israel præ ceteris Dei esse intellexit pietas, quia nullo excepto omnes, qui vellent, liberos in pa- B triam redire permisit; fides, quia eundem Deum & habitare in cœlis, & esse in Hierusalem, & cum singulis reuertentibus ascendere posse confessus est, vt simul cum cœli terræque regno præsidere non dubitaret. Ita in cœlis regnare credidit, vt cum suis fidelibus esset in terra, eorumque animos & manus ad salutaria dirigeret opera. Sic Beda, cum autem Cyrum fidei virtute insignitum facit, fidem interpretor bonam de Deo existimationem, quam natura duce, aut fortè etiam, ex peculiari gratiæ lumine, diuinique luminis auxilio, didice- C rat.

Quo sensu fides in Deum Cyro tribuenda.

Quicquid sit, bono illum ad virtutis fatus excipiendos fuisse ingenio, pium, comem, humanum, denique in Deum, hominesque probè affectum, nemo, qui sacram historiam obseruauerit, inficiari potest, vt mirari iam desinam quod Xenophon in sua Cyropædia seu institutione Cyri, principem hunc virtutis adeo studiosum effermet ipse, nobisque exhibeat, vt filium Cambysem imperii sui successorem, iam designatum, his verbis admonuisse velit. Te (mi Cambyses, scire volo non aureum hoc sceptrum esse, quasi diceret, non auro & viribus constat, sed à vir- D tute & sapientia subsistit, iisque omnino incumbit, atque innititur. Sic quem sentiebat experiebaturque ad virtutes consectandas animum, in imperii sui hæredem transfundere nitebatur. Eodem referri potest, ac verò etiam debet, quod in Xenophonte quoque, eundem etiam Cambysem filium ac regni sui successorem admonet, vt nihil publicum vel priuatum agat, nisi prius ad

Verba Cyri ad Cambysem filium apud Xenophontem quæ pietatem ipsius indicant.

Deum confugerit (habent in eo quod notent atque imitentur principes Christiani) & nisi prius voluntatem eius agnouerit, quia mundus, inquit, erroribus implicatur, Deus vero, vt qui sẽper fuit, præsentia, præterita & futura agnoscit, & moderatur, atque inuo- A catus preces exaudit eorum, qui religionem & pietatem colunt, ac multis signis, eis, quid agere debeant ostendit; quæ si virtutem & pietatem, aut certe virtutis ac pietatis sensum aliquem non sapiunt, quid oleant nescio.

XVI. QVÆSTIO PRÆAMBVLA. ad caput primum

An fuerit arca in 2. templo instaurato à Zorobabele eademque olim è Iudæa in Babylonem translata.

XLII.

Vidam ex hoc loco 1. Esdræ cap. 1. v. 7. *Rex Cyrus protulit vasa templi Domini quæ tulerat Nabuchodonosor in templo Dei sui.* Satis commodè concludere se existimant, arcam non subijsse captiuitatem Babylonicam, cùm Esdras referens ea, quæ ex Cyri mandato restituta sunt, Hierosolymæ, nullam de ea faciat mentionem ac proinde obscurè significet non fuisse translatam in Babylonem, quod certum est, non tam quidem, ob prædictam rationem, quàm quia antequam templũ à Nabuchodonosore incenderetur, Hieremias arcam de tẽplo extulit, & in spelunca montis Nebo abscondit, vt constat ex 2. Machab. v. 4. & 5. sic enim habetur eo loco, *erat autem in ipsa scriptura quomodo tabernaculum & arcam iussit Propheta diuino responso ad se facto comitari secum, vsquequo exiit in montem in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem & veniens ibi Hieremias, inuenit locum speluncæ, & tabernaculum & arcam & altare incensi, intulit illuc, & ostium obstruxit.* Vnde idem Propheta Hieremias cap. 52. v. 18. referens ea, quæ Babylonem importata sunt, nec illius meminit, idque à Daniele cap. 1. v. 2. non minus aperte indicatur, cum ait traditam fuisse à Deo in manu Nabuchodonozoris partem vasorum domus Dei, partẽ, inquit, ergo non omnia rex, neque proinde arcam exportauit, alias inter capta spolia tanquam omnium sacerrimum sine dubio exprimeretur.

Arca non fuit translata in Babylonem.

Porrò quòd ad quæstionẽ spectat, an in hoc secundo tẽplo à Iudæis restaurato arca fuerit, etsi cum veterum, tum recentiorum authorum pars maxima partem negantem amplectatur; non desunt tamen, qui affirment. Torniellus tomo 2. anno mundi 3610. n. 14. & anno 3885. à num. 4. Viegas manuscriptus ad caput 2. Aggæi, vt refert Mẽdosa in 1. Reg. c. 5. v. 4. Historia scholastica B in cap. 3. Iudith. Ribera in cap. 1. Aggæi nu. 19. qui quidem hoc probabili mouentur argumento, quòd scilicet arca post captiuitatem Babylonicam videtur fuisse inuenta, & educta ex illa spelũca, in quam inclusa fuerat à Hieremia, cùm ipse Propheta arcam abscondens statim subdat 2. Machab. 2. v. 7. *Ignotus erit locus donec congreget Deus congregationem populi;* ac si congregato iam populo, post captiuitatem Babylonicam, locus esset manifestandus, & arca ex loco eruenda, quæ enim, inquiunt, alia populi congregatio expectanda erat? Nam sicut ante dispersionem populi C in Babylonem abscondebatur arca, ita post congregationem populi ex Babylone manifestanda videbatur, vt sic dispersio & congregatio populi magis opponerentur, & ex illa, diuina iustitia, ex hac, diuina misericordia perfectiori antithesi coruscarent. Et videtur fauere Tertul. lib. de corona militis cap. 9. vbi locutus de templo, arca, tabernaculo, altari, & candelabro, subdit; *quibus vtique, & in prima dedicationis solemnitate, & in secunda restitutionis gratulatione competisset coronari, si dignum Deo esset.* Vbi supponere videtur arcam è templo ablatam templo restitutam, eiusdem D sunt sententiæ, qui dicunt abductam à Romanis in triumpho; vt verum fatear atque ingenuè animi mei sensum super ea re XLIII. non dissimulem: Cùm pro vtraque sententia sint authores non pauci, neque vulgares, vix est, meo iudicio, vt prudens quisquam, maturiorique vir ingenio, alterutri sententiæ certo & sine formidine possit assentiri; Quare placet hic à Sanctij nostri partibus stare qui ad cap. 2. lib. 2. Machabæorum v. 14. & 15. postquam tres in quæstione proposita sententias retulit; primam negantem, inueniendam esse arcam vsque ad extremum iudicij diem, quæ est Epiphanij, Dorothei, & Iosephi filij Gorionis, alteram, quæ est D. Ambrosij, & Ruperti, as-

Variæ sententiæ de Arca abducta è primo templo.

ſerentem Chriſti tempore prodijſſe in lu-cem, cùm in illud vſque tempus latuiſſet, vt Chriſti typus, quod in eo foret adumbratum, quaſi intento digito demonſtraret. Tertiam aliorum probabiliorem exiſtimat, quæ docet ſub illud tempus inuentam eſſe arcam & quæ cùm illa fuerant abſcondita, quo ignis ſacer è puteo productus eſt, à Nehemia, de quo 2. Machab. c. 1. ſub ea videlicet tēpora in quibus primum in ſecundo templo ſacrificium oblatum eſt. Cuius rei probabiles hæ ſunt coniecturæ, prima, quia Hieremias eodem tempore abſcondit ignem in puteo, & reliqua templi vaſa in ſaxum, aut ſaxeam ſpeluncam incluſit, neque vlla apparet ratio cur potius ignis detegeretur, quam alia templi ſupellex, cum ad Dei maieſtatem & templi religionem atque ornatum omnia ex æquo pertinerent, de his igitur omnibus locutus videtur Hieremias cū dixit, *ignotus erit locus donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat*, congregatio enim (vt locus ipſe ſatis indicat) eſt à captiuitate in patriam & libertatem; à quibus tunc populus cum tranſmigrauit exciderat. Et ſic iuxta communem hominum ſenſum tunc Deus propitius cenſeri potuit, cùm diſperſos à peregrina regione ad proprias ſedes reuocauit, & à ſeruitute redemptos in libertatem vindicauit, & iſtud ipſum magis explicat, quod proxime ſequitur v. 8. dictum à Hieremia; *Tunc* (inquit) *Dominus oſtendet hæc* (quæ nimirum latuerunt abſcondita) *& apparebit maieſtas Domini & nubes erit, ſicut & Moyſi manifeſtabatur, & ſicut cum Salomon petiit vt locus ſanctificaretur magno Deo, manifeſtabat hæc*, & v. 10. *ſicut Moyſes orabat, & deſcendit ignis de cælo, & conſumpſit holocauſtum, ſic Salomon orauit*

Probabilior ſententia de Arca inuenta cum in ſecundo templo primum ſacrificium oblatum eſt

A *& deſcendit ignis*, apparuit autem illa maieſtas, quam pollicitus erat Propheta, cum apparuit aqua craſſa, & ex ea ignis qui de cœlo deſcenderat, à quo conſumptum fuerat holocauſtum; quod accidit Nehemiæ tempore, id eſt cùm à captiuitate extorris populus reuerſus eſt. Altera ratio, ſeu coniectura ad eandem firmandam ſententiam ex eo ducitur quod 1. Machabæorum c. 1. v. 23. Antiochus accepiſſe dicitur ex templo altare aureum, & menſam propoſitionis, quæ non videntur fuiſſe alia, quam quæ occulta prius fuerant ab Hieremia; neque obiicias illud cap. 3. eiuſdem Hieremiæ v. 16 *in diebus illis*, ait Dominus, *non dicent vltra, arca teſtamenti Domini, neque aſ-*
B *cendet ſuper cor, neque recordabuntur illius nec viſitabitur, nec fiet vltra.* Quod fecit, vt ipſe olim Sanctius, ſuis in eum locum commentariis, in ſecundo templo viſam vnquam eſſe arcam negauerit. Nam ſi locum hunc vaticinantis Hieremiæ, (quod è patribus plerique cenſuerunt) de tempore Euangelico accipias, non de eo quod proxime Iudæorū libertatem conſecutum eſt; magis fauet ſententiæ, quæ ad ſecundum templum reuocat arcam, quam pro contraria faciat, quæ eandem ab illo remouet; ſi quidem ad illud vſque tempus videtur in templo fuiſſe arca, ad quam ſcilicet Iudæi in neceſſitate confugerent; tempore vero
C Chriſti & Euangelij, ceſſante iam illius vmbrâ, quam vbi lux aduenerit euaneſcere oportet, ait Propheta, non iam amplius, arcam eſſe viſitandam, quia nempe iam nulla ipſius futura virtus eſt, nulla neceſſitas, & hæc eſt ſatis commoda huius loci expoſitio vt totius quoque propoſitæ quæſtionis ſolutio.

XVII. QVÆSTIO SEV ANNOTATIO ad caput primum & ſecundum.

De Zorobabel & Ieſu filio Ioſedech.

XLIV.

QVoniam toto hoc libro Eſdræ, non vno in loco, frequens incidit mentio Zorababelis & Ieſu filij Ioſedechi, vt cap. 1. cap. 2. cap. 5. & alibi, iuuat etiam vnum in locum conferre quæ variè à variis authoribus de iis annotata ſunt, ſcribit Ioſephus 11. antiquitatum c. 4. Iudæos in Iudæam redeuntes elegiſſe in duces & gubernatores populi Zorobabelem, & Ieſum ſummum ſacerdotem, & Ieſus quidem erat filius Ioſedech, qui, cum Iudæi Babylonem adducti ſunt, ſummum ſacerdotium gerebat, & cum cæteris captiuis eſt vt conſtat ex 2. Paralipomenon 5. quare iure hæreditario patri ſucceſſit, eodem iure Zorobabel in ducatum ſuccedebat, quòd filius eſſet Salathielis filij Iechoniæ regis Iuda, quãuis noui Hebræi cum quibuſdam ex ſuis ſectatoribus hunc Salathielis filium fuiſſe negant, ſed nepotem; filium ſcilicet Phadaiæ, quem Salathielis filium eſſe volunt; & hoc inde ſibi perſuadent quod 1. Paralip. 3. Zorobabel filius Phadaiæ dici-

Iure hæreditario Ieſus ſucceſſit Patri ſuo Ioſedech in ſummo ſacerdotio, Zorobabel in ducatu Salathielis.

tur. At non vident Phadaiam non filium esse Salathielis, sed fratrem, ita enim legimus ibidem, *filij Iechoniæ*, &c. in hebræo quidem & apud 70. legitur paulò aliter: sed inde nequeunt efficere quod volunt; Quare dicendum cum multis interpretibus duos fuisse Zorobabeles, alterum Phadaiæ filium, alterum Salathielis. Ita in genealogia Matthæi, & Lucæ, alter est Zorobabel pater Abiud, alter qui pater est Resæ & tamen vtriusque pater vocabatur Salathiel, neque idem homo erant, sed duo, alter ex stirpe Salomonis, alter qui est apud Lucam ex stirpe Nathan, filij Dauid, immo & alterum quoque legimus Salathielem de tribu Ruben Iudith. 8. nobis satis esse debet Zorobabelem, qui sæpe nominatur in Esdra & in Aggæo, & in Iosepho, nusquam alterius filium appellari, quam Salathielis, & Matthæum disertè dicere, *Salathiel autem genuit Zorobabel*. Quo loco nullus ex patribus obseruauit generationem vnam esse prætermissam, sicut in aliis locis adnotarunt

Duo Zorobabeles in Scriptura. Alter fuit, Zorobabel filius Salathielis. Alter, filius Phadaiæ

Iam vero Iesus & Zorobabel peculiari nomine dicuntur in scriptura filij olei, idest vt, interpretor, filij misericordiæ, filii vnctionis, filii benedictionis quidam enim Hebræorum magister vt refert Sanctius in Zachar. cap. 4. interpretans hunc locum, *hi sunt duo nisi olei qui assistunt dominatori vniuersæ terræ*. Dominatorem vniuersæ terræ, putat esse Persarum Regem Cyrum, vel Darium, cuius sententiæ probabilitas, licèt à communi sensu paulò videatur alienior, in duobus præcipue fundari potest, 1. in eo quod apud Zachariam pro dominatore terræ non est vox tetragrammatica (Adonai) sed Adon, quæ tam Deo quam hominibus aptatur 2. quia hoc 1. Esdræ capite Rex Cyrus se fatetur dominatorem vniuersæ terræ, *omnia regna terræ dedit mihi Dominus* inquit ille. Tanto igitur terræ dominatori, si Zachariam audimus, assistebant hi duo filii olei, Iesus scilicet & Zorobabel, in quantum eius fauore, beneuolentiâ & consensu templum restituere laborabant, quia apud eum magno erant in loco, & gratia, atque eius ope, aliis esse poterant ornamento & solatio, erecto templo, & instauratâ vrbe, & hostibus, qui ædificationis opus morabantur, aut deletis, aut submotis, aut tandem ad pacem fœdusque traductis. Dicuntur autem oliuæ, & filii olei, à Propheta cum actiuè, tum passiuè, & quia vncti oleo sunt (alter quippe ex Leuitico & Sacerdotali genere erat, alter ex regio) & quia oleum aliis gignunt & infundunt, idest, quia ipsorum operâ ac ministerio, Deus splendere fecit populum qui in exilii atque obliuionis tenebris antè delitescebat.

Iesus & Zorobabel filii olei & mystice per duas oliuas à Zacharia designati.

A Vt enim lucernæ ab oleo habent vt luceant & quodammodo viuant, sic populi splendor in lucernarũ corona significatus, ab oliuis ex quibus oleum exprimitur emicat & fouetur.

Porrò de Zorobabele speciatim, ex libro tertio Esdræ cap. 3. & Iosepho lib decimo. antiquit. cap. tertio. constat vnum hunc fuisse è tribus illis, quibus Darius Hystaspis filius, tanquam corporis sui custodibus, quæstionem proposuit de re omniũ valentissima, acclamatúmque ab omnibus fuisse præstare cæteris Zorobabelis sententiam, quæ veritatem præferret, solam inter omnes mortales res immortalem atque perpetuam, nullisque aut temporum iniuriis aut fortunę mutationibus obnoxiam; Immo eidem Zorobabeli traditam eo nomine fuisse potestatem regiæ proximam. Simul etiam facultatem reducendi reliquias Iudaicæ captiuitatis in Iudæam, vt reædificandi sanctam vrbem & templum. Hæc obseruat Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth.

XIV. Zorobabel gratiosus apud Darium filium Hystaspis e solutam quæstionem de re omnium valentissima, quam veritatem esse dixit.

Si gloriam & nominis commendationem spectas, magnificum est illud quod de Zorobabele dicitur à Zacharia cap. 6.v.12. *Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabit templum Domini*, Etsi enim de interpretibus nonnulli locum hunc ad litteram de Messia intelligant, tamen communior est aliorum sententia per orientem istum, Zorobabelem significari, qui de Babylonia vnà cum Iesu rediens videbatur quasi reflorescere, & germinis instar exoriri. Ita censent. Theodor. Remig. Albert. Hug. & gloss. &c. Sic autem quæ inter orientem & Zorobabelem intercedere videtur similitudo explicari non inconcinnè possit. Nam vel sumitur vox ista oriens pro, *Thema*, idest germen, vel pro climate, seu plaga, vnde solet oriri sol, id est pro sole oriente. Et vtroque modo sumptum non paruam videtur habere affinitatem cum persona ducis huius, vt rem altius meditanti constabit. Et quidem si primo modo sumas, atque idem sit oriens, quod germen; Zorobabel è captiuitate rediens similis fuit germini, 1. quia sicut germen à minimo initio ad magnum incrementum exurgit, ita Zorobabel, ex captiuo enim factus est dux populi, vnde glossa interlinearis super hæc verba; *Ecce vir oriens*, &c. interiicit quæ sequuntur, Oriens, id est Zorobabel qui ideo vocatur Oriens quod ex humili & captiuo, in ducem populi consurgat, 2. quemadmodum germen, terræ penetralibus mandatum computrescit, identidem, & quasi penitus mortuum apparet, sed tandem progressu temporis repullulat, & quasi reuiuiscit, ita

Zorobabel à Zacharia vir oriens dicitur ad splendorem nominis ipsius indicandum.

Zorobabel in infimis Babyloniæ partibus A delitescens, elanguidus visus est, & ferè mortuus; at restituto populo remigrans, apparuit quasi rediuiuus, & germinis instar exoriri cœpit; ideoq; Oriens cognominatur. Si secundo modo sumatur Oriens, nempe pro sole Oriente: duplici nomine potest ei comparari Zorobabel, primo quia sicut sol diu remanet in tenebris per noctem, antequam incipiat oriri, ita longo fuit interuallo iste dux sub nocte captiuitatis Babylonicæ, secundo, quemadmodum sol ab exiguo crepusculo solet oriri & paulatim ad lucem ampliorem diffundi, ita ducis huius fortuna ab exili sorte ad amplam hoc est ad Ducalem dignitatē peruenit. Præterea notum etiam est illud Aggæi cap. 2. *In die illa dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel, fili Salathiel, serue meus, dicit Dominus: & ponam te quasi signaculum, quia te elegi dicit Dominus exercituum*, &c. Dignus sane locus, qui expendatur, vt quantum Deo in amoribus & delitiis esset Zorobabel, intelligatur. Certe Hebræi Doctores præsertim Rabbi Salomon, quem refert Lyranus in Aggæum, aliiq; ita hunc Aggæi locum de Zorobabele duce intelligunt, vt illius proprium esse, quod in eo dicitur, nec vlli præter eum competere posse velint, allusumq; aiunt ad locum Ieremiæ 22. n. 24. apud quem de Iechonia rege Zorobabelis auo hæc habentur. *Viuo ego dicit Dominus; quia si fuerit Iechonias filius Ioachin regis Iuda annulus in manu dextera mea: inde euellam eum* &c. cuius loci ad Zorobabelis gloriam spectantis is sensus est apud Aggæum. In die illa, luctuosa scilicet & miserabili, cum varii casus exagitabunt atque conuellent gentium imperia; te communis illa calamitas non attinget, ô Zorobabel, assumam enim te & eximam à communi plaga, atq; fortunæ mutatione, neque à me aliter accipieris, quàm illi solent, quorū ab amicis in signatorio annulo exprimuntur imagines. Est enim non solum apud profanos, sed etiam apud sacros authores vsitatum, vt eorum quos in pretio aut in amoribus habemus, imagines exprimamus, in annulis, vt semper oculis obuersentur, atq; ita gestari in annulis, & B vnicè ac vehementer amari, pro eodem accipiuntur. Sic denique eiusdem principis laudem atq; encomium texit Iesus filius Sirach. Ecclesiastici 49. *quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in dextera manu, &c.* quæ verba cum prophetica Aggæi voce apprime conueniunt. Addit postea (Iesum filium Iosedech cum Zorobabele componens) *sic & Iesum filium Iosedech?* intellige quomodo amplificemus? *qui in diebus suis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum sanctum Domino paratum in gloriam sempiternam, &c.* C Hæc de vtroque obiter.

XLVI. Aggæus item mirificè gloriam Zorobabelis commendat cum eum à Deo assumptum & quasi signaculum in manu eius fuisse deprædicat.

XVIII. QVÆSTIO PRÆAMBVLA, ad caput secundum.

An è decem tribubus aliqui in Iudæam redierint cum Zorobabele.

XLVII.

Vius proponendæ quæstionis D occasio ex primo statim secundi capitis textu enascitur, vbi eorum qui è Babylone in Iudęam remigrarunt volente ac fauente Cyro longa series recensetur, quos è duabus tribubus Iuda scilicet & Beniamin aut solum aut potissimum, fuisse nemini dubium est. Ac licet multis passim in locis in ipsa literæ expositione de eo quod hic proponitur multa à nobis spargēda sunt, tamen non parum iuuabit ad viam lectori præmuniendam breuem hanc disceptationem iis quæ postmodum & dicenda & explananda sunt præmittere: igitur quod attinet ad quæstionem, an è decem tribubus aliqui redierint è captiuitate Babylonica cum aliis; quin ita contigerit, vix mihi dubium esse potest. Etsi enim ad Assyrios decē tribus traductę sunt; plurimos tamen variis successibus ac temporibus ex Assyria cōmigrasse simile veri est, & id quidem non difficile aut obscure suadetur ex eo, quod sub initium ipsum transmigrationis Babylonicæ ex decē illis tribubus aliqui dicuntur in Babylone commorati. Legimus quippe Danielis cap. 13. v. 57. de luxuriosis senibus, qui Susannæ pudori insidiati sunt, illos in Babylone, Israelitidas fœminas ad sceleratum pellexisse concubitum. Sic enim Daniel cum esset adhuc puer ad duos senes scripturę loco citato; *Sic faciebatis filiabus Israel, & illæ timentes loquebantur vobis; sed filia Iuda, non sustinuit iniquitatem vestram.* Quin & Cyri tempore, id est, longè post hanc Susannæ & Danielis Histo-

Eodem tribubus multi redierunt è captiuitate in Iudæam cum aliis.

riam, plurimi videntur commigrasse Babylonem, ibique cum aliis duabus tribubus, simul habitasse, quid enim impedimento esse potuit, quo minus qui olim capti fuerunt ab Assyriis, ad Babylonios transirent; cùm præsertim iam per vim Babylonijs parerent Assyrii, neque ideo Dominum mutarent, & mutuò se duorum regnorum termini contingerent, accedit non obscurè illud colligi ex 2. cap. v. 64. vbi cùm eorum qui de captiuitate in patriam ascenderunt numerus esse dicatur quadraginta duo millia trecenti sexaginta, tamen, vbi sigillatim computatio fit præcedenti contextu, eorum summa, multo minor inuenitur; cuius eam rationem reddunt; quod ex aliis tribubus multi etiam remigrarint, qui certe summam illam implerent, si cum aliis annumerarentur.

Scio quidem Iosephum lib. 11. antiq. c. 5. non longè à principio videri secus sentire, ac vero disertis verbis negare, decem tribus ab exilio redisse, sic enim ille, *Duæ,* inquit, *tantum tribus per Asiam, & Europam, sub Romano degunt imperio; decem autem tribus nunc quoque vltra Euphratem sunt, infinita hominum millia, quæ vix est numero comprehendere.* Sed ego id à Iosepho, eò dictum intelligo, quòd solutâ captiuitate tribus permixtæ sunt in Iudęa & qui è decem tribubus cum alijs redierunt, etsi multi fuerint, tamen non ita multi; vt latos illius prouinciæ fines, quos olim inhabitarunt, decem tribus ante captiuitatem, implere potuerint. Quare, cùm illæ tribus, magnam partē, in Assyria, aut aliis cæteris regionibus remanserint, & qui de illis Babylone redierunt (qui sunt perpauci si cum aliis conferantur) in assignatis sibi olim sortibus, iuxta distributionem Iosue non habitarent, sed cum aliis confusi essent tempore Iosephi; visum est ipsi dici posse duas tantum tribus rediisse. Ego vero non dubito ex decem tribubus aliquot ab exilio solutos fuisse, & Zorobabelem secutos, sub edicto Cyri, de quo 1. capite & primo etiam commeatu cuius instituitur narratio 2. capite Patriæ suę restitutos.

Dici potest è decem tribubus nullos rediisse quia qui redierunt permixtim ac confuse in Iudæa cum aliis habitarunt.

XIX. QVÆSTIO PROOEMIALIS. ad caput tertium.

De festo tabernaculorum, cuius mentio lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 8.

XLVIII.

Voniam ipso statim lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 8. festi tabernaculorum incidet mentio, & multa ab authoribus de eo disputantur, in varia scripturæ loca, & potissimum in Leuitici caput 23. iuuerit hîc etiam quæ præcipua sunt annotare, & præuiam veluti facem, iis quæ à nobis in textus explanatione, strictius dicenda sunt, præferre.

Festum igitur tabernaculorum græcè dicitur scenopegia à figendis tabernaculis. σκηνὴ enim tabernaculum est, πηγία fictio, siue compactio, πήγνυσθαι figere seu compingere, quo fit vt explodendum sit (vt belle notat Cornelius à Lapide in Leuiticum) quod putant Abulensis & Radulph: scenopegiam dici à φαγία id est comestio, & κοινὴ id est communis, quod festiuis tabernaculorum diebus, qui septem omnino erant, Iudæi comederent in publico, siue loco communi.

Origo festi tabernaculorum petita ex memoria protectionis diuinæ, qua se extulit in Hebræos dum commorarentur in deserto.

Iam verò de origine festi sic accipe, institutum est hoc festum in memoriam protectionis diuinæ, cuius ope olim Hebręi in deserto, sine domibus, medio in campo, in tabernaculis, per totos quadraginta annos, hyeme & æstate, vixerunt, vnde nunquam celebratum est hoc festum in deserto, quia scilicet agebatur atque offerebat sese ibi rei veritas, & continuum quasi festum tabernaculorum, sed postea in eius memoriam quotannis celebratum est in terra Chanaan, ita vt partim in vrbe, partim in atrijs, foris, plateis, hortis, quin & domatibus, id est tectis domorum, partim extra vrbem, cum tutum esset, tabernacula construerent, ex lignis, siue palis, quibus alij ramos, alij pelles, & lintea circumducebant, vti fieri solet in tentoriis Castrensibus, in iisque ad septem dies habitarent. Cùm enim ex tota Iudęa, Hebræi, Hierosolymam conuenirent ad hoc festum celebrandum, & singulæ familię singula tabernacula compingerent, [vt disertis verbis indicat Iosephus lib. 3. antiq. cap. 10.] nequaquam tot in vrbe construi commode poterant, quot omnibus capiendis sufficerent. Atque hinc simile veri est, ita passim fuisse disposita tabernacula, vt quasi vrbs quædam fieret, & singulæ familię seorsim, omnésque per vicos & plateas distinctæ, & ordinatæ, ha-

In festo tabernaculorum partim in vrbe, partim extra vrbem tabernacula figebantur.

bitarent. Ita enim eos fecisse cùm per desertum peregrinarentur facilis est coniectura, ac proinde cùm eius rei memoriam recolerent nihil quoque ab antiqua illa agendi ratione deflexisse censendum est.

XLIX. *Altera festi tabernaculorum causa petita ex gratiarũ actione Deo reddenda pro frugibus eo anno, quo celebrabatur collectis*

Alteram etiam eiusdem festi tabernaculorum causam, authores afferunt, nempe institutum esse in fine anni, putà in Septembri, post collectas omnes fruges, vt de iis gratias agerent Domino; ideòque omnes masculi, hoc festo, templum adire, suàque dona offerre debebant, vti prescribitur Exodi. 23.

Quod spectat ad holocausta & victimas quæ septem diebus mactabantur, habes hoc exactè recensitum Numerorum cap. 29. v. 14. constat autem ex Leuitici 23. v. 40. Hebræos in festo tabernaculorũ, iussos fuisse manibus gestare, quatuor arborum ramos vel fructus, primo arboris pulcherrimæ, id est Citri, ita Chaldæus, vnde Iosephus fructus huius arboris, vocat mala Persica, mala enim citria authore Dioscoride vocantur Persica, & medica, quia ex Persia & Media, in Italiam aduecta sunt; teste Plinio, facit etiam, ad stabiliendam hanc coniecturam quod Rabbi Moses Ægyptius lib. 3. More; cap. 44. docet hanc arborem pulcherrimam de qua agitur loco iam citato, Leuitici, reapse Citrum fuisse. Scio quidem sanctum Hieronymum, in cap. 14. Zachariæ, videri secùs sentire, cum dicat, Cedrum fuisse, sed respondet Cornelius à Lapide, sanctum Hieronymum, per Cedrum, Citrum intellexisse; cum mala Citria etiam cedromela, quasi mala Cedri vocentur, apud Dioscoridem. Secundo spatulas id est ramos palmarum ita 70. Tertio, ramos ligni densarum frondium, id est Myrti. Ita Iosephus Chaldæus & Rabbi Moses. Quarto, ramos Salicis hæc omnia ad verbum in lege expressa (vt legenti cuique peruium est) Harum itaque arborum pulchrarum, diuque virentium, atque odoratarum fere (Citrus enim & Myrtus boni odoris sunt) ramos gestare iubebantur Hebræi in festo tabernaculorum, vt recordarentur se à solitudine in terram feracem & arboribus optimis abundantem trãslatos esse, gestare inquã non tantùm primo die festi, vt censet Abulensis sed septem totis diebus, cùm in lege dicatur, *celebrabitis solemnitatem septem diebus*, & vero ita intellexit Rabbi Moses, Burgensis, Ribera, & alii passim, celebrabatur autem hæc solemnitas septem diebus vt per septem dies illos significaretur Hebræos multis annis commoratos fuisse in deserto, indéque plenioris atque abundantis gaudii segetem in terra promissa illis obuenisse, hoc enim

Hebræi festum tabernaculorum celebrantes gestabant in manibus quatuor arborum ramos vel fructus Citri palmarum, Myrti & Salicis vt recordarentur se à solitudine in terram feracem & arboribus optimis abundantem esse translatos.

A illa legis verba plus satis indicant. *Et lætamini coram Domino*, &c. nimirum gestantes hos ramos, & fructus prædictarum arborum, saltitabant in sanctuario, coram Domino. Ita sentit Cornelius. Et certè tripudiis solitos esse veteres celebrare sua festa, patet 2. Regum cap. 6. v. 14. Exodi 32. v. 19. atque ita annotauit Abulensis, in Leuiticum, qui & addit. *Dicunt aliqui quod quando Iudæi habebant istos ramos in manu habebant & cum eis colligatos fructus, & sic saliebant eleuantes & deprimentes illos fructus, ad omnem differentiam positionis, quo significabant id esse ad laudem Dei qui erat* B *Dominus omnium positionum mundi*. Simile quiddam etiam fieri solitum in Theruma, siue oblatione sacerdotum, refert Cornelius à Lapide, in Exod. 29. v. 24. & Leuit. 7. v. 30. Tandem & Hebræi solemni more septimo die festi tabernaculorum circumibant altare septies portantes ramos in memoriam expugnatæ Hiericho à Iosue septeno vrbis circuitu, vt habetur Iosue 6. v. 16. quod ab authore proximè citato depromptũ huc adducere operæ pretiũ duxi.

Iudæi in scenopegia gestantes ramos & fructus arborum saltabãt corã Domino.

Septimo die portantes ramos circumibant altare septies in memoriam Hiericho expugnatæ septeno vrbis circuitu.

L. *Festum cœtus atque collectæ quasi octaua festi tabernaculorum dies magnus festiuitatis vocatus in Euangelio sic dictus cœtus & collectæ quia eo die pecuniæ & eleemosynæ colligebantur ad sumptus sacrificiorum & templi vel quia post scenopegiã omnes Iudæi in vrbẽ collecti in templum conueniebant ad sacrificia pro gratiarum actione peragenda quod olim post longam in deserto peregrinationem fixam tandem in terra promissionis sedem possedissent.*

Hactenus de festo tabernaculorum, propriè; iam vero de festo cœtus atque collectæ dicendum etiam est, quod erat quasi octaua festi tabernaculorum atque illius C veluti appendix. Erat, hoc festum solemne, vnde à sancto Ioanne cap. 7. v. 37. vocatur dies magnus festiuitatis, dies igitur octauus qui erat mensis septimi vigesimus secundus & primus à festo tabernaculorum exacto, erat celeberrimus, dicebaturque dies cœtus seu collectæ siue quia tunc ad sumptus sacrificiorum & templi, conferebantur ab omnibus, pro cuiusque facultate, pecuniæ & eleemosynæ, quod censent Sanctus Tho. tom. 2. q. 102. art. 4. ad 10. Abulensis, Lyranus, Caietanus, Oleaster, siue quia eo die collecta seu cœtus fiebat hominum, qui cum septem diebus in suis quique tabernaculis commorati essent, octauo D postea die, omnes collecti in vrbem & templum conueniebant vt Deo solemnibus sacrificiis gratias agerent quod post longam illam in deserto peregrinationem, omnes tribus saluæ olim rediissent in terram promissionis, quasi in terminum & sedem suam iam fixam & stabilem, eamque nullis reluctantibus quietè possiderent, quod insinuat adhuc S. Thomas iam citatus, & docet Burgensis in addit. ad Leuitic. & Ribera lib. 5. de templo cap. 15. Ad quorum sententiam accedo lubentius, quòd simili ratione dies septimus Azymorum vocatur dies cœtus & collectæ, eò quòd omnes eo die simul conuenirent ad agendum gratias Deo, quòd eos in Ægyptiaca seruitute dispersos

spersos coegisset & simul inde eduxisset.

Certè festo inditum nomen cœtus siue collectæ à collecta non pecuniæ sed populi patet 1. quod in Hebræo vocatur *atserat*, quod significat cœtum siue congregationem populi non pecuniæ 2. quia id ipsum indicat translatio Chaldaica, quæ apertissime, hanc vocem, *atserat*, ita vertit collecti eritis; *Kenisein tebon*, 3. quia septuaginta semper hanc vocem vertunt ἐξόδιον, id est exitum, quia eo die exibant è tabernaculis, vbi alii ab aliis, seorsim habitabant, & septemdiali festiuitati imponebatur finis, *Exodium*, inquit Thedoretus, q. 32. in Le-

A uiticum, *finem festorum indicat*, 4. quia similem collectam facit Rex Salomon, non pecuniæ. Erat enim ditissimus & liberalissimus, sed populi, in octaua dedicationis templi. 2. Paralip. cap. 7. v. 9. Negare tamen nolim, vt verum fatear, potuisse quoque hoc festo fieri collectam pecuniæ pro templi & ministris Dei ante discessum populi, sed illa poterat fieri, & alijs festis, & maximè 7. die azymorum, quare non inde proprie vocatur, hoc festum cœtus vel collectę, neque hic fuit præcipuus indictæ solemnitatis finis, & hæc de festo tabernaculorum & festo collectæ sint satis.

XX. QVÆSTIO PRÆAMBVLA. ad caput 4.

Quis fuerit Artaxerxes sub quo impedita est & interrupta ædificatio templi &c. 1. Esd. 4. v. 6.

LI.

HVnc Artaxerxem, qui epistolam accusationis, à Samaritis suscipiens, vetuit Hierusalem & templum construi. Iosephus putat esse, Cambysem, filium Cyri; qui post patrem 30. annis imperio functum, (quod de Monarchia intelligi nolim) & ipsemet 8. annis regnauit, & post eum, Magi, vno anno regnantes, Darium filium Histaspis habuere regni successorem anno cuius secundo, quo templum ædificare permisit, dixit apud Zachariam Angelus, pro populo interueniens. *Domine exercituum vsquequò non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus est Iste iam 70. annus est*; Assuerus autem cui pariter epistola accusationis dicitur missa, eodem capite ideo forte, an aliquid rescripserit aut responderit, tacetur, quia eodem anno, quo regnare cœpit decedens, Artaxerxi apicem regnandi & hæc curandi prouinciam reliquit, vel contemporaneus fuit Artaxerxi, sed quasi minoris potentiæ illum hæc tractare & decernere permisit &c. Hæc obseruatio est Bedæ in glossa, & partim Lyrani, aliorúmque expositorum communis, vt refert, ex lib. 10. antiq. Iosephi, nisi quod addit Lyranus ex eodem, eundem etiam fuisse Assuerum, cum Artaxerxe propterea quod, inquit, subditur communiter, in Biblijs nostris, post nomen Assueri, scilicet. Ipse est Artaxerxes, hoc tamen, vt bene notat, non est in Hebræo, nec est de textu vnde nec hodie in vulgata legitur; Sed ab aliquo Doctore fuit appositum per modum glossæ, & postea insertum textui per imperitiam scriptorum, &c.

In Artaxerxes iuxta Iosephi sententiam, Cambyses fuit Cyri successor.

Idem Assuerus qui & Artaxerxes.

B Iam vero de hac quæstione proposita longe aliter sentit Rabbi Salom. apud Lyranum citatus, nam iuxta illius mentem, iste Assuerus non fuit idem cum Artaxerxe, sed ei successit ita vt Artaxerxes ipse, fuerit idem cum Cyro, & vocatus nomine proprio Cyrus, communi verò, Regni Persarum nomine, Artaxerxes, sicut Reges Romanorum, nomine Regni vocabantur Cæsares, licet haberent nomina propria, vt Iulii, Augusti, Tiberii, aliaque id genus &c. Et hæc est, huius Doctoris sententia. Notat tamen Lyranus illum non satis memorem, Daniel. 2. inter Cyrum & Assuerum ponere Cambysem filium Cyri, quod videtur magis consonum, scripturæ, & iste Cambyses impediuit ædificationem templi, cum C igitur Assuerus, filius Cyri non fuerit, & opus templi impeditum sit ab illo qui immediate successit Cyro ex omnium authorum sententia, quomodo Cyro proxime successit, is, de quo in textu Esdræ mentio est, aut Iudęos ædificare vetuit, si inter illum & Cyrum vnus intermedius est, Quidquid sit, siue Assuerus, de quo hic, alius fuerit à Cambyse & Artaxerxe, siue non, certè is non fuit, qui Esther accepit vxorem, vt existimat author prædictus; Iosephus enim, inter Cambysem filium Cyri, & Assuerum qui accepit Esther vxorem, Xerxem quem nominat Artaxerxem, immo aliqui etiam Historiographi plures ponunt intermedios.

Iuxta Rabbi Salomonem Assuerus hic non est idē cum Artaxerxe sed Artaxerxi successit.

LII. Ad litem igitur & controuersiam huius quæstionis vniuersam, vno verbo dirimendam; certum est, (quod notauit Lyranus D in hunc locum & maxime obseruandum

Apud Esdram lib. 1.

D

cap. 4. quis Assuerus & Artaxerxes idem est cum Cambyse Cyri filio nec in alium quadrare possint quæ ibi dicuntur.

est sacræ scripturæ interpretibus) Reges A istos Persarum, in diuersis locis historiæ, cum sacræ, tum prophanæ, nominatos inueniri pluribus, eosdem, & diuersis nominibus, atque adeo vnum sæpe numero eumdemque regem videri plures esse, quò fit, vt vnum Cyri filium & Cambysem & Artaxerxem & Assuerum fuisse probabilius existimem, & certè qui fabricam templi interruperit, & ad quem Iudæorum hostes, liberas eo nomine dederit excogitari quispiam alius commodè non potest, neque enim, Smerdes puta, qui breuissimo tẽpore regnauit, is intelligi potest, cui accusatio facta & eiusdem responsio conuenire queat, præsertim cum ille semper lateret, & ne vxoribus quidem suis se videndum præberet, nec in Darium magis res quadrare po- B test, qui isto extincto in regnum communi suffragio euectus est, nam erga Iudæos beneuolus fuit, ab ipso regni principio, vt qui votum ediderat de templo ædificando si rex fieret; à Iudæis autem Cambyses se alienum ostendit; is itaque est & Assuerus & Artaxerxes, quod Scaliger in serie Regum Persarum non satis intellexit qui Assuerum hoc loco Regem & Artaxerxem Longimanum interpretatur, eadem licentia, qua eodem cap. 4. Esdræ extremo, Darium nothum, accipit pro Dario Histaspide, & Darium Longimanum cap. 7. Esdræ, & cap. 2. Nehemiæ in Darium Mnemonem commutat, contra verissimam communissimamque Chronologorum & Historicorum sententiam.

XXI. QVÆSTIO PRÆAMBVLA. ad caput 4.

An dilatum fuerit opus Templi negligentia & culpa Iudæorum cap. 4. v. 24.

LIII.

Etsi propositam quęstionem, C quæ spectat ad cap. 4. v. 24. vbi ait Esdras intermissum esse opus domus Domini vsque ad annum secundum Regni Darii, in vtramque partem disceptari posse video: tamen in affirmantem quæ Iudæos inertię ac socordię coarguit facile totus propendeo, & sic sentiendum illis qui rem propitiùs, & diligentiùs expendunt prorsus existimo. Verè igitur in eo culpabiles fuerunt Iudæi, & eo nomine meritò reprehendendi, vti reprehenduntur ab Aggæo cap. 1. quòd templum imperfectum reliquerint. Quicquid contra sentiat Rupertus in Aggæum & cum eo Echius quorũ sententiam acriter impugnat D Ribera noster suis in eundem Aggęum commentariis. Et verò quid aliud aut clarius sonant, aut loquuntur apertius, quàm populi culpam plus nimio remissi, ac relanguescentis in opere dudum inchoato, hæc Prophetæ verba, ipso statim initio capitis v. 2. Hæc ait dominus exercituum, dicens; populus ipse dicit: nondum venit tempus domus Domini ædificandę id est, hæc ad vos, ô magni populi principes, ait Dominus; sæpe populus iste & secum tacitus, & publicè clamat, nondum esse ædificandi templi tempus opportunum. Vnde quod Rupertus dubitat, an populus ille, vt in Aggæo est, aliquantùm ædificationi obstiterit, dixeritque nondum venisse tempus domus Domini ædificãdæ, nonnullis paulo durius videtur, & aliqua vocis castigatione dignum, nisi emolliretur, verba eius sunt libro vnico, quem composuit, in Aggęum *vnde*, inquit, *constabit secundum litteram dictum esse Populus ille dicit: nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.* Et postea mysticum sensum hic potiùs attendendum esse, quàm literalem significans sic pergit: *quomodocumque tunc res sese habuerit, nos vt cæpimus sic intelligere curamus tanquam verbum Domini, tanquam Prophetam, tendentem quò omnes Prophetæ intendunt, in tempora vel Sacramenta Christi.* Loquitur ergo Propheta loco iam sæpius citato (vt ad germanum literæ sensum redeamus) ad Zorobabel & Iesum filium Iosedech, & frequentem populi vocem reprehendit, qui rationes passim inanes prętendebat, & futiles, cur à templi molitione & cessasset diu, & iam illius curam omnem abiecisse videretur, atque illam imprimis singularem, quod nondum extruendi templi aduenisset opportuna maturitas.

Negligentia & culpa Iudæorũ intermissũ fuit opus templi inchoatum.

Explicatur locus Aggæi quo culpam & negligentiã Iudæorum indicat in intermissione operis

Id verò ex eo coniectabant spargebántque in vulgus, quod noua quotidie & grauia suborirentur impedimenta, primùm à Samaritanis, populísque finitimis, deinde ab Artaxerxe seu Cambyse Persarum principe, si verò tempus aduenisset in quo Deus vellet, suam sibi domum instaurari illa vtiq;

Rationes quas prætendebat populus ad intermittendum opus templi.

impedimenta remoueret. Forte etiam cogitabant nondum reapse completum illorum annorum numerum, quem libertati Iudæorum, & instaurandæ ciuitati ac templo per Hieremiam Deus olim definierat: sic honestam vti existimabant suæ vel impietati, vel inertiæ speciem prætexebant. Hæc populi vox erat: *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ*: Neque tamen ad populum Propheta loquitur, qui directè ac primò reprehendendus erat, sed ad Sacerdotem & Ducem; sic enim v. 1. *Factum est verbum Domini ad Zorobabel filium Salathiel, Ducem Iudæ, & ad Iesum filium Iosedech*: quia scilicet illorum maximè intererat gubernare populum, & in officio ac pietate continere. Quare in illis (vt multi existimant) non leuis hærebat culpa, qui primum illum sermonem in vulgus sparsum auctoritate suâ non exprelserant, & ipsi fortasse idem cum aliis cogitabant, atque adeo vulgarem illam in populo diffidentiam alebant ipsi, dum quid sentirent obuiis quibusque non obscurè significabant, siquidem Principum sensus ac voluntas facilè in aliis præsertim de plebe eumdem sensum ac studium ingenerant. Adde quod inter peccatorum sordes, quibus repræsentatur à Zacharia sordidatus Iesus filius Iosedech. c. 3. v. 3. cùm ait: *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli.* Cornelius à Lapide ex Chald. Lyrano, Emmanuele Sa, & Vatablo, præsertim illud ponit, quòd torpentem in fabrica templi populum ad illam non coëgerit, quanquam exiguam aliunde vel ferè nullam hic fuisse culpam Zorobabelis & Iesu, asserant Hieronymus, Theodoretus, & Arrias Montanus. Quicquid sit ex Aggæi loco conficitur & peccasse populum, & rarò Prælatum liberum esse à culpa subditorum, eo quod vel illi consentiat, vel dissimulet, & cum possit non coërceat.

Hæsit etiam aliquid culpæ in Zorobabel Duce, & Iesu summo Sacerdote, ad quos Zacharias sermonem conuertit, quod populum ad operis molitionem nō coëgerint.

LIV. Sic autem in hoc opere Iudæorum negligentia, & culpa ex his rationibus arguitur, quia nimirum cùm opus fuisset impeditum à Cambyse Cyri filio, vt cap. 4. narratur, & Iudæi per vim adacti nullâ suâ culpâ dum viueret, ab ipsa molitione destitissent, eo etiam mortuo cessauerunt, vsque ad secundum annum Darij quod minimè debuerunt, cùm prædixisset Hieremias post annos 70. templum fore ædificandum, vt intelligitur ex cap. 29. Hierem. simul cum 30. Qui quidem anni iamdiu impleti erant. Neque verò metus vicinorum hostium obstare eis debebat, contra Dei prophetiam, cùm, etsi multum conarentur impedire, non possent, quemadmodum secundo etiam anno Darij impedire tentauerunt, vt habetur Esdræ 1. cap. 5. sed nullo aut exiguo successu.

Præterea (quod alterum est illorum inertiæ argumentum), idem Darius prius copiam Iudæis fecerat ædificandi templum, vt legimus in 3. Esdræ cap. 4. & apud Iosephum 11. Antiquitatum cap. 4. qui primo anno Darij copiam factam scribit. Quare in culpa sunt, & meritò secundo anno, mense sexto reprehenduntur à Prophetis Iudæi, qui cùm iam possent templum ædificare, suis tantùm rebus priuatis studebant, hoc B est, suas potiùs domos struebant magnificè, quam de Dei domo reædificanda cogitarent. Hinc illa iusta quidem ac legitima Aggæi Prophetæ ad populum querela, c. 1. v. 4. *Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta*: Cùm enim non minus ægre esse deberet vicinis atque inimicis populis, quòd ciuitas, priuatæque domus, quàm quòd templum, in antiquum splendorem & pristinam firmitatem instaurarentur, nec minus etiam à Cambyse Persarum Principe cautum esset atque interdictum, 1. Esdr. c. 4. v. 21. priuatas domos, quàm sacrum & publicum Domini domicilium exædificari; ab hoc quidem manus abstinebant Iu- C dæi, & tempus causabantur immaturum: in illarum verò fabricam non solùm commodam, sed etiam ambitiosam & splendidam audacter incumbebant. Hoc enim significant, *domus laqueatæ*, id est, ornatæ elegantem in modum, quæ non tam sunt ad vsum quàm ad delicias, ædes magnificæ, variis sculpturis & emblematis distinctæ, cælatæ auro atque argento: laqueatæ demum, id est, innumeris artificum commentis illustratæ, à lineis scilicet, quæ ad laqueorum modum variis se voluminibus implicant. Quare optimo iure Propheta illos increpat impiæ cuiusdam in Deum diffidentiæ, atque in rebus sacris promouendis socordis inertiæ, quòd contempto pu- D blico & religioso sacrario, quasi nondum illius ædificandi aduenisset opportuna maturitas, tam audacter & auide in priuatarum ædium non solùm commodam, sed etiam ambitiosam ac superfluam molitionem intenti essent. Ad superiora illud etiam postremum adiungo; cùm statutum à lege supplicium omne, ad crimen quoddam relatiuum sit (quod aiunt Philosophi) & omnis pœna, sit alicuius peccati pœna, frustra, ni peccâsset populus, additurum fuisse Prophetam, v. 10. *Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, nè darent rorem, & terra est prohibita, ne daret germen suum.* Quibus verbis indicat, propter hoc, id est, propter

Rationes quibus impelli populus debuit ad fabricam templi absoluendam.

Iure ab Aggæo reprehenduntur Iudæi reduces è captiuitate quod curā tēpli ædificandi trās tulerint ad domos proprias magnifice construendas.

Quid propriè sint domus laqueatæ.

culpam quam contraxerant, cohibitum esse benignum cœlorum influxum, ne terram irrigaret, quo homo colligeret, quantum ad alendam familiam satis esset, neue campus herbesceret, quo pecudi atque armento pabula præberet. Item v. 11. proximè consequenti: *Et vocaui siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum.* Quo loco innuit eam ob causam, id est, ob populi crimen, remissiùs se ac negligentiùs in templi ædificatione gerentis, siccitatem & sterilitatem à Deo terræ inductam, quæ homines alit, & montibus, A qui pecudes pascunt & armenta, ne terra scilicet frumentum, vinum, oleumue produceret, nec eorum quidquam, quæ ex terræ sinu homines ad suum vsum, vel iumenta capere consueuerunt, quę quidem omnia cùm diuini numinis populo infensi, eiusdemque scelera vindicantis, certissima sint indicia; certe de eo quod asseruimus, id est, de negligentia Iudęorum in promouēda templi fabrica, dubitare vix quemquam posse, qui sacras literas consulat, constanter assero.

XXII. ANNOTATIO PROOEMIALIS, ad caput quintum.

De Darij Hystaspis ætate, imperio, & moribus, singularia.

LV. Tres Darii insigniores in historia cùm sacra tùm prophana.

TRes fuere Darii insignes, quantum ex historia cum sacra tum prophana colligi potest. Primus is est, qui cū Cyro Babylonem cœpit à Græcis Cyaxares dictus, & eius pater Astyages, quem Daniel cap. 9. v. 1. Assuerum vocat. Alter Hystaspis filius, Cyri nepos qui templi fabricam impeditam perfici mandauit Esdræ 1. cap. 6. v. 16. Tertius, qui ab Alexandro victus est, de semine Medorum, nam alii Darii de semine Persarum fuere. De secundo, cognomine Histaspide, nobis hic tantum dissertatio est. Hunc Darium de quo Esdras & Aggæus, Hebræi fabularum amatores, & veræ historiæ ignorantissimi, contra omnium Historicorum fidem, filium fuisse tradunt Esther Reginæ. Nos quæ vera sunt, atque à fabulis longissimè remota, percenseamus.

Darius Histaspis peculiari Dei prouidentia in Regem electus

Certum est peculiarem Dei prouidentiam in huius Regis electione interuenisse, quem elegerat vt per eum reliquiæ Israelitici populi patriam repeterent, & templum nomini suo iam dudum intermissum ædificarent. Certè Iosephus, lib. 11. Antiq. cap. 4. testatur Darium cùm adhuc priuatus esset vouisse Deo, si regnum adipisceretur, quicquid sacrorum vasorum apud Babylonem esset remissurum se, in templum Hierosolymam. Neque id Iosephus excogitauit, aut è mente sua primum exprompsit. Siquidem ex septuaginta interpretibus, quorum est labor 3. Esdræ rem totam mutuatus est, vbi Zorobabel cap. 4. v. 3. ait Regi, *memor esto voti tui, quod vouisti ædificare Hierusalem, in die quâ Regnum* B *accepisti*, & mox. *Et tu vouisti ædificare templum, quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Iudæa à Chaldæis, & nunc, hoc est, quod postulo Domine, vt facias, votum quod vouisti Regi cœli ex ore tuo* Dominus ergo Darium voti reum fecit, quod ille non multo post fideliter exoluit, quemadmodum autem peculiari diuini numinis prouidentiâ in Regem electus sit ex Herodoto, Ctesia, Iustino, sic accipe. Cum interfectis Magis, qui Persicum imperium occuparant, principes de constituendo Reip. statu deliberarent Darii sententia quæ erat pro vnius principatu vicit, electionem verò Regis ipsius sorti & casui commiserunt, & quia Persæ Solem adorabant, eique equos mactabant, conuenit inter eos, vt sub ortum solis, conscensis equis, C dum in suburbanis versarentur, cuius equus hinnitum primus edidisset, is regnum Cambysis obtineret, id cum Dario, famuli sui industriâ, obtigisset, & fulgur etiam, tonitrùque, sereno cœlo contigisset; Darium voti compotem fecerunt, statimque cæteri ex equis desilientes eum adorauerunt, & Regem declarauerunt, omnesque Cyri atque Cambysis subditi, pro Rege mox adorauerunt.

Darius adhuc priuatus vouerat Deo si regnum adipisceretur, templum se à Chaldæis incensum in Hierusalem reædificaturum.

Quid in electione Darii in Regem mirandum ac præter solitum acciderit.

Iam vero quod ad nominis ipsius notationem & commendationem spectat. Darius persica lingua significat φρόνιμον, id est prudentem, vt ait Hesychius, quasi proprium encomiū vel suo præferret nomine, Si rex non sit prudens vel prouidens, rex non erit, nisi verbo tenus.

LVI. Præterea Darius significat idem ac coercitor ex Herodoto lib. 9. vbi nomina com-

Darius Persica lingua prudentem significat & coercitorem.

muniora Regum Persarum sic explicat. In nostra inquit lingua pollent hæc nomina Darius idem quod coercitor. Xerxes quod bellator, Artaxerxes quod magnus bellator &c. quia scilicet requirebatur vis coercitiua, quâ cogerentur vicini obsistentes, ad tolerandam templi reædificationem, ideo diuina bonitas de coercitore prouidit qui fuit Darius. Postremo (ne quis etiam hoc nominis mysterium nesciat) Darius idem sonat ac requirens, & reuera ipse populi Hebræi consolationem requisiuit, hanc Cyrus quæsierat, sed non requisierat, quæsiuit primo anno regni sui quando remisit in Hierusalem, circiter 50. Iudæorum millia, quibus præfecit Zorobabel & Iesum filium Iosedech præcipiens, vt reædificarent templum. Illi autem extructo altari, fundamenta templi iecerunt, sed inuidia circumlatrantium populorum (vt ex textu patet) opus intermittere sunt coacti, atque ita dum aliquot intermedii anni decurrunt, nullus fuit intelligens aut requirens Deum? Parum ergo fecerat Cyrus quærens si non fuisset Darius quod ipso præfert nomine, requirens, sed nec requisiuisset subditorum consolationem, & eorum vota irrita fecisset, vnde in tantum fuit requirens, in quantum iustis Hebræorum petitionibus annuit, de absoluenda ædificatione templi.

Iuxta nominis etymon Darius valet etiā idem ac requirens.

LVII. *Darij mores atque indoles.*

De illius moribus, vt nonnihil breuiter attingamus, repetendum illud est quod habetur in græco 1. Esdræ cap. 3. & in latino lib. 3. cap. 3. Darium regem fecisse cœnam magnam omnibus vernaculis suis, Mediæ, & Persidis, & omnibus purpuratis & prætoribus, & consulibus, & præfectis, sub illo ab India vsque ad Æthiopiam. 27. prouinciis. Ita legitur etiam apud Iosephum duplici autem fine maximum hunc conuentum indictum fuisse credibile est (ineptum enim fuerit existimare conuiuii causâ tot principes viros è tam remotis locis fuisse cōgregatos) prior est, vt ab omnib⁹ prouinciarum & populorum præfectis, vicem ipsorum populorum agentibus, rex agnosce-

Quamobrem solemne illud conuiuium

A retur, & confirmaretur, quod reapse contigisse significat Herodotus, his verbis: *Darius itaque Histaspis filius declaratus est rex, eique omnes Asiani dicto audientes fuerunt.* Posterior fuit, vt populorum suorum tributa ordinaret, si quidem, vt ait idem Herodotus lib. 3. sub Cyro, ac deinde sub Cambyse, nihil dum fuerat circa tributa constitutum; & munera duntaxat à populis offerebantur. Ob quam tributi ordinationem, & alia huiusmodi, Persæ olim vulgò aiebant, Darium fuisse institorem; Cambysem autem dominum; Cyrum verò patrem, quoniam Darius res omnes B quæstui habebat, Cambyses asper erat ac morosus, Cyrus autem mitis, ac de omnibus bene merendi studiosus.

instituit, de quo 3. Esdræ c. 3.

Quare à Persis olim vulgo dictus Darius institor, Cambyses dominus, Cyrus pater.

Sed quicquid sit, & quoquo animo in alios fuerit Darius; erga Deum, resque ipsas diuinas, ac diuini cultus sectatores, atque administros, propensissimus, ac magnificentissimus fuit, vt constat ex ædificatione templi Hierosolymitani, & ex infinitis propè donariis ab eo collatis, in illius fabricam, quæ fuse à Iosepho & authore, 3. Esdræ cap. 4. recensentur. Ex quibus apparet quàm cumulatè optimus Princeps votum suum, de quo antea diximus, exoluere studuerit; pro qua eius tam pia ac propensa in se populúmque suum voluntate, C Deus optimus maximus, copiosâ eum beneficentiâ remuneratus est, & imprimis diuturno sex & triginta annorum imperio. Certè postquam Beda citatus in glossa, cap. 7. Esdræ, Artaxerxem sub quo Esdras de Babylonia in Hierusalem ascendisset, ex sententia Iosephi dixit esse Xerxem filium Darii, qui post illum regnauit, secundum verò Chronicorum libros, successorem eiusdem Xerxis, addit: Regnauit autem Darius sub quo ædificatum est templum, annos 36. post quem Xerxes annos 20. post quem Artabanus menses 7. quos Chronographi pro anno posuere: post hunc Artaxerxes annos 40. &c. Et hæc de Dario, sub quo templum perfectum est.

Darius in Deū, resque ipsas diuinas ac diuini cultus administros propensus, & eo nomine diuturno sex & triginta annorum imperio compensatus à Deo.

XXIII. QVÆSTIO PROOEMIALIS. ad caput sextum.

Quot anni positi sunt in noua ædificatione templi, De qua cap. 6. v. 16.

LVIII.

Templum omnino perfectum est sexto Darij Histaspis anno.

CVM ex dedicatione templi recens instaurati, vt habetur cap. 6. v. 16. colligatur templum totum, sexto Darij Histaspis anno fuisse perfectum, & quidem cum suis etiam porticibus, & ianuis, vt Iosephus explicat, sequitur illud non potuisse perfici, vel ab Artaxerxe, vel à quoquam sequentium Regum, nisi fortè instaurandi maioris alicuius præsidij causâ, aut ornatus non necessarij.

Quomodo dicatur à Iudæis quadraginta & sex annis ædificatũ templum: & quis sit sensus illius loci apud Ioãnem in Euangelio, cap. 2. v. 20.

Superest nihilominus solennis illa dubitatio in hæc Iudæorum verba, ad Christum Dominum, Ioannis 2: v. 20. *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* De qua Toletus sic disputat in locum Ioannis citatum, vt certis pleraque incerta, aut falsa etiam permisceat, nos illius mentem primum expendamus, & deinde quid de tota re probabilius censendum sit quàm fieri poterit diligentissimè discutiemus.

Templum Salomonicum octo circiter annis ædificatum, de quo minus intelligenda sunt Iudæorum verba.

Duplex, inquit, fuit templi ædificatio, prior facta per Salomonem, qui anno quarto, mense secundo, regni sui inchoauit ædificium, compleuit autem anno vndecimo mense septimo, vnde ædificatio durauit septem annis & quinque mensibus, vt habetur, 3. Reg. 6. Quòd si Chrysostomus homil. 21. annis viginti ædificatum fuisse affirmat, non de solius templi, sed de domus regiæ simul ædificatione id intelligendum est. De hac ædificatione non est sermo in præsenti, nam templum illud fuit funditùs euersum per Nabuchodonosor, vt habetur 4. Reg. vltimo. Vnde non est probanda sententia illa, cuius Origenes in hoc loco mentionem facit, nempe verba hæc, *quadraginta sex annis, &c.* intelligenda de templo Salomonico, cuius ædificatio, si à tempore, quo per Dauid eius præparatio fieri incœpit, exordiamur, quadraginta sex conficiuntur anni. Sed violenta est hæc expositio, nam Iudæi loquebantur de templo quod tunc erat, hoc enim existimabant, si solueretur à Christo, tribus diebus reædificandum iri, at hoc non est illud Salomonis quod omnino erat euersum. Ita Toletus, in quo sanè cum eo sentimus, sed in sequentibus proximè, ab eo longè

A aut certè ab iis authoribus, ex quibus ea exprompsit discrepamus.

Altera, inquit, ædificatio facta est post Captiuitatem Babylonicam per Zorobabel Principem Iuda, sub Iosue summo Pontifice, Zacharia, & Aggæo, Prophetis, ædificandi quidem facultas data est anno primo Regni Cyri, tamen incepta est ædificatio anno eius secundo, vt habetur 1. Esdræ 3. Perfecta autem est anno nono Darij Histaspis, vt scribit Iosephus, lib. 11. Antiq. c. 4. & Eusebius lib. 8. Præpar. Euang. & Hieronymus Daniel 9. ab anno autem

B 2. Cyri, vsque ad annum nonum Darii Histaspis intercesserunt quadraginta sex anni. Addit idem author, contra hoc non est quod Aggęi 2. scriptum est, anno secundo Darii fundamenta posita esse, ad quod respondet Beda, fundamenta partis interioris templi posita esse anno secundo Cyri, vt dicitur lib. 1. Esd. c. 3. partis verò exterioris, quę continebat atrium, porticus & ga-

C zophylacium, tempore Darii, anno secundo, & hoc dicitur ab Aggęo; positis enim illis fundamentis per multos annos cessauit ædificium; Artaxerxes enim sollicitatus ab inimicis, ędificationem prohibuit, vt habetur lib. 1. Esdrę cap. 4. totum tamen ędificium completum est anno 9. Darii Histaspis, vt diximus, quadraginta sex annorum spatio: hoc templum non fuit euersum, sed durauit annis circiter 580. vsque ad Vespasianum, fuit quidem instauratum & valdè amplificatum ab Herode I. Rege alienigena, vt habet Iosephus lib. 15. Antiq. c. vltimo, tamen idem erat templum, nec alia

Templum secundum à Iudæis sub Cyro & Dario ædificatũ non fuit euersum ante Christi ætatem, sed ornatum quidem & valde amplificatum ab Herode.

D censenda est ędificatio hęc à secunda. Tandem sic concludit *Scio alios aliter sic de his scribere, sed quæ dicta sunt veriora & certiora existimo, de hac ædificatione Iudæi loquuntur, affirmantes quadraginta sex annis templum illud fuisse ædificatum, & hæc,* inquit, *ad intelligentiam loci sufficiant.* Hactenus Toletus.

LIX.

Sed profectò quidquid demum dicat, cum suis authoribus, nec ad historię ipsius sacrę, nec ad certioris Chronologię veritatem satis attendere visus est. Nam quod de templo quadraginta sex annis ędificato dixerunt Iudęi, id verum esse non potest,

Falsus Toleti calculus de 46. annis à primo Cyri ad sextum Darij.

non solum sumendo annos Darii quibus id A perfectum est, sed eos etiam à primo Cyri anno inchoando. Ab hac igitur difficultate aliqui se expediunt, posita solutione captiuitatis in primo anno, non imperii, sed regni Cyri, vt loqui videtur ipse Toletus, quod 30. annorum fuit, quibus si addas annos Cambysis & Darii ad eum ferè numerum peruenietur. Sed cum huius sententiæ fundamentum ruinosum sit, nec soluta sit captiuitas primo anno regni Cyri, sed imperii eius, vt vocant Babylonici, quod fusiùs in contextu docebitur, constare ea omnino non potest: Alii de templo ab Herode constructo interpretantur, quod Christi B Domini tempore extabat, & à Romanis quadraginta post annis euersum est. Verùm præter quàm quòd illud ipsum templum valdè dubium est, vt iam supra ex Toleto satis indicauimus, etsi illud quoque admittendum esset, eius ædificatio ad numerum annorum in sacro textu positum non perueniret. Certè Iosephus lib. 15. Antiq. cap. vltimo nouem annis cum dimidio id planè perfectum fuisse fatetur.

Templum Herodis nouem annis cum dimidio constructũ ex Ioseph. l. x.

Alii denique, qui rectiùs & ad veritatem propiùs meo iudicio sentire videntur, existimant vulgò creditum atque iactatum inter Iudæos templum id, quod tunc extabat, tempore Christi Domini, & ab Herodoto magnificè variis in locis instauratum fuerat, quadraginta sex annis extructum fuisse. Fama enim longinqua præsertim, & missa per manus, sine vllo scripturæ fundamento, facilè res supra modum amplificat. Cùm ergo, vt eruditè notat inter alios Salianus in Annalibus ad annum 3537. n. 8. quatuor Regum tempore constaret templum ædificatum, nec certi essent anni singulorum, Cyri prætertim qui credi potuit, vt nunc à plerisque etiam creditur, anno primo regni tricenarii, non imperii soluisse captiuitatem, & templi extruendi facultatem dedisse, facile fuit existimare, eam fabricam supra 40. annos tenuisse, cùm tamen reuera quadriennium tantùm tenuerit, quo continenter ædificatum est, nimirum ab anno 2. Darii vsque ad annum 6. quo totum opus perfectum est, quibus annis, si reliquos annos quibus fundamenta iacta sunt, secundo anno Cyri, & quibus cessatum est addiderimus, viginti annis templum ædificatum esse dicendum erit. Atque ita & veritas historiæ in lucem profertur, & loci scripturæ difficultas enodatur.

Vera & commoda ratio interpretandi locũ Ioannis citatum de 46. annis quibus ædificatũ templum fuisse dixerũt Iudæi.

XXIV. ANNOTATIO PROOEMIALIS, ad caput 9. & 10.

De prophetia Malachiæ cap. 2. ad Connubiorum diremptionem pertinente: De qua Esdras cap. 9. & 10.

XXI.

AD prophanorum connubiorum diremptionem, de qua tam multa & tam fusè perstringuntur capite vltimo & penultimo huius libri Esdræ, Malachiæ prophetiam multum valuisse multi asserunt, atque ita sentit preter cæteros Diuus Hieronymus. Quæ prophetia Malachiæ cùm seuerius contra Sacerdotes proferatur, credibile est eos in hoc negotio sese præbuisse à principio difficiliores, donec Sechenias vir inter Iudæos primarius promptum exhibuit animum, paratámque voluntatem ad illud exequendum; & quamuis non esset Sacerdos, omnibus tamen animi alacritate anteiuit. Sic Esdram alloquens cap. 10. v. 3. *Percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, vt proiiciamus vniuersas vxores, & eos qui de his nati sunt, &c.* & v. 4. *Surge, tuum est decernere, nosque erimus tecum confortare, & fac, &c.* Indeque adiurauit Esdras sacerdotes, his C verbis, v. 10. *Vos transgressi estis, & duxistis vxores alienigenas, vt adderetis supra delictum Israel, & nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum eius, & separamini à populis terræ & ab vxoribus alienigenis, &c.* Igitur ad hanc ipsam rem respiciens Malachias, cap. 2. sic statim aggreditur. *Et nunc,* inquit, *ad vos mandatum hoc o Sacerdotes,* de dirimendis scilicet prophanis connubiis, in D quibus maxima est vestra culpa, qui præ reliquis diuinarum legum obseruatores esse debetis, & eum zelum in aliis promouere, quibus scelere vestro scandalo ac ruinæ fuistis: *Ad vos* ergo *mandatum hoc,* post quæ verba ad peruicaces eorum animos peruincendos, & frangendam cordis duritiam, confestim comminationes adiungit, *Si nolueritis,* inquit, *audire, & si nolueritis ponere super cor vt detis gloriam nomini meo, &c.* puta ab illegitimo connubiali fœdere, illicitísque exterarum gentium commerciis

Explicatur & illustratur caput secundum Malachiæ ad Sacerdotes alloquentis de prophanis connubiis à populo contractis, dirimendis.

abstinendo, *mittam in vos egestatem, &c.* A
Et sanè gloriosum est Deo vt homo propter honorem ipsius & legem omnia consanguinitatum, affinitatum, amicitiarum iura, cum vxoribus, liberisque disrumpat; ferreum se ad omnes lachrymas filiorum, filiarumque præbeat, ad clamores, fœmineosque eiulatus obsurdescat, nullas querulorum hominum voces tractabilis audiat, quod in hoc euentu, id est in connubiorum illegitimorum diremptione accidit perillustre, & planius in textu explicabitur; dotes item cum non leui rei familiaris iactura in repudiatarum mulierum victum, cultumque restituat, inimicitias cum soceris earum patribus, totisque eorum familiis cognatis amicisque suscipiat: hæc vniuersa qui vilia ducet præ studio parendi legi diuinæ an non meritissimo iure dare gloriam nomini Domini dicendus est? Sed reliquas Prophetæ voces, si lubet audiamus, & ad sensum nostrum, remque de qua apud Esdram citato loco agitur, accommodatè obiter & cursim interpretemur, sic pergit Malachias: *Et maledicam benedictionibus vestris, quoniam non posuistis super cor*, id est, neglexistis mandatum meum, de non ineundo fœdere nuptiali cum gentibus alienigenis, cum infidelibus, & idololatris: *Ecce ego proiiciam vobis brachium*, id est, humerum, siue armum hostiæ, *& dispergam supra vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum*, id est, ventriculum, qui sacerdoti quoque debetur cum fœcibus suis, contra faciem vestram, contemptim atque indignabundus proiiciam, vt fœdi deturpatique simul cum stercore eiiciamini è conspectu meo: qui & addit illicò: *Et scietis, quia misi ad vos mandatum illud, vt esset pactũ meum cum Leui, dicit Dominus exercituum.*

Querela Malachiæ ad Sacerdotes de scandalo ab ipsis dato reliquis de populo per illegitima connubia quæ contraxerant cum Alienigenis.

Inde ergo conqueritur Dominus, quòd Leuiticum genus contaminarint, & indignos se diuino pacto præbuerint: *Vos autem*, inquit, *recessistis de via; & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Leui, &c.* dum scilicet duxistis alienigenas, & aliis eiusdem criminis exempla præbuistis, & abominabiles vos fecistis, sicut & ea quæ dilexistis, promiserat scilicet Deus Leui, id est, sacerdotali ordini, & necessarios sumptus ad victum, & cultum, & honorem à populo, cum ea tamen conditione, si fidelem operam & gratum obsequium diuino numini præstarent. Cùm autem sacerdotes quibuscum Propheta loquitur, datum sibi negotium negligenter agerent, aut etiam infideliter tractarent, violarentque pactum, Deus quoque sublatâ conditione liberum se putauit à præstanda fide, quam certis conditionibus illigarat; sic irritum fecerunt sacerdotes pacis & vitæ pactum; quia ex illo Deus ipsis neque vitam dabit, neque pacem. Quo fit vt consequenter addat Propheta: *propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege*, id est, secundùm faciem seu acceptionem personarum, non ex iure, aut legis decreto iudicia pertractastis; quæ quidem omnia non malè, nec obscurè, ad hanc connubiorum causam applicari sequentia docent, v. 10. *Nunquid non pater vnus omnium vestrum? nun-*
B *quid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque nostrũ fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? Transgressus est Iuda, & abominatio facta est in Israel & in Hierusalem, quia contaminauit Iudas sanctificationem Domini, quam dilexit, & habuit filiam dei alieni.* Totus siquidem is textus Malachiæ disertè à sancto Hieronymo ex traditione Hebræorum, & ex hoc libro primo Esdræ, quem interpretandum aggredimur, de illis ipsis vitiosis coniugiis explicatur.

Cæterùm, quod in hunc Malachiæ locum enarrat Hieronymus, cum ex mera Iudæorum traditione sit, aliqua discussio- LXII.
C ne indiget. *Reuersi*, inquit, *de captiuitate Babylonica, tam principes & sacerdotes ac leuitæ, quàm reliquus populus, abiecerunt vxores suas Israelitici generis, quæ paupertate, & incuriâ longioris viæ, & fragilitate sexus, non ferentes laborem, confectæ erant, & infirmitatem & deformitatem corporum contraxerant, & cum alienigenis vel ætate florentibus, vel cultu corporum pulchrioribus, vel potentum ac diuitum filiabus, matrimonia copularunt.* Corripit itaque eos Esdras Propheta, & ad repudium nouarum coniugum prouocat, vt vxores quas dimiserant, recipiant, & hoc est quod
D ait Malachias, *Nonne*, inquit, *pater vnus Abraham omnium vestrum est*, de quo in Isaia scribitur cap. 51. *Respicite in Abraham patrem vestrum, & in Saram quæ genuit vos; quia vnus erat, & vocaui eum.* Nonne Deus vnus creauit nos, qui ex Abraham nostrum elegit genus? Quare ergo veteres vxores contemnimus, & fratrum nostrorum abiicimus filias, vt relinquamus pactum patrum nostrorum, & non ex lege accipiamus vxores? *Transgressus est Iuda*, inquit Propheta, hæc enim tribus reuersa est de Babylone cum sacerdotibus & leuitis, & abominatio facta est in Israël, & in Hierusalem, nequaquam in decem tribus, quæ ab Assyriis tenebantur, sed in his quæ ad Cyri Regis imperium sub Zorobabel ab Es-

Ex Hebræorum traditione: è Iudæis reducibus e captiuitate multi, vxores suas Israelitidas primùm quæ ex itinere aut infirmitatem aut deformitatem contraxerant abiecerunt & postea alienigenas & florentes & ditiores duxerunt.

ab Esdra & Nehemia sunt reuersi, quia contaminauit Iuda sanctificationem Domini quam habuit, & dilexit filiam dei alieni, miscendo cum alienigenis semen Israël & Gentilium, id est, Ethnicorum filias idolis seruientes sumendo vxores. Ita Hieronymus, cui plures subscribunt & in his Cyrillus.

Verum hæc Iudaïca traditio licet à Diuo Hieronymo recepta sit, merito tamen eam diligentius expendenti potest esse suspecta. 1. quia Iudæi, qui hoc libro arguuntur ab Esdra contra legem à Deo datam de connubiis, Exodi 34. v. 16. fecisse, iam ex alienigenis liberos susceperant, vt constat ex cap. 10. v. 3. & 44. quod etiam Iosephus agnoscit. Quomodo ergo, qui venerant ex captiuitate, pertæsi legitimarum vxorum alienigenas cœperint, & intra tres quatuorue menses liberos ex eis susceperint? oportet enim à primo die quinti mensis vsque ad vigesimum noni careret, aut certe initium decimi, vxores ductas in peregrino solo, & ductas domum, & nouem menses gestâsse vterum, & tamen peperisse intra quatuor menses, siquidem certum est ex cap. 7. & 10. Esdrâ venisse e Babylone in Iudæam 1. die mensis quinti, & inquisitionem in alienigenas vxores ab eo perfectam sub initium mensis decimi. Nec vlterius eam differre potuit, puta in mensem decimum anni sequentis, ne diceretur rem tantam, propter quam maximè iter susceperat, vt colligitur ex literis Artaxerxis, cap. 7. vel neglexisse diutiùs, vel dissimulasse. Deinde repudiatas esse vxores Israëliticas à Iudæis, vt alienigenas ducerent, nusquam in tota narratione Esdræ, quæ de hac re fusissima est, nusquam in prophetia Malachiæ, si rectè intelligitur, nusquam in Iosepho dici comperies. Tantum capite nono & decimo huius libri, Esdras dicit alienigenas esse ductas, non tamen expulsas esse priores, neque est verisimile illud factum a Iudæis, eo maxime tempore, quo tot adeo beneficiis cumulati erant, neque vlla patiebatur lex & humanitas, vt quas habuerant exilij tam longi atque ærumnosi socias, easdem in libertate pacata, & fortuna meliore dimitterent. Fuit quidem illa, vti dixi, mera ac pura Hebræorum traditio, quibus solemne est quiduis audere, vt se ab implicitis sacræ scripturæ nodis expediant, quod etiam post Diui Hieronymi tempora dixit ex Hebræis Rabbi Salomon, qui locum Esdræ tantùm adducit, sed Esdras, vt iam significauimus, nihil prodit de priorum vxorum iniquo & inhumano repudio.

Quæ Iudaicam illam traditionem de vxoribus Israeliticis suspectam faciunt.

Apud Malachiam autem eædem vxores Israëliticæ non repudiatæ, sed tantum despectæ, vel contemptui habitæ dicuntur, nimirum propter superinductas nouas vxores alienigenas, nam illa verba, v. 16. *Cùm odio habueris, dimitte, dicit Dominus*, non sunt verba populi se excusantis super facto suo, sed Dei, vt in textu patet, sub eorum persona loquentis, quasi dicat, quidni liceat eas habere despectui, cum liceat etiam repudiare? Respondet autem Dominus in persona sua, id quidem permissum fuisse, propter duritiam cordis populi illius, non tamen id fore impune: *Operiet enim iniquitas vestimentum eius, dicit Dominus exercituum*, id est, pœna huic iniquitati debita, corpus eius, quo anima tanquam vestimento induitur affligetur, vt in quo peccat in eo puniatur, vt exponit Diuus Hieronymus. Dicendum igitur relicta traditione Iudaicâ, aut saltem ex parte improbatâ, vxores alienigenas connubiali iure venisse in Iudæorum thalamum tum cùm essent tam hi, quàm illæ apud Babylonios in exilio, & quidem fuisse nationes etiam alias à Iudaica, simul cum ea Babylonem adductas, à Nabuchodonozore, constat ex Hieremiæ cap. 25. v. 9. & 11. Cum autem eandem omnes subirent fortunam & iisdem a Domino ministeriis essent illigati, facile intelligitur quomodo ex vsu conciliata fuerit necessitudo, & ex necessitudine & studiorum communitate, connubiale commercium. Quare illæ eædem vxores alienigenæ cum maritis suis redierunt in Iudæam, id est, in patriam iam communem, neque repudiatæ sunt, licèt exhaustæ laboribus tum longæ viæ, tum diuturnæ & molestæ seruitutis, & iam ætate & ancillarum ministerio deformes, neque magis fuerunt alienigenæ, quàm cognatæ fœminæ, formosæ, cum communis omnium labor fuerit, siue in carpenda via, siue in ærumnoso vitæ genere, neque minus æstuosæ regionis iniuriâ infuscata est alienigenarum quàm Iudæarum facies, neque illarum priùs quàm harum soluta seruitus, & finita captiuitas, vt in Iudæa sub patrio cœlo ante alias, recuperare candorem & pulchritudinem possent, quàm æstus Babylonicus abstulerat: sed hæc satis, donec commodiùs iterum cap. 9 & 10. quæ ad textus explanationem pertinent, singula pertractentur.

LXIII. Ex Malachia fuerunt quidem priores vxores à Iudæis despectæ & contemptui habitæ aliis superinductis, sed non repudiatæ.

XXV. ANNOTATIO PROOEMIALIS. ad caput decimum.

Quid peccauerit Iosue summus Sacerdos in toto de illegitimis connubiis negotio: de quo cap. 10.

LXIV.

DE quæstione proposita ne longius funem trahamus, dico Iesum filium Iosedech summum Sacerdotem primò peccasse, quòd ipsemet tale connubium inierat cum aliena, vt tradunt Hebræi, quos sequitur Hieronymus, lib. 2. contra Iouinianum, vt Lyranus & Beda, aliique nuperi interpretes obseruarunt. Secundo, quia licet etiam non inierit ipsemet tale coniugium, certe negari non potest, filios ipsius eo se contaminasse scelere, cum disertis verbis hoc asserat Esdras cap. 10. v. 11. *vos transgressi estis, & duxistis vxores alienigenas, vt adderetis super delictum Israel*: vbi inter primos legis istius transgressores, filij Iesu numerantur, v. 18. his verbis, *Et inuenti sunt de filiis sacerdotum qui duxerant vxores alienigenas de filiis Iosue filij Iosedech & fratres eius Maasia & Eleazar, & Ioab, & Godolia.* Paraphrastis etiam Chaldaica in illud Zachariæ 3. v. 3. *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis,* quod sic transfert Erant autem ipsi Iosue filij qui duxerant vxores quæ non erant dignæ sacerdotio; filiorum autem coniugia ex parentum consensu fieri solent, quibus propterea mandat Deus per Moysen, Deut. 7. v. 3. *Non inibis cum eis fœdus, neque sociabis cum eis coniugia, filium tuum non dabis filio eius, nec filiam eius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum ne sequatur me.* Vbi qui attente legem inspexerit, duo prohiberi animaduertet: Alterum, quòd parentes ipsos spectat, ne scilicet fœdus ineant ipsi, per se ipsos, aut pro seipsis: alterum, quod ad filios pertinet, nempe ne à parentibus sic vetito matrimonio coniungantur cum externis: at peccauerat vtrumque Iesus, tam se (si vera est Hebræorum opinio) quàm filios suos fœdere connubiali cum alienigenis vinciendo, & sic duplici nomine violatæ legis reus erat: sed fac illum fœdus vetitum non iniisse per sese, nec contraxisse matrimonium cum alienigena, satis superque in filiorum causa peccauerit.

Peccauit Iosue tum quod legem de connubiis à Deo latam violarit ipse, vt ex multorum opinione probabile, tum quod à filiis suis legem eandem violari siuerit, vt certum est ex ipso Esd. textu.

Quòd si obiicias filios posse contrahere inuitis parentibus, ac proinde Iesum potuisse non peccare in hac parte, quod forte ipso vel inscio vel inuito contraxerint, fateor quidem vulgo ratum esse filiorum puberum, inconsultis, imò contradicentibus etiam parentibus, initum matrimonium, quia tunc sui iuris sunt; nihilo tamen minus in eo de quo agimus negotio, facilè coniici potest, filios Iosue vetitum ex lege matrimonium iniisse, volente patre, vel quia pater ipse forsan huic illicito fœderi cum exteris gentibus se adiunxerat, & ad idem facinus filiis suis viam exemplo suo præbuerat, vel certè, quod sciens volensque in eiusmodi filiorum illegitimum coniugium consenserit, nec paterna vnquam authoritate cùm id commode posset, ac vero etiam teneretur, eos ab illo contrahendo auocare atque impedire studuerit. Et vero supra citatam à nobis ex Deut. 7. sanctionem illam, de non ducenda vxore infideli, siue alienigena parentibus potiùs, quàm filiis edixerat Deus, per hæc verba, *filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam eius accipies pro filio tuo.* Quasi nimirum tota ratio talium coniugiorum esset penes parentes potiùs, quàm penes liberos: Et re verà ex naturæ lege, illorum & curæ, & muneri incumbit, filios aptè atque honestè collocare & coniungere Hinc illud etiam Andromachæ apud Euripidem, νυμφευμάτων τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μέριμναν ἕξει κοὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε, id est, *sponsalium meorum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum*: quin & iuxta naturæ legem supradictam, locum Euripidis citat Ambrosius, lib. 1. de Abraham cap. vlt. vbi de Rebecca sic ait, *Consulitur puella, non de sponsalibus, illa enim iudicium expectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum*: idemque epistola 64. refert, Sisinnium iuste iratum, quòd se inscio, filius vxorem ducere voluisset, his verbis: *Iusta quidem indignatio fuit, quòd succenseret filio, quia sibi vxorem elegit*, intellige, patre non consulto, deinde addit, *maturiore quidem consilio puella filio à patre traditur.*

Probabile est Iosue filios contraxisse illegitima matrimonia, volente patre, aut saltem per authoritatem paternam eos nō deterrente.

Parentum est curare vt liberi aptè atque honestè collocentur.

Dum igitur de filiorum debita collocatione agitur, patrum interest prouidere,

quàm honestè, quàm commodè, quàm sanctè id fiat; quibus propterea, vt plurimùm, filij obedire, nec ab eorum consilio ac voluntate discedere; peccant enim sæpissime secùs agendo: Sic peccasse censetur Esau in parentes, Genes. 26. cùm duxit vxores duas Iudith filiã Beeri, Hethæi, & Basemath filiam Elon, eiusdem quoque loci, quæ ambæ (vt illo ipso genesis capite citato, v. 35. narratur.) offenderant animam Isaac & Rebeccæ, duxit & aliam, contra parentum item voluntatem, Genesis 28. v. 6. & sequentibus; vbi sic habetur. *Videns Esau, quòd benedixisset pater suus Iacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, vt inde vxorem duceret, & quòd post benedictionem præcepisset ei, dicens, Non accipies vxorem de filiabus Chanaam, quodque obediens Iacob parentibus suis, iisset in Syriam, probans quoque quòd non libenter aspiceret filias Chanaam pater suus, iniit ad Ismaëlem, & duxit vxorem absque iis quas priùs habebat Mahelech, filiam Ismaël filij Abraham, sororem Nabaioth*, ex ancillari scilicet & illiberali stirpe, cùm probè sciret, aut scire deberet, sobolem ex illo genere enatam, cùm Saræ liberis, nec in hæreditatem, nec in Dei promissiones ingressuram: in quo culpam sanè non leuem contraxit, (quod Rupertus & ab illo plurimi alij obseruarunt.) Nam si spectas hominis ferox atque agreste ingenium, fecisse hoc dixeris ex contumacia, & parentum contemptu, vt summè improbus ac barbarus iis inconsultis matrimonium contraheret, quo suos adhuc vehementiùs parentes exulceraret, debebat autem parentum suorum arbitrio iusto quidem & legitimo, suum conformare.

Peccauit Esau ducendo vxores contra parentum voluntatem, imma illis inconsultis.

Nec enim sumus ita liberi, vel, vt aiunt, nostri iuris, quin certa etiam lege fixa & stabilita, ac quibusdam positis conditionibus, præsertim in re tanti momenti (quanti coniugium est, & nexus ille corporum animorumque in perpetuum sanciendus) paternis teneamur obedire consiliis: vnde Ambrosius lib. de Abraham ante citato, vult mulierem etiam, quæ amisso marito secundas nuptias cogitat, electionem mariti parentibus deferre. *Ne*, inquit, *appetentiæ procacioris æstimetur author, si ipse de nuptiis suis electionem sibi vendicat.* Nec immeritò poëta quidam, consensum ad ineunda contrahendaque coniugia triplicem facit, quorum duo ad parentes spectant, tertius ad liberos contrahentes.

Debent vt plurimùm filij parentum volũtati aut consiliis obsequi in coniugiis ineundis.

Virginitas non tota tua est, ex parte
parentum est
Tertia pars matri data: pars data tertia patri;
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura, simul cum dote dederunt.

Quanquam, sempérne consilii sit, an præcepti, vt ex parentum consilio ac voluntate liberi sua ineant coniugia, & quando, & quatenus, sui iuris sunt, quà ætate modò inter Christianos, & quibus conditionibus contrahi debeant, ne inualida sint aut illegitima: hìc non disputo, molliorem parentis in filios indulgentiam carpsisse contentus, siquidem id à Theologis, Canonistis, Iurisperitis, hoc est, legum ciuilium, & Regiarum sanctionum interpretibus agitatum vulgò ac definitum est. Cùm igitur Iesus summus Sacerdos filiorum curam gerere debuerit, nec gesserit, & prouidere diligenter ne illegitimis se se implicarent connubiis, nec id præstiterit; grauiter in eo peccasse censendus est, & cùm periculum esset præsentissimum ad idololatriam per hæc cõnubia deueniendi, vt ex ipso Salomonis facto, & consilio Balaam, Regi Balac dato, aduersus populum Hebræum, atque adeo ex ipsa lege constat, Exod. 23. *Non inibis cum eis fœdus, ne fortè peccare te faciant in me, si seruieris diis eorum.* Constat quoque maximum fuisse peccatum in filiis ipsis, sic contrahere, & in parentibus ne contraherent pro viribus non impedire.

XXVI. ANNOTATIO PROOEMIALIS, ad varia Libri Esdræ Capita.

De variis nominibus quibus vnus idemque sæpe numero compellari solet in variis Esdræ locis.

LXVI.

VM toto hoc opere & alibi passim in Scriptura vnú eumdemque hominem variis appellari nominibus intelligi oporteat, constetque non dubiis argumẽtis, vt in ipsa textus explicatione, postmodum sigillatim ostendetur, ne vel minimam id obscuritatem lectori pariat, duo hîc prænotanda. Primum, hanc esse D. Hieronymi obseruationem, cùm in suis in Isaiam commentariis, tum in libro contra Heluidium, viros nobiles & claritate generis illustres, præsertim, inter gentes, fere multi-nomines esse. Disce, inquit, (eius verba sunt contra Heluidium) iuxta Scripturæ consuetudinem, eumdem hominem, diuersis nominibus nuncupari, Raguel socer Moysi, & Iethro dicitur, Gedeon nullis causis immutati nominis antè præmissis, subitò Ierobaal legitur, Ozias Rex Iuda, vicissim Azarias vocatur, Mons Thabor, Stabyrium dicitur: Rursus Hermon Phœnices, cognominatur senior, & Amorrhæus cognominat eum Sanir, eadem cœli plaga tribus nominibus appellatur, Nagath, Theman, Daran, lege Ezechielem; Petrus & Simon dicitur, & Cephas, Iudas Zelotes, in alio Euangelio Thadæus dicitur, multaque alia, quæ ad exemplum horum pertinent, ipse tibi de omnibus scripturis lector poterit congregare: Hæc Hieronymus, qui & in Isaiæ cap. 2. Regem Assyriorum, Sennacherib, septem omnino nominibus insignitum tradit: sic Daniel vocatur Baltassar, & eius socii, peregrinis item nominibus vocantur, ad communia additis, sic sæpe iidem, modò Hebræo, modò Chaldaico vocabulo notantur, ap- A pellati, sæpe proprio ac gentilitio nomine, aliàs externo veluti & ascititio, scilicet ex populis & gentibus quibuscum versantur aut consuescunt: sic in Esdra cap. 2. qui Nehemias dicitur, postea vocatur Athersatha, qui Zorobabel ibidem, idem Salsabasar cap. 1. & cap. 5. qui Assuerus cap. 4. idem Artaxerxes, qui Hasoraddan cap. 4. & lib. 4. Reg. idem Azenaphar, & aliis Salmanassar, &c. Alterum item quod hîc prænotandum est, ad faciliorem, di- B lucidioremque textus postea explanandi intelligentiam; petitur etiam ex D. Hieronymo in Ezechielem, nimirum in quibusdam regnis ac prouinciis, commune quoddam esse principium seu magistratuum nomen, quod aliqua nota peculiari ac propria indigeat, vt alii ab aliis discernantur: aliquando in Scriptura Reges ac Principes communi omnium Regum nomine aliquando proprio, appellari, cùm enim in cap. 39. Ezech. probare vellet, Pharaonem nomen esse apud Ægyptios regiæ dignitatis, idque aliarum prouincia- C rum exemplo confirmare, videtur, inquit, mihi non esse vnus Pharao, sed apud Ægyptios hoc vocabulo demonstrari regiam dignitatem: sicut apud Romanos, Cæsares, & Augusti Reges illorum appellantur, vt iam supra etiam nos tetigimus: apud Syros Antiochi, apud Persas Arsacidæ, apud Philistiim Abemelech, apud Ægyptios post Alexandrum, Ptolemæi. Hæc Hieronymus, quibus cedunt plures alij; nam & Reges Babyloniæ vocati sunt aliquando, Nabuchodonozores, aliquando Merodach, Reges Persarum. quorum nomina hæc potissimùm annotauimus Cyri, Darii, nonnunquam ab Hebræis, Assueri fuere nominati.

Multi in Scriptura potissimũ viri illustres ex obseruatione D. Hieronymi variis iidem ipsi nominibus appellãtur.

LXVII. *Ex Scriptura & ex omnium fere Gentium Historia constat Reges ac Principes modò proprio, modò communi dignitatis nomine designari.*

XXVII. ANNOTATIO PROOEMIALIS, ad varia Libri Esdræ Capita.

De 1. 2. 6. 7. 9. & aliis mensibus Hebræorum, quorum passim in Historia Esdræ frequens est mentio, & de Anno vulgari & sacro.

LXVIII. LIBET hic quasi sub vnum aspectum ponere mensium omnium tabulam & nomenclaturam, quorum frequentior mentio in sacris Literis, seu quibus nominibus menses ipsi in Scriptura appellentur, & quo ordine vulgò ab Hebræis numerentur, aperire.

Nomina & ordo Mensium totius anni apud Hebræos.

I. נסן *Nisan*,

qui Græcè Xanticus dicitur, cui correspondet apud nos pars Martii & pars Aprilis, atque ita de cæteris mensibus, qui cùm, vt in textu sæpius monebo, iuxta Lunæ cursum essent, ideo nostri menses ex æquo illis minime respondent. &c.

II. ייאר *Isar.*

III. סידן *Siuan.*

IV. תמדן *Tammuz.*

V. אב *Ab.*

VI. אלול *Elud.*

VII. תישף *Tisri.*

VIII. מרחשון *Merhesuan.*

IX. כסלין *Cheisleu.*

nam ita recentiores Iudæi scribunt, licet alii cum 70. D. Hieronymo *Chasleum* scribendum censeant, vltima scilicet littera consonante, habent enim 70. χάσλεύ.

X. דבת *Tebeth.*

XI. שבח *Sebath.*

iuxta 70. & D. Hieronymum, *Sabath.*

XII. אדר *Adar.*

Nomina mensium Hebræorũ Chaldaica non Hebraica nec nisi in libris post captiuitatem conscriptis inueniuntur.

Ante Captiuitatem menses apud Hebræos numero fere notari soliti.

Cæterum obseruandum est, quòd eruditè obseruauit Ribera in Aggæum, supradicta mensium nomina quæ in ordinem digessimus, non tam Hebraica esse quàm Chaldaica; ideoque non fuisse in vsu apud Hebræos, ante Captiuitatem Babylonicam, neque vspiam alibi inueniri nisi in libris post captiuitatem illam conscriptis, vt in Esdra, Esther, Aggæo, Zacharia, Machabeis, ante captiuitatem autem menses numero notari solitos, hoc pacto. 1. 2. 3. &c. quemadmodum apud Romanos, Iulius 1. quintilis à numero dicebatur, quod quintus mensis esset, Augustus sextilis, ac deinde reliqui eodem ordine. Hæc Hebræi, & ex aliis authoribus, multi docent, quanquam hæc obseruatio, ne quis ex illa errandi occasionem

A sumat, sic intelligenda est, vt frequentius quidem in Scriptura notis numeralibus menses indicentur, cæteroquin nemini dubium esse potest, quin etiam sua nomina habuerint, vt ex eadem Scriptura intelligitur, nam Exodi 13. & Deut. 16. mensis primus dicitur *Haabib* siue *Abib*, mensis secundus 3. Regum 6. vocatur *Zio*, & mensis octauus *Bul*, & cap. 8. mensis septimus *Ethamon*: vnde colligitur reliquos menses sua etiam nomina habuisse, quamuis in Scriptura non leguntur; cum autem apud Hebræos duplex annus esset, vt supra innui, sacer & vulgaris, siue prophanus, quemadmodum apud nos multiplex est annus vulgaris,

LXIX. Duplex annus apud Hebræos vulgaris & sacer, hic à Martio, ille à septembri ducit initium.

B qui incipit à Kalendis Ianuarij, Astrologicus qui ab æquinoctio verno, Ecclesiasticus, qui ab Aduentu; scholasticus siue litterarius, qui à Remigialibus, seu Lucalibus initium ducit, vulgaris apud Hebræos à Septembri incipiebat, sicut & nunc etiamnum obseruant, vt ex eorum Kalendario constat, licet Hieronymus in cap. 1. Ezechielis ab Octobri putet, vbi docet toti Orienti commune illud esse principium, sed non multùm ab Hebræis diuersus est Hieronymus; cùm enim Hebræi a Neomenia, id est, à primo die Lunæ ducant mensium initia, contingit plerumque vt in vnam Lunam duo illi menses incurrant, qui à nobis dicun-

C tur September & October: Iam verò alterius anni, quem Sacrum & Religiosum vocant Hebræi, quique non tam ciuilium negotiorum rationem considerat, quàm festorum & sacrorum dierum, initium sumitur à Luna propiore æquinoctio verno: quare necesse est vt primus mensis partem occupet Martii, atque Aprilis: Ita Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 4. sumpsit verò annus hic sacer exordium ex Dei præcepto, Exod. 12. vbi sic habetur. *Mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni*; hinc ab eo mense reliqui, primus secundus, tertius, dicti sunt: Cùm verò ante Moysen qui primus hoc accepit præceptum, nullus Scriptor inter Hebræos fuerit, factum est, vt re-

Annus sacer & Religiosus ex Dei præcepto duxit exordium. Exod. 12.

Multa nomina mensium quæ vsurpabantur apud Hebræos ante Captiuitatem, quod literis minime transmissa sunt, exciderunt.

liqua mensium nomina propria quæ vsurpari poterant ante Captiuitatem paucis exceptis, quæ paulo antè retulimus, vt potè nunquam mandata literis, exciderint. Addendum hîc quoque quod rectè obseruauit Sanctius in Zachariam, non admodum laborandum esse in Scriptura sacra, de anno vulgari, seu politico, etiam cùm sermo est, de re politica, ac prophana, nunquam enim, aut ferè nunquam sacram Scripturam, anni vulgaris rationem habere, & certè exempla occurrunt non pauca, in quibus & ordo mensium notatur, & numerus: de rebus omnino non sacris, quæ de anno sacro esse intelligenda nemo ibit inficias. Et 1. sit ex 1. Machab. cap. 4. *Et ante matutinum surrexerunt quinta & vicesima die mensis noni.* Hic est mensis *Casleu.* 2. Esther 3. *Hic est mensis primus, cuius vocabulum est Nisan.* & cap. 8. *Erat atuem tempus tertij mensis, qui appellatur Siuan.* & cap. 2.

LXX. Nulla fere habetur ratio anni vulgaris seu politici in Scriptura etiam cùm de rebus prophanis ac politicis sermo instituitur.

A *Ducta est itaque ad cubiculum Regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth.* Chaldæus etiam in re prophana cum agit de agrorum satu, & crebrò & opportunè faciendo; sic exponit illud Ecclesiast. c. 11. *Da partem septem, nec non & octo, optimam partem seminis confer mense Tisri, in agrum tuum, neque tamen in mense Casleu, à seminando auocare:* vbi agit de mense Septembri, & Octobri, qui cum a *Nisan* deducti septimus sint, &

B octauus, idonei sunt sementi faciendæ, si verò à mense Septembri, esset Martius septimus, octauus Aprilis, qui menses inepti sunt sementi faciendæ, quia tunc metuntur fruges, in Iudæa, & messis hordeaceæ manipuli efferuntur. Eam ob rem, in eo quem constituimus ordine, non tam vulgaris anni, quàm sacri, rationem habendam esse duximus, sicque primo loco mensem Martium, qui verè anni sacri primus est, constituimus.

CAPVT PRIMVM.

SVMMA SEV SYNOPSIS Capitis.

VIX dum benè capta Babylone, deuictisque Chaldæis Cyrus in illorum Imperium pedem infert, cùm ecce in tanti tamque eximij, vt ipse interpretatur, à Iudæorum Deo accepti beneficii memoriam, actionemque gratiarum, omnibus, qui ex Israelitico genere essent, ditioni suæ subditis, in Patriam remigrandi liberè, ibique instaurandi templi, quod Chaldæorum flammis atque incendio vastatum funditus & euersum nouerat, facultatem facit, idque non voce tantùm, sed scriptura, hoc est, edicto, regia fide & authoritate firmato: quin vt iter illud, sane longum, commodiùs conficiant, edicit iis qui Babylone, aut vbilibet, in regionibus suis, etiamnum adhuc permanere ac commorari malint, vt profecturos in Iudæam gentiles suos, suo ære atque adeò cæteris omnibus, cùm ad profectionem instituendam, tùm ad operis molitionem inchoandam, necessariis subsidiis adiuuare ne grauentur, quod prolixè, nec inuiti præstitêre, immò, & Rex ipse, pro religioso templi cultu, atque ad ædis sacræ ministerium, vasa omnia aurea, & argentea, ac demùm, quicquid olim pretiosum Nabuchodonosor ex templo, in vrbis direptione sustulerat, liberaliter Iudæis restituit, & per manus vnius è Principibus Hierusalem reportari curauit.

CAPVT PRIMVM Esdræ.

1 IN Anno primo Cyri Regis Persarum, vt compleretur verbum Domini, ex ore Hieremiæ suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis.

2. Hæc dicit Cyrus Rex Persarum, Omnia Regna dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Hierusalem quæ est in Iudæa.

3. Quis est in vobis de vniuerso populo eius, sit Deus illius cum ipso, ascendat in Hierusalem quæ est in Iudæa, & ædificet domum A Domini Dei Israël, ipse est Deus qui est in Hierusalem.

4. Et omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habitant adiuuent eum viri de loco suo argento & auro, & substantia & pecoribus, excepto quod voluntariè offerunt templo Dei quod est in Hierusalem.

B 5. Et surrexerunt principes patrum de Iuda & Beniamin, & Sacerdotes & Leuitæ, & omnis cuius Deus suscitauit spiritum, vt ascenderent ad ædificandum templum Domini quod erat in Hierusalem.

6. Vniuersique qui erant in circuitu, adiuuerunt manus eorum in vasis argenteis & aureis, in substantia & iumentis, in supellectili, exceptis his quæ spôte obtulerant.

7. Rex quoque Cyrus protulit

phus lib. 10. Antiquit. cap. 12. vbi statim post deuictam Babylonem, Danielem Prophetam à Dario victore in Mediam ductum, maximoque in honore ibi habitum refert, sed ex Hieronymo, meo iudicio, res tota faciliùs illustratur. Is igitur in 5. caput Danielis sic edisserit: *quòd, inquit, vincente Cyro Rege Persarum & Dario Rege Medorum, solus Darius successisse in regno scribitur, ordo ætatis & propinquitatis & regni seruatus est. Darius enim sexaginta duorum annorum erat & Maius regnum Medorum quam Persarum legimus, & auunculus erat, quare qui prior erat iure naturæ successor regni debuit numerari, vnde & in visione quæ contra Babylonem legitur tam in Isayæ cap. 18. quàm in Hierem. cap. 15. animaduertere licet, eos qui Babylonem & regnum Chaldæorum euersuri erant solos Medos nominari, nulla Persarum facta mentione.* Hæc Hieron. quæ vt alia Sanctio non displicent, quòd rem difficilem, si non omnino, saltem aliqua ratione componunt, sed quod addit Cyrum non tam belli Babylonici auctorem quam adiutorem fuisse vereor, vt omnibus non probet; etsi enim cum Dario auunculo copias suas coniunxerit, tamen bello primum Babylone appetiisse, ac præcipuas partes in illa oppugnanda, expugnanda, diripiendaque obiisse ac demum rem omnem eius præsertim opera confectam, passim vno omnes Historici consensu asseuerant.

Hieronymi sententia rem totam illustrat.

A

B

V. Cur prophana historia Cyrum vnum ferè Babylonici Imperii euersorem celebrent Sacra autem Darium duntaxat Cyro pene prætermisso commemorent.

Sed quæras, quid causæ sit cur cùm Babylonici Imperii euersorem omnes prophanæ historiæ scriptores, Cyrum agnoscant, Darii vix aut nunquam meminerint, sacræ scripturæ contrà, in hoc facinore vulgando, Darium vnum celebrent, Cyrum pene prætereant: de prophanis scriptoribus, hæc esse potest ratio, quòd partim hunc Darium Medum, Astyagis filium non agnouerint, vt qui fere Astyagis solam Mandanem Cyri matrem dare soleant, cùm tamen Iosephus lib. 1. Antiq. disertis verbis, Darium Astyagis filium nominet, alio apud Græcos nomine nuncupatum, Cyaxarem scilicet, partim quòd breue tempus Imperii eius neglexerint, vt qui vno minus anno regnauerit, eoque præsertim, quòd Cyrum reipsa Imperio potitum scirent, ex potestate, Darium autem ex Cyri indulgentia: at rerum sacrarum scriptores, qui res non vulgares sub eo contigisse norant, & verè longa narratione ad posteros transmissuri erant, eius regni ita meminerunt, vt solùm Babylonici Imperii scribant hæredem, & centum viginti prouinciarum eius, vti 6. Danielis capite continetur, *Cyri regis Persarum, &c* quidni & Medorum? quia nimirum, primum Imperium deuicto Astyage, auo suo, vt refert Iustinus lib. 1. aut quòd Xenophon indicat, Cyaxare auunculo mortuo, iuxta alios Dario, Medorum Imperium transtulit in Persas, & licet regnum Medorum esset honorabilius, tamen caput Monarchiæ posuit in Perside; eo quod ibi primò regnauerat, & quia Persæ ipsum euexerant in Regnum. Ita Lyranus in hunc locum, neque etiam hinc existimes hoc tempore, non fuisse apud Cyrum, Babylonis Imperium, sed apud Darium duntaxat, eius auunculum, quod hic Rex Persarum vocetur, & inferius v. 2. se regem Persarum appellet ipse, non regem Babylonis: *Hæc dicit Cyrus rex Persarum.* Cùm enim Chaldæorum Imperium, cuius erat caput Babylon, Babylone capta transferretur ad Persas, qui sibi Regis Persarum vendicat nomen, idem sibi Babylonis vendicat Imperium: vno itaque ob hanc causam Regis Persarum nomine contentus fuit; nam quòd addunt aliqui Cyrum modestiæ gratiâ, siluisse nomen nouum, & antiqui tantùm meminisse, quod fortè adhuc in viuis ageret Darius, dubium admodum & infirmum est, *vt compleretur verbum Domini ex ore Hieremiæ, &c.* Bellè hic textus cum illo consentit lib. 2. Paralip. cap. 36. v. 20. vbi sic habetur: *Si quis euaserat gladium ductus in Babylonem seruiuit Regi, & filiis, donec imperaret rex Persarum, vt compleretur sermo Domini ex ore Hieremiæ.* Verba autem prophetiæ Hieremiæ, quibus consignata erat captiui populi libertas, hæc sunt cap. 29. *Hæc dicit Dominus cùm cœperint impleri in Babylone 70. anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum istum, &c.* quod & superiùs cap. 25. v. 11. iisdem pene verbis dixerat, verba enim Hieremiæ, hæc ipsa sunt: *Erit vniuersa terra hæc in solitudinem & in stuporem & seruient omnes gentes istæ Regi Babylonis 70. annis, cumque impleti fuerint 70. anni, visitabo super Regem Babylonis, & supra gentem illam, dicit Dominus, & super terram Chaldæorum.* Prædixerat itaque Hieremias non semel, vt ex superioribus constat, non amplius 70. annis duraturam Iudæorum captiuitatem, & sub finem illius temporis excisum iri à Persis & Medis Chaldæorum Imperium. *Suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, &c* Ergo vt promissa in gratiam populi sui, & intentatas longè antea Babyloni

C

D

VI.

Cur dicatur Cyrus Rex Persarum tantùm, non vero etiam Medorum.

VII.

Vaticiniũ Hieremiæ varius in locis de 70 annis quibus duratura erat captiuitas.

ab Hieremia comminationes, non frustra excidisse euentu ipso Deus confirmaret, *suscitauit Dominus spiritum Cyri*, id est; voluntatem excitauit, *& traduxit vocem*, seu Hebraicè, *transire fecit vocem*, id est, voce præconis denuntiauit, liberam esse cuique, de Iudæorum gente, redeundi in patriam facultatem; nec id voce tantùm, licèt id plus satis habiturum esset momenti, cùm tanta apud suos valeret authoritate & potentia: sed etiam *scriptura* per quam manifestiùs de regia voluntate constaret; *Per scripturam* igitur; id est, per edictum regium, cuius hæc erat forma quæ proximo versu sequitur.

IX. *Quibus mediis vsus sit Deus vt spiritum seu voluntatem Cyri excitaret ad libertatem populo Iudæorum concedendam.*

Hæc dicit Cyrus: sed iuuat hîc paulò fusiùs expendere, quemadmodum Deus suscitauit spiritum, seu voluntatem Cyri, ac quibus tandem vsus mediis, eam illi cogitationem iniecit, vt libertatem captiuo populo concederet & vniuersam Iudæorum gentem, quæ sedes suas incolebat, adeo tractaret humaniter: scio quidem à plerisque omnibus, obseruari, dispositum fuisse priùs à Deo Cyri animum, per Isaiam Prophetam, vt postea minus se Cyrus, ad Dei impulsum, voluntatemque eius exequendam, difficilem præberet, sed quo duce atque authore id factum, vt Cyrus cum Isaia, qui ducentis ante Cyrum annis extitit, consueuerit? eius prophetias euoluere potuit, inquies, aut de illis inaudire quidpiam: certè scribit Iosephus lib. 11. Antiquit. cap. 1. Cyrum ex lectione libri Isayæ, cognouisse, destinatum se diuinitùs ad instaurandum templum Hierosolimitanum, ideoque & edictum de admittendis ad illud ædificandum Iudæis perscripsisse, idem affirmat Theodoretus in caput 1. Danielis, sed quis Isaiam Prophetam perlegendum Cyro Principi in manus dedit? quis, quid in eo legendum, expendendumve quod ipsum proximè spectaret indicauit?

X. Placet in eam rem Saliani coniectura; ex cuius Annalibus excerpta quæ sequuntur studiosus lector accipiet. *Cyrum*, inquit, *Danielis operâ ad vaticinij Isaiæ cognitionem venisse coniectare licet, cùm enim Daniel, Dario Medo Cyri socero & Imperij consorti charissimus extiterit, summoque apud eum magistratu fuerit functus*, vt sacræ litteræ tam apertè indicant, *non potuit Cyro ignotus esse, immò illi planè venerationi atque demirationi fuit, quis enim dubitat Cyrum vel priuatis Darii litteris vel publico eius decreto aut saltem rumore nuncio didicisse quid Danieli contigerat cum inuidorum arti*-

A *bus in lacum leonum coniectus fuerat dicit etiam, res enim erat cognitione dignissima, quid illi in conuiuio Baltazaris, quod in rem Medorum atque Persarum faceret & diuinam erga ipsum prouidentiam patefaceret, non ita multò ante acciderat, nec minus libenter audiuit de Nabuchodonosoris inter bestias commoratione per septennium, de restituta ei forma humanoque iudicio, de visa ab illo statua quadripertita, & forte etiam de quatuor animalibus à se visis, quæ quatuor imperia portenderent, de socis suis in fornacem flagrantissimam coniectis & multiplici* B *prodigio liberatis, hæc aliaque Danielem Cyro studiosè retulisse credibile est, quod intelligeret eorum cognitionem multùm ad Idolorum contemptum, multum ad veri Dei venerationem & cultum esse valituram.* Sic ille.

XI. *Darii opera Daniel propheta Cyro non ignotus, ex quo Cyrus ipse quid Isaias de eo prophetasset, intellexit.*

Cùm itaque Daniel magni apud Cyrum esset nominis & passim mirabilium patrator, coniector somniorum, reuelator arcanorum, mysteriorum Dei summus Interpres audiret, audiit vicissim ex Daniele Cyrus, quid potissimùm Deus tunc temporis ab illo exigeret, ille, inquam Deus qui eum ad tantum imperium C euexisset, *qui eius apprehendisset dexteram, vt subiiceret ante faciem eius gentes & dorsa regum verteret, qui ante eum progressus in prælium gloriosos terrarum humiliasset, portas æreas contriuisset, & vectes ferreos confregisset, qui dedisset ei thesauros absconditos, & arcana secretorum patefecisset, quæ quidem omnia de eo tam eximiè loquitur & ratiocinatur Isaias cap. 45. nimirum vt filios Israelis de seruitute liberatos in patriam dimitteret, &c.* Hæc ergo cùm probè teneret Cyrus, & Deus in dies maiorem illi erga Danielem, beneuolentiam, totamque illius gentem instillaret, maioribus natu Israelis anni- D tentibus, statuit publico decreto, notum facere omnibus, ac statuere, quid fieri placeret in hoc genere, quidque sibi diuinitùs esset imperatum: sic igitur Dominus spiritum Cyri suscitauit, cùm nimirùm ei persuasum est, ex lectione vaticinii Isaiæ, in quo tanto antè & victorias suas prædici, & nomen suum exprimi viderat, insignem illam victoriam de Babyloniis reportatam, & tantam imperii accessionem à Iudæorum Deo sibi diuinitùs fuisse concessam: vnde factum est, vt cum primum excitante Deo sibi, ac diuini numinis impulsu, subiit illius mentem antiquæ promissionis, & tantæ dignitatis recordatio, diutius procrastinandum non censuerit; sed quod debere se Deo

existimabat, vt Iudæorum causæ faueret eosque seruitute liberaret, in grati animi significationem quam primum impleuit.

Cur edictũ Cyri in gratiam Iudæorum non æquè Darii ac Cyri nomine insignitur.

Vers. 2. *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum* &c. Edictum Regium, vel ipsa verborum forma loquitur, de quo opportunum est vt à nobis etiam obiter illud inuestigetur, cur non Darii potius, quàm Cyri aut peræque Darij ac Cyri nomine insigniatur, ego, ne multis immorer, in re quæ vix certò nobis constare potest, sic contigisse existimo, vel quod vt iam superius monuimus, summa esset in Cyro potestas, licet Darius nomen etiamnùm adhuc Regis retineret, vel quòd non longè ab ipso nascentis imperii exordio, Darius ipse, iam è viuis excesserat, vel quod is relicta noui Imperij administratione Cyro, ad Medos redierat, vel quod cum Darius ob ætatem iam grandiorem & senii fatiscentis in commoda, tantam Imperii molem sustinere non posset, totum pondus in Cyri humeros transmisit. Porro Iosephus lib. 11. antiq. cap. 1. Verbis paulum immutatis, & à scriptura diuersis nonnihil, hoc edictum Cyri sic repræsentat *Quoniam me Deus maximum Regem orbis constituit, hunc illum esse credo, quem Israelitarum adorat populus, is enim meum nomen per suos Prophetas prædixit & quod templum eius ædificaturus sim Hierosolimis in terra Iuda.*

Quo sensu verum sit Deum dedisse Cyro omnia regna terræ vt Cyrus ipse prædicat.

Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cœli &c. Sic publico edicto testatum voluit, quod vinceret, quod regnaret, quod viueret, non suis ipsius viribus, sed in iis, Dei omnia moderantis benignitati, ac patrocinio, tribuendum: quod autem ait sibi tradita omnia regna terræ per hyperbolem accipe, in sola quippe Asia regnauit, vel sic intellige, quæ mea sunt, omnia dedit mihi Deus, seu terram Chaldæorum atque adeo terram omnem, quam meo mihi subiugaui Imperio diuinitus mihi concessam agnosco. Nimirum, cum in scriptura sacra eiusmodi locutiones occurrunt sæpe numero explicari debent accomodatè ad rē & locum de quibus sermo instituitur. Hāc obseruationem tradit Hieronimus ad illud Isaiæ c. 13. *vt disperdam omnem terram* non, inquit, totum orbem, sed omnem terram Babylonis Chaldæorum; Idioma enim est scripturæ, vt omnem terram, illius significet Prouinciæ, de qua sermo est, huius obseruationis plurima passim variis in locis exempla reperies, in quibus agnoscere est, voces vniuersales vt vocant pro rerum natura ad certum aliquod spatium contrahi, ita Lucæ cap. 2. *Exiis edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*, non omnis absolutè sed qui subiectus erat Romano Imperio,
A item actorum 2. *Erant in Ierusalem viri Religiosi ab omni natione, quæ sub Cælo est*, id est ab omni Regione quam habitabant Iudæi ad solemnitatem illam conuenire soliti.

Quomodo dicatur Deus hominibus concedere quæ per vim ipsi atque iniuste diripiunt.

Quod si quæras quomodo dicatur Deus dedisse Cyro regna terræ, cum illa occuparit non iure sed vi armorum facilis responsio, nihil iniustum est respectu Dei. Sic Estius, in quam sententiam consulendum illud Iob cap. 22. v. 18. *Cum ille* inquit, *deus filices implesset domos eorum quorum sententia procul sit à me,*
B idest impiorum & cap. 12. v. 6. *Abundant tabernacula prædonum & audacter prouocant Deum cum ipse dederit omnia in manus eorum* & sic quod iniuste plerūque homines possident dicitur Deus dedisse, Cū non nisi eius nutu ac permissiud possint,

Quibus Isaiæ verbis designatur præceptum Dei de ædificanda ei domo in Hierusalem abs Cyro.

Et ipse præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ierusalem. Existimo præceptum illud de domo Dei ædificanda, referri posse vt cumque percommodè ad illud Isaiæ de Cyro vaticinantis cap. 45. v. 4. *Propter seruum meum Iacob & Israel electum meum vocaui te nomine tuo* & v. 13. vbi item de Cyro, *Ego suscitaui eum ad iusti-*
C *tiam & omnes vias eius dirigam ipse ædificabit Ciuitatem & captiuitatem meam dimittet* &c. Quod Cyrus, vt pote peracuti vir ingenii, optimè intellexit, cum ipsi à Daniele ostensum est, vt scribit Iosephus, & ab eo Theodoretus in caput primum Danielis in fine, sicque ex hoc vaticinio in animum induxit, id debere se singulari Dei prouidentiæ, vt dum ipsum tot cumulat ornamentis, & opibus, sui etiam populi commoditati prouideat, & diuini numinis honori, extruendo templo consultum esse velit; certè quo alio scripturæ loco præceptum huiusmodi indictum esse potuerit, non video, & sicuti sunt. alia, quæ signi aut præcepti loco
D videri possint, eiusmodi sunt, quantùm intelligo, vt alienum à religione hominem, mouere facile non potuerint:

An Cyrus edicto suo vt instaurandi Templi sic extruendæ vrbis potestatem Iudæis fecerit.

Ceterum proprius hic examinandi locus est, an Cyrus edicto suo, vt templi instaurandi, sic extruendæ vrbis ipsius Hierosolimæ, potestatem fecerit; video rationes in vtramque partem, quæstionem agitantibus, non deesse, ac primùm certum est, in Cyri decreto tam quod hic recitatur quam quod habetur cap. 6. v. 3. nullam planè fieri vrbis mentionem, sed Templi duntaxat,

Negantiũ sententiæ rationem

deinde constat, etiam, permissionem illam vrbis ædificandæ factam ab Artaxere Longimano, anno vigesimo

regni sui, vt perspicuè habetur 2. Esdræ cap. 2. hæc neganti sententiæ fauere quoquo modo videntur.

XVI. *Affirmantem sententiam propugnat Iosephus quā auctor amplectitur.*

In contraria sententia est Iosephus lib. 11. antiq. cap. 1. quem hic causam suam orantem audire non pigebit, *Conuocatis, clarioribus apud Babylonem Iudæis (de Cyro loquitur) ait se illis permittere vt proficiscantur in patriam, vrbemque Hierosolima & Dei Templum ædificent denuò* & rursum paulo post, inducit eundē scribentem ad Præfectos Iudæorū *Iudæis*, inquit, *qui Regionem meam habitant permisi*, vt quicūque vellēt in propriā, reuerti patriam vrbē denuò conderent, & Templum Dei Hierosolimis ædificarent; eodē quo prius loco. Hæc Iosephus ad cuius partes libenter accedo, quod si Isaiæ vaticinio excitatum esse Cyrum fatemur, non modo ad soluendam captiuitatem Iudæorum, sed etiam ad Templum ædificandum, res confecta propemodum videtur, si quidem in eo vaticinio de Ciuitate quoque ex ædificanda legitur, *Qui dico Cyro Pastor meus es & omnem voluntatem meam complebis*, hæc est autem voluntas eius *qui dico Hierusalem ædificaberis & templo fundaberis*, nec enim videtur consentaneum distrahere temporibus, quę ita sunt narratione coniuncta, vt vno & ab vno Templum, alio ciuitatem, & ab alio, instaurari tempore Deus voluerit, adde clarius id ipsum à Propheta dici his verbis cap. 45. v. 13. *Ipse ædificabit Ciuitatem meam & captiuitatem meam dimittet.* Quæ ex omnium interpretum sensu de Cyro intelliguntur verum, vt aliundè res incerta sit, quod in Esdra legitur cap. 4. v. 12. Omnem dubitationis ansam præcindere videtur, nimirum eo loco disertis verbis Iudęi Ciuitatem ædificasse dicuntur, quod sine dubio nisi impetrata à Cyro potestate nunquam essent aggressi, *Notum sit, Regi*, inquiunt Iudęorum aduersarii, *quia Iudæi qui ascenderunt à te, ad nos venerunt in Hierusalem, ciuitatem rebellem & pessimam quam ædificant extruentes muros eius & parietes cōponentes*, hæc cum scripserint inimici Iudæorum ad Cambysem, Cyri successorem, vt postea videbitur, quis non intelligit ad Cyrum quoque prius fuisse scripturos, nisi id eius fieri voluntate cognouissent, quid quod, vt ciuitas simul cum Templo ædificaretur, eo adigebat necessitas, quomodò enim templum ipsum, quomodo tot eius donaria, & pretiosa suppellex, quomodo tot Iudæorum millia, qui Babylone redierant, inter inimicos infensissimos, in tuto esse possent, nisi mœnibus clauderentur? reliquùm est vt quæ duo in in contrariam partem allata sunt, breuiter à nobis diluantur, sic igitur existimo, quod Cyrus in edicto suo non vrbis, sed tantum Templi meminerit, id in causa fuisse, vel quod alterum ex altero facile intelligi posset, vel certè quod in templi duntaxat instaurationem, non vero ciuitatis, sumptus ipse suppeditaret, vt ex capite 6. v. 4. constabit; idque Iosephus iam antè citatus satis apertè innuit, cum enim dixisset, à Cyro dictum Iudæis se permittere, vt vrbem, & Templum, ædificarent; subdit, nam & ipsum Deum futurum illis auxilio & se scripturum vicinis Iudeæ ducibus ac satrapis, vt conferrent eis aurum & argentum, ad templi fabricam, & victimas ad sacrificia, quod si vrbis quoque facta fuisset mentio, periculum erat ne etiam sumptus regios Iudæi, eo vellent extendere; si quidem vt ex Regula iuris notum est, *odia restringuntur, fauores amplianturl*, & quod sonat vetus illa vox, beneficium principis quam amplissime interpretandum est; ad alterum de permissione Artaxerxis Longimani, pro vrbe ædificanda, sic commodè responderi potest, ita factum esse, quoniam cum hostes Iudæorum, mortuo Cyro tam vrbis quàm Templi instaurationem impediuissent, & Iudæi à Dario Hystaspis, Templi tantum exædificandi facultatem impetrassent, necesse fuit postea, ab illo Rege, ciuitatis quoque reparandæ, opera, Esdræ & Nehemiæ, potestatem obtineri, vt suo loco deinceps videbitur.

XVII. *Negantis sententiæ argumenta diluuntur*

Affirmantis sententiæ firmamenta.

XVIII. *Edicti gratia ad omnes omnino Iudæos atque adeo, ad eos qui in Assyria morabantur è decem tribubus pertinere censenda est*

Vers. 3. *Quis est in vobis de vniuerso populo eius, sit Deus illius cum ipso, ascendat in Hierusalem* &c. Edicti Regij gratia, ad omnes omnino Iudæos pertinet cùm Babylone tùm alibi commorantes, & (quod obiter hic notandum, & fortasse postea fusius indicabitur) cum eo tempore, ad ipsas etiam Assyriorum regiones extenderetur. Chaldæorum imperium, non eos modo comprehendit, qui è duabus tribubus a Nabuchodonosore adducti fuerant in Babyloniam, aut in finitimas Babyloni, subiectasque antiquo Babyloniorum imperio prouincias; sed eos etiam, qui è decem aliis tribubus, prius ab Assyriis fuerant sub iugum inducti, & in illorum regiones deportati, sic omnibus loquitur, sic cuique de Iudæorum populo vbi vbi sit, siue in Chaldæa, siue in Assyria. In Iudæam redeundi potestatem facit Cyrus, qui Chaldæorum & Assyriorum imperium, Persarum imperio subiecerat; porro, quod interierit,

Communis, ac familiaris, vbique gentium fere fuit decretorum hæc formula qua Principes subditis pacem ac salutem ad precantur

sit Deus illius cum ipso, satis indicat, familiarem & vsitatam antiquis illis sæculis formam fuisse quæ in Imperatoris edictis atque decretis obseruaretur, vt beneuola aliqua Regium aut Imperatorium decretum precatio præcederet, solemni voce concepta; ita apud Chaldæos & Babylonios, ita apud Persas, etiam, dum seiuncta illorum fuere imperia; cuius rei exempla, vt de prophanis Authoribus taceam, ex scriptura petere licet, non pauca, de Babyloniis quidem, apud Danielem cap. 3. v. 98. sic Nabuchodonosor in edicto Regio populum peramanter ac benignè salutat; *Nabuchodonosor Rex omnibus populis gentibus & linguis, qui habitant in vniuersa terra pax vobis multiplicetur* de Persis vero cum alibi, tum hic inferius Esdræ cap. 4. v. 17. decreto Xerxis hoc præfixum est, *Verbum misit Rex ad Reum &c Et cateris tran fluuium, salutem dicens & pacem*, & Danielis 6. v. 26. Darii decretum sic habet, *Darius Rex scripsit vniuersi populis, tribubus & linguis habitantibus in vniuersa terra pax vobis multiplicetur*, sed præ cæteris omnibus illustris est, vt expendenti satis patebit fœlix hæc imprimis ac beneuola, Regio Cyri edicto attexta precatio, *sit Deus ipsius cum ipso*. Quâ scilicet populo Iudæorum atque adeò subditis suis singularem diuini numinis fauorem & gratiam, quod bonorum omnium maximum, est peculiarem inquam Dei optimi maximi in ipsos prouidentiam, quin & intimam eamque mutuam, ipsorum, cum ipso communionem, atque consensum exoptat;

Cyrus quoquo modo vnũ Deum agnouit: nec penitus tamen falsorum Deorũ religionem abiecit aut in vnius Dei fide atque obseruantia non perstitit.

XIX. *Ipse est Deus qui est in Hierusalem* &c. hæc verba per parenthesim inserta sunt, ipse est Deus, scilicet verus quasi diceret talem hunc agnosco & vereor Nimirum, hinc non obscure colligitur, iam tum Cyrum existimasse, Deum quẽ in Hierusalem coluerant Iudæi, aut solum esse Deum, aut certe Deorum omnium maximum, eo spectat vox illa, ipse est Deus, quæ præclaram vnius Dei cognitionem & confessionem innuere videtur, & cum præ omnibus & ab omnibus colendum indicat, quamquam nec eo tempore; aut postmodùm vnquam, falsorum Deorum cultum, auitamque religionem, penitus abiecisse, satis constat ex historiæ prophanæ monumentis; quo fit, vt dicendum sit, si quo tandem modo (vt publica voce contestari visus est) Deum vnum credidit, in illius vnius fide atque obseruantia minus perstitisse,

XX Vers. 4. *Et omnes reliqui ex cunctis locis vbicumque habitant adiuuent eum de loco suo* &c. Per humaniter cum populo Iudæorum agit Cyrus, ita enim liberam ei redeundi in patriam facultatem concedit, vt tamen excedere non cogat nec à suis finibus expelli velit, & certè Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 1. multos ait manere maluisse, apud Babylonem, quibus ægre erat possessiones suas relinquere, quin & Hebræi quoque dicunt illos qui remansere, creasse sibi principem, quem vocarent *Rohe, Hagg alub*, cuius meminisse videtur Origenes lib. 4. Periarchon, ergo non expellit quidem Iudæos è ditione sua Cyrus, sed abire iis qui volent permittit, omnibus bene precatus, quæ summa est ipsius humanitas, imo aliorum etiam excitat liberalitatem erga eos, qui penuria impediti, longinquum iter suscipere non possint, vt scilicet geminam exerceant benignitatem, aliam in viaticum pauperum transmigrantium, aliam in donaria in templum Dei, & hoc est quod ait, *Adiuuent eum viri de loco suo excepto quod voluntarie offerunt Templo Dei quod est in Hierusalem &c.* Itaque qui remanent in Babylone, aut alibi sub Chaldæorum adhuc aut potius Persarum dominatu degere malunt, eos vult conferre aliquid iis qui ibunt in Hierusalem, fortassis taxato etiam quantum quisque conferre debeat, ait Mariana, præter dona quæ voluntariè templo mittere quiuis poterit, cuius rei amplissimam omnibus facit potestatem. Dixi, præter dona, hoc fert enim, vox, Excepto quæ in textu est, addendo, non excludendo, vt in simili inferius ostendam quod autem addit Sanctius, dici posse, sibique non improbabile videri, non cogi Iudæos, siue Israëlitas ex omnibus tribubus, vi edicti Regij, vt pro abeuntium sumptibus, aut Templi sacrificijs, aliquid expenderent, sed potius illis permitti, etsi non penitus improbo, nec enim modica vel ex eo solo Cyri liberalitas extaret, cum passim plurimis in regnis cautum esse videamus, ne inde ad externa & aliena loca, aut pecuniæ, aut equi, aut quæcumque demum aliis regionibus ornamento esse possent, exportentur; tamen existimo tanti Principis pietati magis consentaneum, vt liberum id cuiuis esse noluerit, sed ditioribus saltem, iisque omnibus qui vbicumque in Imperii sui finibus, soli in quo diu inueterauerant vbertate & pulchritudine capti remanerent, quasi mulctæ loco indixerit, vt alijs statim profecturis subsidia ad viam victumque necessaria suppeditarent; Cæterum notat hic Lyranus secundum Hebræos variari textum, & expositionem sensumque literæ

Edictum Regium Iudæos abire permittit non cogit, vnde multi ex ditioribus Babylone remanserunt iuxta Iosephi sententiam.

Probabilius, vt edicti Regij ditioribus qui in Babylonia remanserant non permissum tantũ sed præceptum & quasi loco mulctæ indictũ vt profecturos alios a re suo ascensuris adiuuarent;

esse huiusmodi, *& omnem reliquum*, scilicet de Iudæis qui non potest ascendere, in Hierusalem, propter paupertatem quia non habet expensas pro via, vel debilitatem, quia non potest peditare, vellet tamen ire si posset.

Adiuuent eum viri de loco suo &c. Id est vicini eius, etiam Gentiles prouidendo de
XXI expensis & vehiculo, ita præcepit Cyrus; addit, *Excepto quod voluntarie offerunt &c.* Quia scilicet preter, Iudæos ipsos multi etiam Gentiles, audientes virtutem Dei Israël, obtulerunt multa munera, ad ædificandum Templum in Hierusalem, quod fuerat destructum, exemplo Regis animati; Tandem & illud quoque postremò addendum, nihil mirum esse si, quod supra monui, hæc loquendi forma, *Excepto quod voluntariè offerunt*, non excludit aut negat, sed potius addit, atque confirmat, idemque censeri debet ac *præter quod*, idem enim passim, multis in scripturæ locis dicendum de voce *absque* quæ augendi confirmandique vim habet, non minuendi aut excludendi: vt eruditi iam olim notarunt interpretes, sic Zachariæ 2. v. 4. *Absque muro habitabitur Hierusalem præ multitudine hominum*, id est. habitabitur Ciuitas non solum quę intra mœnia est sed etiam quæ extra pomerium ita Iosue, cap. 17. v. 5. *Et ceciderunt funiculis Manasse decem, absque terra Galaad*, id est præter terram, Galaad quam iam possidebant; sic Iudic. 8. v. 26. *Fuit pondus postulatarum in aurium, mille septingentis auri sicli, absque ornamentis & monilibus & præter torques aureas camelorum*, vbi illud (*præter*) quod sequitur, apertè indicat, quid significet, *absque*, quod pręcedit, sic igitur à simili quod de *absque* frequenter dicitur in scriptura, non video cur dici etiam non possit de *excepto quod*, in Hebręo si consulatur, res facilior est & magis pervia, habet enim textus Hebraicus בנדבה in Hanedabah, id est cum oblatione spontanea & ita vertunt 70. Tigurina, Pagninus, & communiter alii, quasi dicat cum. dono spontaneo, siuæ præter donum spontaneum pro Templo, dabunt etiam alia, pro longi itineris viatico, & hęc hactenus de Cyri decreto, quod quemadmodum n publicas relatum est tabulas, & in Ecatanis Ciuitate Mediæ conseruatum, ostea dicetur cap. 6. interim per promulgatum edictum facta Iudæis remigrandi in patriam potestate, paratisque rite ad id omnibus, ait Esdras.

Multis exemplis confirmatur sæpe in scripturis voces excepto & Absque non excludere aut diminuere sed augere & affirmare.

XXII. V. 5. *Et surrexerunt Principes Patrum, de Iuda & Beniamin & Sacerdotes & Leuitæ & omnis cuius suscitauit spiritum vt ascenderent &c.* Cyrus quidem omnibus præcepit, aut potius permisit, ascendere in Hierusalem, sed tantum de Iuda & Beniamin & tribu Leui dicuntur ascendere voluisse, nam decem tribus, sub Hieroboam Rege, à Templo Dei & cultu pietatis sunt alienatæ, & ideo à Regibus Assyriorum fuerunt in captiuitatem adductæ, nec vnquam omnes in Patriam perhibentur venisse, sed Iudas & Beniamin & tribus Leuitica, ad quam Templi ministerium pertinebat, quamuis peccata decem tribuum imitarentur, nunquam habitationem vrbis, & Templi ceremonias deserebant, vnde & vltimæ à Chaldæis sunt captæ, & primæ Persis regnantibus redire permissæ, quia scilicet de Tribu Iuda & Leuitica ortus est Dominus noster, ait Lyranus hoc loco, tribus quoque Beniamin illis se religiosa fide adiunxit, maximè quia Hierusalem in eius sorte fuit, & ideo collatæ misericordiæ particeps esse meruit. Quod si qui de decem tribubus redierant certe pauci erant, nempe aliquæ forte reliquiæ, quæ euaserant manus Regum Assyriorum, & coniunxerunt se tribubus prędictis tempore Iosiæ, vt habetur 2. Paralip. c. 24. v. 11. quæ fuerunt similiter captiuatæ per Nabuchodonosor, & similiter redierunt qui voluerunt redire Sic ille. Ergo licet ex omnibus forte tribubus, variis sæpe temporibus, multi ex captiuitate remigrarint in Iudæam, tamen primo hoc commeatu, illi aut solum, aut magna ex parte rediisse videntur, qui à Nabuchodonosor translati fuere Babylonem, hi autem fuere ex tribu Iudæ & Beniamin quæ domui adhæsere Dauidicæ, quādo decem aliæ abstractæ sunt à Hieroboā & populus duas in partes dissectus est, & ex tribu Leui quæ se propter Templum, cui exhibebat ministerium, duabus aliis tribubus applicuit quod autem obseruat Sanctius ex cap. 37. Ezech. v. 22. vbi sub vno duce, omnes tribus dicuntur futuræ, hinc colligi posse, aliquos ex decem tribubus reuersos cum zorobabele & Iesu qui primę huius remigrationis Principes fuere, & si non displicet, tamen & in aliud etiam tempus, ab hoc primo reditu, Prophetæ vaticinium referri potest; quo tempore, cum multi per varias vias & turmas, è decem tribubus redierint, liceat dicere euentu illud confirmatum, *Ecce ego assumam Israel de medio nationum ad quas abierunt & congregabo eos vndique & adducam eos ad humum suam, & faciam eos in gentem vnam in terra, in mon-*

Dicatur parare se ad reditum de Iuda Beniamin & leui quia de illis tribus tribubus tantum aut magna ex parte de aliis pauci aut nulli primo commeatu redierunt.

tibus Israel & Rex vnus erit omnibus imperans & non erunt vltra duæ Gentes nec diuidentur amplius in duo regna. Porro qui primum hic sese ad reditum in Hierusalem accingunt dicuntur *Principes Patrum &c.* sic vulgaris versio, proxime ad notionem vocis Hebraicæ, sed Hieronymus ad faciliorẽ intelligẽtiam sic vertere solet, capita, aut Principes familiarum & ita reddunt 70. &c, communiter alij, Principes Patrum Iuda & Beniamin, siue Principes familiarum, illi erant, qui inter seniores illarum tribuum, dignitate atque authoritate reliquos antecedebant, ait Salianus, sed addendum videtur diuersos fuisse Patres-familias, à Principibus aut Capitibus familiarum, cum enim in qualibet tribu, multi essent Patres familias, qui in sua quique domo Pater-vocaretur, erant etiam alij qui multarum familiarum Patres & Capita dicebantur, qui & alio nomine Patriarchæ nuncupabantur, quales fuerunt duodecim Filij Iacob, qui in totidem tribus, genus diuiserunt Israëliticum, & qui lib. 1. Paralipom. cap. 8. 28. Patriarchæ vocantur & cognationum Principes & sic enim ibi Iersia, & Elia & Zechri Filii Ieroham hi sunt Patriarchæ & cognationum Principes qui habitauerunt in Hierusalem.

Quinam essent ac dicerentur Principes Patrum & familiarũ.

XXIV. *Et omnis cuius Deus suscitauit Spiritum &c.* Hinc constat, non omnes rediisse, multi si quidem retinebantur in Babylone, ob manumissionem, & possessiones quas ibi acquisierant, propterea dicitur omnis cuius suscitauit Deus Spiritum, id est omnis cui mentem redeundi inspirauit per gratiam efficacem. Neque vero mihi dubium esse potest, quin multis etiam aliis, repetendæ atque instaurandæ patriæ, desiderium inspiratum sit, aut à Deo iniecta cogitatio, quos tamen aut bonorum, quæ in illa regione possederunt, aut vxorum quas ibi duxerant & filiorum quos ex illarum consuetudine susceperant, amor ac studium a redeundo retardauit, sed illorum, eo modo quo aliorum qui reapse inspirante Deo redierunt, spiritus non dicitur suscitatus, quia nimirum illi Deo inspiranti, non sunt obsecuti, aut quia cum primùm hanc mẽtem suscepissent, post modum ab ea, aliqua tentatione depulsi sunt.

Non omnes Iudæi Deo etiam desiderium redeuns inspiranti obsecuti sunt.

Vers. 6. Vniuersique qui erant in circuitu adiuuarunt manus eorum, qui circumquaque vicini erant Babylonis. Iudæis abeuntibus, aut reditũ parantibus, liberali manu porrexerunt aurum atque argentum, variam item supellectilem, siue pro via, siue pro domo stabili, equos, & alia iumenta, dossualia ad onera, siue plaustralia ad vecturam, infirmæ multitudinis, vt labor pro patria, religioneq; susceptus, eiusmodi sociorum humanitate recrearetur. Dubiũ tamen hic ex quorundam sententia & potissimum Saliani, relinquitur, an id intelligendum sit de Iudæis remanentibus, an de alienigenis, qui Cyro gratificari voluerunt, certè Iosephus lib. 11. antiq. cap. 1. Amicos, Regios, nominat, ego vero de vtrisque non video quid vetet intelligi, itaque & de exteris, qui se Cyro gratos, & Iudæis amicos ac beneuolos exhibere voluerunt, & de Iudæis captiuis adhuc, qui primo hoc commeatu non sunt profecti, aut quia non libuit, quod externa & peregrina cõmoratio magis ipsis placeret, aut quia res ipsorum familiaris & domestica nondum erat satis ad profectionem expedita, quidquid aut abeuntium vsui aut religioni ac Templi ministerio opportunum videbatur liberaliter contulerunt &c.

Pleri squè simul & Iudæis & Gentilibus locus hic intelligendus.

Vers. 7. *Rex quoque Cyrus pretulit vasa Templi Domini quæ tulerat Nabuchodonosor de Hierusalem & posuerat in Templo Dei sui &c.* Magnum sane Regiæ beneuolentiæ argumentum, quod decreto suo aliorum liberalitatem excitarit, ad eos adiuuandos, sed neque verbo contentus; pius Princeps, etiam præiuit exemplo, nam præterquam quòd voluit Templũ suis sumptibus ædificari vt ex sequentibus aperte constabit, & præsertim ex cap. 6. v. 4. Vnde decretum illius, superius à nobis explicatum supplendum est, vasa etiam è Templo olim a Nabuchosor asportata, volens libensque restituit, cur autem Cyrus restitui iusserit vasa quæ fuerant asportata de Templo Domini; quod eximiam profecto atque insignem eius pietatem arguit hæc peculiaris causa, fuit ex non nullorum sensu, audierat quippe Deum offensum contra Baltazar Regem Babylonis, eo quòd ea applicuisset vsibus humanis & prophanis, ad ministerium mensæ, bibendo in eis, cum ducibus suis, vxoribus & concubinis, vt habetur Danielis 5. propter quod Baltazar ipsa nocte sequenti interfectus fuerit capta Babylone; veritus igitur Cyrus, ne simile quid-piam peccaret, contra Deum, vasorum omnium lubens se possessione abdicauit, & ea confestim Iudæis reddi imperauit, hanc causam refert Lyranus; melius ex Sanctio, & aliis, causam hanc fuisse diximus, audierat Cyrus quid de ipso prædixisset Propheta maximus Isaias, didiceratque, ab eo paratos sibi esse ingentes thesauros cuius promis-

Quod potissimum Cyrum impulerit ad restituenda vasa quæ olim à Nabuchodonosor asportata fuerãt de Templo.

sionis fidem expertus fuerat, cum immensas Chaldæorum & Assyriorũ opes victor accepisset, quare cum tot tantosque thesauros absconditos, & arcana secretorum, vt ait sacer vates cap. 45. Cyrum ipsum alloquens, cum tot opes & gazas, cum tantum auri argentique pondus Regnorum spoliis collectum diuinæ liberalitati ac magnificentiæ referat acceptum, statuit quam primum commodè potuit, gratiam ei rependere, restituens quicquid pretiosum Nabuchodonosor ex Templo sustulerat, sustulerat autem plurima, quæ lib. 4. Regum cap. 25. & Hieremiæ cap. 52. numerantur, quæ quidem quia non omnia hic numerantur, censendum est id eò fieri quia de illis nonnulla aut iam perierant aut certe in prophanos vsus fuerant conflata.

XXVII. Qui Zorobabel ab Hebræis à Chaldæis vocatur Sassabasar.

Vers. 8. P*er manum Mithridatis Filij Gazabar annumerauit ea Sassabasar* P*rincipi Iuda &c.* Et si non ita certo definiri posse videatur quis proprie fuerit hic Sassabasar, tamen cum is dicatur Iudæ Princeps, placet quod à plerisque notatum animaduerto, sic à Chaldæis vocatum fuisse Zorobabel, cui vasa Templi à Cyro data sunt, in Hierusalem referenda, ac proinde esse binominem. Fuit autem Zorobabel Dux populi, ex semine Regio, Filius Salathielis & nepos Iechoniæ Regis, qui Babylone natus, nomen habuit a spe parentis, quod alienus à confusione futurus esset, hoc enim sonat interpretatio vocis Hebraicæ, Zorobabel, Babylonij autem eum Sassabasarem appellauerunt, ita Lyranus, Dionys. Torniellus, Vatablus: immo & Iosephus, loco iam sæpius citato, semel atque iterum Mithridati cuius in textu mentio est, adiungit Zorobabelem, eiusque rei signum est quod Sassabasar, tantum dicitur, in hoc lib. cum res est, cum Chaldæis vel Persis, alioqui enim Hebræo vocabulo, Zorobabel appellatur, & in catalogis vbi nominatur Zorobabel nulla est mentio Sassabasaris, accedit quod cap. 3. v. 8. dicitur Zorobabel, fundasse Templum, cap. autem 5. v. 16. dicitur Sassabasar posuisse fundamenta templi. Et certè constat magnam partem nominum Gentilitiorum populi Iudaici, variatam esse in Babylone, vt Danieli & sociorum eius, & Nehemiæ qui capite sequenti v. 63. vocatur Atharsata, vt passim consentiunt interpretes, dicunt tamen Hebræi teste Lyrano hunc Sassabasar fuisse Danielem, sed littera sequens, videtur huic opinioni contradicere, cum subditur vniuersa tulit Sassabasar cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Hierusalem Daniel autem non legitur rediisse de Babylone in Hierusalem, quin potius dicitur sepultus in Babylone, remansit enim ibi ad consolationem Iudæorum remanentium eo quòd magnæ esset potestatis, apud Reges, vnde & 3. anno Cyri facta est illi decima visio vt habetur Danielis 10. & anno. 1. Cyri data fuit Iudæis facultas redeundi, vt habetur statim 1. versu huius historiæ; ac proinde, melius dicetur hunc Sassabasar fuisse Zorobabelem; quod si quis voluerit cum Hebræis sentire, poterit dicere Danielem, licet de Babylone redierit in Hierusalem, tamen de profectione Iudæorum & de cõportatione vasorum disposuisse, & ideò ipsi primum tradita fuisse, penes quem totius negotii cura esset, &c. Porro Mithridates per cuius manum vasa annumerantur Sassabasar, quique dicitur Filius Gazabar; secundum vulgatam lectionem à Pagnino vertitur thesaurarius, sicut & à 70. Sixti; & Tigurina, Iosephus quoque, Ærarii Regii præfectum vocat, verum (græca Regia) & Basil. Gazabar tanquam nomen proprium accipiunt, in eoque cum vulgata nostra consentiunt; tandem & hoc loco obseruatione dignum est, & à soluta captiuitate Iudæorum Magistratus, Duces, ac Principes, à Persarum Imperatore etiamnum adhuc designatos fuisse, neque id Iudęorum Principibus fuisse commissum, nisi ex peculiari priuilegio, quare cum Sassabasar Principi tradita dicuntur vasa Templi, pro religioso cultu, eo tempore à Persarum Rege constitutus est Princeps, quod constat ex capite 5. v. 14. vbi dicitur protulit Cyrus vasa &c. *Et data sunt Sassabasar, quem Principem constituit.* De Esdra, cap. 1. v. 14. *Tu autem inquit Artaxerxes constitue Iudices & Præsides*: & 2. Esdræ cap. 5. v. 14. idem de seipso tradit Nehemias; *A die inquit à qua preceperat Rex mihi vt essem Dux in terra Iuda.*

Ratione e auctoritate nicectura quæ Sassabasar eundem esse ac Zorobabelem indicant.

Falluntur Hebræi apud Lyranum qui Sassabasar Danielem fuisse existimant.

Sassabasar siue Zorobabel Princeps populi ab ipso Persarum Rege Cyro designatus.

V. 9. *Et hic est numerus eorum Phialæ aureæ triginta, Phialæ argenteæ mille &c.* Constat quidem numerum vasorum tam aureorum, quam argenteorum, in vniuersum, fuisse quinque millia & quadraginta, vt inferius dicitur v. 11. sed illorum hic tantum partem aliquam in specie, scriptura recensuit, nimirum 2499 duo millia quadringenta nonaginta nouem in Græco Sixti, numerantur omnino, per species suas 5499 quinque millia quadringenta nonaginta nouem, Iosephus habet diuersos omnino numeros, & vasorum

Varia templi suppellex sigillatim hic describitur & quis vsus fuerit illius in templo.

sorum species, quorum omniũ summa est A tantum 4210. quatuor millium ducentorum & decem. Obseruandum autem & illud hic propriè occurrit quod notat etiã Dionysius Carthusianus Phialas fuisse vasa in quibus vinum libationis fusum considerabatur an esset aptum ad sacrificia.

XXIX. *Cultri viginti nouem, &c.* Erant cultri magni, quorum vsus erat ad diuidendas hostias, 70. vertunt, mutatoria (scilicet vestium) quasi diceret, iuxta versionem illam, vestes pretiosæ, &c.

XXX. *Scyphi aurei triginta, &c.* Scyphi, alijs pelues, vel crateres aliis cochlearia sunt.

V. 10. Scyphi argentei secundi, &c. Scilicet Scyphi aurei, primi generis, & formæ erant, argentei secundi generis, porro in Scyphis, siue peluibus argenteis recipiebatur sanguis hostiarum, sed in aureis portabatur intra sanctum sanctorum in die seu festo expiationis ait Lyranus. & cum eo Dionysius Carthusianus in hunc locum.

V. 10. Omnia vasa aurea & argentea, quinque millia quadringenta, &c. intellige tam expressa hic quam tacita, vt superius indicaui, non enim enumerauit sigillatim superius omnia, sed præcipua tantum, vnde nil mirum si quæ sunt posita vnam in summam collata, multo minorem numerum efficiant, quam qui in textu astruitur.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis 1.

Morale & Mysticum in hæc verba.

In anno primo Cyri, &c. 1. Esdræ 1.

Seu quid Mysticè significet Cyrus liberans à captiuitate Judæos & in patriam remittens cum potestate ædificandi Templi.

I.

Soluta captiuitas Babylonica per Cyrum traducitur Allegoricè ad Animas liberatas à Diabolo seruitute per Christũ

On est difficile Christũ B hic in Cyro repræsentare & generis humani vindicem & assertorem sin assertore libertatis Iudaicæ suo velut in typo, quod aiunt, atque imagine adumbratum contemplari. Enimvero in hunc locum sic differit Beda citatus in glossa ordinaria, sicut Cyrus destructo Chaldæorum imperio populum Dei liberauit, & in patriam remisit, & templum incensum Hierosolymis reædificari præcepit, & hoc edictum etiam per litteras manifestauit: Ita Christus destructo diaboli regno, electos suos, qui erant dispersi, C ab eius tyrannide in Ecclesiam congregauit, quæ in præsenti iustificata ex fide, pacem habet ad Deũ, per ipsum & ad visionem perpetuæ pacis festiuat, Hierusalem quippe visio pacis dicitur, Templum quoque incensum restaurari fecit, cum illos qui insidiis antiqui hostis fidem perdiderant, ad salutem reducens, habitatione sua dignos efficit, scripturas etiam sacras, & sanctas, per vniuersum mundum mittit, quibus fidem sui nominis, & spem salutis cunctis qui ad regnum suum perti

B nent id est electis prædicat: Paulo aliter Mystagogiam hãc versat Lyranus. Cyrus II.

Sensus Allegoricus & moralis Lyrani diuersus paulum à Superiori qui est Bedæ.

inquit figuram gessit nostri Saluatoris, quia sicut Cyrus relaxauit captiuitatem Iudæorum, sic Saluator noster captiuitatem Patrum in Lymbo detentorum, ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Psal. 67. & propter hanc figuram, iste Cyrus, vocatur Christus Isaiæ 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Cætera quæ addit, & explicat, huic literæ, ad Apostolorum per orbem dispensationem & totius Ecclesiæ ædificationem per Christũ referuntur. Assensu autem mystico sine Allegorico ad mo- C ralem sic descendit, Moraliter inquit per Cyrum Christus significatur, per domum Domini ædificandam intelligitur mens humana. 1. Corinth. 3. Templum Dei sanctum quod estis vos, hæc autem domus ædificatur in Hierusalem, id est, in quiete voluntatis bonæ. Luc. 2. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis. Ad hanc ædificationem inducit Cyrus noster, scilicet Iesus Christus, per vocem id est per internam inspirationem, in qua loquitur mentibus humanis, & per scripturam, id est per doctores

A & prædicatores ad informationem populi, sacram scripturam exponentes. Per vasa verò à Nabuchodonosor ablata de domo Domini possunt intelligi, dona Spiritus sancti quæ diabolus aufert de mente hominis, quæ templum est diuinitatis, quando eam inducit ad casum peccati mortalis, sed Cyrus noster id est Christus, ea remittit cum à peccato mortali ad gratiam resurgere facit, & tunc laborat, sic resurgens ad ædificationem Ecclesiæ, per exercitiũ virtutis à Domino restitutæ.

Placuit mihi supra modum vt ingenuè fatear hæc tropologia, tum quod aperta & dilucida sit, tum vel maxime, quod extortum in ea quidquam aut in eius apodosi, & redditione similitudinis, in partibus textus historici, nihil admodum per

III.

vim adductum videatur. Sed & aliam quoque paulum à superioribus diuersam nec scitu iniucundam eiusdem Cyri cum Christo compositi allegoriam nobis repræsentat D. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Genesin non longe ab initio, vbi postquam asseruit mirum nihil esse, si eis qui eum cognouerint, eiusque legem sequuti fuerint, se Deus aliquando excellentiamque suam obumbrauerit cum in externo peregrinoque homine (Cyrum intelligit) qui Israëlem scilicet ex captiuitate redemerit, ciuitatemque sanctam restaurauerit, ac fortitudine & magnitudine animi omnes suæ ætatis fere homines excelluerit id egisse perhibeatur, producto ad id explicatoque de Cyro, rebusque ab eo olim gerendis, Isaiæ vaticinio, adiungit, sed age res Cyri gestas, ad Christi mysterium traducamus, Cyrus, patre Cambyse Rege Persarum, qui omnes fere ætatis suæ homines pietate anteibat, matreque Mandane, Astiagis filia, Regis Medorum ortus est, vnde nonnulli eoquod diuersis parentibus natus fuerit, Pater nãque Perses, Mater Meda fuit, quasi mulum bigenerumque eum appellabant, aliud enim genus Persarum est, aliud Medorum, quod in Christo quoque perspici potest, Matrem enim sacram Virginem, cum humanam naturam haberet nobisque similis esset obtinuit, patrem habuit neminem, sed eum, certe, qui alterius omnino naturæ est, & omne quod concretum creatumque sit mirum in modum excellit. Quamobrem Iudæis cum eum æqualem sibi putarent: *Vos inquit Ioan. 8. a deorsum estis ego desuper sum*, sed Cyrus, vt ad eum nostra reuertatur oratio innumeras gentes deuicit, cunctasque sibi ciuitates subegit, ac thesauros abditos arcanaque secretorũ obtinuit, Israëlemque longa seruitute redemit. Emmanuel quoque, cunctorum qui sub cœlo sunt imperium tenuit, omnis ciuitas eum veluti Saluatorem liberatoremque suum, libenti animo excepit, genus humanum, quod iugo seruitutique criminatoris nostri redactum fuerat, liberum reddidit, in infernos profectus, thesauros abditos, arcanaque secretorum exhausit, portas æreas contriuit, vectes ferreos confregit, *iis qui vinculis tenebantur, exite, continuo dixit, & qui in tenebris erant, illuminamini Esaiæ 49.* Vnde & ad Iobum patientissimum illum inuictissimũque athletam sic ait Deus Iob. 38. Venistine ad fontem, &

D. Cyrilli Alexandrini Allegoria de Cyro cum Christo composito.

IV.

Quæ de Cyro ab Isaia dicuntur in sensu literali c. 45. belle ad Christum referuntur

à Cyrillo in sensu mystico.

B in vestigiis abyssi deambulasti: aperiunturne tibi metu portæ mortis, & ostiarii inferi cum vidissent te metuerunt? hæc ita interrogatiuè oportet legere, vt res quascunque Christus, vbicumque gesserit, ipsa demonstret oratio: Ob id enim mortuus viuusque fuit, vt mortuorum viuorumque dominetur Rom. 14. pergit Cyrillus, Cyrus cum pecuniam dedisset Hierosolymitanum templum instaurare præcepit, Emmanuel, Ecclesiam suam, veluti ciuitatem profecto sanctissimam celeberrimamque construxit gentilemque insolentem, contumeliosamque religionem, veluti Babylonem funditus sustulit, Cyro Deus omnem, inquit, voluntatem meam implebis Is. 44. Christus

C Iudæis, cum eum reprehenderent Ioan. 8. *Vos*, inquit, *secundum carnem iudicatis sed si ego iudicauero iudicium meum verum est, quia non voluntatem meam sed eius qui me misit inquiro*: Cyro, Deus ait, *vocaui te nomine meo*, Emmanuel Dominus certe appellatur, quanquam naturam humanã assumpserit, sed quod res Cyri gestæ, notam Christi repræsentarent, ex his quoque quæ dicuntur, facile patebit, ita namque Isaias refert c. 45. *Ego feci terram & hominem super eam, creaui ego, manus meæ extenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandaui. Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam, ipse ædificauit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittit non in pretio, neque in muneribus, dixit Dominus exercituum, hæc dicit Dominus Deus labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ & Sebaim, viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt & post te ambulabunt, & iuncti manibus pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur, quia in te est Deus, non est absque te Deus, vere tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator, confusi sunt & erubuerunt omnes simul in captiuitatem fabricatores eorum.* Nam qui terram condidit, hominemque in ea creauit, ac cœlum stellis

D

ornauit, suscitauit nobis Iesum, qui genus humanum, gratis liberum reddidit, Israëlemque spiritualem vinculis captiuitateque dimisit, ac Ecclesiam adeo firmis fundamentis construxit, vt nullo pacto portis inferi possit euerti, neque hostili vnquã manu opprimi, sed & ij quoque qui iamdiu errabunt, nunc ipsum qui Deus natura est profecto agnoscunt, claraque voce prædicant, tu es Deus noster, & non cognouimus, & non est præter te Deus, huic omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Cui cum quidam ex Iudæis resisterent, cõfusi profecto sunt erubueruntque vt ipse Propheta testatur: Ergo Cyrus, Cambysæ filius, ad notam Christi, & velut insignem in typum Templum Dei Hierosolymitanum instaurauit. Hactenus D. Cyrillus: satis subtiliter. Et certe de Cyro Christũ adumbrante illustris est locus Isaiæ c. 45. n. 1. hæc dicit Dominus Christo meo Cyro cuius apprehendi dexteram vt subiiciam ante faciem eius gentes & dorsa regum vertam & aperiam coram eo ianuas & portæ non claudentur, quem locũ sic explicat Tertull. lib. cont. Iudæos, c. 7. his verbis, Cui enim dexteram tenet Pater Deus, nisi filio suo, quem exaudierunt omnes gentes, id est cui omnes gentes crediderunt, & post nonnulla: In quibus omnibus locis, Christi nomen, qui iam venit, regnat, vt pote ante quem omnium ciuitatum portæ, sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ, & valuæ æreę sunt apertæ, quanquam ista sunt spiritualiter intelligenda, quod præcordia singulorum, variis modis à Diabolo obsessa, fide Christi sint reserata: attamen perspicuè sunt adimpleta, vt pote, in quibus omnibus locis, populus nominis Christi inhabitat. Et post alia, in eandem sententiam, hæc quoque subiicit, Christi autem regnum, & nomen, vbique porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gentibus, supra enumeratis, colitur, vbique regnat, vbique adoratur, & hæc satis de Cyri allegoria.

Cyrus templum ædificãs illustris Christi typus fundãtis Ecclesiam.

V.

Eadem Allegoria firmatur ex Tertulliano supra dictum Isaia locum c. 45. interpretante.

TROPOLOGIA CAPITIS PRIMI.

Morale in illud v. 2. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cœli & ipse præcepit mihi vt ædificarem ei Dominum &c.

De gratitudine erga Deum & vniuersim,

De memoria beneficiorum acceptorum conseruanda.

SECTIO PRIMA.

VI.

Ex virtute gratitudinis in Deum, orta Cyri in Iudæos humanitas & beneuolentia.

Vt constat ex littera, ab vno gratitudinis fonte, manat tanta tamque insignis Cyri Persarum Regis in Iudæos è iugo Babylonicæ captiuitatis ereptos beneuolentia, quam toto hoc opere suspicere atque admirari licet. Vetus illud verbum est Senecæ non debet beneficiorum memoria senescere. Ideo iuuenes olim à Poëtis gratiæ fingebantur. Sane ad hoc præceptum egregiæ vitæ suæ institutũ exegit princeps humanissimus: nempe beneficiorum à Deo acceptorum recens memoria & publica significatio facit, vt ea reponere pro facultate studeat, & eo nomine de templo Dei, suis sumptibus instaurando ornandoque statuat.

Arreptá hinc occasione, nonnulla hic ad mores de virtute gratitudinis, eique opposito ingratitudinis vitio delibanda. Ergo de beneficiorum acceptorũ agnitione eorumdemque memoria, item, &c. de illorum reponendorum cura atque ingenio cum facultates erunt, verbo dico.

De gratiarum actione pro beneficiis, non est qui ambigat, quam hominem deceat, sitque necessaria ad tetram ingratitudinis labem amouendam, nec expectãdum esse vt exigatur, sed vltro deferẽdam esse recte notat, sanctus Ambrosius libro de Noë & arca capite 22.

De necessitate gratitudinis exercenda etiam cum non exigitur, & quã fieri potest citissime.

Grauissimis item verbis memoriam accepti beneficii commendat, Seneca lib. 2. de beneficiis cap. 24. *Nihil*, inquit, *magis præstãdum est quàm vt memoria nobis*

meritorum hæreat, quæ subinde referenda est quia nec referre potest gratiam nisi qui meminit, & qui meminit iam refert: & lib. 3. cap. 2. qui meminit sine impendio gratus est, hoc, quod non operam exigit, non opes, non fœlicitatem, qui non præstat, nullum habet quo lateat patrocinium & alibi: quicquid frequens cogitatio exercet ac renouat memoriæ, nunquam subducitur, quæ nihil perdit nisi ad quod non sæpe respexit: Idem Epist. 81. quid eo miserius cui beneficia excidunt? Sapientia exornat omne beneficium ac sibi ipsi commendat & se assidua eius commendatione delectat. Neque vero debet beneficii antiquitas illud reddere ob solletum, immo vt dicitur in Panegyrico Constantini Flauiensium nomine, beneficia vetera hoc sunt sanctiora quod vetera, bonis enim meritis, cum ætate dignitas & pondus accedit, atque vt magno natu parentes, magis magisque in dies veneramur ac colimus, strat um vero æqualitas & liberorum soboles blandiore licet, leuiore tamen animos tāgit affectu, ita beneficia antiqua grauiora sunt quāuis præsentia suauiora videantur: ad hæc sterilis esse non debet beneficii accepti memoria, & qui beneficium accepit nec rependit, cum ei suppetit rependendi facultas & occasio, gratus haberi non potest, audire ingratus potest, &c.

VII. Reponēdū beneficium cum per facultates licet.

Hanc esse turpissimam mortem ex sententia Socratis legitur apud Antoninum lib. 11. num. 22 Socrates inquit Perdicæ quærenti cur non ad ipsum veniret, respondit ne turpissimo interitu peream, hoc est ne beneficio affectus id non possim compensare, &c.

Ita, Seneca teste lib. 2. de beneficiis cap 25. qui gratus futurus est statim dum accepit de reddendo cogitat: & Saluianus lib. quarto ad Eccles. Natura, inquit, ipsa hominum consuetudoque communis, hac quasi generali cunctos lege constringit, vt à quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus eis gratiæ debeamus, arctat quippe nos ad retributionem dati accepta largitio, ante vsum enim & munificentiam liberalitatis alienæ, liber est quispiam beneficiorum fœnore non grauatus. Cogūtur autē omnes ipsa conscientia sua ad repensationem vicissitudinis, postquam esse cœperint debitores. Iam vero ad rem nostram propius, & si censeri quis potest grati hominis erga hominem à quo beneficium accepit, munere perfungi si rite omnia adhibeātur ex decoro & quod gratitudinis lege perscribuntur, tamen Deo optimo maximo, ob titulorū prope infinitam multitudinem quibus ei obstringimur, nullas vnquā pares gratias referri posse.

Et nomina quæ apud ipsum contraximus nunquam bene penitus absolui.

Quæ Deo gratiæ referuntur beneficiis impares semper atque imperfecta.

Cæcus sit qui non videat, amens qui non intelligat.

Vt propterea sanctus Basilius oratione in Martyrem Iulittam maxime cōmendet eximiam illam Regii Prophetæ vocem, merito ait, hærentis velut in salebra & circunspicientis suammet inopiam, quod ad manum nihil retributione dignum occurrat, nihil quod aliqua ex parte respondeat magnificis adeo ac splendidis beneficiis, (ea paulo ante enumerauerat in hæc verba. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.) Cuius sensum mentemque egregie exprimit & illustrat eius frater Gregorius Nyssenus oratione prima in orationē Dominicam cum his verbis concludit, existimo igitur quod si vel per totam vitam orando, atque gratias agendo, sermocinationem cum Deo continuemus, tantum ab ea quam fieri par esset retributione abfuturi sumus, quantum si nec omnino ab initio quidem remunerari benefactorem in animum induxissemus: in tres partes spatium temporis diuiditur, in præteritum, præsens & futurum, in tribus beneficium Domini deprehenditur. si quod præsens est consideraueris, per ipsum viuis. si futurum, ille tibi earum rerū quæ sunt in expectatione spes est, si præteritum, non esses nisi prius ab illo factus esses, idipsum quod natus es ab illo beneficium accepisti, ac postquam natus es, beneficio afficeris dum per illum & viuis & moreris, vt inquit Apostolus, rerum futurarum spes ex eodē beneficio pendet, tu vero solius præsentis compos es, itaque si vel per omne vitæ tempus gratias agere Deo non intermiseris, vix præsentis temporis gratiam explebis, cum interim nullam rationem excogitare possis qua vel futuri vel præteriti temporis debita compensentur sic & subtiliter & eleganter Nyssenus vt ostendat nomina apud Deum contracta nunquam ab homine omnino dissolui.

Ratio D. Gregorij Nysseni qua conficitur nomina apud Deū contracta nunquam ab homine omnino dissolui.

Huius rei rationem repetere etiam licet ex Seneca, quamuis ab eo alia occasione prolatam libro quinto de beneficiis cap. 9. semper dat, sine intermissione dat, inire beneficiorum suorum non potest numerum, quomodo ergo gratiam referet, etsi & hoc ipsum, quo gratiam refert beneficium det, &c. Nimirum ipse gratitudinis actus seu gratiarum actio nouum Dei beneficium est. Belle his concinit Agapetus

in tabella Regia num 43. cum ait, tot licet numero benefacta cumules quot cœli stellæ sunt, nunquam tamen bonitatem Dei vinces. nam quæcumque quis Deo offert, ex his quæ ipsius sunt propria illi offert, atque vt nemo superare potest vmbram semper præuertentem, etiam eum, qui instanter vrgeat in sole, ita neque homines bonitatem Dei insuperabilem beneficiis superauerint, gratitudinem tamen qualemcumque exhibere potest humana imbecillitas, exigit à nobis diuina bonitas. ingratis exprobrat beneficia, eosque duriter compellat Isaiæ primo. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, cognouit vos possessorem suũ & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, væ genti peccatrici, populo graui iniquitate semini nequam, filiis sceleratis. Sic eundem populum eiusdem ipsius criminis infamat Psaltes Regius Psalmo 105. cito fecerunt, obliti sunt benefactorum eius, & infra, obliti sunt Deum qui saluauit eos, &c.

Contendendum est igitur omni studio vt gratum animum tam iugi tamque effusæ diuini numinis in nos beneficentiæ rependamus, idque syncera cum interna tum externa significatione testemur; scimus quidem quantumcumque connitemur fore vt fatiscamus sub onere vt malorum, sic bonorum idest beneficiorum, quædam est intolerabilis magnitudo ait Tertullianus, sed præstandum quod in nobis & genus etiam quoddam gratiarũ actionis censetur, imparem se gratiis referendis aut reponẽdis beneficiis agnoscere & profiteri, &c. Sed malum? nec in eo magnam partem, quod nostratum vitium est, exercimus, & cum grati in Deum aliquo modo esse possimus, ingrati esse malumus.

Efferuescit in eam sententiam ardentius Gregorius oratione nunc citata, vbi mortales omnes obtestatur vt tãtam tamque insignem erga nos Dei munificentiam mentis oculis circunspiciant, itaque exclamat. *Nos autem qui tantum absumus à potestate debita gratiarum actionis ne in eo quidem quod à nobis fieri potest animi gratitudinem præstamus, non dico totum diem, sed nec exiguãm diei partem vacationi diuinæ tribuentes, quis mihi terram substrauit? quis peruiam solertia atque industria naturã humidam fecit? quis fixit mihi cælum tanquam cameram? quis præstat mihi facem solis? quis emittit fontes in conuallibus? quis parauit amnibus alueos per quos decurrant? quis mihi brutorum animalium ministerium subiecit? quis me cum puluis inanimus essem*

VIII. *Inuectiua SS. Patrũ aduersus hominis in Deum ingratitudinem.*

Greg. Nyss.

A *vitæ pariter & mentis participem fecit? quis hoc lutum ad imaginem figura diuina formauit? quis imaginem diuinam per peccatum in me confusam ad pristinum rursus decorem reduxit? quis me pulsum paradiso & ligno vitæ priuatum & in barathrum materialis vitæ demersum ad primam trahit beatitudinem? Non est qui intelligat, inquit scriptura, nam profecto si hæc perpenderemus continentem & assiduam per omne vitæ spatium gratiarum actionem præstaremus.* Huc vsque Nyssenus. Versatur item insigniter in hoc ipso argumento Saluianus initio libri secundi ad Ecclesiam Catholicam vbi postquam diuina beneficia cum naturalis tum supernaturalis ordinis egregiè

Saluian.

B expandit, tandem concludit. Quantumcumque præstemus & grati esse connitamur, Deum semper fore vt natura sic beneficẽtia superiorem gratitudine nostra; Et certe si censetur benefactor esse superior eo cui facit beneficium, & vt D. Thomas affirmat secunda secundæ quæstione 106. articulo 2. est causa eius in quantum eiusmodi, & ideo ad eum conuertitur vt ad principium suum aliquo modo, multo id potiori iure de Deo dicendum est, ad quem naturam omnem creatam tanquã ad superiorem & bonorum omnium authorem conuerti par est. Iam vero quam

C fœda sit ingratitudinis labes satis ostẽdit tritum illud & pridem à Seneca obseruatum libro 3. de beneficiis: quod pœnam huic crimini constitutam nusquam reperias, præterquam apud Macedonas, Persas & Medos addere potuit, de quibus extant apud bonos authores testimonia, illud vero ad sceleris grauitatem & virulentiam sic refert, idem Seneca, his verbis, nostri maiores inquit maximi illi viri ab hostibus tantum res repetierunt, beneficia magno animo dabant, magno animo perdebant, excepta Macedonum gente non est in vlla data aduersus ingratum actio, magnumque hoc argumentũ

D dandam non fuisse quia aduersus maleficium omne consensimus & homicidii, veneficii, parricidii, violatarum religionum alibi atque alibi diuersa pœna est, sed vbique aliqua, hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, vbique improbatur, neque absoluimus illud, sed cum difficilis esset incertæ rei æstimatio, tantum odio damnauimus & inter ea reliquimus quæ ad vindices Deos mittimus, hæc ille qui & subdit rationes negatæ aduersus ingratum actionis, partim ex natura beneficii collati, partim ex difficili eius æstimatione, partim ex nimia reorũ multitudine, partim denique ex eo peri-

Apud solos Macedonas ex Senecâ datã olim aduersus ingratos actionem eisque publico iudicio punitã solitos.

tas quod constare nequeat quæ pœna iuste sit ingrato decernẽda: præter cœteras, ea ratio videtur idonea quod iustam pœnæ ingrato rependendæ taxationem constituere legislatores fere non possent, sed quod in hoc genere hominibus arduum ac difficile censetur, ne dicam impossibile, Deo promptum ac procliue est, carpit si quidem & in hac & in altera vita, plectitque homines ingratitudinis vitio laborantes beneficiorumque suorum immemores, quanquam, vt ingratus à pœna legibus constituta immunis sit, non propterea fœlix & beatus censendus est. ipse se plectit, sua se labe infuscat, summum ipse sibi damnum probrumque æternum inurit. Ita Seneca proximè citatus Epistola 81. Nemo inquit si ingratus est, non miser erit, non differo illum, statim miser est. Itaque ingrati esse vitemus non alia causa sed nostra, minimum ex nequitia leuissimumque ad alios redundat, quod pessimum ex illa est, & vt ita dicam spississimum domi remanet & premit habentẽ quemadmodum Attalus noster dicere solebat malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit, illud venenum quod serpentes in alienam perniciem proferunt sine sua continẽt. non est huic simile, hoc habentibus pessimum est, sed profanos authores missos faciamus, inter sanctos Patres vnus Ambrosius verbis sane magnificis ingratitudinem in Deum optime perstringit oratione de obitu Satyri fratris sui, quem ait pronunciasse nullum referendæ gratiæ maius esse officium, quod si homini non referre simile homicidio iudicatum est, quantum crimen est non referre Deo? Est ergo prudentis agnoscere seipsum & quemadmodum à sapientibus definitum est secundum naturam viuere, quid enim est tam secundum naturam viuere quam referre authori gratiam? Aspice cœlum hoc nonne authori refert gratiam cum videtur? Cœli enarrant gloriam Dei & operá eius annunciat firmamentum. Mare ipsum cum sedatum atque tranquillum est diuinæ serenitatis testatur indicium, cum mouetur indignatio superna terrori est, nonne omnes Dei gratiam iure miramur cum aduertimus quod insensibilis natura quadã sensibili ratione suos fluctus coerceat & fines suos vnda cognoscat? nã de terris quid loquar quæ diuino obedientes præcepto omnibus sponte animantibus pabulum subministrant? atque id quod acceperint agri velut crescentibus vsuris multiplicatum cumulatumque restituunt. Ergo ille qui natura duce diuini rationẽ operis igneo mentis vigore perceperat sciuit primo omnium seruatori suo gratiam esse referendam, hæc Ambrosius. Quid vero hac oratione elegantius? quid ad persuadendum gratitudinis studium aptius? quam quod ingrati animi vitio laborantem rebus ipsis insensibilibus insensibiliorem quodammodo ac stupidiorem esse commonstrat? nec minus luculenter de eo disputat Gregorius Thaumaturgus in panegirico Orige: Dura inquit mihi grauisq; res ingratitudo videtur, grauis inquam & grauis vsquequaque: cum enim qui beneficio affectus sit, si aliter non potest agendis saltem verbo gratiis rependere non conari, aut mente capti & sensum beneficiorum non habentis, est hominis aut immemoris, cui vero & sensus & cognitio est beneficiorum, nisi memoriam conseruet in posterum nisi gratiam etiam aliquo modo refe: at bonorum authori, iners ille est atque ingratus & impius eius criminis reus quod nec paruus nec magnus ignoscat, &c. Sic ille, quid ad hæc illi de vulgari hominum cœtu tam frequẽtes qui benefactorem aut contemnunt aut beneficium ab eo collatum despiciunt, qui mala pro bonis retribuunt qui non modo non rependunt beneficium cum id commode possint, sed etiam nouo atque insolenti nequitiæ genere de ficubus tribulos & de vuis spina legunt, cum à beneficiis ipsis occasionem captant insurgendi in authorem eoque magis in benefactorem suum efferantur quo maiori beneficio sunt affecti. Non illepide quidã apud Galenum, in oratione Suasoria ad bonas artes, aiebat, plerosque ita se erga benefactores habere, ac erga fontes, ad quos cum sæpe aquatum venerint, simul ac desierint habere aquam apud eosdem vrinam reddunt, & quod purum est ex sese fœde inquinant. Multa sunt ingratorum genera, quorum vna culpa est ait Seneca libro tertio de beneficiis capite primo ingratus est qui dissimulat, ingratus est qui non reddit, ingratissimus omnium qui oblitus est, &c.

Hic nunquam fieri gratus, & est cui totum beneficium elapsum est, & vtrum peiorem vocas apud quem gratia beneficii intercidit, an apud quem etiam memoria? lusciosi oculi sunt qui lucem reformidant. cœci qui non vident. & parentes suos non amare impietas est, non agnoscere insania! quis tam ingratus est quam qui quod in prima parte animi positum esse debuit, & semper occurrere, ita seposuit, & abiecit, vt in ignorantiam verteretur, apparet illum non sæpe de reddendo

IX. Ingratum sibi ipsi supplicium esse.

D. Ambrosij oratio de Gratitudine in Deum.

Hominis in Deum ingratitudo a D. Gregorio Thaumaturgo luculenter perstricta.

X. Multa in Deum hominesque ingratorum genera, ex Seneca.

cogitasse cui obrepsit obliuio, quis porrò huius criminis non reus, si testem ac iudicem adhibet conscientiam, quos ex toto orbe appellem insontes, si cœlum inspicio. Hæc quotidie miseri mortales in Deum peccamus, vel enim eius beneficia nihili ducimus, vel accepti beneficii gratiam dissimulamus, vel extenuamus, vel obliuiscimur, vel offensionis etiam nonnunquam loco ducimus, vel quod omniũ nefandissimum est, donis suis eum impetimus ac beneficiis ipsis aduersus ipsum pugnamus, vt sane mirum non sit diuino numini ingratitudinem adeo displicere tantamque hominum animis inferre perniciem quantum edisserit Diuus Bernardus cum eam his infamiæ notis, aspergit sermone primo de septem misericordiis. Peremptoria res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis, nihil ita displicet Deo præsertim in filiis gratiæ in hominibus conuersionis, quemadmodum ingratitudo, vias enim obstruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit, locũ non habet. Et ser. 51. in Cãtica vbi expandens illud Cant. 2. *Laua eius in capite meo & dextera illius amplexatur me*, postquam exemplo sponsæ ad virtutem gratitudinis inuitauit his verbis, fœlix anima quæ in Christi recumbit pectore & inter verbi brachia requiescit, læua eius sub capite meo & dextera amplexabitur me, non ait amplexatur sed amplexabitur vt noueris prioris gratiæ adeo non ingratam vt secundam gratiarum actione præuenerit, disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis, disce ad singula dona gratias agere, diligenter inquit considera quæ tibi apponuntur vt nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur non grandia, non mediocria, non pusilla, denique nitemur colligere fragmenta ne pereant. idest nec minima beneficia obliuisci, tandem subiungit, nunquid non perit quod donatur ingrato, ingratitudo vẽtus vrens siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ, propter hæc denique sponsa mox vt gratiam de læua sensit gratias agit, non expectans plenitudinem quæ in dextera est, hinc est, cur idem Diuus Bernardus sermone cuius titulus est, contra pessimum vitium ingratitudinis, de clementia, inquit, esse videtur ingratis negare quod postulant, ne contingat nobis vt tanto grauius de ingratitudine vindicemur quanto magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur extitisse. Ergo misericordiæ res est in hac parte subtrahere misericordiam quem-

Ingratitudinis vituperium ex Bernardo

Clementia diuina indicium ingratis negare quod postulant.

A admodum iræ & indignationis, misericordiam exhibere. Hinc est cur etiam vulgo Theologi post sanctum Thomam tertia parte quæstione 88. articulo primo, & in quarto distinctione vigesima, quæstione prima licet peccata per gratiam iustificantem remissa, homine per mortale peccatum ab hac gratia excedente reapse redire nunquam immò nec posse constanter asseuerent: tamen redire quodammodo non quidem proprie & formaliter vt aiunt, sed virtute, idest ratione circunstãtiæ ingratitudinis vt plurimum peccato adiunctę vno omnes ore consentiant, quia nimirum ex circunstantia in-

B gratitudinis de beneficio remissionis criminum omnium præcedentium, quod postea subsequitur grauius longe ac deterius efficitur, quam alioqui per se ab ingratitudine seiunctum extitisset: sic tritam illam parabolam Matth. 18 serui à quo Dominus totum antea remissum debitum repetiit, propter peccatum illam remissionem subsecutum quo conseruum suum durius atque inhumanius habuit interpretantur, tanto vero crimen acerbius censetur quanto plura olim & grauiora per iustificationem remissa sunt, cum hinc maius fuerit atque excellentius longè, iustificationis beneficium, tanto

Quomodo remissa iã per pœnitentiam & gratiam iustificantem peccata redire dicantur ratione ingratitudinis sequentis peccato adiuncta.

C item peccatum grauius quo plura & maiora cuiuscumque tandem generis beneficia ab ingrato accepta sunt? Quæ si vera sunt, quantam hoc vno Deus bone, fœdũ illud vitium ingrati animi, animo ipsi cladem importat? quid quod Diuus Chrysostomus homini erga diuinum numen ingrato ac beneficiorum quæ ab eo accepit immemori, blasphemi notam ac crimen inurit? quod ego quidem haud scio an à quoquam alio obseruatum sit, qui de hac materia disputat, sic enim ille homilia 8. in epistolam ad Philippenses ἀχάριστος τῷ θεῷ βλάσφημός ἐστι qui ingratus est in Deum blasphemus est. Qui gra-

XI.

Ingratum hominem in Deum à D. Chrysostomo blasphemũ dici & quã ob causam.

D tiam Dei, aut nihili, aut parui pandit, quodammodo blasphemat. Qui ingratus, idem blasphemus est, inquit, propudio sum nomen! quam ego vt viri maxime eloquentis inter reliquos patres sic vere loquentis, vocem, sic interpretor. Ingratus, quisquis ille est idem blasphemus in Deum est, non modo, quia quodlibet peccatum, certum etiam quoddam blasphemiæ genus est, ait Origenes, in epistolam ad Romanos, interpretatiue puta.

Sed etiam quia peculiari quadam ratione, qui in Deum ingratus est nec honorifice de acceptis ab eo beneficiis sen-

tit, diuinæ ipsius maiestati summe iniurius ac contumeliosus est, & quasi blasphemando summæ in nos beneficentiæ quod suum est detrahit. Nimirum qui diuini beneficii immemor est, nec de rependēda ipsi gratiarum actione, mentem vllam cogitationemue suscipit, sic se gerit, sentitque, ac si palam, & in oculis omniū profiteretur pronuntiaretque hæc publicè.

De me meoque vno est, quod suo loco stant res meæ: Quod prosperè ac fœliciter mihi eueniunt omnia: Quod viuo, quod spiro: Quod saluus & incolumis, pæne omnibus superior, paucis secundus. Opus industriæ meæ est, ac prouidentiæ: Sum mihi ipsi satis: Alieni non indigus auxilii: Quod ex Dei beneficio, atque ipsa Diuini numinis prouidentia, non secus, ac quæ labore meo, ac viribus parta sunt, promptum mihi est absque vlla alterius ope custodire: Quæ data olim ac liberaliter concessa sunt, seruo mihi ac tueor: De præstiti beneficii securitate fidens plane ac securus: quid pecco, si tot ingenii ac naturæ dotes, tot facultates & fortunæ dona: Si cum animi tum corporis bona: Quibus circunfluo, meis meritis ascribo? Quid vero amplius est quod è cœlo sperem aut efflagitem? Si in tuto mea sunt omnia? Quid porro est opus tot tantisque apud Deum precibus & votis nuncupandis? Quid commemorandis beneficiis cum assiduo gratitudinis sensu, si ex me meoque habeo quo me in futurum sustentem atque ab omni periculo præstem immunem? Quis ad hæc tam impia, tam blasphema, tam audita dictuque nefanda non obstupescit? non infremit? quis non in his pertractandis animo solum, ac cogitatione, totus perhorrescat? cum ergo tam fœda & tetra sit ingratitudinis labes vt verissimè, Comicus

A dixerit, dixeris maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris & alter, nihil homine terra peius ingrato gerit, prudenter faciemus & quod Christiani muneris est exequemur, si eam labem & maculam omni studio atque animi contentione detergere satagimus, sed qua in re potissimum inquies elucere debet atque efferre se se gratus animi sensus, placet aliquibus in eam rem Sixti Pythagoræi sententia 42. quæ sic habet: Deo gratiam præstat homo, qui quantum possibile est

Qua in re exhibere se debeat hominis in Deum gratitudo.

B viuit secundum Deum, & nec ab illius mente, Philonem Alexandrinum longe abesse video libro de plantat, Noe qui cum dixisset omnem virtutem sanctam esse, gratitudinem vero sanctissimam addidit illico quam, non legitime Deo exhibent, quotquot putant eum placari ædificiis, donariis & sacrificiis, nam ne totus quidem mundus ad templum in eius honorem suffecerit, sed præstat eum laudibus, hymnisque colere non decantatis, voce sonora & tinnula, verum mo-

C dulatis in animo puro, quem solus Deus aspicit, sic ille, ego vero ad vtriusque mentem sane intelligendam addo, non interno modo affectu, sed externo etiam apparatu ac sensu, grati animi significationem Deo esse exhibendam, vnumque cum altero sæpissime componendum at omnes veræ gratitudinis partes absoluantur, sic bonis operibus exercendis, iuuandis proximis, & in eos donis ipsis quæ à Deo accepimus refundēdis, sic laudabili

D ac legitimo ipsorum beneficiorum vsu, Dei laudibus ore & corde, spiritu & mente decantandis, sic puritate vitæ illibata, sic viua demum ac spiranti expressaque in omnibus actionibus morum sanctitudine, quod nostri officii ac muneris est hac in parte fœliciter exequemur.

TROPOLOGIA

TROPOLOGIA CAPITIS PRIMI.

Gratum hominem & beneficiorum diuinorum non immemorem alia beneficia promereri, & vt ingratitudine nihil magis odiosum Deo: sic nec gratitudine ipsa quidquam gratius ipsi accidere.

SECTIO SECVNDA.

XII.

Gratitudinis sensus in Deum illius beneficentiam magis ac magis excitat & ampliora beneficia promeretur

Ertum est vel hoc solo nomine gratissimã esse præpotenti Deo gratitudinẽ, quod summam illius beneficentiam magis quodammodo excitet, vrgeat & accendat, dum enim pro beneficiis acceptis grati sumus, vt bene D. Bernar. serm. contra vitium ingratitudinis: *Locum in nobis facimus gratiæ & maiora adhuc accipere meremur*: nimirum cum diuinũ numen ad bona largienda promptissimũ sit, liberalitatis suæ fontes intercludi nunquam, sed quolibet puncto temporis aperiri, & in humanum genus effundi copiosissime vehementer optat. Quod ipse gratitudinis sensus in bonorum largitorem, præstare consueuit: sic gratus animus & securus redditur in acceptis beneficiis & vlteriora promeretur. Exemplo sit Iacob Patriarcha Genes. 32. n. 10. qui cum fratrem suum Esau sibi suisque rebus infestissimum valde reformidaret, quo securior redderetur, noua diuini numinis protectione, illico quæ possidebat omnia à Deo accepta, profitetur, minorem se diuinis miserationibus conclamando, & bonorum omnium authori gratias exhibendo. *Domine qui dixisti mihi, reuertere in terram tuam & in locum natiuitatis tuæ & benefaciam tibi, minor sum cunctis miserationibus tuis & veritate tua, quam expleuisti seruo tuo, in baculo meo, transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Sic ille. In quem locum rectè ait Oleaster, præterita memorat vt præsentibus dignus sit. Quo in argumento versatur etiam Chrysostomus hom 32. & 34. in Genes. cum expendit Abrahamum, vt ex sacro textu colligitur: in singulis locis vbi tabernaculum fixit, nihil prius antiquiusne habuisse, quàm vt altare erigeret, vbi gratias Deo redderet: quasi securam sibi promitteret vir sanctus habitationem illius domus & tabernaculi, in quo gratias diuino numini de acceptis ab eo beneficiis retulisset. Hinc

Iacob Patriarcha agens opis diuina diuina beneficia commemorat & Abraham vbicunque tabernaculũ figit, altare erigit, ad gratias Deo agendas

A præclare Irenæus lib. 4. cap. 24. ait: Exceptorium bonitatis Dei est homo gratus, ei qui se fecit, videtur quippe obiectiuam Dei bonitatem denuo prouocare qui eã inuocat & effusam in se antea iam recognoscit. Vnde supra citatus Chrysostom. hom. 1. ad pop. Antiochenum: *Si gratias quide egeris*, inquit, *maiores nactus es diuitias quia Dei beneuolentiam hausisti amplius* & homil. 15. in Genes. vbi sic ait, *si continue beneficiorum Dei quæ in nostrum genus contulit, recordamur, & ipsi grati erimus, & ad virtutis viam magna erit extimulatio.*

dat, vt, novis beneficiis dignus reperiatur.

B Scilicet qui beneficia Dei: Secum recogitat operam dat, ne illis indignus videatur. Sed tanti studii & gratitudinis est vt alia consequenter mereatur: Ita liberalis est Dominus noster, ita se nobiscum gerit, donator magnificus vt cum videt nos bene & cum gratitudine vti his quæ iam nobis concesserit, vltra nos potioribus maioribusque muneribus cumulatos velit. In cuius rei confirmationem obseruatione dignus est locus ille Ioannis 4. v 46. Cũ loqués de Christo Domino ita habet

C *venit ergo iterum in Cana Galilea vbi fecit aquam vinum*, & postea narrat de filio reguli, cui Dominus cõtulit sanitatem, &c. Inquirit ergo ibi D Cyrillus Alexand. cuius demum rei causa rursum & vltro Christus Dominus venerit in Cana Galileæ, & respondet ideo venisse, quia scilicet libenter cum gratis hominibus conuersatur, maiora beneficia paratus largiri eis, qui memores sunt perceptorum beneficiorum. Quod notauit August. lib. 1. de

D doctrina Christiana cap. 1. cum ait, *Non est metuendum ne dare desinat, cætera, cùm ea quæ data sunt iam cœperimus impendere, &c.* Sicque exponit idem August. illud Matth. 13. v. 12. *qui habet dabitur ei, & abundabit.* Qua de re consulendus D. Chrysosto. hom. 18 in Genes. & iam sæpius citatus Aug. lib. de verbis Domini serm 44. vbi ait ideo potissimum miracula fecisse Christum Dominum vt mira essent videntibus, insuperque & illis mi-

Ideo partim Christus fecit miracula vt per ea

beneficiorũ memoriam & gratitudinem in animis excitando ad vlteriora conferenda promoueatur.

raculis aliquid efficeret in animis nostris. Sed quid tandem? memoriam scilicet & gratitudinem beneficiorum, quæ nobis per miracula contulit, qua ad vlteriora postmodum conferenda eius immensa bonitas permoueretur. Quid quod vt notat Chrysostomus homil. de Iuda proditore, non sine mysterio ad rem nostram pertinente. Paschale sacrificium in veteri lege à Deo institutum fuit non solum

XIII. vt in memoriam reduceret Iudæis, beneficium eisdem in Ægypto collatum, sed etiam vt per hoc maius aliud beneficium monstraretur. Quia nimirum ait sanctus Pater ille. *Agnus qui immolabatur in Paschali sacrificio, futuri agni typus erat: & ille sanguis qui tum effundebatur, Dominici sanguinis monstrabat aduentum, & ouis illa fuit spiritualis ouis exemplum, ille agnus vmbra fuit, hic veritas.* Sic ille, quasi velit Chrysostomus propterea fuisse tunc temporis iam à Deo institutum. & præceptũ hoc sacrificium agni Paschalis, vt per illud gratias Deo reddentes Hebrei de beneficio olim ipsis à Deo exhibendo certiores fierent, ipsumque securius à Deò expectarent, pro quo, iam in agno Paschali & typico gratias exhibuerant. Nec longe sit ab hoc sensu mystico quem indicamus, quod idem Paschale sacrificiũ sub pleni-lunio obseruari iussum est à Deo num. 9. quod licet à Beda in glossa ideo factum dicatur, quia acceptæ gratiæ non immemores per gratiarum actionem & significationem accepti beneficii propius ad Deum accedimus, sicut luna à decimo-quinto die ad solem magis accedit, & sursum ad cœlum splendore coruscantem faciem ostendit: illud tamen præterea videtur mystice ostendere plenitudinem gratiarum velut à Patre luminum descendentem super eam animã, quæ diuina celebrat & cognoscit beneficia, sicut in eo sacrificio recognoscebant Israëlitæ. Sic, *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur & iterum fluant*, ait Ecclesiastes, cap. 1. v. 7. quia scilicet (vt D. Thomas lect. 5. in cap. 1. ad Rom. exponit illam sententiam,) *ad principium vnde proueniunt beneficia reuertuntur, per gratiarum actiones, vt iterum fluant per beneficiorum exhibitionem.* Potestque & sperare fidenter, & sibi velut certo promittere diuinæ liberalitatis affluentiam, qui accepta beneficia in authorem omnium gratiarum refundit: facit etiam non parum pro præsente quod versamus gratitudinis negotio, obseruatio D. Basilii hom. 5. quæ est in martyrem Iulitam, cum exponit illud Psal. 115. v. 12. *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* quibus in verbis illud statim sese offert difficile, cur Deus non dicatur tribuere sed retribuere acsi ille non cœpisset prior in nos gratiam conferre, sed acceptam soluere, & retribuere iis à quibus accepisset, aut quibus antea debitor extitisset, cum tamen ipse nos præueniat beneficiis, & dona sua in nobis remuneret. Quod dicit Concilium Trident. sess. 6. cap. 16. *tanta est*, inquit, *Dei erga homines bonitas vt eorum velit esse merita quæ sunt ipsius dona.* Quid est igitur quod Dauid dixit, potius Deum retribuere quam tribuere? Difficultatem soluit D. Basilius loco citato, cum ait, *ne forte quis auderet Paulum Rom. 11. v. 34. contradicere Prophetæ dum ait, quis prior dedit illi & retribuetur ei? quam pro accepta gratia tu rependis gratiarum actionem, in numerum refert, & habet beneficij loco, & tametsi nihil aliud accipit quam quod suum est, solidam tamen ac syncerem retribuit gratiam ac si propria dedisses*: Sic ille qui recte ostendit Deum tanti facere nostram gratitudinem, vt per illam debitor constituatur retributionis futuræ, quod apposite dixit August. serm. 16. de verbis Apost. cap. 2. his verbis: *In his quæ iam habemus laudemus Deum largitorem, in his quæ non habemus teneamus debitorem, quod sine gratitudine sola fieri potest*: Iam vero quoniam & hæc argumenti nostri pars est altera, vt gratitudo ad futura nos præparat, ac disponit accipienda beneficia, sic ingratitudo priuat acceptis, vt gratos summè Deus amat, sic ingratos vehementer odit, vt illos munificentissime compensat, sic in hos seuere animaduertit: illos bonis omnibus cumulat: hos spoliat ac destituit: egregie in hanc sententiam D. Gregor. lib. 9. moral. cap. 1. *qui de acceptis extollitur, cunctaque acceperat amittit*: Cui adiungendus D. Basil. iam proxime citatus hom. 5. in martyrem Iulitam, vbi docet ingratos multis beneficiis diuinis abundantes, nec ea vt par est recognoscentes, esse tanquam oculos qui dum obiecta sensibilia proxime admota habent, ea non intuentur: quemadmodũ igitur necesse est res obiectas ab oculorum sensu paulisper separari, ita & ab ingratis diuina beneficia auferri, vt æstimentur: *Præsentibus*, inquit, *bonis perfruentes cum nullam rependamus largitori gratiarum actionem, vt sensuum aliquem percipiamus ex iactura rei, necesse est vt ea spoliemur: vt enim oculi quod iusto propius admotum est non vident, sed opus habent moderataquadam distantia, itidem animos minus gratos videmus, sensu attingi præcepta*

Quomodo, & quam ob causam dicatur Deus Psal. 115. Non tribuara sed retribuem beneficia.

XIV.

Solemnis ac quotidiana Dei vindicta in ingratos, acceptis beneficiys priuans.

Explicatio loci Ecclesiastis ad locum vnde exeũt flumina reuertuntur, vt iterum fluant ad gratiarum actionem noua beneficia promerendam accomodata ex sancto Thoma.

gratiæ, dum priuatos se intelligunt prærogatiua bonorum. Sic ille. Ex quo videas miseram plane ac lugendam esse ingratitudinis indolem, vt pote quæ in tanto diuinorum beneficiorum splendore adeo caligat, & illa non videat, neque vllo melius, vt loquitur, collyrio, quam beneficiorum ipsorum priuatione curetur. Certè & aliorum sic nostra etiam ipsorum experientia teste interdum cognouimus verum illud esse quod ait D. Bernard. ser. 84. in Canti. *Sæpe ex magnis bonis, mala oriri non minima*, hoc est, ex magnis beneficiis maxima supplicia, cum videlicet diuinis beneficiis aucti, & de donis Dei facti illustres & eximii, non damus gloriam Deo, ita *qui maximi videbantur pro accepta gratia pro non redhibita minimi reputantur apud Deum.* Sic concludit Bernard. hinc fit vt quo altius diuina beneficentia ingratos euehit, eo humilius ac depressius sua eos ingratitudo deiiciat, ac pessundet. Sed libet etiam malorum omnium quibus humanum genus conflictatur caput ac principium, inde repetere: Atenim quid si ex vno ingratitudinis vitio, tanquam ex lutulento fonte, primum ipsum primi parentis crimen effluxit? mirari nonnunquam solent aliqui, quod Deus primos parentes quasi illorum immemor, tam cito ab ortu in peccatum ruere permiserit, & tantam cladem posteris importare, sed mirari profecto desinet, si aduerterit, primos parentes tantis beneficiis à Deo cumulatos, nullas voces, in eo statu innocentiæ, nullas preces, nullas gratiarum actiones edidisse quibus Deum ad sui recordationem excitarent: Atque hoc ipsum est quod scitè & eleganter, obseruat Rupetus, lib. 2. in Genes. cap. 39. *Animaduertendum*, inquit, *est quam pertinaciter, homo primus à creatoris laude mutus perstitit, quam obstinatis labiis ab omni gratiarum actione abstinuit, & ingratum Domino Deo silentium dedit, formante Deo & inspirante spiraculum vitæ, non inspirauit eodem spiraculo vitæ in plastæ sui faciem, vt adoraret & glorificaret, vt ei gratias ageret, item ab eodem Domino Deo positus in Paradiso voluptatis, nullas ei gratias egit, & taciturna ingratitudine tantum tamque fælicem deliciarum locum quasi rapinam arbitratus, occupauit.* Vbi vides Rupertum, nullam aliam velle moram interponi, inter animam vitamque Deo inspirante datam, & gratiam pro eadem vita referendam, immo eodem veluti reflexo statu ad creatorem, statim gratiã redire debuisse, pro vita exhibita. Quod cum primi parentes non præstiterint, no-

Primum primi parentis crimen ingratitudo ex Ruperto.

A tam ingratitudinis subierunt: & fortassis callidior serpens: hoc aduertens silentiũ: ingratitudinis iudex: opportunum iudicauit, oppugnandi, expugnandique tempus, ex hac ingratitudine sibi etiam ante congressum victoriam pollicitus: quidquid sit, ex hac primi hominis ingratitudine, duo acciderunt, vnum quod post lapsum culpam suam non agnouerit, nam & addit eodem loco Rupertus, qui gratiã Dei non cognouit, mirum non est quod peccatum suum non agnosceret, eodem quippe intuitu, & suum malefactum & diuinum erga se beneficium cognoscit homo. Alterum ex eadem ipsius ingratitudine actum est, quod Deum ad sui re-
B cordationem non prouocauerit, sed potius in sui obliuionem veluti coniecerit, iuxta eundem Rupertum lib. 3. in Genes. cap. 13. qui Deum repræsentans tãquam è graui sopore vigilantem ad auram post meridiem in paradyso deambulasse, subdit: *Culpandusne*, inquit, *est Deus, quia toto meridie dormiunt, & eo dormiente, lupus ouem centesimam tulit? non vtique, sed tota culpa illius est, qui custodem suum dormire permisit, nam vt ille non dormiat, in arbitrio hominis est, qui semper illum inquietare debet, iuxta illud qui reminiscimini Domini ne taceatis & detis silentium ei.* Isai. 62. v. 7. quomodo non dandum est silentium ei:
C videlicet *toto die & tota nocte non tacendo laudare nomen Domini.* At Adam & vxor eius, pari pertinatca silentium tenuit, neque vllam gratiarum actionem reddidit, neque vllum piæ confessionis verbum, de ore cuiuslibet eorum sonuit, in auribus Dei. Itaque neque eius culpa est qui dormiuit, sed eius qui tam ingratum silentiũ vt merito obdormire posset ei præbuit. Sic in primo homine primum ingratitudinis vitium vt iuste sic seuere admodum & diuino numine vindicatum est. Placet in aliisquoque exemplis illud ipsum intueri: Cùm de Assyriis celebrem quondam victoriam reportasset Ezechias, vt refertur
D Isaiæ 37. v. 36. *Post paulo Dei nomine mortem ei interminatus est propheta, ægrotauit Ezechias vsque ad mortem & introiuit ad eũ Isaias filius Amos propheta, & dixit ei. Hæc dicit Dominus dispone domui tuæ quia morieris tu & non viues.* Isaiæ cap. 38. v. 1. Intam subitæ ægritudinis causa perquirenda, laborant interpretes, nec satis apertè cur tum Ezechias Deum infensum habuerit, indicare possunt: culpam eius aliqui in vanam mentis elationem referunt: vel ex recenti de hostibus victoria comparata, vel ex thesauris quos habebat immensos atque externis principibus

Primo homini in Deum ingrato duo acciderunt, primum quod post lapsum culpã suam illico non agnouerit: Alterum quod Deũ ad suo recordationẽ non excitarit.

XV.

per fastum ostenderat, inaniter conceptam.) Sed respondent Hebræi apud D. Hieronymum in illa verba *introiuit autem Isaias Propheta ad Regem Ezechiam.* Isaiæ 39. v. 3. ægrotasse Ezechiam, quòd propter inauditam victoriam & Assyrii regis interitum, de quo Isaiæ cap. 37. v. vltimo gratias Deo non egerat, nec laudes ei cecinerat: quod cecinit Moyses Pharaone submerso, & Debora interfecto Sisara: Quorum rationem (vt de aliis taceam iudiciis) mihi persuadet authoritas D. August. si tamen author ille est lib. 2. de mirabilibus scripturæ cap. 28. *Ne*, inquit, *de tanta victoria esset eleuatus, & forsitan etiam gratiarum actione exiguus in grauissimi langoris morbum incidit*, quasi nimirũ ex illius Authoris sensu ægritudo Ezechiæ illata fuerit in præuiã medicinã arrogantiæ cõtrahendæ, & in debitã pœnã ingratitudinis contractæ. Pertinet etiã ad hoc idem argumentum grauis illa Moysi olim in deserto & Aaroni pœna inflicta, cum vtrumque ab ingressu terræ promissionis in vindictam offensæ repulit Deus, his verbis: *Non introducetis hos populos in terram quam dabo eis*, num. 20. v. 12. sciscitantur enim passim interpretes, quæ nam illorum culpa fuerit, cuius causa tam graue supplicium pertulerint: Plures quidem Abulensis in hunc locum quæst. 5. distinguit & commemorat: Sed illam indicat certiorem, quod populum post aquæ beneficium diuinitus acceptũ, ad gratiarum actionem Deo habendam non impulerint, sed potius suis illis rigidis ac præposteris increpationibus retardauerint, quasi scilicet vita indigni sint qui eam gratiis Deo referendis, pro accepto beneficiis non impendunt: aut saltem alios gratiarum debitores ad hoc debitum Deo persoluendum non adhortantur. Postremum hoc addo, ex decem illis leprosis quos Christus Dominus sanauit Luc 17. v. 18. non esse inuentum qui rediret & daret gloriam Deo nisi vnum alienigenam: de quo optime Bernard. serm. contra pessimum vitium ingratitudinis, aut certe ad eum alludens: *Fœlix*, inquit, *qui se alienigenam reputans etiam pro quibusque minimis beneficiis non minimas refert gratias, gratuitum esse non dubitans neque dissimulans quod alieno impenditur, & ignoto.* Ad hunc igitur Dominus ibidem v. 17. *Nonne*, inquit, *decem mundati sunt, & nouem vbi sunt*: quo loco glossa interlinearis, sic inquit, *habet ingratos, quasi ignotos, vbi sunt inquirit Dominus: quasi scilicet à Deo non cognoscantur qui beneficia diuinitus sibi collata non recognoscunt: constat ergo nesciri à Deo ingratos, quo supplicio si ipsi saperent, nullum atrocius iudicarent.*

Subita mors Ezechiæ denũciata per Isaiam, & ægritudo illata, in debitã pœnam ingratitudinis contractæ, ex eo quod de Assyriis deuictis gratias Deo non egisset.

Aaron & Moyses ab ingressu terræ promissionis repulsi ob ingratitudinem vel in se vel in populo sua ipsorum culpa contractam.

A Deo non cognoscuntur qui beneficia sibi diuinitus collata non recognoscunt.

XVI. Sic tandem cum ratione, tum exemplis commonstratum est, vt ingratitudine nihil magis odiosum Deo, sic nec gratitudine quidquam gratius ipsi accidere, & cum ad omnes in vniuersum homines, hæc de grati animi significatione erga Deum, doctrina, ac dissertatio pertineat: maxime tamen ad eos spectat qui sub lege gratiæ ac nouo testamento degunt: quibus cum illustriora longe & cumulatiora obtigerint beneficia, maior etiam & accuratior incumbere debet gratitudinis sensus, erga Deum, beneficentissimum donatorem: Quæ fuit ratio cur olim in lege veteri nullum in anno diem designauerit Deus, pro peculiari beneficio recognoscendo, atque adeo iugiter gratiis reddendis homines voluerit esse intentos, vt nunquam & nusquam à gratitudine cessaremus, qui nunquam à recipiendis beneficiis vacamus: id luculenter notat Chrysostomus hom. 51. in cap. 14. Matth. cum ait *Iudæis quidem singulis annis beneficiorum suorum monimenta per festos dies Deus proposuit: tibi vero quotidie ipse ne obliuiscaris proponitur* (in Eucharistiæ scilicet Sacramento) *hæc sunt decora nostra hæc Sacramenta: hoc ornamur dono, hoc gloriamur, nec si cælum, si terram, si maria dixero, à Deo creata: si Prophetam, si Angelos missos, quicquam huic æquale offeram:* Sic Chrysostomus ostendit Christum Dominum in Ecclesia sua iuge ac supereminens sacrificium reliquisse, vt quibus nobiliora beneficia contulerat, quotidiana contingeret gratiarum actio (hoc enim sonat re & nomine Eucharistia) & vero sicut testatur idem Chrysostomus homil. 53. in cap. 15. Matth. *Quo maiora quis beneficia consecutus est, eo maiori subiacet culpæ, si nullo beneficiorum acerno victus in ingratitudine perseuerat*: Quare & cum Augustino concludamus, epistola 77. ad Aurelium, *quid, deinceps, melius & animo geramus & ore promamus, & calamo exprimamus, quam Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest*: & cum gloriosis hoc est viris illustribus & dignitate, præcellentibus (vt alieni ait Cassiodorus,) magis placeant præconia quàm tributa, neque quisquam Deo sit gloriosior, nemo proinde veræ ac iustæ laudationis, vt & gratiarũ actionis appetentior, consequẽs est vt ipsi quoque semper quantum humana ferre potest imbecillitas, in eius laudatione simus, neque vnquam pro acceptis ab ipso beneficijs à gratiarum actione cessemus.

Eucharistia Sacramentũ institutum ad iugem & quotidianã gratiarum actionem & præstandam & excitandam.

TROPOLOGIA CAPITIS PRIMI.

Morale de ſolemnibus illis verbis edicti à Cyro perſcripti: *Sit Deus illius cum ipſo v. 3.*

Summum hominis bonum eſſe vt Deus cum ipſo ſit.

XVII.

Onſuetudo fœlix & proſperum quiddam populis adprecandi in edictis ſuis ac decretis à Regibus obſeruari ſolita, iam inde à primis ſæculis & ab omnibus fere gentibus ad noſtra vſque tempora ætatiſque noſtræ mores & inſtituta permanauit. Imperatorum enim omnium hodie quotquot ſunt ſanctiones, ſtatuta, edicta, decreta, quantumcunque ſeuera, & acerba ſint, B pacem præmittunt, & ſalutem, aut aliquid benignum & proſperum aliquid percupiunt. *Pax, ſalus, quies, proſperitas imperio noſtro*, inquiunt, hæc fere habent edictorum Regiorum initia aut aliud his verbis affine, quod item & peculiari quadam ratione ac lege perpetua in decretis ſuis ſeruauere. Romani Pontifices quibus adprecantur ſolemni more ſalutem & Apoſtolicam benedictionem: Ex quo tã communi omnium Principum apud omnes gentes inſtituto ſatis intelligitur, quid in ſuis decretis ſpectare principes debeãt, C nempe communem ſubditorum ſuorum ſalutem & pacem, & ne quid ex iis quæ ſtatuant fierique à populo ſummo ſuo iure volunt, diuinam legem aut debilitet aut conuellat, id ſibi animi eſſe erga Iudæos oſtendit Cyrus, ex eo quod vehementer optat: vt Deus ſit cum ipſis: *quis eſt in vobis*, inquit, *de vniuerſo populo eius, ſit Deus illius cum ipſo*, præclare omnino ſtudium ſuum in illos explicat, quàm bona illis optat hac voce quem feliciter precatur, Deus bone, quantum bonum, vt Deus cum homine ſit. Quanta homini pernicies quantum illi miſeriæ importatur & incommodi ſi ab eo Deus abſit, qui vbique præſens eſt, aut longius paulo ſum moueatur. Et multis quidem modis in ſacris ipſis diuinæ ſcripturæ monimentis Deus dicitur eſſe cum hominibus, primo quidem per auxilium, protectionem, aut defenſionem, ita Iud. 6. v. 12. *Dixit Angelus Gedeoni, Dominus tecum virorum fortiſ*-

Cyrus magnum bonũ Iudæis adprecatur cũ optat vt Deus ſit cũ ipſis.

A *ſime*, id eſt Dominus auxiliator & protector tuus eſt, ſimili modo Deus ad Ioſue cap. 1. v. 5. *Sicut fui cum Moyſe, ita ero tecum* Iſa. 41. *Ne timeas, quia ego tecum ſum.* Hieremiæ 1. v. 8. *Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum vt eruam te* & *Act.* 18. v. 9. Ad Paulum, *Noli timere ſed loquere ego ſum tecum.* 2. dicitur item Deus eſſe cum hominibus per gratiam, ratione cuius dicitur Deus eſſe in homine, & cum homine, quia per eam vnitur cum ipſo, & in eo inhabitat. Ita ſapiens vota ſua ac preces effundens ad Deum B Sap. 9. *Mitte*, inquit, *ſapientiam de cælis ſanctis tuis vt mecum ſit & mecum laboret.* 3. tandem & cum hominibus Deus eſſe perhibetur per quãdam coniunctionem, ratione naturæ aſſumptæ, ſecundum quã in terris viſus & cum hominibus conuerſatus eſt: *Verbum caro factum & habitauit in nobis.* Ioan. 1. *Et vocabunt nomen eius Emmanuel quod eſt nobiſcum Deus.* Sed quoquomodo ex iſtis Deus cum homine ſit, ſummum ſemper hominis bonum eſt, vt Deus cum ipſo ſit: quam in rem ad mo- C res ſic egregie diſſerit D. Bernard. hom. 3. ſuper miſſus eſt his verbis, *Deus qui vbique totus æqualiter eſt per ſuam ſimplicem ſubſtantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis quam in cæteris & ipſarum aliter in bonis quam in malis eſt per efficaciam.* Ita ſane eſt in Irrationalibus creaturis vt tamen non capiatur ab ipſis, à rationalibus autem omnibus quidem capi poteſt per cognitionem, ſed à bonis tantum capitur etiam per amorem, in ſolis ergo bonis ita eſt vt etiam ſit cum ipſis propter concordiam voluntatis namdum ſuas volun- D tates ita iuſtitiæ ſubdunt vt Deum non dedeceat velle quod ipſi volunt per hoc quod ab eius voluntate non diſſentiunt Deum ſibi ſpecialiter iungunt. Sic igitur amemus colamuſque, ſic timeamus caſte ſic ad eius nutum voluntatemque totos nos affingamus, ſic cultu omni ac veneratione proſequamur vt ſemper nobiſcũ verſetur nec momento ab animis noſtris ſeiunctus ſit. Sic illius gloriam ſpectemus

Varijs modis in ſcripturã dicitur Deus eſſe cum hominibus.

Quomodo Deus ſpecialiter in bonis & cũ bonis ſit per concordiam voluntatis.

vniuersim, sic ad illius arbitrium studia nostra sensus cogitationesque conformemus & de nobis æque in nobis ipsis verū esse experiamur, quod Propheta cecinit: *Voluntatem timentium se faciet.* Sit itaque nobiscum Deus ad consolandum nos in huius vitæ angustiis positos atque identidem cum miseriis & calamitatibus seu publicis seu priuatis colluctantes. *Ecce vobiscum sum vsque ad consummationem seculi* inquit ille, non solum vt Deus atque ipsa diuinitate præsens per essentiam præsentiam & potentiam vt in omnibus & singulis creaturis, sed etiam vt homo, per realem humanitatis præsentiam atque adeo in ipsa hominis natura assumpta, & si velis sacramentalibus obtecta, ea mente & consilio, & perpetuo vobiscum simper copiosam largioris auxilii vberiorisque gratiæ communicationem, nimirum sic fiet, atque ita nobiscum erit si tantisper ad eum accedimus, si gratum ei paremus hospitium. Sit etiam nobiscum Deus ad protegēdum nos, ad auxiliarem manum nobis præstandam aduersus dæmonum insidias, ad peruincendos illo auspice, hostes salutis nostræ infensissimos eorumque insultus impetusque frangendos, *si Deus pro nobis quis contra nos?* Rom. 8 *& quis vobis noceat*, ait idem D. Paulus. *Si boni æmulatores fueritis*, id est si Dei sic interpretor, boni vestrum omniū vnici, vnice amantes & æmulatores estis, verbo dicam si Deus vobiscum est, nimirum *si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, si exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo, si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala quoniam tu mecum es*: Aiebat olim non dubia diuini numinis opus confisus Regius Psaltes. Psal. 22. Sit quoque nobiscum Deus ad prospere dirigendas actiones nostras vitæque institutum vt rite ac feliciter omnia obeantur, vt ex voto nobis fluant vniuersa, inanis alioquin nulliusque cōpendii fuerit hominis quantumcumque valentis ac firmi opera, nisi diuina manus quæ ei laboranti opituletur, adfuerit. *Nisi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt qui ædificant eam*, ait Propheta. Hinc illud apud Græcos tam vulgare ac tritum, atque in sermone quotidiano vsurpari solitum σὺν θεῷ cum fortunate ac fœliciter aliquid auspicari cupiebant: Cum Deo, id est volente cœlo, superis fauentibus, propitio ac secundante numine, fuit enim ab omni æuo apud omnes gentes & nationes omnium animis hæc

XVIII. *Deus cum homine est ad consolationem.*

Deus cum homine est ad protectionem.

Deus cum homine est ad directionem.

A impressa mens, nihil suscipiendum diis inuitis, nihil quicquam temere pertractandum aduersante cœlo, aut non conciliato primum sibi diuino numine. Quē vero Christianorum supra cæteros mortales, hac in parte & super hac re sensum esse oporteat? Nouimus scilicet, vt pote qui vnius veri Dei cultores sumus, nouimus inquam, id clarius, & quam cæteri quibus fidei lumen nondum affulsit longe illustrius, ni Deus nobiscum sit, quæ ad nos spectant, remque nostram stabiliunt, pessum ire omnia, elanguescere, emori, B interire, illico, quicquid in nobis aut diuinius, aut magis eximium est, mentem ipsam nostram nullo esse in pretio, nullo loco ac numero apud Deum, nisi Deus ipse cum ipsa sit. Audimus qui dicat ac vere dicat *sine me nihil potestis facere*, & hic ipse Deus est, audimus interminantem inimicis suis exitium voce prophetæ statim atque ab iis paulum abfuerit, *Væ eis namque cum recessero ab eis*. Oseæ 9. *Auertisti faciem tuam à me & factus sum conturbatus*, aiebat Dauid. Ps. 29. quidni conturbaretur atque anxio mœrentique esset animo, vereri C tus ne Deus longe à se discederet qui faciem iam auertere cœperat. Egregie ad rem nostram immo & ad totam hanc de moribus tractationem concludendam perquam accommodate Theodidactus ille & vere doctor eximie eruditus in schola spiritus, cum ait lib. 2. de imitat. Christi cap. 8. *Quid potest tibi mundus conferre sine* IESV? Esse sine IESV grauis est infernus, & esse cum IESV dulcis paradisus, si fuerit tecum IESVS, nullus poterit nocere inimicus, pauperrimus est qui viuit sine IESV, & ditissimus qui bene est cū IESV: Magna ars est scire, cum IESV conuersari & scire Iesum tenere magna pru- D dentia. Esto humilis & pacificus, & erit tecum Iesus sis deuotus & quietus, & manebit tecum IESVS &c. Hæc ille Deo plenus, ex quo licet ad extremum sic adprecari, vtinam sic nobiscum sit Deus vt ipsi quoque cum ipso simus per amorem, & gratiam, mutuo animorum commercio ac consortio, tantaque voluntatum inter sese in vnum conspirantium consensione, vt cum virtutes illæ eximiæ ac diuinæ quarum exemplar in se viuum & spirans inter mortales spectabilis exhibuit in nobis eluxerint, tum demum vel eo solo nobiscum esse ac diuina in nobis operari semper à nobis nunquam abesse censeatur.

Ni Deus cum anima sit nullo apud Deū esse in pretio & recedente Deo ab homine nihil in homine quidquam fieri præclare.

TROPOLOGIA CAPITIS PRIMI.

Morale in hæc verba. *Ascendat in Hierusalem.* Esdræ 1. v. 3.

Seu quinam moraliter ascendant in Hierusalem.

XIX.

Ascendūt & sursum in Hierusalem contendunt qui Deo placere desiderāt & ad cœlestia suspirant, qui peccant vel terrena ambiunt in imo delitescunt.

NEque mysterio caret vox ista ascēdat &c. Atque adeo nec prætermittenda sine aliqua ad mores illustratione &c. qui peccant, vel secularia curant in imo sunt, qui Deo placere desiderant, ad cœlestia suspirant. Ergo qui cœlum, hoc est Hierusalem mysticam cogitant, omnes pompas mundi & illecebras æternorum amore transcendant, & ædificent domum Deo in Iudæa, in confessione scilicet suæ iniquitatis & diuinæ miserationis, præparent corda sua, in quibus Deus habitare, & ea illustrare dignatur, & proximos ad idem inuitare verbis & exemplis nitantur. Sic tropologicè in hanc vocem excurrit Beda, quibus hæc adiungo. Ita sane diuini numinis prouidentia factum statutumque velut in morem legis æternum inuiolabilis, vt in cœlestem Hierusalem aspirantibus, non per plana & æquabilia, sed per ardua & aspera sentibus loca peregrinandum sit, sicut in Hierusalem terrestrem nisi ascensu non itur nec contenditur, cum in summo montis fastigio virtus collocata sit, totis brachiis, totis neruis & viribus corporis connitendum est, vt eo perueniatur. Nunquam virtutis molle documentum est aiebat olim Philosophus Seneca & tragicus alter nisi idem ipse est. Non est ad astra mollis è terris via: Quidni etiam eam ob causam tam sæpe à sacris authoribus cœlū ipsum per montes excelsos & arduos ascensuq; difficiles repræsentari dixerimus: *Quis ascendet in montem Domini aut quis stabit in loco sancto eius*, Psal. 14. *Fundamenta eius in montibus sanctis*, Psal. 86. quam crebræ sunt eiusmodi voces Psaltis Regii? dum cœlum animo versat, & cogitatione complectitur, dum micantes illas beatorum sedes contemplatur, totusque illarum studio & amore exardescit? Cœlum ergo quæ ciuitas dei est, virtutis regio, gratiæ & gloriæ sedes amœna & perpetua, mons altissimus est. Eo vtique vel ascenditur vel non itur. Ardua per quæ vocamur & confragosa sunt, quid enim plano aditur excelsum? vt ait à no-

Vt ad virtutem sic ad cœlestē Hierusalē contendentibus non per plana & æquabilia sed per aspera loca iter suscipiendum.

A bis iam proxime citatus Seneca lib. de constantia sapientis, nec tantum toto corpore nobis connitendum est vt in altum prouehamur cœlumque tāquam in montem altissimum ascendamus sed etiam toto mentis studio atque à Deo affectibus ipsis animi compressis, rite, atque edomitis, contendendum: vlterius, multi amfractus sane & spinæ superandæ sunt, immo & per hostes identidem inuadendum est, per hostes inquam per hastas, per enses, per spicula, id est per multas tentationes, difficultates, persecutiones, & ad-
B uersa, quoque quæ omnia magna ei magnoque animo peruincenda sunt: hinc illud Christi Math. 11. v. 12. toties dictum decantatumque sed nunquam satis pro eo ac meretur, animo comprehensum, *Regnum cœlorum vim patitur* seu vt fert translatio Syriaca, *cum violentia accipitur, & violenti rapiunt illud*. Scilicet à diebus Ioannis, in noua lege, iam ab incarnatione Christi, firma sanctione ac perpetua, Regnum cœlorum, *βιάζεται*, vim patitur, id est, vt vertit etiam Vatablus, vi inuaditur, vi occupatur, ad illud
C vi tenditur, non solum, quia magna multitudine, studio, auiditate, impetu, alio alium præuertere satagente, ad illud obtinendum, immo rapiendum, homines feruntur passim, & concurrūt: non solum quia vi gratiæ supernaturali, quæ reapse naturam superat, non vero ipso naturæ pondere aut virtute, nec naturali propagine, quod volebant Iudæi, hoc regnum iam ab omnibus ambitur & quasi inuaditur, sed etiam potissimum, quæ vna fere est omnium Sanctorum Patrum interpretatio, quia propter regnum cœlorum
D terreni homines, suopte ingenio atque ipso naturæ collapsæ pondere, ad terrena & caduca propensi, gratiæ auxilio suffulti, sibi & suis vitiis vim inferunt, per pœnitentiam, paupertatem, continentiam, mortificationem, vnde Lucas cap. 16. v. 16. eandem Christi sententiam enarrans, verbis paulum mutatis, ait, *Omnis in illud vim facit*, nimirum tantum in virtute proficimus, verbo dico, tantum in cœlum ascendimus, quantum nobis ipsis vim facimus, atque adeo vim sibi facere, ascen-

Quid sit Matth. 11. v. 12. Regnum Cælorum vim patitur, & cur ita loquitur Christus.

Vim sibi facere ascendens est & cum sic ascendimus & vim nobis facimus vim quoque Deo gratam facimus.

XX.

dere est, immo cum sic violenti sumus, & vim nobis facimus, cum sic ascendimus & reluctante natura vitia ac passiones edomamus, cum bonis operibus incumbimus. Vim cœlo, vim Deo ipsi gratam (vt cum Tertulliano loquar (facimus, in quam sententiam præclarè S. Ambrosies sermone 5. vim, inquit, facimus Domino, non compellendo, sed flendo, non prouocando iniuriis, sed lachrimis, exorando, non blasphemando, non per superbiam, sed per humilitatem mœrendo. O beata violentia quæ non indignatione perentitur sed misericordia condonatur: Beata inquam violentia quæ vim patienti, bonitatem elicit & vtilitatem tribuit inferenti: Mala res admittitur, & de iniuria nemo causatur, vis admittitur & religio propagatur, quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo, aggredimur in itinere Dominũ (si quidem ipse est via) & more latronum suis eum spoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, thesauros, & vitam, sed ille tam diues & largus est, vt non abnuat, non resistat, & cum omnia dederit, nihilominus omnia possideat. Aggredimur illum non ferro, non fuste non saxo sed mansuetudine, bonis operibus castitate, hæc sunt arma fidei nostræ, quibus in congressione certamus, vt autem his armis vti in ei vi ferenda possimus, ante corporibus nostris vim quodammodo faciamus, expugnemus membrorum vitia, vt virtutum præmia consequamur, prius enim ipsi regnare debemus in nobis, vt regnum possimus diripere Saluatoris, ita D. Ambrosius, cuius verba & dilucide, & eleganter, explicant quemadmodum & cœlo & Deo vis inferatur vt verum sit illud Christi *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud*, violenti inquit, scilicet in Regnum cœlorum, id est qui illi vim inferunt, illudque vi aperta in-

Quarum virtutum præsidio vis Deo infertur & regno ipsius

6

A uadunt, quasi cum de cœlo loquitur colluderet ad quandam ciuitatem, opulentam, in monte sitam (& vero *gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei* ait David,) quę magna vi superanda & expugnanda est, ac reipsa à militibus qui eius opibus nihil aut confestim inuentibus expugnatur, trita est & vulgaris apud Christianos illa vox, Act. 14. *per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei* quia ergo

B cælum per hanc vim, à fidelibus occupatur, hinc ab iis vis fieri cælo dicitur, & certe quantam vim cælo intulerit S. Paulus, quantam sanctus Stephanus, quãtam S. Laurentius cæterique Martyres Virgines, Anachoretæ, atque adeo quotquot olim morum ac vitæ sanctitate insignes fuere, plerique omnes norunt, ac de pueris ipsis fere nemo est qui nesciat: Illustris in eam rem visio est sanctæ Perpetuæ, quæ legitur in eius vita & sociorum martyrũ,

Visio sanctæ Perpetuæ de superandis difficultatibus ad cælum inuadendum.

C ad diem 7. Martii à cuius narratione, quoniam nec inutilis, nec iniucunda est, abstinere non possum, sic igitur habet historia, ipsam per visum aliquando præmonitam fuisse de Martyrio, vidisse si quidem scalam auream à terra in cælum porrectam, vndique cultris & gladiis acutis obsitam, & circundatam, per quam in cælum scandendum erat, inferne vero draconem horribilem, qui scandentes impediret, vidisse autem vnum è sociis,

D satyrum nomine, generose per scalam ascendentem, sociosque ad se sequendum initantem, qua visione sociis enarrata, omnes intellexerunt, sibi parari martyrium: quod & singulis obtigit. Huc vsque visio cum qua sic concludo, idem ipsum animo sibi fingat & secum reputet fidelis quisque, videlicet per scalam cultris obsitam, magna vi contendendum esse in cælestem patriam, & in Hierusalem mysticam mystice ascendendum.

ALLEGORIA

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis primi.

Morale ac mysticum in hæc verba. v. 4.

Omnes reliqui in cunctis locis, &c. de Iudæis qui facta sibi potestate in Iudæam redeundi in Babylonia tamen remanere maluerunt, quo indicatur, Quam multi sint qui vitiorum seruitutem virtutis libertati præferunt.

XXI.



CVM Cyrus Rex Persarum populum Israëliticum à diuturna tandem seruitute liberum abire permitteret primo hoc capite v. 4. his verbis, *Quis est in vobis de vniuerso populo eius, sit Deus illius cum eo, ascendat in Hierusalem & ædificet domum Domini, &c.* Protinus addidit: *Et omnes reliqui in cunctis locis vbicunque habitent adiuuent eum*, quasi diceret, vt in expositione literæ satis liquidum est, si quis Hebræorum maluerit remanere in Babylone, quàm redire in Iudæam, is teneatur suis opibus adiuuare redeuntes: & vero bene multi è Iudæis Babylone remanserunt vti nos quoque docuimus. At enim quis hic non miretur, quis non suspiciat Iudæorum ingenia, qui Iudæam ac Hierusalem præ Babylonia, patrium solũ præ externo nihili faciunt, præfractius omnino, omnino insipienter, atque insulse? Nam quis obsecro ex communi omnium sensu esse poterat qui seruitutem libertati anteferre & potius inter Gentilitios & prophanos ritus Babylonis quam inter sacras & diuinas leges Hierosolymę viuere peroptaret? Illi profecto, inquit Lyranus, qui amore bonorum ibi acquisitorum tenebantur, nam ab iniquis diuitiarum possessoribus, etiam parua lucra temporalia, magnis bonis cœlestibus pręferuntur. Sic radix omnium malorum est cupiditas, sic (quod ait Paulus) qui diuites fieri volunt incidunt in tentationem, & laqueos diaboli qui mergunt eos in interitum, sane incidunt in tentationem diaboli qui eos Babylone moratur, qui in via atque itinere huius mundi gradientes eos retinet impeditos implicatosque rebus terrenis, dum in ciuitatem permanentem & patriam cœlestem toto

Terrenorum bonorũ cupiditas multos è Iudæis in Babylone remorata est.

A studio ac precibus aspirare deberent, sic difficile est diuitem e Babylone in Hierusalem transmigrare, hoc est, vt Christus ipse olim pronunciauit diuitem intrare in regnum cœlorum: difficile est hominem plus nimio diuitiarum appetentem, caducisque ac peritu: is bonis penitus affixum, atque incubantem, totum, vulgo diuitem, qui non tam diuitias habet, quã à diuitiis habetur, & possidetur, saluari, & è mundi huius carcere veluti ac ergastulo, purum omnino, ac sceleris integrum, B in æternas beatorum sedes introire. Sic in historia Num. 32. n. 5. Israëlitæ de tribu Ruben. Gad. & dimidia tribu Manasse quod haberent pecora multa, & in iumentis infinitam substantiam, vt est in textu, Galaaditicæ regionis fertilitatem admirati, quæ Iordanis ripis adiacebat, optarunt in ea, de concessione Moysis consistere: Beatæ illius Palestinæ longe inferioris, hoc est terræ promissionis trãs C Iordanem sitæ, ad quam reliqui tam auide currebant, habitationi, in perpetuum renunciantes, ô cæcam hominum cupiditatem! Vides hinc, amice Lector, quémadmodum sæpe effrænate, cupidi homines, veris solidisque alterius vitæ opibus, renunciant, vt falsis & adumbratis huius mundi diuitiis perfruantur, his, inquit Procopius, similes sunt nonnulli, qui curis huius vitæ victi, studio erga Deum elãguescunt, & si enim ad fidem vocati fuerint, tamen propter voluptates in numero D proborum permanere nolunt. Atque vt in hoc exemplo sistam, cum eisdem hominibus comparat D. Gregorius lib. 27. Moral. c. 7. illos omnes qui terrestria curant, cœlestia contemnunt. Quos, inquit, bene apud Moysen filii Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse exprimunt, qui multa pecora vt iumenta possidentes, dum extra Iordanem ea quæ viderant, campestria concupiscunt, in repromissio-

Diuitiæ magnum plerisque omnibus ad salutem impedimentum.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis Primi.

Mysticum item & morale Alterum in eadem verba.

Et omnes reliqui in cunctis locis vbicunque habitant adiuuent eum viri de loco suo argento & auro & substantia & pecoribus excepto quod voluntarie offerunt templo Dei, &c.

Solos & scientia & virtute cæteris præcellentes Ascendere in Hierusalem, ad ædificandum templum Domino, id est animarum Salutem procurandam in Ecclesia, eosque aliorum facultatibus adiuuari debere in ministerio suo.

XXIII.

NOtandam hic verborum distinctionem, Beda prudenter monet, constat siquidem, ex illis, si rite expendantur, Cyrum Regem Persarum solutis Iudæis ab iniuria captiuitatis, facultatem dedisse vt quicunque vellet ad ædificandum templum, Domino duce ascenderet, non tamen iussisse vt omnes illuc ascenderent, si qui enim essent de populo Dei quos plus alijs quibusque in locis libertaté donata vti delectaret, his ascendentibus esse auxilio de suo quemque loco præcepit, data scilicet illis in necessitatem tanti itineris pecunia siue pecoribus; quin & alia eos dona dare & commendare desiderauit, quæ illo peruenientes, in templum Domini pro memoria manentium offerre deberét. Omnes ergo de Captiuitate Babylonica liberati sunt, omnes pietatis actibus sunt dediti sed perfectiores ad ædificandum Domino templum ascenderunt cæteri eos qui ascenderát adiuuerunt, Sed quid ita? & quorsum tandem? si Allegoriam non literam spectas? quia scilicet vt addit idem author proximecitatus) & si omnes electi de potestate tenebrarum eruti ad libertatem pertinent glorie filiorum Dei, omnes ad Societatem sanctæ Ciuitatis id est Ecclesiæ se adnumerari lætantur, non tamen omnium sed perfectorum solummodo est, in ædificationem eiusdem Ecclesiæ etiam alijs prædicando laborare Tales præ cæteris fidelibus,

Non omnium sed perfectorũ solum modo esse in ædificationem Ecclesiæ, alijs prædicãdo laborare.

A duplici honore ab Apostolo digni esse censentur 1. Timoth. 5. de quibus etiam Danielis 12. & dicitur Angelo *qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Illi igitur eruditores multorum, quo magis suos auditores ad cœlestia quærenda ac diligenda instituunt, eo minus ipsi pro terrenis acquirendis siue possidendis curam gerere solent, immo etiam sæpissime temporalia quæ acquisiere omnia, per libenter pro spe æternorum relinquunt, B vnde necesse est eorum inopiæ, vt ad prædicandum subsistant, ditiorum qui prædicare nequeant largitate subueniæ, vt etiam ipsi diuites prædicationis eiusdẽ possint esse consortes Nam & in Euangelio dictum nouimus Math. 10. v. 41. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet.* Atque ob hoc ipsum est quod dicitur in textu qui ascendant ad ædificandam domum Domini adiuuari debere largitione pecuniarum ab amicis suis vbicunque habitent id est, siue in Chaldæa siue in alijs locis, in quæ C ob metum Chaldæorum profugissent *excepto*, inquit, *quod voluntarie offerant templo Dei quod est in Hierusalem*, quia nimirum oportet eos qui temporalibus abundant diuitijs, non solum ex his pauperibus Christi necessaria ministrare, verum etiam bona quæ possunt pro se libenter operari, quatenus horum merito velut oblationis spontaneæ & ipsi in templo Dei quod est Ecclesia partem mereantur habere. Pulchrè autem ad can-

dem mysticam expositionem firmandā mox adiungitur v. 5. *Et surrexerunt Principes Patrum de Iuda & Beniamin vt ascenderent ad ædificandum templum Domini, &c.* Principes namque Patrum id est Magistrorum, opere & doctrina prædicatorum pręcipui quique, & morum & scientiæ splendore conspicui, ad ædificandam mentem errantium, in studio boni operis, exhortando, increpando, corrigendo, certamen pij laboris debent assumere, qui bene etiam surrexisse dicuntur vt ascenderent in Hierusalem, quia quasi iacent animo debili atque inerti, qui vel suæ vel fraternæ salutis curam gerere detrectant: surgant vero audito Regis edicto immo suscitante spiritum ipsorum Domino, vt ad ædificandā domum Domini ascendant, cum verbis sanctarum scripturarū admoniti, & gratia sui cōditoris accensi, veternum prioris negligentiæ discutiunt, atque arrepto proposito instituti melioris quotidianis bonorum operum profectibus, veluti quibusdam gradibus ascensionum ad summa virtutum quæ sunt in æternæ pacis visione tendere satagunt: in quibus videlicet gradibus, primi sunt, qui propriā vitam à vitiis bene viuendo compescunt, secundi qui proximos à suis erratibus siuè negligentiis bene dicendo conuertunt, supremi qui post bona opera & doctrinam, gaudia perpetuæ remunerationis expectant, sic Beda, Iam quod eos qui ita ascenderent in Hierusalem ad ædificandam domum Domini, vniuersi qui erant in circuitu adiuuarent in argento & auro & substantia & pecoribus, illud indicat, vt mox dicebamus, Prædicatorum, & laborantium in vinea Domini inopiam, diuitum credentium copiis debere sustentari, quo quidem ęquius nihil esse, pluribus ostendit D. Paulus 1. Corinthiorum cap. 9. sic enim ad eos quos primis Christianæ Religionis rudimentis instituerat v. 4. & sequentibus *Nunquid*

XXIV. Æquum esse Euangelizantes ex Euangelio viuere & vniuersos Ministros Ecclesiæ à fidelibus sustentari debere multis probat D. Paulus 1. Cor. 9

A *non habemus potestatem manducandi & bibendi, &c. Quis militat suis stipendiis vnquam? &c. Si nos vobis spiritualia seminauimus magnum est si carnalia vestra metamus? &c.* Vbi sex admodum argumentis probat licere sibi aliisque ministris verbi Dei & Ecclesiæ, à suis sumptius accipere 1. exemplis aliorum Apostolorum v. 5. 2. similitudinibus militum, pastorum & agricolarum qui spe fructus colligendi ac mercedis consequendæ, laborem omnem suum sustētant
B 3. ex lege Mosis. v. 9. quæ Deuteronomii 25. vetat alligari os boui trituranti, hoc est prædicatori alimoniam denegari 4. v. 13. ex Sacerdotum & Leuitarum veteris Testamenti exemplo, qui ex victimis & oblationibus altaris cui seruiebant viuebant. 5. v. 14. ex Dei & Christi ordinatione. 6 v. 11. ex ipsa rei natura, siue iure quod aiunt non tantum diuino positiuo
C sed etiam naturali, his verbis concepto, *Si nos vobis spiritualia seminauimus Magnum est si carnalia vestra metamus*: ius enim naturale dictat sicut operario debetur merces, ita Ministro verbi & Ecclesiæ deberi stipendium, non quasi pretium rei sacræ (hoc enim malignum censeretur & simoniacum) sed quasi stipendium sustentationis, vt vocant, quo scilicet sustentetur, vt suas functiones sacras pro po-
D pulo obire possit, vnde & hoc stipendium ei deberi ex iustitia contendunt etiam theologi. Hæc obiter, vt scias lector in eo textu Esdræ quem versamus aliud nihil latere mysterii quam quod initio posuimus: Nempe solos & scientia & virtute cæteris præcellentes, animorum saluti procurandę intentos esse in Ecclesia, eosque fidelium facultatibus sustentari oportere quod est Principes Patrum ascendere in Hierusalem ad ædificandum templum Domino, & à popularibus qui non ascendunt in auro & argento adiuuari.

TROPOLOGIA CAPITIS PRIMI.

Morale in illud v. 6. & 7.

Protulit quoque Cyrus vasa, &c. de oblatione sui suorumque Deo facienda &c. et quisquis eiusmodi oblationem tam sui quam primitiarum laborum suorum facere negligit, à Deo Iure meritissimo derelinqui.

XXV.

Vmptus ad Templum Dei collapsum à fundamentis excitandum necessarios, obtulit Cyrus Rex Persarum magnificentissime, quin etiam (vt ex textu liquet) æs, aurum, argentumque, nec non alia multa donaria, in Dei cultum ac ministeriũ templi, obtulerunt Iudæi, qui Babylone remanserunt. *Vniuersique qui erant in circuitu adiuuerunt manus eorum in vasis argenteis & aureis, in substantia, & iumentis, in supellectili, exceptis iis quæ sponte obtulerunt Rex quoque Cyrus protulit vasa Templi quæ tulerat Nabuchodonosor de Hierusalem, &c.* sic Esdræ v. 6. & 7. fœliciter quidem illi, ac sapienter, sed fœlicius multo, ac sapientius omnes, si se cum suis, laudatissimo vitæ genere amplectendo, mentis integritate colenda conseruandaque, Deo in perpetuum adstrinxissent: Sanè diuinas inter humanasque res, quarum ad nos studium & cura pertineat, sic sentio cuiusuis conditionis hominibus nihil aut prius aut accuratius, ob oculos constituendum esse, quam debitam tot tantisque nominibus, sui oblationem, quam tenetur quisque creatori suo facere, ac repræsentare vt quod muneris sui est obsequii partes omnes expleat atque absoluat. Hanc quoniã primus ex hominibus, natus Cain, non omnino plenè, ac syncere reddidit Deo, Genes. 4. v. 4. tantum ei displicuit, quantum placuit eius frater Abel, quiquidem prudenter omnino prius cor suum, deinde rem suam obtulit: Quis autem non intelligit, cordis potissimum amantem esse Deum ac veluti Zelotypum, illudque vnice sibi reposcere *fili* inquit *præbe mihi cor tuum* in Prouerb. 23. hinc est cur respexit Deus ad munera Abel, ad Cain autem non respexit vt mox in sacra litera additur eodẽ Genesis loco, seu vt loquitur Cassiodorus in Psalm. 65. quia Cain

Seipsam prius Creatori creatura debet offerre quam quidquam aliud ab ipsa [illegible] Cain [illegible] fecit Cain [illegible] munera propterea D. non respexit

A creaturam creatori obtulit sed se quod charius est subtraxit. Iam vero si ad ipsos etiam primos humani generis parentes Adamum & Euam reflectamus orationem, reperiemus profecto, ideo forte lapsum eorum à Deo permissum, quod huiusmodi oblationem tam primitiarum, quam sui ipsorum, Deo fecisse nusquam perhibeantur, immo nec earum oblationem primitiarum, quas proprio labore comparare debuerant. Et id quidem, plerosque seu commentando, seu B diuina meditando, assecutos esse video, vt sic sentiant in illud Genes. 2. v. 8. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio in quo posuit hominem quem formauerat*, & paulo infra v. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis & operaretur & custodiret illum*, in quem locum sic ratiocinantur Si Deus plantauit paradisum omnis generis fructibus ac delitiis abundantem, quo fine C & quam tandẽ ob causam voluit vt Adamus in illo operaretur? variæ quidem huius rei causæ afferri solent, sed hanc modo quæ ad rem nostram facit lector æquus expendat, annon vt intelligeret debitas Deo, è terræ fructibus primitias, debitaque similiter ex animantibus primogenita, ea quidem esse, quæ proprio hominis labore cultuque producantur, quare si ex eis quas natas iam in paradiso D pecudes ac fruges offerret Adamus, parum sanè aut nihil, obtulisse videretur, cum ea omnia à Deo perfecta inuenerit, proprio scilicet opere & impensis debebat sedulus incumbere, tam agriculturæ, quam pecorum alimento, vt ex eis, quæ ministerio eius orirentur, primogenita offerret, atque primitias creatori, à quo tam magnificẽ omnium tam arborum quam animantium constitutus fuerat dominus. quid quod in ipsa totius vniuersi velut instauratione, cum diluuium euasit Noe, & in arca à se constru-

Voluit Deus primũ hominem in Paradiso operari vt intelligeret debitas Deo è terra fructibus primitias eas esse quæ proprio labore peperisset.

cta, se suamque familiam summo Dei beneficio ab aquis illæsam intactamque seruauit, nihil à naufragio sospes, antiquius habuit, quam vt debitam pinguiorum ac omnium cuiuslibet speciei mundorum animantium oblationem Deo faceret? *Ædificauit*, inquit scriptura Genes. 8. *Noë altare Domino & tollens de cunctis animantibus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare*, quantum vero id Deo placuerit, textus sequens indicat, *odoratusque est Dominus odorem suauitatis*, sed & nisi seipsum offerat homo quantacumque sint ipsa, quæ offerre potuerit, ab eo aliena nihili pœne facienda sunt, ab ipso inquam homine; cętera omnia aut nullius aut exigui admodum pretii, apud Deum esse cōperias, quid enim magni æstimet, creator, belluarum, ac frugum oblationem, si temetipsum ipsi tute non offeras, si præter eum, alius, in tui inuadat possessionem! cum potissimū ipse, ac nobilissimum, sit, præ reliquis rebus creatis, in hoc inferiori orbe opus manuum suarum. Audi August. in appendice de diuersis serm. 49. *Quanto maior est oblatio, tanto eminentior sanctificatio*, & certè eam mētem homini cuique esse oportet, vbi primum pollere ratione incipit, vt se totum Deo offerat eiusque seruituti addicat, nec, totius Theologiæ dux, sanctus Thomas, vacare quemquam, à grauiore crimine existimat, qui quam primum indita est de Deo cognitio & præfectam sibi suisque actionibus ducem esse debere rationem intelligit, ad Deum per actum Charitatis minime se conuertit, hoc est qui Deo sui ipsius oblationem facere prætermittit. In eam rem Diuus Paulus Roman. 12. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*, rationabile, ait nempe oblationem rationabilem, quæ sola, solus es tu ipse, belluæ enim animantes rationis sunt penitus expertes, offer quidquid volueris si te exceptum à munere feceris, non erit rationabile obsequium tuum; deinde reposcit Deus, à te, ô homo rationabile obsequium, quoniam rationi profecto consentaneum non est, vt ei creatori qui & te & tua fecit, alia à te offeras, teipsum vero à debita oblatione substrahas; quin etiam nec teipso contentus est creator, si solum ei offeras corpus, nec vero existimes corpus exigi solum eo quod audias, *Exhibeatis corpora vestra*, animum etiam & hunc in primis, petit, Apostoli voce, sic enim paulo inferius

XXVI. (margin, beside "dicat, odoratusque est Dominus")

Reum peccati mortalis facit D. Thomas qui statim atq; vsu rationis pollet, non conuertit se ad Deum per actum charitatis 1. 2. quæst. 89. art. 6.

A *reformamini in nouitate sensus vestri*, id est mentis vestræ quæ est Syriaca translatio, elegans satis, & sic habet *Peto vt sistatis corpora vestra*. Quid est sistatis? id certe est, ita Deo ea exhibeatis, vt nulli vltra rei offeratis ea, sed soli Deo, sistantur oblata, & addit, *Transformemini per renouationem mentis vestræ*, Deo igitur quisquis offertur homo, ei sistendus est totus, integer ei & corpore, & mente, offerendus, nulla sui parte ad alia distracta, vsus, rebus extra hanc vnam nullis implicita. Vna, ait Cyprianus Epistolarum lib. 2. epistola 2. ad Donatum. *Placida & fida tranquillitas, vna solida, & firma, & perpetua securitas, si quis ab his*
B *inquietantis saculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus ad cælum oculos tollat, à terris, & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente iam proximus, quicquid apud cæteros, in rebus humanis, sublime ac magnum videtur, intra suam conscientiam iacere glorietur*, &c. Iuxta mentem Tertulliani in lib. de Idololatria. Eo spectat illud quod Christus apud Mathæum Pharisæorum discipulis & Herodianis dixerit cap. 22. v. 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo: Bene, inquit, quæ appofuit, & quæ sunt Dei Deo, id est imaginem Cæsaris Cæsari quæ in nummo est, &*
C *imaginem Dei Deo quæ in homine est, & Cæsari quidem pecuniā reddas, Deo temetipsum*. Et certe vt obseruat S. Hieronymus epist. 28. ad Lucinium: *Aurum deponere incipientium est non perfectorum, fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes, seipsum offerre Deo, propriè Christianorum est, & Apostolorum*. Quæ & mox subdit, *laudanda res & Apostolicorum temporum virtutibus coæquanda quando venditis possessionibus, suis credentes afferebant pecunias, atque fundebant ante pedes Apostolorum; ostendentes auaritiam esse calcandam: Sed Dominus magis quærit animas credentium quam opes legimus Prou. c. 13. v. 18. scilicet. Redem-*
D *ptio animæ viri propriæ diuitiæ*. Sic ille. S. August. lib. de quātitate animæ, *vellem vt nihil aliud agerem quam reddere me, cui me maxime debeo, atque ita Deo fieri, quod ait Horatius, Amicum Mancipium Domino, &c.* Sed expressius adhuc & offerēdi sui necessitatē indicat & qua in re eiusmodi cōsistat oblatio fusius discutit serm 3. die natali Domini vnde hæc excepta sunt, *non elegit Deus, nec speciē tuā, nec ocium tuū, nec ieiunium tuum, sed hoc quod redemit, ipsum offer hoc est animam tuam, at si interroges quomodo animam meam quam ipse habet in potestate offeram? & ego respondebo tibi, quo-*

Qui semet ipsum Deo offert, reddit Deo quæ Dei sunt.

Seipsum offerre Deo propriè Christianorum esse.

modo, moribus sanctis cogitationibus castis, operibus fructuosis auertendo à malo, & conuertendo ad bonum: Reuocādus huc iterū D. Hieronymus qui in cōsolatione ad Iulianū, *Respice*, inquit, *sanctum virum Pammachium & feruentissima fidei Paulinum Presbyterum, qui non solum diuitias sed seipsos Domino obtulerunt*, & infra, *Teipsum vult Dominus hostiam viuam, placentem Deo te inquam non tua*. Nec ea est quæ ex Christi solum lege exigatur oblatio, sed ex vetere etiam. si consulimus illud Exod. 13. *sanctifica mihi omne primogenitum, tam de hominibus, quam de Iumentis, mea enim sunt omnia*, cuius sanctionis extrema verba, paulum nobis sunt expendenda, *Mea sunt enim omnia*, inquit, non tantum titulo creationis, & dominij, seu gubernationis, & conseruationis iure, quod in omnia à se creata habet & possidet, sed etiam, & vel maxime titulo liberationis, & redēptionis, quæ ab Angelo exterminatore primogenita olim populi Israëlitici tutatus est, & ab Ægyptiaca seruitute redemit. Quidni & nos potiori iure non tam secundum literam, quam secundum spiritum etiamnum hodie hac lege constingamur! Quos Deus non creauit modo, fouitque peramanter, ab ipso ortus nostri initio, sed nostri etiam similis factus, per incarnationem nos redemit, vere copiosa redemptione, & captiuos miserabiliter, sub peccato, per suam ipse mortem, à peccati & dæmonis iugo nos liberauit. Hinc est quod ait Paulus, *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno pretioso scilicet sanguine filij Dei*, ac proinde quod consequens est, *glorificate Deum in corpore vestro*, id est, totos vos Deo & corpore, & animo, tanquam victimam puram, integram, & sanctam, in Dei cultum atque obsequium immolate, discant hic obiter parentes, noui testamenti, seu legis gratiæ, quam vocamus, non obsistere filijs, etiam primogenitis, aut vnigenitis, si religionem ingredi, Deoque se consecrare velint, siquidem in veteri lege quæ tantum erat vmbra futurorum, parentes omnes primogenitos suos, etiamsi vnigeniti essent, futuri, Deo offerre tenebantur, si id fecerunt Iudæi, Deo iubente, quidni idem facient Deo consulente & vocante Christiani? libenter parentes offerunt filios suos regibus, & principibus, nec grauatè ferunt, vt in aulis ipsorum seruiant, & cuiusuis generis obsequio mancipent sese, quidni libentius ac procliuius offerant eos Regi Regum, & Domino dominantium, vt sint ciues sanctorum, domestici

Quæ inter consistat sua oblatio

XXVII. Lex veteris de sanctificandis Deo primogenitis oblatione sui Deo faciendam vindicat.

Christiani parentes grauate ferre nō debent si liberos suos viderint Religiosæ vitæ institutum capessere vt se Deo purius offerāt perfectiusque consecrent.

A immo aulici Dei viuētis? Ergo Christiani, si rite munus suum explere voluerint, & se, & sua, & suos, Deo liberaliter offerant, imitentur veterem illam Annam, in scripturis nominatissimam, quæ suum Samuelem, Deo, tam libenter consecrauit, quæque ideo quinque proles, pro vno Samuele, à Deo liberali & magnifico remuneratore, recepit: nec vero patitur se à creatura vinci omnium creator in dandis largiendisque muneribus, eius liberalitas & magnificentia, nostram quanta quanta esse potest, infinities exuperat, nil accipit quod illico non reponit, offer ei quidquid voles, illud multis partibus B auctum, locupletatumque recipies, scitum est illud atque etiam vulgare de Socrate (apud Senecam lib. 1. de beneficijs cap. 7.) cui cum multa multi, pro suis quisque facultatibus, offerrent Æschines, pauper auditor, nihil, inquit, dignū te quod dare tibi possim inuenio, & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod vnum habeo, meipsum. hoc munus, rogo, qualecumque est, boni consulas, cogitesque alios cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates, *quidni tu*, inquit, *magnum munus sis? nisi forte paruo te æstimes? curabo er-* C *go, vt te meliorem tibi reddam quam accepi*, hæc Seneca: Tu vero mi homo, si quid sapis, non Socrati, non homini, sed Deo totum dona teipsum, si donaueris, mihi crede non multo post multo te tibi meliorem restituet, quod si diligenter, & magno pietatis sensu, primordia operum nostrorum Deo quotidie offerimus, vt in eius laudem & gloriam cadant, ac vero etiam felicem exitum sortiantur, quod non tantum mane, sed & per diem, sæpe, initio cuiusque operis, viri sapientes & bene Christiani faciunt, superis nō iniucundam, nobis vero vtilem admo- D dum oblationem facimus sicque in veritate, & spiritu, primogenita nostra, quod olim in veteri lege præcipiebatur diuino obsequio mancipamus.

XXVIII. Nunquam se vinci in dando largiendoque patitur Deus.

Tandem vt vnde cœpit eo redeat moralis hęc dissertatio, cor nostrum, primogenitus noster est quia illud, ante alia corporis membra, primo in embryone formatur, *cor nostrum, Isaac noster est*, ait D. August. serm. 40. de temp. *ipsum est*, inquit, *dilectus & vnicus filius*, si primogenitus noster est, offerendus, vtique est ex præcepto Dei, immolandus, victimandus, sacrificandus, diuino numini, vt olim Isaac Abrahami filius, quicquid sensus reclamet, quantumuis caro, atque infima mentis portio, obsistat, ac rebel-

let si quid exigit Deus, si quid præcipit, vt eius voluntati obsecundetur, iugulanda quodam modo est voluntas nostra, & cordis sacrificium in vnius Dei cultum integerrimè perficiendum, quod si accipitribus dari solet cor auium, quas prædantur post longam in aëre iactationem, an non Christus Dominus è cruce prædatus est cor nostrum? atq; ipsum proinde tanquam partem prædæ sibi debitam iure meritissimo reposcit? ipsi ergo volentes, libentesque, illud offeramus, ipse illud nobis reddet amicissime, sed purum, sed sanctum, sed defœcatum, sed lætum, & quietum, bonis denique omnibus fœlix ac beatũ; Quare liceat ac lubeat homini Christiano, & vere sapienti, illud identidẽ D. Bernardi familiariter, vt solet, ac piè cum Deo agentis, vsurpare serm. 1. in Epiphania Domini, *De te Domine suppleo, quod minus habeo, in me*, postquam antea dixit, *pauperes sumus, parum dare possumus, attamen reconciliari possumus pro paruo illo si volumus. Totum quod dare possum miserum corpus istud est, illud si dedero satis est, si quo minus, addo & corpus ipsius, nam illud de meo est & meum est: paruulus enim natus est nobis & filius datus est mihi.* Illud item, eiusdem suauissimi doctoris sæpissime nobis memoria, est replicandum, serm. A de quadruplici debito, *cum ei donauero, quidquid sum, quidquid possum, nonne istud totum est, sicut stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad mõtem, granum ad aceruum, non habeo nisi minuta Deo, immo minutissima, corpus & animam, vel potius vnum minutum, voluntatem, & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum, tantis beneficijs præuenit, qui toto se totum me comparauit?* Quę duo minuta sic iterum repræsentat sermone 3. de Purificatione, his verbis sane ad totam hanc moralem tractationem concludendam aptissimis; B *Sed quid fratres nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobi, ille pro nobis obtulit hostiam preciosiorem quam habuit, nimirum quā pretiosior esse non potuit: Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus vtique nosmetipsi quis mihi tribuat vt oblationem meam dignetur maiestas danda suscipere. Duo minuta habeo Domine, corpus & animam dico vtinam hæc tibi perfecte possim in sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi longeque gloriosius atque vtilius est vt tibi magis offerar quam deserar mihi ipsi: nam ad meipsum anima mea conturbatur, in te vero exultabit spiritus meus si tibi veraciter offeramur, &c.*

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis Primi.

Explicatio allegorica horum verborum: et hic est numerus eorum, &c. v. 9.

Seu quid mystice significet numerus vasorum templi, quæ Babylone reportata sunt Hierosolymam.

XXIX. 

SIc ad mysticum sensũ trahit hæc verba, glossa ordinaria, quia nouit Dominus numerum electorũ, nec perit vna de ouibus confitentibus nomini ei⁹, magno & terribili, propterea dicitur, *& hic est numerus eorum*, quia scilicet nullus de prædestinatis perire in perpetuum potest, *si quidem nouit Dominus qui sunt eius &c.* Si quãdo enim in Babylonem id est confusionem peccatorum abducun- A tur, diuina prouisione per societatem iustorum, ad pacem Ecclesiæ reducuntur, vasa autem quæ exercitus Chaldæorum, capta Hierusalem fregisse, fractaque in Babyloniam transtulisse perhibetur illos exprimunt, qui ita à diabolo capiuntur, vt priusquam pœniteant, perennem rapiantur ad pœnam, etsi breuis est ac stricta, non inconcinna tamen, meo iudicio videtur hæc mystagogia. Certe nihil notius quam à D. Paulo, & reprobos, & electos, siue prædestinatos, per vasa, tanquam per aptissimum symbolum repræsentari, hos quidem per vasa honoris, & gloriæ, illos per vasa iræ & contumeliæ,

Qui per pœnitentiã e statu peccati ad statum gratiæ remigrant vasa sunt mystica quæ e Babylone in Hierusalem reportãtur.

meliæ, Rom. 9. v. 12. quod si Deus volens ostendere iram, & notum facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, inquit ille. Quare videat vnusquisque, quo res suæ in loco sint, coniectus es (mi homo) in seruitutem? ad libertatem aspira, iugum excute si potes, periculosè lapsus es? è summo loco, in terram corruisti? exurge velocius, *excutere de puluere virgo filia Sion*. Humi ne diu hæreas, criminis reus es? grande onus portas, depone, B atque ab humeris excute quam citissime, fœde abductus atque asportatus è Hierusalem in Babylonem? è Cœlo in baratrum, per peccati illecebras, ac dæmonis præstigias? Festina regredi in patriam, propera, auola è Babylone è confusione, & regione peccati, in regionem gratiæ, redi in Hierusalem, transi denique, si certam bonis operibus electionem tuam vis facere. E vase contumeliæ in vas honoris, & misericordiæ. Porrò quod in textu diuersæ vasorum species numerantur, Phialæ puta, cultri, scyphi, C per id, mysticè, diuersas fidelium personas siue operationes designari, ait Beda, & Phialæ quidem quæ sunt vasa patula & lucida simplicium corda repræsentant,

Per Phialas candor simplicium, per cultros discretio doctorum, per scyphos

A quæ nihil in se subdolæ cogitationis celare norunt, sed ea quę animo tenent, pura solent lingua proferre. Cultri vero quibus vtebantur ad incidendos ac diuidendos iuxta rationem congruam artus victimarum, vt omnibus rite distinctis pars in altari sacro igne consumeretur, pars in Leuitarum, pars in offerentium vsum cederet, illos nimirum in Ecclesia demonstrant qui discretionis gratia sunt insignes, qui perfectè norunt discernere de sacrificio salutari, quod est Christus, quæ omnibus sint dicenda, quæ perfectioribus tantum, ac demum quæ humanæ cogitationis modum excedentia Spiritus sancti sint igni tribuenda. Scyphi denique, vt sunt vascula ad potandum destinata illos figuraliter exprimunt qui feruentiore charitatis internæ flagrantia solent inebriari. Quod autem vasa quædam aurea, quædam argentea fuisse referuntur, aurea adumbrant eos qui maiori sapientię spiritalis splendore rutilant, argentea vero illos significant qui dicendi venustate nitidi, eloquentius ea quæ norunt exponere consueuerunt, quos ab inuicē distinguēs Apostolus 1. Corinth. 12 ait, *Alij datur per spiritum sermo sapientiæ alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritum.*

feruentiorum charitas designatur.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

INGENTIS illius populi, qui ex conceſſione Cyri, litteris publicis firmata, Babylone diſceſsit, & ſub Ducibus Zorobabele, & Ieſu, filio Ioſedech in Iudæam remigrauit, ſumma, ac numerus initur exactiſsime, hoc ſecundo capite, & cum ex tanta multitudine, nonnulli reperirentur, qui ſe, de Sacerdotali genere profiterentur, nec tamen, certis argumentis, cùm id ſummo ſtudio cuperent, genealogiæ ſuæ rationem poſſent comprobare, vetuit Nehemias, qui & Atherſata, in contextu vocatur, ne ad ſacerdotale officium aut epulum admitterentur, nec iure vllo, Leuiticæ genti, ex lege præſcripto fruerentur, donec re comperta atque explorata magis, peritioris, ac perfectioris cuiuſpiam Sacerdotis beneficio, plebs doceretur, num illi repellendi omnino à Sacerdotio eſſent: aut verò ad illud admittendi. Demum, & qui inter reduces, priore loco, ac pinguiore fortuna erant, templi ruinas ingreſsi, non leue ſubſidium, ſuo et ſuorum nomine, ad illius ſumptus & fabricam contulerunt, & qui de Leuitico erant genere, in ſuas quique poſteà ciuitates abierunt.

CAPVT SECVNDVM Eſdræ.

1. HI ſunt autem prouinciæ filij qui aſcenderunt de captiuitate quam tranſtulerat Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Babylonem, & reuerſi ſunt in Hieruſalem & Iudam vnuſquiſque in ciuitatem ſuam. A

2. Qui venerunt cum Zorobabel, Ioſue, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belſan, Meſphar, Beguai, Rehum, Baana, numerus virorum populi Iſraël. B

3. Filij Pharos duo millia centum ſeptuaginta duo.

4. Filij Sephatia trecenti ſeptuaginta duo.

5. Filii Area ſeptingenti ſeptuaginta quinque.

6. Filii Phahath Moab, filiorum Ioſue, Ioab duo millia octingenti duodecim.

7. Filii Ælam mille ducenti quinquaginta quatuor.

8. Filii Zethua nongenti quadraginta quinque.

9. Filii Zachai ſeptingenti ſexaginta.

10. Filii Bani ſexcenti quadragiata duo.

11. Fili Bebai ſexcenti quadraginta tres.

12. Filii Azgad mille ducenti viginginti duo.

13. Filii Adonicam sexcenti sexaginta sex.
14. Filii Beguai duo millia quinquaginta sex.
15. Filii Adin quadringenti quinquaginta quatuor.
16. Filii Ather qui erant ex Ezechia nonaginta octo.
17. Filii Besai trecenti viginti tres.
18. Filii Iora centum duodecim.
19. Filii Hasum ducenti viginti tres.
20. Filii Gebbar nonaginta quinque.
21. Filii Bethleem centum viginti tres.
22. Viri Netupha, quinquaginta sex.
23. Viri Anathoth centum viginti octo.
24. Viri Azmaueth quadraginta duo.
25. Viri Cariathiarim Cephira & Beroth septingenti quadraginta tres.
26. Filii Rama & Gabaa sexcenti viginti vnus.
27. Viri Machmas centum viginti duo.
28. Viri Bethel & Hai ducenti viginti tres.
29. Filii Nebo quinquaginta duo.
30. Filii Megbis centum quinquaginta sex.
31. Filii Ælam alterius mille ducenti quinquaginta quatuor.
32. Filii Harim trecenti viginti.
33. Filii Lod, Hadid & Ono septingenti viginti quinque.
34. Filii Iericho trecenti quadraginta quinque.
35. Filii Senaa tria millia sexcenti triginta.
36. Sacerdotes filii Iadaia in domo Iosue nongenti septuaginta tres.
37. Filii Emmar mille quinquaginta duo.
38. Filii Phesshur mille ducenti quadraginta septem.
39. Filii Harim mille decem & septem.
40. Leuitæ: filii Iosue Cedmihel filiorum Odouiæ septuaginta quatuor.
41. Cantores filii Asaph centum viginti octo.
42. Filii Ianitorum, filii Sellum, filii Ather, filii Telmon, filii Accab, filij Hatita, filii Sobai vniuersi centum triginta nouem.
43 Nathinæi: filii Siha, filii Hasupha, filii Tabbaoth.
44 Filij Ceros, filij Siaa, filij Phadon.
45 Filii Lebana, filii Hagaba, filii Accub.
46. Filii Hagab, filii Semlai, filii Hanan.
47. Fili Gaddel, filii Gaher, filii Raaia.
48. Filii Rasin, filii Necoda, filii Gazam.
49. Filii Aza, filii Phasea, filii Besée.
50. Filii Asena, filii Munim, filii Nephusim.
51. Filii Babbuc, filii Hacupha, filii Hathur.
52 Filii Bessuth, filii Mahida, filii Harsa.
53. Filii Bercos, filii Sisara, filii Thema.
54 Filii Nasia, filii Hatipha.
55. Filii seruorum Salomonis, filii Sotai, filii Sopheret, filii Pharudæ.
56. Filii Iala, filii Dercon, filii Geddel.
57. Filii Saphatia, filii Haul, filii Phocherath, qui erant de Asebaim filii Ami.
58. Omnes Nathinæi, & filii seruorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.
59. Et hi qui ascenderunt de Thelmala, Thelhersa, Chérub & Adon

& Emer, & non potuerunt indicare domum patrum suorum & semen suum, vtrum ex Israël essent.

60. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda sexcenti quinquaginta duo.

61. Et de filiis sacerdotum filii Hobia, filii Accos, filii Berzellai qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis vxorem, & vocatus est nomine eorum.

62. Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt & eiecti sunt de sacerdotio.

63. Et dixit Athersatha eis, vt non comederent de Sancto Sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus.

64. Omnis multitudo quasi vnus quadraginta duo millia trecenti sexaginta.

65. Exceptis seruis eorum, & ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem & in ipsis cantores atque cantatrices ducenti.

66. Equi eorum septingenti triginta sex, muli eorum ducenti quadraginta quinque.

67. Cameli eorum quadringenti triginta quinque, asini eorum sex millia septingenti viginti.

68. Et de principibus patrum cum ingrederentur templum Domini quod est in Hierusalem sponte obtulerunt in domum Dei, ad extruendam eam in loco suo.

69. Secundum vires suas dederunt impensas operis, auri solidos sexaginta millia, & mille argenti minas quinque millia, & vestes sacerdotales centum.

70. Habitauerunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, & de populo, & cantores, & ianitores, & Nathinæi in vrbibus suis, vniuersusque Israël in ciuitatibus suis.

EXPOSITIO LITERALIS.

V. 1.

1. *I sunt autem Prouinciæ filii qui ascenderũt de captiuitate, quam transtulerat Nabuchodonosor, &c.* A Expendendũ est hoc initio, quinam propriè, & quam ob causam dicantur Prouinciæ filii, quorum numerus toto hoc capite sigillatim conficitur, ac primum certum est, illos tantum hoc nomine significari, vel illorum filios, B quos in Babylonem traduxit Nabuchodonosor, eosque ex tribubus Beniamin, Iuda & Leuitica: reliquorum autem, si qui fuerunt, ex aliis Tribubus, quod postea disquiri poterit numerum ac nomina supprimi. Sed quid est, cur eo Prouinciæ filii nuncupentur, quod Babylonem olim traducti, à Babylone iam in Hierusalem & Iudam reuertuntur? Prouinciæ filii, id est, Chaldæi, aiunt nonnulli, quasi diceret, nati in Chaldæâ, bi

Per Prouinciæ filios, aut illi natum, aut illorum filij designantur quos e Iudæa in Babylonẽ traduxit Nabuchodonosor.

sunt qui iuerunt cum Zorobabele, & in suam Prouinciam redierunt, pene eò recidit interpretatio Glossæ ordinariæ, licet verbis dissentire videatur, quæ per Prouinciam hanc, non Babylonem, sed Iudæam intelligit: ad hanc enim, inquit, pertinebant etiam de captiuorum stirpe, in Babylonia nati, quippe qui toto animo Iudæam & Hierusalem suspirabant, &c. Alij, inter quos Salianus, in annalibus Prouinciæ filios interpretantur, partim in Babylonia natos, partim eius incolas, cur autem nomen Prouinciæ insitum sit Chaldææ aut Babyloniæ rationem hanc accipe, quia nimirũ cùm multæ in Chaldæorũ, seu Babyloniorum imperio fuerint Prouinciæ, siue Satrapiæ, vt constat ex Daniele cap. 3. v. 98. & Esther cap. 1. v. 1. Harum omnium Prouinciarum, & præcipua & maxima fuit illa, quæ antonomasticè dicta est, Babylonia, vnde qui Prouinciam diceret, perinde esset, ac si Babyloniã nominaret. sic passim qui vrbem nominant, Romam fere intelligunt, ciuitatem omnium princi-

Inter cæteras omnes Babyloniorum Prouincias seu Satrapias Babylonia antonomasticè dicta Prouincia.

pem: Ergo dum recensetur numerus illorum qui remigrant in Iudæam, & Prouinciæ filii dicuntur, illi omnino non obscurè significantur, eo nomine insigniti, qui habitabant in ea Prouincia, quæ vulgò Babylonia vocabatur: neque verò insolens est, aut inusitatum, vt ciues aut incolæ alicuius ciuitatis, aut Prouinciæ, dicantur Prouinciæ aut ciuitatis filii, immo hic loquendi modus satis frequens & obuius est in sacris paginis, sic dicuntur, filii Ægypti, filii Sion, aut Hierusalem, filii Orientis, aut Aquilonis, qui Ægyptum, qui Syon, qui Hierusalem, qui Orientalem, aut Aquilonarem plagam habitant, & huius rei exempla quoque esse plurima, toto hoc capite, in explanatione sequentium textuum forte videbimus. Cæterum si quis hoc loco scrupulosius inquirere volet, quandonam, seu quo circiter mense, Babylone exierint Iudæi, & in Patriam redierint, hi Prouinciæ filij, quantùm etiam illi temporis in itinere posuerint, facile ex Saliani sententia & calculo, intelligi potest, eos sub Veris initium, mense Martio, vel Aprili, sese in viam dedisse, & quatuor circiter mensibus hoc iter confecisse, nam Esdras cum suis (sic enim ille ratiocinatur) septimo anno Artaxerxis primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, & in primo die mensis quinti, venit in Hierusalem, vt dicitur cap. 7. v. 9. & sanè vix potuit, breuiori temporis spatio, tanta populi multitudo, tamque multiplex, omnis ætatis atque sexus, cum tot impedimentis vasorum, pecorum, variæque supellectilis, illud iter peragere. Oportuit autem eos vnum vel alterum mensem disponere domui & habitationi suæ dum interea septimus mensis adueniret destinatus solemnitati tabernaculorum, de quo postea proximè sequenti cap. v. 1.

Sub Veris initium mense Martio vel Aprilis sese in viam dederunt Iudæi reduces & quatuor circiter menses in itinere posuerunt.

II. *Et reuersi sunt in Hierusalem & Iudæam, vnusquisque in ciuitatem suam, &c.* Etsi locum hunc explicatu difficilem aliqui faciunt, quod prædicti Babylone digressi in Hierusalem & Iudæam, id est in sortem tribus Iudæ rediisse dicuntur, in suas quisque ciuitates &c. nulla aliarum tribuũ præter Iudæ & Leui facta mentione, aut ciuitatũ in quas cõmigrarint, nihil admodum in eo difficile atque impeditum video, immo neque hinc, probabile vllum argumentum duci posse existimo, quo nullos ex decem tribubus, cum aliis remigrasse etiam hoc primo commeatu conficiatur, sed, inquiunt, cum ex iis, qui reuersi sunt cum Zorobabele, alij aliarum essent tribuum, puta de Tribu Iuda, alij de Tribu Beniamin, non pauci de Tribu Leui addo ego, nonnulli etiam de decem tribubus, omnes tamen in Iudam tantum, & in suam quisque ciuitatem remigrasse traduntur, licet non omnes essent è Tribu Iuda, nec proinde in eo, hoc est in eius sorte, antea domicilium habuissent, quonam igitur pacto in antiquas sedes, & in suas quisque ciuitates, quas olim occupabant, reuerti potuerunt si in vnum Iudam, hoc est, in vnam Tribui Iudæ destinatam sedem ac regionem, omnes confluxerunt? Verbo respondeo, Tribus Iudæ, vt omnium præcipuæ, ac regiæ fieri mentionem, & alias sub ea intelligi, eásque præsertim quæ cum illa peculiari nexu coniunctæ essent. Et certè cùm hæc prima remigratió, vt ante diximus, aut solum, aut maximè fuerit è duabus Tribubus Iuda & Beniamin, & ex Tribu etiam Leuitica, quæ templi gratia degebat Hierosolymæ, & cum aliis duabus abducta, diu cum eisdem in eadem regione consederat, omnes in vnam sortem venisse dicuntur qui ad vnam quasi Tribum omnes pertinebant; Et de Tribu quidem Beniaminica, satis constat ex multis scripturæ locis, vt lib. 3. Regum cap. 11. & cap. 12. & lib. 4. cap. 17. à Tribu Iuda non secerni: vtramque vnam vocari, vtramque in vnam quodammodo coaluisse, familiarum vtriusque sortes, at funiculos, vno interdum haberi & eodem loco: quo fit vt si duæ Tribus in vnam sunt conflatæ, mirum esse non debeat, si eum Beniamin, in suam rediit sortem, in Hierusalem, & Iudam; & in suas ciuitates rediisse dicatur, quòd spectat ad Tribum Leui & alias decem, ex quibus nonnulli redierunt, dicendum, illos saltem hoc initio, non ad antiquas rediisse sortes, olim à Iosue definitas, atque descriptas, neque suas rursus incoluisse domos, quas ante captiuitatem possidebant, cum iam essent euersæ aut iniuria vetustatis & temporis, aut ab aliis dominis occupatæ, à quibus eripere longum esset, difficiléque negotium, sed ad nouas finium metationes, quas pro captiuorum, qui Babylone redirent, habitatione Deus præscripserat per Ezechielem cap. 48. sic ad suas ciuitates dicuntur omnes ascendisse, quia illas incoluerunt, in quibus à Deo, & ducibus collocati sunt, (adde quod huius loci interpretationi aliarumque consequentium, non minimam lucem afferet) iuxta symbolicum Ezechielis Prophetæ oraculum, cap. 37. de duobus lignis in

Sub sorte Tribus Iuda tanquam omnium præcipue ac Regia. Alia quoque intelliguntur præsertim Beniamin & Leui quæ cum illa peculiari nexu erant coniuncta.

Qui de Tribu Leui & ex aliis decem Tribubus redierint antiquas sedes initio non occuparunt, sed cum aliis permixti fuerunt.

vnum compactis, duo regna, Israël scilicet & Iuda, quæ ante captiuitatem diuisa fuerant in vnam Gentem & Regnum, immò in vnum locum coiuisse: Et sicut inter se vixerunt domiciliis permixti, sic etiam nomen commune habuere, neque amplius vocati sunt *Rubenitæ*, *Danitæ*, *Ephraimitæ*, *&c.* Sed omnes eo tempore vocati sunt Iudæi.

III. v.2. *Qui venerunt cum Zorobabele, Iosue, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, &c. numerus virorum populi Israël, &c.* Nempè qui primum nominantur, hi fuere Duces, aut Principes, aut Præfecti, à populo forte delecti, aut potius, quod iam antea innuimus, à Persarum Principe designati, quibus in eo reditu totius regendæ multitudinis ius atque potestas esset. De *Zorobabele*, iam diximus superiori capite, sub nomine Sassabasar, qui & ibi princeps Iuda insignitur, qui verò hic Iosue dicitur, idem est qui aliis sæpe locis vocatur Iesus filius Iosedech, sicut in scriptura alter Iosue, seruus scilicet Moysi, & qui Moysi ipsi in administratione populi successit, sæpe Iesus appellatur, & vox Hebraica, in vtroque modo vertitur, sed dubium est de hoc Nehemia, an alius sit ab illo, qui postea venit in Iudæā, sub Artaxerxe, quique secundum scripsit librum Esdræ, qui vulgò Nehemias inscribitur: sic existimant aut coniectant nonnulli, quorum hæc est ratio, quia nimirum, inquiunt, hoc tempore vix eius erat ætatis, vt illi, id negotii mandari debuerit, cum aut nondum fortè natus esset, aut certè pueriles annos nondum egressus, sed dubia nimis illorum est & incerta, ne dicam fallax Chronologia, neque cum Hebræis vllo modo conuenit, qui vulgò Nehemiam Synagogæ magnæ Iudæorum interfuisse, vulgò asserunt, de quo alibi. Alij igitur secus sentiunt, aiuntque hunc ipsum esse Nehemiam vnum, eundémque, & qui cum Zorobabele reuersus in patriam hic dicitur, & de quo tam multa lib. 2. Esdræ consignata sunt, quique eiusdem libri author circumfertur, id verò vt mihi persuadeam facit potissimùm, quod Nehemias illo lib. 2. c. 8. v. 9. dicitur esse *Athersatha*, his verbis, *Dixit autem Nehemias ipse est Atharsatha*, de quo itē Athersatha hic infra v 63. & dicit Athersatha. Qui primùm, vt belle omnia componantur, venisse cum Zorobabele in Hierusalem, deinde reuersus Babylonem, & post aliquot annos in Iudæam, iterum rediisse dicendus est, de Mardochai hunc patruum fuisse Esther, leuis admodum est coiectura, ac vereor vt temporum ratio cū eo consentiat. Porrò in illud, quod additur *numerus virorum populi Israel*, notandum est vocem hanc *Israel* non sumi pro toto genere Israëlitico, id est, pro duodecim tribubus, cum in hoc capite non numerentur, nisi qui ex Iuda, Beniamin, & Leui, oriundi sunt, sed pro Iuda, esse autem in scriptura non infrequens vt Israël sumatur pro Iuda, pluribus exemplis ostendit Sanctius tum in hunc locū, tùm in Zachariæ cap. 8.

Nehemias cum Zorobabele reuersus idē cum eo qui libri secūdi Esdræ author dicitur & sub Artaxerxe iterum rediit.

In scriptura sæpe sumitur nomen Israel pro Iuda.

IV. *V.3. Filij Pharos &c.* Pharos nomen viri, ait Sa in notis, de quo iterū infra cap. 8. v. 4 & lib 2. cap 3. v. 25. 70. habent Pheros, sed vt verum fatear, An Pharos, Sephatia, Area, Bethleem, Anathoth, &c. & eiusmodi nomina, quæ hic apponuntur, aut Personarum, aut Ciuitatum, an hominum modo, alias vrbium nomina sint, admodum incertum est; vt Sanctio. sic nec mihi improbabile est, cum Ciuitatem hic legimus, cuius nomen Hebræum est, & quæ in Israelitide terra locum habet, vt Bethleem v. 21. Anathoth. v. 23. Cariathiarim. v. 25. Bethel & Hair. v 28. Hiericho v. 34. ciuitates esse in Babylonico tractu quas excitarint & coluerint extorres Iudæi, & quibus, vt suam solitudinem & exilium solarentur, & quasi adhuc in natali solo vitam agere viderentur, relictæ patriæ nomen indederunt: sic iuxta loquendi formam iam à nobis superiùs obseruatam filij Pharos, filii Area, filii Anathoth, aliarumque ciuitatum, hic dicuntur quod illarum incolæ fuerint. V.6. *Filij Phahath Moab filiorum Iosue, &c.* Quod Phahath, ducem significat, ideo quidam sic vertunt, *filij ducis Moab*, ducis, inquam, filiorum Iosue, Ioab, vt sit vnus vir, *Iosue Ioab*, vtraque

V.

voce significatus, aut duo viri, suæ ætatis nobilissimi, quorum posteris caput erat Dux Moab, aut Phahath Moab, sit nomen proprium viri, qui erat eius familiæ caput, hoc sequuntur 70. prius illud Hebræum, est & qui voces Hebraicas verti putet posse non inconcinnè *filii Phahath Moab, cum filiis Iosue &*

VI.

Ioab, &c. itaut horum trium virorum posteros iungat, qui fortassis cognati erant. ad extremum addo hanc coniecturam, quid si sic interpreteris? Filii Phahath Moab, filiorum Iosue, Ioab, id est filii Phahath & Moab, qui filii sunt Iosue & Ioab &c. forte quo sensus facilior, eo verior, certè, eo propendet Emanuel Sa,

VII.

in annotatiunculis, vt in eandem sententiam exponenda verba sint, hoc modo Iosue, Ioab, id est, inquit, qui à Iosue quo-

Extorres Iudæi excitarunt in Babylonico tractu nonnullas ciuitates eiusdem nominis cūalisque erant in Iudæa quarum hic filij dicuntur, quia incolæ illarum fuerunt.

dam insigni viro,& à Ioab originem du- A cebant.
VII. V. 21. *Filii Bethleem &c.* Ciues intelligit Bethleem, aut è ciuibus eius vrbis natos, si de vetere Bethleem in Iudæa sita sermo est, non vero de alia recens in Babyloniæ finibus excitata, superiores quidem per familias numerauit, sequentes verò per vrbes, vbi ipsi vel maiores ipsorum habitarunt, nisi forte illi ipsi familiarum principes erant vrbibus cognomines. V. 31. *Filii Elam alterius &c.* repente ab vrbibus ad viros redit, & Elam alterum nominat, nimirum ab eo qui v. 7. est positus, ita tamen vt posterorum vtriusque sit numerus 125: B quod notatu dignum &c.

VIII. V. 36. *Sacerdotes filij Iadaia in domo Iosue, &c. Post Iudam & Benjamin.* Tribus Leuiticæ diuisionem facit, ducto à Sacerdotibus initio, deinde alios Leuitas enumerat, sed paucissimos Cæterum, pro in domo Iosue Tigurina translatio vertit de domo Iosue, & *in*, interdum sumitur pro, *de*, sicut etiam affixum Lamed, quod in Hebraico textu voci *domo* præponitur, nimirū Iadaia de genere fuit Sacerdotali, & de domo, seu familia Iesus filii Iosedech, quod aperte constat ex lib. 1. Paralip. cap. 9. v. 10. vbi sic habetur, *De Sacerdotibus autem Iadaia, Ioab, &c.*

Nathinæi posteri Gabaonitarū ad seruilia Templi ministeria destinati.

IX. V. 58. *Omnes Nathinæi & filii seruorum Salomonis &c.* Nathinæi, hebraicè interpretantur, *dati* à Nathan, quasi donati, seu consecrati, Sacerdotum scilicet & Leuitarum ministri, in operibus seruilibus, circa templum vno verbo posteri Gabaonitarum: Ergo iuxta sui nominis notationem quod obseruat Hieronymus in traditionibus Hebraicis ad caput 9. lib. 1. Paralip. Serui erant donati & quasi alligati Templo, qui ad varia illius ministeria, sub Sacerdotum aut Leuitarum imperio, seruilem exhiberent operam, atque illi ipsi quidem, vt Hieronymus & cum eo fere omnes sentiunt, Gabaonitæ fuisse existimantur, qui aquam, & ligna, ad sacros vsus cōportarent, iuxta illud Iosue cap. 9. v. 23. ad Gabaonitas. *Non deficiet de stirpe vestra ligna cædens aquásque comportans in domum Dei mei.* Sed
X. cur filii seruorum Salomonis dicuntur? quia Proselyti, ait Estius, ex eorum scilicet posteritate, per quos Salomon extruxerat Templum Domini, & quos deinceps deputauerat ad eiusdem perpetuo conseruationē, & instaurationem vt videre est 2. Paralip. 2 v. 18. Sunt qui volūt, fortasse Salomonē, eruos suos templo donasse, quorum posteri Nathinæis annumerantur. Vtrumq; fieri potuit. Inter Israelitas autem, & Iudæos nominantur, quia licet alienigenæ, diu tamen inter Iudæos commorati erant, & illam occuparant antea regionem, quæ postea sorte obuenit tribui Beniamin Iosue 18.

Vers. 59. *Et hi qui ascenderunt de Thelmala, & non potuerunt indicare domum patrum suorum & semen suum vtrum ex Israel essent, &c.* Hic consequenter ponitur numerus Proselytorum, & licet Proselyti, proprie dicantur, qui de Gentilitate conuersi sunt ad Iudaismum, tamen hic latè sumendi sunt, pro iis, qui non potuerunt sufficienter indicare, certitudinem suæ genealogiæ & ideò dubium erat de aliquibus eorum, vtrum essent de filiis Israël, à principio an non, nec tamen fuerunt eiecti de populo Israel, quia fides non negabatur, etiam Gentilibus volentibus conuerti; Ergo de filiis Sacerdotum, illi qui non poterant inuenire *certitudinem genealogiæ*, id est certis indiciis, argumentis, aut testimoniis, comprobare, quemadmodum XI.
essent de Sacerdotali genere, seu genus suum & familiam, aut priuatis, aut publicis tabulis confirmare, eiecti sunt de Sacerdotio, non tamen de communi C statu fidelium, vnde & in nouo Testamento, non omnis qui recipitur ad fidem, recipiēdus est ad promotionem ordinum, ait Lyranus hoc loco, qui & subdit. Hinc etiam, id est, ex hoc Iudæorum facto, in textu memorato, argumentum duci, nemini permittendum esse, *celebrare in Ecclesia, nisi, qui fidem faciat,* de sua ordinatione, Thelmata autem Thelharsa, & Kerub & Adon & Emar, &c. nomina sunt vrbium Chaldææ vnde complures illi venerant, qui originem suam in Iudæa indicare non potuerūt. V. 61. *Qui accepit de filiabus Berzellai,* &c. Accos scilicet, qui proxime præcessit duxit vnam XII.
ex filiabus Berzellai: quod autem additur, *Vocatus est nomine eorum*, verum quidem est apud 70. sic legi *eorum*, & He- D bræum affixum esse masculinum, sed Pagninus & alii vertunt *earum*, id est filiarum Berzellai, fuerunt illæ hæredes, & cuius prædia quis obtinebat transibat in nomen eius familiæ. Ex hoc loco non obscure colligitur Berzellai de quo 2. Reg. 17. Sacerdotem fuisse, sed qui ex Accos prognati erant cum confirmare non possent se ex eo genere esse propterea à Sacerdotio fuisse repulsos.

V. 62. *Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt & eiecti sunt de sacerdotio, &c.* hic igitur potissimùm ac proprie sermo est de iis qui de

Tabulæ familiarum seu genealogiæ magno studio olim ab Hebræis asseruatæ.

sacerdotali genere erant, & Leuiticæ tribui ac accenseri, eiusque priuilegiis gaudere cum maxime cuperent, tamen de sacerdotali censu atque ordine expulsi sunt, quod tabulas scriptas vbi parentum suorum, & totius generis sui series seruaretur, indicare non possent, sane asseruare solebant Israëlitæ, magno studio, suarum familiarum censum, tum vt scirent quibus possent ex lege connubiali nexu coniungi, nec enim cum omnibus indiscriminatim fas erat inire connubia, tùm ne qua fieret tribuum & possessionum ac hæreditatum quæ certas ad tribus pertinebant, confusio, censum autem eiusmodi familiarum suarum ac generis sui seu genealogiæ scriptam, seruabat apud se quisque diligenter & publice etiam maiori securitate custodiebatur in templo. Sed cum superioribus annis, ex hostili Babyloniorum incursione, afflicta vehementer esset Iudæorum respublica, templumque flammis conflagrasset, periere quoque cum ipso publica omnium monimenta, & qui abducti sunt, cum multa, tumultuaria illa profectione perdiderint, rationem quoque temporum, quã apud se domi asseruabant, & generationis, seu genealogiæ suæ ordinem perdiderunt. Hinc est cur tam multi, vt in textu est. *Non potuerint indicare domum patrum suorum & semen suum, &c.* V. 63. *Et dixit Athersata, &c.* Multorum est coniectura, vt supra monui, Nehemiam sic Chaldaicè

XIII. vocatum, & verò Dionysius Carthusianus & Vatablus id indicant, cum Lyrano, cuius hæc verba sunt. Iste est Nehemias vt dicunt Hebræi, & hoc idem expresse habetur in libro Nehemiæ 8. capite, versu scilicet 9. & vocatus est *Athersata*, qui secundum proprietatem, Hebraici sermonis Chaldaici credo, voluit dicere.) nam hæc vox Chaldaica est interpretatur relaxatus, quia per sapientes Hebræorum, fuit ipsi licitum bibere vinum gentilium, eo quod erat pincerna Regis gentilis, vt habetur Nehemiæ 1. quod de communi more erat Iudæis illicitum, vt dicunt Hebræi, propter quod Daniel & socii eius noluerũt bibere de vino quod bibebat Rex ne contaminarentur Daniel 10. De qua re, quàm vera sit, aut quàm solidum eius fundamentum, nihil admodum moror tu lector expende.

Athersata, idẽ qui Nehemias sic chaldaicè vocatus, quasi relaxatus, vt vox sonat, à communi lege Hebræorum, quæ vsum illis vini Gentilium interdicebat.

XIV. *Vt non comederent de sancto sanctorum, &c.* Nempè tantum apud suos authoritatis habuit Athersata, siue quod est idem Nehemias, vt à sacerdotali ordine

A repellerentur illi omnes, quorum genus nulla humana solertia tunc temporis explorari posset nec certo cognosci ex quo illi semine propagati forent, statuitque, vt non comederent de Sancto Sanctorum, &c. id est de cibis, solis sacerdotibus concessis, cuiusmodi erant panes propositionis, & hostiæ pro peccato, & delicto, iuxta illud Osee 4. Peccata populi mei comedent.

Donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus. Hinc colligitur, dum hæc geruntur,

B nondum Esdram venisse in Hierusalem, vt notat Estius, vnde & aduentus eius describitur cap. 7. Alii aliter intelligunt hæc verba, non quidem de Esdra sacerdote, sed de quouis alio, quasi diceret donec surgeret sacerdos, aliquis quicunque demum is futurus esset qui sciret, inuenire veritatem Genealogiæ, tunc ignotæ, & hæc est expositio communis, &c. Notandum tamen in Hebræo haberi donec surgeret sacerdos, ad Vrim & Thumim, quod significat, ad doctrinam, & perfectionem, seu veritatem, & eædem voces Hebraicæ ponuntur, Exodi 28.

C *Pones autem in rationali iudicii doctrinam & veritatem &c.* iuxta 70. τὴν δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, manifestationem, & veritatem, certè voces Hebraicæ idem propriè valent, & significant, quod *illuminationes, seu doctrinas, & perfectiones*, & ita Deut. 33. vulgatus interpres, his verbis, *Leui quoque ait perfectio tua, & doctrina tua viro sancto*, vbi Hebraice est Vrim & Thummim, tui viro sancto, cæterùm licet per Vrim & Thumim, consuleretur Deus, redderetque responsa, & quod esset oc-

Quid fuerint Vrim & Thumim in Rationali summi Pontificis.

D cultum, obscurumue sciscitantibus passim manifestaret, vt penè omnes norunt: tamen quid propriè Vrim, & Thumim fuere non ita facile explicatu est; quidam existimant fuisse hæc verba in rationali scripta, & suis notata litteris: Alij lapidem fuisse credunt, cuius color aliter atque aliter mutatus, prospera subinde, vel aduersa populo significaret; Ego ad Riberæ sententiam accedo, qui fusè atque ex professo, vt aiunt, de hac re disputat lib. 3. de templo cap. 12. vbi probabi-

E lius censet Vrim, & Thumim, fuisse duodecim lapides, in rationali summi sacerdotis, in quibus inscripta erant duodecim nomina filiorum Israël, qui vario fulgore, successus quoque varios, diuersis temporibus significabant. Decernit itaque Nehemias sacerdotem expectandum qui per Vrim & Thumim, consulto Deo doceat, an illi de quibus dubium erat, ex quo genere essent, repellendi sint à

Probabilissimum fuisse 12. lapides 12. nominibus filiorum Israël insculptos qui vario fulgore varios successus significarẽt.

L

sint à Sacerdotio, an verò admittendi in- A
terim cauet, ne illi ex templo sacrificiisque ea reportent commoda, quæ Leuiticæ genti & Sacerdotali ordini, Leuitici
XV. cap. 3. 6. & 7. à lege decernuntur.

Vers. 64 *Omnis multitudo quasi vnus, &c.* Penè facit vt existimem vocem hanc *quasi vnus*, non carere mysterio quod repetitur etiamnum adhuc proxime sequenti cap. 3. statim initio v. 1. Congregatus est ergo populus quasi vir vnus, item libro 2. cap. 8. v. 1. ad litteram, id est, in vnum collecti fuerunt, vnam omnes velut in aërem confluxerunt, aut certè magno animorum consensu & concordia, ita vt vnus duntaxat esse videretur, in tota multitudine, tanta erat omnium in vnum tamque consentiens voluntatum conspiratio.

XIV. *Quadraginta duo millia trecenti sexaginta, &c.* Eodem fermè modo paucis exceptis numerantur hi reduces à Nehemia lib. 2. cap. 7. à versu 6. vsque ad finem capitis: sed dignum hic notatione occurrit, numeros omnes partiales, supra recensitos, si in vnum coniungantur, non efficere hanc summam, immo si exa- C
ctè ad calculum redigas, decem millia, & amplius deficere, ac desiderari, ad numerum absoluendum, immo, qui sigillatim in textu numerantur, omnino plures non sunt, vigenti nouem millibus, & octingentis, & decem & octo; quare qui velit superiorem summam implere, addat necesse est duodecim millia hominum, & quingentos quadraginta duos, vnde videri possit aut mendum hic esse, aut non esse verum quod concluditur respondit Rabbi; Salom: apud Lyranum D
illos qui numerati sunt, supra per partes, fuisse de Tribus tribubus tantum, scilicet Iuda, Beniamin & Leui, sed cum eis rediisse aliquos de aliis Tribubus & illos coniunctos cum aliis numerum in textu positum efficere, atque sic censent vulgo recentiores interpretes, qui vt facilius se expediant, ad Hebræorum Chronicon, se adiungunt, qui c. 29. Sederolant, vt appellant, sic in hunc locum disserunt; *Vniuersi inquiunt, quadraginta duo millia*, at singulatim, non nisi existunt, triginta millia E
trecenti sexaginta, vbi ergo sunt duodecim millia? In his sanè, qui ascenderunt de reliquis Tribubus; Porro, vt rectè annotauit Salianus, in Græco Sixti lib. 1. cap. 5. vbi hic Catalogus habetur, generalis quidem summa eadem ponitur, sed particulares summæ non parùm differunt ab iis quæ in vulgata & Hebræa leguntur, & efficiunt triginta millia & centena quadraginta tres. Iosephus lib. 11. antiq. cap. 1. habet quadraginta duo millia quadringentos sexaginta duos.

Generalis summa maior quam particulares in vnu collecta quia in particularibus non comprehenduntur qui de decem Tribubus redierunt.

V. 65. *Exceptis seruis eorum & ancillis, &c.* Itaque in numero proxime superiori XVII.
versu relato, non comprehendebantur, nec serui, nec ancillæ, qui cum plures non fuerint, quàm septem millia trecenti triginta septem, obseruat hic Sanctius, extant illâ illorum summa, facile intelligi, tenuem admodum fuisse Iudæorum, in patriam redeuntium fortunam, cum tot hominum millia, non plures habuerint seruos & ancillas, quam qui exiguo illo numero continentur. V. 66. *Et in ipsis cantatores & cantatrices ducenti, &c.* Hi psalmos dulci modulamine resonabant ad populum, quod Leuitæ in Templo inter quotidiana sacrificia faciebant, quod etiam plures de plebe, suis in locis fecisse credibile est, sic glossa interlinearis, &c. Et sanè nihil significatur sacrum, sed laicum, & commune, cum cantoribus cantatrices adiungantur, quibus in Templo, aut in religioso conuentu, ad sacrum concentum, datum esse locum, nusquam reperies; sed cum Iudæis etiam in captiuitate, nuptiæ quotidie, funeraque contingerent, in quibus solent epithalamia & epicidia, decantari; dubium esse non potest, quin apud ipsos præfixæ fuerint, cantores, & symphoniaci, qui tristia lugubri cum res ferret, & iucunda ac prospera læto cantu celebrarent, cuius rei exemplum est in luctu, atque exequiis Iosiæ 2. Paralip. c. 35. v. 25. Igitur in eorum numero qui primum sub Zorobabele Duce redierunt in Hierusalem, cantatores & cantatrices fuerunt, qui redeuntem populum exhilararent, & suauissimis cantionibus, longi itineris molestiam magna ex parte detegerent, sic Baruch Propheta futurum hoc præsentiens, cap. 5. gaudere iubet Hierusalem, in captiuorum reditu, vbi ait, *Adducat Deus Israel cum iucunditate*, & paulò ante, *Exierunt*, inquit, *abs te pedibus ducti ab inimicis; adducet autem illos Dominus ad te portantes in honore quasi filios regni* Idipsum longè ante præuiderat ceciner atque Dauid Ps. 125. cum totius populi è captiuitate redeuntis nomine, in has voces erumpebat, *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.* Cæterum de cantorum & cantatricum numero qui ducenti omnino esse dicuntur, obseruandum quoque est, variari summam illam; lib. 2. cap. 7. v. 67. vbi hæc leguntur: *Et inter cantores*

Cantores dicuntur non tàntum qui in Templo canerunt sed etiam, qui redeuntem populum suauissimis concionibus exhilararēt

& cantatrices ducenti quadraginta quinque: A
causam huius discriminis difficile est
coniectare, fortasse præcipuos ex illis, &
qui magis noti essent, Esdras hoc loco
nominauit, Nehemias vero, alios etiam
minoris notæ, & qui nullo apud suos, aut
certe minus nobili haberentur in loco;
forte qui à Nehemia numerantur, vltra
ducentos ab Esdra, in Leuiticum sensum
relati fuere, ex quo venerunt Hierusalem,
& de illorum genere constitit, qui antea
reiecti fuerant, quod nondum compertum
esset. Quid si numerum plenum, ac
perfectum seu rotundum, vt vocant A-
rithmetici, recensere satis duxit Esdras,
nulla fracti aut imperfecti habita ratio- B
ne. Nehemias vero vtrumq; exactè com-
plecti voluit?

Vers. 66. *Equi eorum &c. Muli eorum,*
XVIII. *&c.* An non impletum hic tandem osten-
ditur, quod Deus, per Isaïam captiuo
olim populo, & postmodum in Patriam
reuersuro, aliquot ante sæculis prædixe-
rat? sic enim ille cap. 66. *Annuntiabunt
gloriam meam gentibus, & adducent omnes
fratres vestros de cunctis gentibus donum
Domino, in equis, & in quadrigis, & in le-
cticis, & in mulis & in carrucis, ad mon-
tem sanctum Hierusalem,* quod enim de
quadrigis & carrucis prædixit Isaias, id
meo iudicio satis explicatur, dum equo- C
rum, mulorum, asinorum, & camelorum
numerus recensetur, cum quibus lecti-
cas quoque & carrucas fuisse dubitari
vix potest.

XIX. Vers. 68. *Et de Principibus patrum, cum
ingrederentur Templum Domini quod est in
Hierusalem, &c.* De Principibus Patrum,
iam antea diximus, illos fuisse qui alio
nomine Patriarchæ vocabantur, fami-
liarum primos parentes, & summa capi-
ta, vt qui illarum primi essent authores,
qui illas quoquomodo auxerant, aut
quiddam illis splendoris atque ornamen-
ti adiecerant, illud tantum hoc loco lu-
cem aliquam desideras, quod illi Princi- D
pes Patrum seu familiarum Principes, in
Templū dicantur ingressi, cum eo tēpore
de Templo nihil reliquum esset, vixque
ipsius extarent ruinæ; satis commodè, vti
quidem existimo, soluit hunc nodum,
Sanctius, cum ait, ex communi loquen-
di more, non personas modò, sed etiam
loca retinere aliquando nomen, quod
prius habuerint, etiamsi ratio nominis
deesse illis videatur, sic arces sæpenu-
mero, aut vrbes vocamus loca, vbi arces
fuerunt aut vrbes, licet vix extent amplius
eo in loco, arcium ciuitatumque vestigia,
& sanè cū alueus dicatur locus aut litus,

Dicuntur Principes Patrum in Templum ingressi quia in spatiū vbi Templum olim fuerat pedem intulerunt & sæpe numero accidit personas & loca nomē retinere

qui fluentem aquam continet, & arctat,
si tamen aqua deficiat, eo etiam tempo-
re alueus nominatur, immo & torrentis
nomen locus retinet, quia torrentes ali-
quando aut fluuiatiles aquæ per illum de-
fluxerunt, sic in scriptura cæci, leprosi,
& claudi nuncupantur, qui tales fuere
proxime, licet iam ab eo corporis vitio
sint immunes, quid mirum igitur, vt iam
ad rem nostram veniamus, si locus, in quo
Templum olim stetit Salomonicum,
Templi nomine appellatur, cum non so-
lum Templum ibi excitatum fuerit, sed
etiam locus ipse per sese sacer esset, &
sacrificiis ac religionibus à Deo destina-
tus, neque enim Deus (quæ eiusdem San-
ctii obseruatio est certe non contemnen-
da) in Templo solum, id est in ampla il-
la atque operosa mole, offerri sibi sacri-
ficia iussit, sed in loco quem sibi elegis-
set; elegit autem locum, vbi à Salomo-
ne postea Templum ædificatum est. Hinc
est cur in eo, antequam Templum ædifi-
caretur, aut esset domus vlla consecra-
ta, sed tantum esset area terendis fru-
gibus opportuna, altari raptim veluti
excitato, holocaustum & pacificas victi-
mas Dauid obtulerit monente Domino,
& locum sibi ad religiosum opus illud
definiente lib. 2. Reg. cap. 24. v. 25.
Emit ergo Dauid aream & boues argen-
ti siclis quinquaginta, & ædificauit ibi
altare Domino, & obtulit holocausta &
pacifica, ibi inquit, nimirum vbi postea
Templum extructum est, vt aperte con-
stat in lib 2. Paralip. cap. 3. v. 1. Et cœpit
Salomon ædificare domum Domini in
Hierusalem, in Monte Moria, qui de-
monstratus fuerat Dauid, Patri eius, in
loco, quem parauerat Dauid, in area Or-
nam, Iebusæi; Item eodem in loco ædi-
ficarunt altare captiui, patriæ restituti,
vt offerrēt in eo sacrificia, vt sequenti ca-
pite videbimus v. 2. eo etiam facit, at-
que idipsum probat, quod narrat Hie-
remias cap. 41. vers. 5. Cum iam es-
set Templum funditus excisum.

quod paulo ante habuerunt licet in illis ratio nominis deesse videatur.

Etiam extra Templum Deo nonnunquam sacrificatū.

Venerunt, inquit, *viri quidam de Sichem
& Silo & munera & thus habebant in manu
vt offerrent in domo Domini.* Immo & re-
perias Babylonios ipsos exules, munera
transmisisse ad fratres suos, qui erant Hie-
rosolymæ, vt ea offerrent in Templo, quod
tamen conflagrare ipsi viderant, & solo
æquatum esse non nesciebant, sic enim
illi Baruch cap. 1. vers. 10. his verbis.
*Ecce misimus ad vos pecunias de quibus
emite holocaustomata & thus, & facite man-
na, & offerte pro peccato ad aram Domini
Dei nostri & orate pro vita Nabuchodono-*

sor. Hæc plus satis sunt, vt nullo nego- A tio deinceps intelligamus, è Iudæis primores dici in Templum Domini ingressos, ibique munera sua obtulisse, cum ad eum locum accesserunt in quo Templum ædificatum olim ante captiuitatem fuerat & proxime ab ipsis erat reædificandum.

Vers. 69. *Dederunt secundum vires suas, impensas operis, auri solidos sexaginta millia & mille, argenti minas quin-*
X X. *que millia, &c.* Quæri hic potest, an donum oblatum templo fuerit eorum tantum, qui redierunt è captiuitate, an non etiam eorum, qui in Babylone re- B manserunt; ego de vtrisque intelligo, atque ita quidquid offerre dicuntur Iudæi reduces, & suo & aliorum nomine offerre censendi sunt. Porro quod vulgatus interpres vertit, *Auri solidos*, 70. Drachmas vocant, vox certe Hebraica, *Darchemon*, ex quorundam Hebræorum sensu, genus monetæ significat aureæ, & vt videtur drachmæ pondere: quod autem argentum spectat, cum dederint argenti minas quinque millia, & mina centum drachmas contineat, summa in vniuersum conficitur, drachmarum argenti, quingentorum millium, &c. Quod autem aiunt nonnulli, pro victimis præcipuè, & apparatu sacerdotali, aliisque ad sacra ministeria pertinentibus, hæc dona fuisse collata; etsi mera coniectura esse videtur, verum tamen est, quod addunt, neque vllo pacto negari potest, vasa omnia quæ Nabuchodonosor è templo sustulerat, à Cyro non fuisse restituta, alia proinde quæ de perditorum loco, substituerentur, fuisse comparanda, quæ ad rem sacrificalem, & sacram, erant necessaria, potissimum quæ erant ex ære, quorum plurima constat non seruasse Chaldæos, sed confregisse, & in prophanos atque impios vsus conuertisse, sic enim expres- D sum habetur lib. 4. Reg. cap. 25. vers. 13. Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, & vasa & mare æneum, quod erat in domo Domini, confregere Chaldæi, & transtulerunt æs omne in Babylonem: an verò etiam in iis quę è Babylone in Iudæam traducta sunt Arca fuerit, nos fusè alibi in quæstionibus præambulis disputauimus.

Dona oblata Templo tam eorum fuerũt qui remanserũt in Babylone quam aliorũ qui inde in Iudæam redierunt.

XXI. *Vestes sacerdotales centum, &c.* Pace Sanctii dixerim, non satis intelligo quid illi in mentem venerit, cum hæc verba non esse intelligenda de Sacerdotis summi indumento asseruit, quod preciosius erat, inquit, quam vt illa pecuniarum impensa eo numero comparari posset, neque pro vno Sacerdote illũ vestimẽtorum tantũ numerũ congestũ oportuit; in quo thesim quidẽ ipsius non impugno, certum enim mihi est, nõ tantum de vestibus summi Sacerdotis, sed aliorum etiam Sacerdotum & Leuitarum, esse sermonem, sed primam eius rationem impugno, quæ, nisi fallor, duo peccare videtur: primum auri solidos siue drachmas vt superius annotauimus sexaginta millia, & mille argenti minas quinque millia, seu drachmas quingenta millia, tantum auri argentique pondus, centum vestibus sacerdotalibus coemendis non satis fuisse, cui tandem persuadebit, aut qua demum ratione refragantem peruincet? deinde ex textu manifestè conuincitur ad ingentem illam auri argentiq; summam quam Iudæi pro templo obtulerunt, additas quoque præterea vestes sacerdotales, vt eas pecuniis cum quibus coniungebantur in munere, emptas esse non oportuerit: *Dederunt*, inquit, *argenti minas & vestes*, id est & præterea, seu præter argentum aurumque, C etiam vestes sacerdotales centum: quod autem subdit Sanctius, vestes illas sacerdotales lineas fuisse, certum est, cum in tabernaculum quicquam laneum inferri nefas esset, sic enim cauetur Leuitici 16. v. 8. Exodi 28. v. 40. & clarius cap. 44. v. 19. Hæc verba.

Cumque ingredientur portas atrij interioris, vestibus lineis induentur, neque ascendet super eos quicquam laneum, quando ministrant in portis atrii interioris & intrinsecus: eiusmodi vestes pro Sacerdotibus & Leuitis magno olim parauit numero, impensisque ingentibus, Salomon, vt narrat Iosephus lib. 8. antiq. cap. 2. Salomon inquit stolas sacerdotales è bysso fieri curauit, cum decies mille zonis purpureis: Item alias stolas byssinas Leuitis, Hymnorum cantoribus, numero ducenta millia, in quem Iosephi locum obiter obseruandum est, licet tempore Moysis, nullum Leuitæ habuerint certum indumenti genus, secus tamen accidisse tempore Dauidis, & Salomonis, quando tabernaculum in Chananitide regione consedit, & id quidem docet Abulensis in caput 2. 1. Reg. v. 18. Has porro vestes extra Sanctuarium, aut sacrificii locum, efferre non licebat, etiamsi fieri oporteret, aliquid quod esset, aut appareret sacrum sic indicitur Leuitici 6. vers. 10.

Certum indumenti genus habuere Leuitæ, tempore Dauidis & Salomonis quod ætate Moysis nondum in vsu erat.

Vestietur tunica sacerdos & feminalibus lineis, tolletq; cineres quos vorax ignis exussit & ponens iuxta altare, expoliabitur indutusque aliis efferet extra castra; idem praecipitur, *Ezechielis cap. 42. v. 14. cum ingressi fuerint sacerdotes non egredientur de sanctis in atrium exterius & ibi reponent vestimenta sua in quibus ministrant quia sancta sunt, vestienturque vestimentis aliis, & sic procedent ad populum.* Ex quo constat hæc ornamenta non tam sacerdotum, quam Templi fuisse, & ideo in Templo seruari solita, vt communia, non vero in sacerdotali domo priuatim quasi propria, sicut apud nos sacræ vestes, in Templis communes sunt & seruantur ab æditiuis in ædibus sacris & peracta re sacra suis in locis reponi consueuerunt.

XXII. Vers. 7. *Habitauerunt ergo Sacerdotes & Leuitæ, &c. Et de populo & cantores* A *& cantatrices & Nathinæi in vrbibus suis &c.* id, eo maxime dictum est, ne quis putet omnem eam multitudinem, quæ venit è captiuitate, in vna Hierusalem consedisse quando Sacerdotes, & Leuitæ, quorum maxime Templo deseruire intererat, in suis quique vrbibus habitarunt, Sacerdotes autem, & Leuitæ, & qui sacram operam Templo nauabant, ciuitates suas habebant non vno aliquo certoque funiculo definitas, sed in omnibus sortibus variè dispersas, vt constat ex Iosue cap. 13. & Leuit. 18. & licet non B eadē fuerit sortium, quę quondā à Iosue fuerat facta distributio, quod ex Ezech. cap 48 notum est, sic tamen in ingenti illa Iudæorum multitudine suis in sedibus collocanda, sapienter administrata sunt omnia vt quam minima posset locorum personarumque confusio notaretur.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis secundi.

Expositio Allegorica in hæc verba vers. 1. *Hi sunt autem filij Prouinciæ, &c. Seu quinam sint mystice filij Prouinciæ qui dicuntur ascendisse de captiuitate.*

1. FILIOS Prouinciæ hic à nonnullis intelligi monuimus in litera, quasi dixisset Esdras, filios Iudęę, Iudææ, inquam, non Babyloniæ. Ad Iudęā enim pertinebant, non tātummodo illi qui de ea, eiusue finibus in Babyloniā, à Nabuchodonosore traducti fuerant, sed etiam qui ex illorum stirpe in Babylonia nati, qui etsi in Babylone corporaliter orti essent, animo tamen toto, ac totis studiis, Iudæam tanquam suam, & Hierosolymam ipsam, suspirabant: quorum figuram gessisse notat beda, ducem ipsorum egregium Zorobabelem, qui nomine quidem ipso, quod sit ortus in Babylone demonstrat, hanc enim vulgo Hebraicæ vocis, *Zorobabel*, notationem plerique asserunt, sed *intentione & actibus*, inquit, quàm verè, ciuis esset Hierosolymitanus satis ostendit Iam verò in sensu mystico & spirituali, filii C Prouinciæ qui ascēdunt de captiuitate, filii sunt Ecclesiæ, filii veræ Hierusalem, filij patriæ cœlestis, nec ij solum qui Ecclesiæ sacramentis sunt imbuti, aut iam in membris mystici Corporis Christi numerantur, verum etiam illi, qui etsi foris, hoc est, inter impios, aliquanto tempore oberrant, & extra Ecclesiæ ipsius septa diuagantur, diuina tamen electione ante sæcula præordinati ad vitam, diuinæ sunt gratiæ mysteriis suo tempore consecrandi, de quibus aptè subiungitur, hoc eodem versu. *Filij Ecclesiæ censentur etiā ij, qui vbi aliquādiu extra Ecclesiam errauerint, suo tempore, in Ecclesiam ingressuri sunt.*

Et reuersi sunt in Hierusalem & Iudam vnusquisque in ciuitatem suam, &c. Cum enim liberati de potestate Sathanæ hi, qui fidem antea non susceperant aut à fide aberrauerant, cum aliis qui aut nuper aut iamdiu fidem didicerunt, in Hierusalem optatæ pacis & in Iudam deuotæ confessionis, siue laudationis redierint, mox suam quisque ciuitatem repetens ingreditur, id est, eodem Beda interprete, custodiam, atque opera-

tionem virtutum, quam ipsi diuina largitio secundum mensuram fidei largita est, deuotus exequitur: & bene quidem cum dixisset generaliter reuersos eos esse in Hierusalem ac Iudam continuo subiicit Esdras, *Vnusquisq; in ciuitatē suā &c.* quia nimirum sic in suis singuli ciuitatibus commorabantur, vt generaliter omnes, ad Hierusalem & Iudam pertinerent: designet ergo Hierusalem, vniuersalem sanctæ Ecclesiæ, quæ per vniuersum orbem est statum, designent ciuitates ad eam pertinentes singulas fidelium virtutes, in quibus sic tanquam in præsidio ciuitatum à tentationibus, & incursibus malignorum spirituum muniuntur, quanquam & possunt quoque, per ciuitates, in quibus commorabantur Iudæi reduces qui de captiuitate in Hierusalem & Iudam venerant etiam diuersæ, per orbem Ecclesiæ, ex A quibus omnibus, vna scilicet, vniuersalis, & catholica perficitur, significari, in illis enim quicumque conuersantur, singuli se filios Catholicæ Ecclesiæ, ad cuius vnitatem referuntur, quasi ciues Hierusalem & Iudæ profitentur; in Hierusalem autem aut redeunt aut ingrediūtur de captiuis olim Iudæis, etiā ij qui nunquam ex ea sunt egressi, sed nunquam etiam ingressi, sicut quotidie in Ecclesiam siue Hierusalem typicam, per B fidei Catholicæ professionem, admittuntur, qui antea diu multumque ab ea fuere extranei, vt bellè cum hac Allegoria quam breuiter ac strictim complexi sumus, conueniat illud Christi dictum in Euangelio Ioannis cap. 10. vers. 16.

II. *Hierusalē vniuersalē Ecclesiæ statum designat ciuitates ad eā pertinentes fideliū virtutes quibus aduersus malignos Spiritus muniūtur.*

Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile & vnus pastor.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA
Capitis secundi.

Mysticum et morale, de Iesu & Zorobabel in illud v. 2. qui venerunt cum Zorobabel Iesus, &c.

III.

VOD vides, hic C Lector annota, Zorobabel dux Iesus Sacerdos; ambo illi, magna animorum cōsensione plurimos Babylone eduxerunt in Ierusalem ad vtrumque scilicet Zorobabelem populi ducem, & Iesum summum Sacerdotem fit verbum Dei per Aggæū Prophetam, cap. 1; nimirum ad eos maximè fit Dei sermo, id est, eos Deus maximè instituit, & eis vt amicis arcana sua reuelat, qui flagrant desiderio cœlestis Hierusalem, & terræ viuentium, ac publicæ salutis, omnemque operam, in eo ponunt, vt homines populi Dei, Babylonem, id est, peccatorum confusionem relinquant, & in promissam regni cœlorum patriam festinent, & quoniam multum quidem ad id iuuat, pietas & religio Sacerdotum, sed plenè atque integrè fieri non potest impiis regibus rempublicam moderantibus, & ad suæ impietatis imitationem, multitudinem trahentibus: si autem rex sit pius, & cum Sacerdotibus consentiens, omnes electos sequi quodammodo verbo & exemplo suo cogunt, iure ad populum Babylone abducēdum Zorobabel dux, & Iesus Sacerdos eliguntur, iure ad Zorobabelem, & Iesum, per Prophetas, in aliorum salutem, loquitur Deus, iam verò quemadmodum vterque, & Iesu, & Zorobabel typus & figura Christi fuerint, sic eleganter edisserit Cyrill. Alexandr. lib. 5. in Genesim circa mediū his verbis: CumBabylonica seruitute Cyrus Israelē liberasset, mox Zorobabel Salathielis filius, ex tribu Iuda, Iesusque Iosedech D filius, magnus Sacerdos, duces quodā modo principesque populi creati fuere, quos Deus Aggæi Prophetæ oraculo, admonuit vt cum Hierosolymis essent templum Dei conderent, atque ornarent, sic enim sacris literis proditum est: *Factum est verbum Domini, in manu Aggæi Prophetæ ad Zorobabel, filium Salathiel, ducem Iuda, & ad Iesum, filium Iosedech, Sacerdotem magnum, dicens: Hæc dicet Dominus exercituum, populus iste dicit, nondum venit tempus domus Domini ædificandæ, & factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens: Nunquid*

Eis potissimum arcana sua aperit Deus qui & cœlestis Hierusalē ipsi & alienæ salutis desiderio flagrant.

Et Iesus Sacerdos & Zorobabel Dux suo vterq; in genere Christi Typus, ex D. Cyrillo Alexandrino.

tempus vobis est vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta est? Et paulo post: *Et suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel Ducis Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedech Sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo, & ingressi sunt & faciebant opus, in domo Domini exercituum Dei sui.* Aspice igitur (pergit idem sanctus Pater) quemadmodum duplici nota, imagineque, Emmanuel, Rex atque Pontifex maximus haberetur, nam ad similitudinem Zorobabel, qui cum ex Tribu Iuda esset, Hierosolymorum imperium obtinuit & ipse profecto, non dicam Hierosolymorum, sed omnium Rex est. Ad Iesu vero Sacerdotis magni imaginem, Pontifex quoque maximus inter homines extitit, sed & Dux etiam strenuus itineris fuit, quod Hierosolyma versus tendit, patronusque populi, opifexque ædis sacratissimæ habitus est, Christum enim præceptorem nostrum, veluti imperatorem, Pontificemque maximum, per fidem sequimur, à captiuitateque prauissimi dæmonis, quasi ab aliena exteraque regione, erroreque huius seculi profecti ciuitatem primogenitorum, sanctissimam; Ecclesiam scilicet, quam Christus spiritualibus cõstruxit lapidibus nimirum, intramus, quod Paulus perpulchrè declarat cum ad eos, qui fide salui euaserint, Christique vestigia sequi voluerint, scribit Ephes. 2. *In quo & vos ædificamini in habitaculum Christi in spiritu*, sed quod Ecclesia Christi clarior ac pulchrior sit prisco Iudæorum Templo, terrestribus constructo lapidibus: Aggæi rursus Prophetæ verbis latissime patet, cum ita referat cap. 2. *Quis ex vobis qui vidit do-*

Christus Rex & Pontifex Templum in Hierusalē id est Ecclesiam suā in orbe construxit ex spiritualibus lapidibus.

A *mum istam in gloria sua prima, & quomodo vos videtis hanc, nunc, sicut non esset coram vobis?* & paulo post, *Meum est argentum & meum est aurum, dicit Dominus omnipotēs, magna erit gloria domus: istius nouissima plus quam prima, dicit Dominus exercituum*, huc vsque sanctus Cyrillus non longè ab his Beda, cum ait de reducibus Iudæis, *Vtebantur autem, ante alios Ducibus Zorobabel, & Iesua, quorum vnus de Regia, alter de Sacerdotali prosapia genus duxisse multis sacræ historiæ locis ostenditur, qui ambo vnam* B *eandemque Redemptoris nostri veri scilicet Regis & summi Sacerdotis personam designant: ipse enim solus est per quem venire ad salutem debeamus*, vnde ait Ioannis 14 *Nemo venit ad Patrem nisi per me, qui singulos electorum, siue per seipsum, occulta inspiratione, seu aperta eruditione, per sanctos prædicatores de confusione vitæ præsentis, ad visionem perpetuæ pacis & confessionem diuinæ laudis quasi ad Hierusalem & Iudam de Babylone colligit, quæ nimirum visio pacis & confessio gratiarum ipso donante, in præsenti quidem inchoatur sed in futuro perficitur.* Cuin & (vt ad superiora quoque hoc addam) si ex nominum C ipsorum notatione seu etymologia argumentum in hanc rem duci oporteat, nomina ipsa Christum designant, Zorobabel enim & Iesus, Saluatorem & Doctorem loquuntur, *Iesus, idem ac Saluator, Zorobabel*, id est: *Iste Magister Babylonis*, vt ex Hæbræis docet Hieronymus, id est magister, eorum qui Babylone versantur, quæ quam aptè Christo conueniant, quem & Saluatorem & *Magistrum & Præceptorem in gentibus*, & *Doctorem iustitiæ*, sacræ literæ passim appellant, nemo est qui non intelligat.

IV.

Etymon, nominum Zorobabelis & Iesu, quæ Saluatorem & Magistrū sonant, Christo aptmè conuenit.

TROPOLOGIA CAPITIS SECVNDI.

Moralis dissertatio in eundem versum secundum. Principes seculares & Ecclesiasticos, seu primarios Sacerdotes, inter se bene consentientes, mirùm quàm pietatem promouere, & totius populi Salutem.

V. CVM apud Hebræos sæpe, tum apud exteras etiam gentes frequentissimè, qui Duces & Iudices populi, iidem quoque fuere Pontifices, & qui rebus politicis, iidem sacris administrãdis præfuere: & illud quidem percommode, enimuero tanta est, vtriusq; potestatis suapte natura consensio, tantus inter se nexus, vt sane optandum sit, si minus in vno eodemque tota residet, saltem mutuo amoris vinculo copulari, conciliarique, reciprocâ voluntatum, eodem spectantium, conspiratione, & concordia, fac Ducem aut Principem, in res sacras ac diuinas propensissimum, veræ fidei, ac religionis amantissimum, bene animatum erga Ecclesiæ Principes, sacrorumque administros, nihil dissentientes vtrosque inter sese, quanta hinc, Deus bone: in totius populi salutem redundabit vtilitas. quanta toto regno atque imperio in hominum animis redigendis, flectendisque ad virtutem, facilitas erit & securitas, quod in Zorobabele Duce, & Iesu filio Iosedech, summo Sacerdote, magno Iudæorum bono, atque emolumento contigisse, rerum sub ipsis, à soluta captiuitate Babylonica gestarũ series, satis commonstrat. Neque vero subesse in eo mysterij quidpiam, negari potest, quòd in sacris literis sæpè, iuxta atq; in vulgatis sanctorum Patrũ sermonibus, passim Sacerdotes vocantur multi, qui regia, aut primaria dignitate, in populo insigniuntur, licet ipsi è Sacerdotali genere non sint oriundi. Et quoniam ad rem nostram præsentem, non parum pertinet, non leuiter illud quidem, sed fuse paulum atque enucleate discutiendum est. Ego vt de Samuele taceam qui à nonnullis sanctorum Patrum, Sacer-

Magna in plebem vtilitas ex concordia Principũ seu Magistratuum politicorũ, cum præsulibus Ecclesiæ probatur ex rebus sub Zorobabele Duce & Iesu summo Sacerdote gestis à soluta captiuitate.

A dos dicitur, licet ex meliorum authorum sententia, non Sacerdos, sed tantum Leuita fuerit: filii Dauid qui nec erant è Tribu Leuitica, nec sacris initiati, nec Templi ministeriis addicti, sed ex Tribu Iuda, tractandis armis intenti rebusque ciuilibus curandis assueti, Sacerdotes appellabantur 2. Reg. 8. v. 18. *Filij autem Dauid Sacerdotes erant*, ait sacer Textus, hoc est, principes aulæ, vt septuaginta, & Pagninus translulerunt, & D. Petrus Damiani lib. 2. Epist. 20. quæ est in ordine 41. interpretatur, vnde & iidem filii Dauid, qui citato loco Sacerdotes vocantur 1. Paralipom. cap. 18. v. 17. dicuntur, *Primi ad manum Regis*: Item, Ietro dicitur, *Sacerdos Madian*, Exod. 18. v. 1. quia scilicet, erat Princeps terræ Madian, vt Glossa & magister Histor. iuxta Chaldæum interpretantur, Genes. 41. v. 45. Putiphar dicitur, *Sacerdos Heliopoleos*: hoc est Dux, seu Princeps, vt Chaldæus transfert, & nonnulli Hebræorum potius existimant: Et clarius, 2. Reg. 20. v. 26 ita, Iaitites, *erat Sacerdos Dauid*, quia vt Pagninus, ex Hebræo vertit, erat *Princeps ipsi Dauid*, hoc est apud Dauidem, seu in domo Regia Dauid, seu intimus Dauidis, familiaris, immo vox Hebræa, *Cohen*, quod obseruarunt pridem sacræ Linguæ non ignari, non solum Sacerdotem, sed etiam Principẽ significat, à verbo *Cahan*, quod non solum significat ministrare in sacris, sed etiam decorare, seu ornare more Regio. Quid quod D. Irenæus lib. 4. cap. 20. Dauidem, Sacerdotem appellat, *Sacerdos*, inquit, *scitus fuerat Dauid*. D. Hieronymus in cap. 2. Sophoniæ, *Antistitem* vocat: Chrysostomus Homil. 2 de Dauide, & Saüle, etiam *Sacerdotem*, cum ait, *Præfuerat illu Dauid non vt bello dux militibus, sed vt Sacerdos*. Et Diu. Ambrosius lib. 2. de Iacob & vita beata, cap. 10. Eleazarum *Sacerdotem* appellat.

Sæpe Sacerdotes vocatos qui Regia aut primaria dignitate fuerint licet è Sacerdotali genere non essent multis exemplis ostenditur Sacra Scriptura ac sanctorum Patrum.

B

C

VI. D. Ephrem *Syrus* sermone 1. de sacerdotio, Isaiam quem de Tribu Regia fuisse constat, non de sacerdotali, *Sacerdotem* tamen nominat, sed quorsum tandem, tam sæpe in sacris litteris, atque ex vsitata veluti apud omnes loquendi ratione, qui primatum, seu primariam dignitatem obtinent, Sacerdotes appellantur? Video plerosque omnes interpretes, id referre, vel ad dignitatem ipsam, vel ad sanctitatem eorum, qui hoc tam illustri atque eximio nomine cohonestantur, quasi id vel dignitatis suæ, vel sanctitatis nomine, veri Principes iure meritissimo sibi vendicent; ego ad vtriusque dignitatis, cum ciuilis, tum sacræ connexionem, ac concordiam refero, quæ tanta esse debet, vt alteram, ab altera, siue in eodem capite coniuncta, siue seiuncta sit, dissidere nunquam oporteat: Certe Regia & Pontificis dignitas, mutuo sese admodum iuuant, auxilio, hæc ab illa modo, modo illa ab hac, altera demum ab altera, per vices, vt se commodius sustentet, firmiusque subsistat, opem & præsidium mutuatur, sed enim vtraque, Deum spectet, cœlum respiciat, vt olim duo Cherubini, Arcæ affixi, propitiatorium, tùm bellè omnia, pax & salus, vndique florebunt respublicæ, fœliciter & fortunate regna, atque imperia, principes administrabunt, pietatem in Deum, apud subditos, diuinique numinis cultum, mirum in modum promouebunt: sic olim, vt ex sacris diuini verbi monimentis constat, Abraham cum Melchisedecho, Abiathar cum Dauide, Sadoch cum Salomone, Ioiada cum Ioa, in bonum, cùm priuatum tùm publicum, belle inter se consenserunt: Replica si voles memoriam, magni illius Constantini, primi inter Imperatores Christiani, ac vere primarii, inter Christianos, in iis quæ ad pietatem spectant, Ducis atque Imperatoris, vide quo animo in Ecclesia Præsules & Pontifices fuerit, quo studio atque obseruantia sacerdotes coluerit, vide quàm ex eo toti imperio Romano, quàm toti Ecclesiæ, quàm sibi ipsi profuerit: & sanè cum solemne sit, rem politici, vt aiunt, status curantibus, principes admouere, vt magnorum & potentiorum Regum affinitates ineant, fœdera cum ipsis sentiant quibus nouum potentiæ suæ robur concilient, quanto opportunius quanto facilius & felicius Princeps, quisquis demum ille sit, vt verum & inexpugnabile robur potentiæ suæ adiiciat, strictissimo se af-

Principes, Sacerdotes vocantur, vel ob dignitatem suam vel ob sanctitatem dignitate annexam vel ob vtriusq; dignitatis ciuilis & sacræ etiam in diuersis necessariā concordiā.

A finitatis ac necessitudinis vinculo, cum Deo, deique familiaribus coniunxerit? qui secus facit, promptam atque expeditam sibi ad ruinam & præcipitium viam sternit. enimuero pessimè semper habitos à diuino numine, viros Principes, qui ab legitimo illo cum sacris hominibus commercio se subduxerunt, quàm frequens est in historiis mentio? Mentem illam alte imbiberat, regius vates, cum amicis ipsi suadentibus, vt è terra Israëlitica fugeret, quod Saül, Achimelech, & omnes alios Sacerdotes, qui ei opem tulerant impiè trucidasset, eumque ipsum ad mortem studiosissime quæreret, sic aiebat Psalmo 10. B *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer*, hoc est (ei qui verborum illorum sensum benè perui deret) quasi diceret, me diuina fretum ope, hæc ferocia Saülis facta, minimè terrent, immo vero hinc animum induco, ipsum ab exitio, & extrema clade, non longè remotum, cuius rei rationem attexit, cum addit, *Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt, iustus autem quid fecit?* vbi obseruandum pro duabus illis vocibus, quæ perfecisti: Pagninum, Vatablum & Caietanum, & omnes penè, quotquot ex He- C bræo transferunt, reponere, *Fundamenta*, quod Hebræorum magister, Rabbi Salomon, Lyranus vt alii, de Sacerdotibus, à Saüle occisis, intelligunt, hac vtentes paraphrasi, *Quoniam per manus vestras occisi sunt Sacerdotes qui sunt fundamenta mundi, iustus autem Achimelech quid fecit*, vt sic quodammodo concludere videatur, cum regni, & regis ipsius basis, religio sit, eaque tunc nefariè à Saüle violata fuerit & concussa, quis & dubitet subductis fundamentis regnum breui fore ruiturum? Fuit omnino, iam olim, in omnium hominum sensu, præclara illa vox, cùm Isidori Pelusiotæ lib. D 3. Epist. 249. tum Synesii Episcopi, oratione de regno, ad Arcadium Augustum. *Religionem, & pietatem, regni basim esse; & solidum veluti fundamentum*: Propterea, si D. Augustinum audimus lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 24 illos fœlices Reges & beatos iudicat. Christiana religio, qui suam potestatem, ad Dei cultum maxime dilatandum, maiestati eius famulam faciunt, qui Deum timent, diligunt, colunt hos enim appellat fœlices, non autem qui diutius imperarunt, vel morte placida filios reliquerunt, vel hostes reipublicæ domuerunt, scilicet ab vna principis religione, & pietate

VII.

Male sim percessisse, Principibus secularibus qui cum sacris hominibus concordes non fuere.

Religio & pietas Regni basis & fundamentum.

pietate in Deum, Deique adiutores, & A administros, omnis accedit regni felicitas qua & diutius imperatur, & imperium in filios transmittitur, & hostes expugnantur, & quicquid in rebus humanis præclarum est, hinc idem Augustinus, capite sequenti, de florentissima Constantini magni ob assertam religionem fortuna sic disserit, *Constantinum Imperatorem, non supplicantem dæmonibus, sed ipsum, verum Deum colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet, cui etiam condere ciuitatem, Romano imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed* B *sine aliquo dæmonum templo, simulachroque concessit, diu imperauit, vniuersum orbem Romanum, vnus Augustus tenuit, & defendit, in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit, in tyrannis opprimendis, per omnia prosperatus est, grandæuus ægritudine, & senectute defunctus est, filios imperantes reliquit.* Cæterùm vt illustre est in eam sententiam, sic meo quidem iudicio scitu dignissimum illud magni Leonis summi Pontificis, Maximianum Imperatorem sic alloquentis, epistola 42. *Studiosissimos vos ecclesiasticæ pacis agnoui, cui sancto desi-* C *derio digna æquitate confertur, vt quem statum esse cupitis Religionis, eundem habeatis & Regni: certi enim sunt de tutela regnantes, si nulla eisdem præsidentibus Ecclesiæ castitas, importuna diaboli commixtione maculetur,* ait Hormisda Papa, epistola ad Anastasium Imperatorem: sic Ambrosius in prologo ad lib. 1. de Spiritu sancto, Constantinopolitanum imperium, per studium erga veram Religionem, & fidem synceram, stetisse firmum & inconcussum, cum per hæresim prius pene collapsum fuisset Gratiano Imperatori denunciat his verbis: *Etiam Constantinopolis, iam verbum Dei recepit, & euidentia meruit hæc* D *documenta iudicij, etenim quãdiu venena Arrianorũ suis fouebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, murus armis circumsonabat hostilibus, postea verò quam fidei exules abdicauit, hostem ipsum, quem regnum semper timere consueuerat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obtinuit, sepultum possidet:* Vis & alterum è Romanis Pontificibus in eadem causa perorantem? Audi Ioannem 2. Iustiniano Imperatori sic scribentem epistola 1. *Patet in vobis impletum for: quod Scripturæ loquuntur, per me Reges regnant & potentes scribunt iustitiam* prou. 8. *nihil est*

Florens Constantini fortuna ob assertã Religionẽ a D. Augustino significatur. VIII.

Illustria in eam rem testimonia Leonis magni, Hormisdæ, Ambrosii.

Ioannis 2. Pontif.

enim quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe, nihil est quod ita nequeat occasui subiacere, quam vera Religio, nam cum authorem vitæ, vel luminis, vtraque respiciant, rectè & tenebras respuunt, & nesciunt subiacere defectui, hoc est, quod vestrum firmat imperium, hoc quod vestra regna conseruat, nam pax Ecclesiæ, Religionis vnitas, authorem facit in sublime prouectum, grata sibi tranquillitate custodit, quibus paulo post subiungit: *Neque enim est parua vicissitudo, a potentia diuina tribuitur, per quem nullis rugis, Ecclesia diuisa, secernitur, nullis insertis maculis variatur:* sic ille, ad tertium eiusdem ordinis Pontificem appellas? en profero, is est Cœlestinus Papa qui in epistola ad Theodosium Imperatorem, quæ citatur tomo 1. Conciliorum; sic habet: *Maior vobis fidei causa debet esse, quam regni, ampliusque, pro pace Ecclesiarum, clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum, subsequuntur enim omnia prospera, si penitus quæ Deo sunt cariora seruentur, pro vestri imperij salute geritur, quicquid pro quiete Ecclesiæ, vel sanctæ Religionis reuerentia laboratur:* sic Cœlestinus, qui & in alia epistola ad eundem Theodosium iuniorem Augustum, post Synodum Ephesinam, pietatem illius summè commendat his verbis: *Illata quidem fidei bella sunt, sed vos regnantes hostes impios, fides vestræ virtute vicistis, cœlestem reuocantes triumphum, per quod religioso munimen, in perpetuum præstetis imperio, verè enim Prophetica gloriæ vestræ, vox conuenit* Ps. 144 *& regnum vestrum dici potest Regnum omnium seculorum quod defensæ fidei meritis propagatur, & crescente sanctæ Religionis obseruantia, Christianæ insertum reuerentiæ semper augetur: Ecce nunc domus Domini orationibus vacant, & vestrum per omnes Ecclesias, Deo nostro, oblatis sacrificijs commendant imperium. Nihil amoto perturbatoris ausu, scandalis licet, pestifer vlterius, animos hominum sermo non vulnerat, salutem omnibus, suarum animarum, dum vniuersali Ecclesiæ consulitis, reddidistis, hæc est vestra, prædicandi regni vestri, clementia, per quam non terræ, non Prouinciæ, sed omnium animæ sunt defensæ: imputabitis hanc omnino victoriam, quam non bellis, non gladiis, sed sola deuotione, qua Deo estis dediti, conquisiuistis, manet hic vestra gloriæ titulus, & manebit, vt nulla illum*

Cælestini.

atas, nulla vetustas aboleat, aterna enim sunt qua aeterni Regis amore prastantur. A

Xisti Rom. Pontif.

Eandem ob causam Xistus item Romanus Pontifex (quod & habetur in Concilio Ephesino) scribens Episcopo Antiocheno, nomine Ioanni, sic aiebat: *De hac re conuenit nos gloriari, quia cælestem Regem videmus, fæderatos Reges habere terrarum*, quibus verbis, Theodosium & Valentinianum innuebat; quàm porro in hoc genere eximium est, quod in sermone prosphonetico, id est acclamatorio, sextæ Synodi generalis Constantinopolitanæ, tota Patrum applaudente concione, dicitur Constantino Imperatori: *Eleuatus est Sol & Luna, stetit in ordine suo* ait *Abacuch* 3. *in lumine eleuatus est Sol, id est mens vestra, ad iustitiæ Solem ascendis, purissimum tunc respiciens, & reconciliationem nobis ex hoc asportauit, & Luna stetit in ordine suo, id est Ecclesia, & sponsa Christi suo decore amicta est, & pietatem tamquam virginitatis stolam induitur, & orthodoxa fidei pulchritudine plenius asserta, perpetua pace mundum illustrat*; & inferius: *Gaude ciuitas, noua Roma, Constantinopolis; glorificata nomine principatus, ecce Rex tuus, fidelis, sedes fortissimus, & accipiet armaturam, amulatricem eius virtutem, indutus est loricam iustitiæ, & sanctitatis, circumposuit sibi galeam prudentiam, qua est specula virtutum, & scutum assumpsit, inexpugnabilem in Deum pietatem, his armatum eum aspiciant barbari, vt speremus in Deum, eos obtemperare dominanti.* Taceo eiusmodi congratulationes, siue laudationes publicas Leonis Papæ ad Leonem Imperatorem in epistola quæ refertur in Concilio Chalcedonensi. Hormisdæ Papæ ad Iustinum Imperatorem, epistola 32. quæ habetur tomo 2. conciliorum & tomo 1. epistola 26 decret. Simplicis Papæ ad Zenonem Imperatorem, circa annum 467. Stephani 3. ad Pipinum Regem Galliæ, in epistola quæ refertur tomo 3. conciliorũ ad eum data, sub nomine S. Petri, totius Cleri Romani Duce, Hadriani Papæ, ad Carolum magnum, vt legitur in vita ipsius Hadriani, tomo 3. Conciliorum, taceo inquàm non vulgaria & huc inferre, quæ multas paginas impleant, libens prætermitto, vt illud modò dicam, historiæ non ignaris, exploratum esse satis, atque perspectum, quam bellè omnia, in regnis atque imperiis, processerint, cum Regia & Sacerdotalis

IX.

Sexta Synodi Generalis.

Bellè semper omnia

dignitas cum sacri, ac politici Magistratus, in vnam Dei gloriam conspirarunt. Vides enim, amice Lector, ex superioribus exemplis, quis animi sensus, quod studium extiterit in summis Pontificibus, erga Reges, & Imperatores. Vis scire, quis animus fuerit Regum & Imperatorum, in Pontifices, diuinique cultus ac veræ Religionis tutores ac defensores à Christo institutos? quoniam singulos, hic enumerando percensere, non vacat, de vno, aut altero, aut saltem de paucis, inter multos, quod insignius memoriæ succurrit, strictim ac breuiter sic accipe: *A sanctissima fide imperium nostrum, pendere* B *& firmari confidimus*, aiebat olim Maximus Imperator scribens ad Synodum in Palæstina congregatam, quæ refertur in Concilio Chalcedonensi. *Quo submissioris imperii speciem præferimus, eo magis imperii nostri maiestas promittitur*: aiunt Theodosius & Valentinianus Imperatores in Constitutione quæ habetur Græcè & Latinè in Codice Theodosiano lib. 9. tit. 45. vbi de modesto in Ecclesiam ingressu sine armis statuitur, & reperitur Tomo 1. Conciliorum in fine Concilii Ephesini: vis vt missis externis, ex imperio C nostro Reges atque Imperatores arcessam? Quid Ludouicus nonus, Galliæ Rex? vt in cæteris, sic in eo verè Sanctus, extremum olim lecto decumbens & propè iam moriturus, Philippo filio commendat enixius, quàm vt cum eo, qui toti Ecclesiæ præfuturus est, Romano Pontifice, tota vita, amicissime sit coniunctus? Nimirum vt imperii sui hæredem illum, sic & pietatis, ac obseruantiæ, quoque suæ, in Deum, eiusque in terris vicem gerentes, successorem esse voluit; sed instar omnium esse possit, è nostris Regibus, & Imperatoribus, Carolus Magnus, toties vt pietatis, ac veræ Religionis, sic Ponti- D ficiæ dignitatis, & libertatis assertor, nunquam satis laudandus, quid enim ille in Epistola ad Elipandum Toletanum Archiepiscopum, & reliquos Hispaniæ Sacerdotes, quæ refertur in Concilio Francofordiensi, Tomo 3. Conciliorum: *Me*, inquit, *Apostolicæ sedi totamentis intentione, tota cordis alacritate coniungo*, & post pauca. *Cum sancta Ecclesia Doctoribus, & Pastoribus, veram prædico fidem, quos in præsenti tempore, ille nobis dedit luminaria, qui dicit, ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi: hi sunt propugnatores*

In imperiis processerunt, cum sacri & politici Magistratus in vnam Dei gloriam conspirarunt.

Amoris & obseruantiæ significatio in Regibus & Imperatoribus erga summos Pontifices

Maxim. Imperat. Theodos. & Valentin.

X.

Ludou. IX Gall. Reg.

Carolus Magn.

fidei nostræ: hi sunt Rectores per diuersas sedes, ciuitatis Christi, cuius antemurale est fides Catholica, & charitas, firmissimus murus, sed quãto illustrius est, quod in capitularibus suis, statuit ipse de obedientia Episcopis debita, deque ipso non obedientibus infligendo supplicio, cum ait lib. 1. cap. 182. *Qui Episcopum suum noluerit audire, perennem cõdemnationem Episcoporum apud Deum sustineat, & insuper Palatio nostro sit omnino extraneus; & omnes facultates eius, ad legitimos parentes perueniant*, & cap. 301. *nullo pacto*, inquit idem ille, non re minus quam nomine, magnus Imperator, *agnoscere possumus qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, & suis Sacerdotibus inobedientes appa-* A *ruerint; qualiter nobis obedientes, nostrisque ministris ac legatis obtemperantes erunt, qui illis, in Dei causis, & Ecclesiarum vtilitatibus, non obtemperant: Potius namque, iuxta veritatis vocem, ille metuendus est, qui potest animam perdere in gehennam, quam ille qui corpus torquere, & honores temporales potest auferre.* O seculum verè aureum, in quo tanta tamque eximia efferebat sese, status politici, cum Ecclesiastico concordia: Faxit Deus, vt quæ pietas, & obseruantia, in Ecclesiam, & Ecclesiæ principes totis seculis superioribus, eluxit in nostris Regibus, magno Gallici imperii ornamento, & compendio, in B externis etiam Regibus atque Imperatoribus, toto orbe efflorescat!

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis secundi.

Explicatio Allegorica in hæc verba vers. 59. *Et hi qui ascenderunt de Thelmala, &c. Et non potuerunt indicare domum patrum suorum & semen suum, vtrum ex Israël essent, &c. Multos reperiri etiam inter fideles in quibus nulla ferè aut exigua Religionis & pietatis species apparet, eosque dici mysticè qui non possint indicare domum patrum suorum & semen suum vtrum ex Israël sint.*

II. *Olim etiã ad veteris Legis professionem admittebantur Gẽtiles qui Proselyti ideo vocabantur.*

IN hoc Textu Esdrę cuius explanationem mysticam indagamus, etiam iuxta literã, quod rectè obseruauit Beda, gratia Dei qua, & in veteri Testamento Gentiles ad salutem recipiebantur, ostenditur: nam exposita eorum summa ac catalogo, quos certo & veraciter, ad populum Dei pertinere constabat, adiuncti sunt etiam aliqui ex eis, qui vtrum ex Israël, an ex Proselytis essent ignorabatur, eorumque simul inter filios Israël numerus exponitur; qui etsi ob diuturnam separationem Patrum suorum, à Templo, vel populo Dei, quomodo ad eum pertinerent, indicare nequiuerant, tamen quia data generali licentia, de captiuitate ascenderant, & cum eis qui certum ex Israël semen duxerant, ad ædificandum Deo Templum C properabant, recipiebantur ab illis vt socii, cum quibus se eorumdem sacrorum ac religionum participes animaduertebant, & palam profitebantur, gaudebant scilicet Iudæi bene noti, eos ob amorem communis fidei & religionis habere, velut fratres, & notos, tametsi ob incertitudinem originis carnalis videbantur eos minus cognitos habuisse, iam vero vt è literali sensu ad spiritualem & mysticum prouehamur, intelligendum est inter fideles, immo etiam pœnitentes qui è Ba- D bylone, id est confusione peccati, in Hierusalem id est locum pacis ac sedem gratiæ, liberati à captiuitate Dæmonis, ad ædificandam vel in seipsis, vel in aliis domum Domini, quæ cuiusque mens, est & conscientia ascendunt, varii esse generis, nec vnius omnes status ac conditionis: sunt enim nonnulli plerumque grauioribus peccatis astricti, qui adeo ab omni actu

pietatis, & castitatis videntur alieni, vt A nihil prorsus pietatis ac Religionis, quam olim à sanctis Doctoribus acceperunt, in eis remansisse videatur: De illis sane, percommodè dici potest quod in textu ponitur, scilicet, *Non posse eos indicare, vtrum ex Israel*, id est, ex sancta Ecclesia *fuerint generati per fidem*, ac verè in fidelium ac credentium numero haberi debeant, quia nimirum, tales peccando facti sunt, ac si in nullo vnquam ad semen sanctum pertinuissent, qui tamen pœnitendo, nonnunquam etiam adeo corriguntur, atque ita, meliorem ad vitam conuertuntur, vt numerus eorum, inter veros B Israelitas in quibus dolus non est, hoc est inter verè fideles ac solidè credentes, facto & voce merito conscribantur in cœlis. Et sanè si fideles, ac Christiani sumus, *filij Sanctorum sumus*, Christiani enim ac fideles, ipsa legis quam profitentur conditione, atque adeo ex vocatione sua sancti sunt vt eos fere compellat D Paulus, Rom. 1 v. 7. *Omnibus qui sunt Romæ vocatis Sanctis*: & 1. Corinth. 1. v. 2. & 2. Corinth v. 1. & Ephes. 1. v. 1. Si filii Sanctorum sumus, nisi degeneres sumus sanctos ergo nos esse oportet ac proinde sãctitatem nostram moribus atque operibus ipsis C indicare, *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, aiebat olim Christus ad Iudæos Ioan. 8. v 40. Quidni etiam nunc ad Christianos si quidpiam à conditione sua alienum faciunt si vita & moribus non fideles & Christianos sed Paganos atque infideles referunt? Certè grauiter ac peracerbè conquesti olim inuectique sunt eo nomine in Antiquos Christianos de sanctis Patribus bene multi, Audi sanctum Augustinum tractatu 5. in Epistolam Ioannis, *Quomodo te gloriaris esse Christianum, nomen habes & facta non habes, si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quisque Paganum: Tu factis te ostende Christianum, nam si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent, quid prodest nomen vbi res non inuenitur?* Vis sanctum Cyrillũ Hierosolymitanũ: is catechesi 10 sic habet, *Christianus vocatus es? parce huic nomini ne propter te blasphemetur Dominus noster Iesus Christus.* Placet Saluiani audire sententiam? libro 3. de Prouidentia sic intonat vrgetque vehementius, cum ait: *Magis per sacratissimum nomen rei sumus, quia à nomine sacratissimo discrepamus.* Contra commendatur à D. Gregorio Nazianzeno sanctus *Meletius*, quod esset reapse quod audiebat nomine, id est quod mores & nomen haberet melleum, à S. Ambrosio lib. de virginibus. S. Agnes quod in illa ob castimoniam & puritatem, non hominis nomen, sed martyris oraculum fuisset, à Gregorio Turonensi lib. 10. cap. 28. Clotarius quod sui nominis executor esset, sic consentaneum est, *Vocatione Sanctos*. Semen suum indicare hoc est fidem suam sanctam spectantium oculis certam facere, vt nihil à quoquam exprobari illis possit nec de genere suo dubitari, alioquin profanis illis hominibus & fidelibus ignotis, qui fidem suam & Religionem, synceram illam quidem & sanctam, prauis deturpant moribus, dicatur identidem illud Iacobi 2. vers. 18. & 26. & vnicuique, passim in aurem suggeratur, *Ostende mihi fidem tuam sine operibus &c. Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est*, nisi genere ipso vitæ, genus suum, quod fidem spectat & Religionis sanctitatem, ad oculum, commodè indicare, seu in tenta, quod aiũt, manu monstrare nemo potest: merito igitur censendi sunt non posse indicare domum patrum suorum & semen suum vtrũ ex Israël sint; id est ex populo Dei atque ex verè credentium numero, in quorum instituto viuendi, D nulla pietatis ac Religionis, quam nomine ipso, & externa tantum specie profitentur, nota appareat.

Illi nõ possunt indicare inter fideles vtrũ ex Israël sint, in quibus nihil pietatis ac Religionis elucet.

Inuectiua SS. Patrum aduersus Christianos qui nomine tantum non opere sunt Christiani.

Laudantur item à sanctis Patribus qui vita & operibus nominis sui splendori ac sanctitati respondẽt.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis secundi.

Obseruatio moralis & mystica in hæc verba, v. 64.

Omnis multitudo quasi vnus quadraginta duo millia trecenti sexaginta etc. Vnitatem Spiritus, Benedictionem ac fauorem diuinum in populum inferre.

QVOD ad tantam Iudæorum è Babylone redeūtium multitudinem spectat, hic tantisper hæreo, atque ex Historia sacra animaduerto, Hieremiæ 52. v. 30. abductis tantum in captiuitatem Babylonicã è Iudæa quater mille & sexcentas animas cum ex eadem captiuitate reductæ sint, vt ex hoc textu liquet, hominum quadraginta duo millia, cum trecentis sexaginta, exceptis seruis eorum, & ancillis, quorum numerus, ad septem mille trecentos triginta septem perueniebat Vides Lector exiguum captiuorum numerum intrasse Babylonem & decuplo maiorem è Babylone exiisse. Quid porro causæ fuit, cur populus in tantam multitudinem coalesceret, cum in tam dura seruitute, potius ad maiorem paucitatem redigendus videretur: vnam causam assignat, Beda, lib. 1. in Esdram cap. 2. nimirum aduersitatem: *Notum*, inquit, *est quantum populo Dei, iniuria captiuitatis, ac longæ seruitutis profuerit, qui enim in paucissimo numero captiuati sunt, inter hostes multiplicati, ad quinquaginta ferme millia, in patriam redierunt.* Et vlterius notat, Iudæos omnibus bonis spoliatos seruitutem iniisse, locupletatos vero magnis diuitiis, è seruitute remigrasse, vt non immerito videatur ille populus, typum Ecclesiæ prætulisse, quæ persecutionibus non minuitur, sed augetur; nec ex detrimentis inopiam contrahit, sed rerum omnium abundantiam colligit: *Sanguis Martyrum semen Christianorum*, aiebat olim Tertullianus sic Exodi 1. n. 12. de Hebræis illis, tam durè olim in Æ- A gyptiaca seruitute oppressis, & cum Pharaone miserabiliter colluctantibus, dicitur, *quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant, &c.* Notat præterea Beda in hunc locum, populum Hebræum in Patria multos Deos falsos coluisse, in exilio, vnum verum Deum, adorasse, *Cultum*, inquit, *pietatis, quem in terra sancta Prophetis reclamantibus, atque exempla iustitiæ demonstrantibus, spreuerunt, hunc in terra aliena, hostibus idololatriæ seruientibus ad animum reuocarunt. Quid ergo in his intuendum*, inquit, *quid memoriæ commendandum? nisi quod eos, quos,* B *libertas, & copia rerum omnium, in patria negligentes reddidit, & cælestium immemores mandatorum, ipsos seruitus peregre, & inopia, ad obsequium sui creatoris, ac liberatoris adduxit; familiaris namque res est, humanum cor opibus ac libertate dissolui, ærumnis vero, ac paupertate, ad semetipsum recolligi*: Sic ille: Quæ quidem, etsi præclarè dicta sunt, tamen opportuna etiam & commoda, ad hunc textum illustrandum, videtur multiplicationis populi fuisse ratio, mutua inter illos charitas, & concordia, quam ante captiuitatem, non ita studiosè curarent, sed postmodum in C ipsa captiuitate impensè exercuerunt, & argumento est, quod in ingressu Babylonis, non dicuntur omnes quasi vir vnus, Babylonem subiisse, at vero in egressu, omnis multitudo, inquit sacer author, hoc textu, quasi vir vnus, sic multitudo, seu multiplicatio, naturæ ipsius ductu, fœtus est vnitatis, (quod ait Paulus) *seruare vnitatem in vinculo pacis*, adeo *concordia res paruæ crescunt, discordia magnæ dilabuntur*: Et quidē, etsi vnitas non est numerus (vti norunt Philosophi & Arithmetici) tamen principium numeri est, & vt numeri principium est vnitas, nu-

XII.

Et plures longè & locupletiores multo, è Babylone exierunt Iudæi quã fuerant ingressi.

Multiplicatio populi de Iudæorum in captiuitate

Typus fuit Ecclesiæ quæ persecutionibus nō minuitur sed augetur.

Prosperitas cor humanum dissoluit, aduersitas recolligit.

Mutua inter Iudæos captiuos charitas & concordia causa multiplicationis illorū.

Vnitas semper numerum multiplicat.

merumque inchoat, sic illa quoque A (quod in naturalibus, non magis quam in moralibus, vsu venire solet, atque experientia teste comprobatur) semper numerum multiplicat. Adde numero cuicumque, & quantumuis ingenti, vnitatem, numerus eò amplior atque auctior est, fac vt in populo, quod olim in Christianis, ipso nascentis Ecclesiæ exordio, sit cor vnum, & anima vna, non diu erit, quin summè accrescat, & mirandum in modum amplificetur, donisque cœlestibus abundantissime cumuletur, Mysterium vnitatis, sic mystice numerum multiplicantis, ipsamq; spiritus vnitatem, seu spiritum vnitatis, tamquam bonorum omnium, quæ in genus humanum deriuantur fontem, atque principium, agnoscit, deducitque ex prima hominis formatione S. Augustinus, cum ait, *Numquid Deus de vna aue, fecit cæteras aues? numquid de vno pisce, omnes pisces? de vno equo omnes equos? de vna bestia, omnes bestias? numquid non multas simul terra produxit, & multiplicibus fœtibus multa compleuit? Ventum est ad hominem faciendum, & factus est vnus, de vno, genus humanum, nec duos facere voluit, separatim, masculum & fœminam, sed vnum, & de vno, vnam: Quare sic? quare ab vno, genus humanum inchoatur! nisi quia generi humano, vnitas commendatur, & Dominus Christus, ex vna, vnitas virgo est, tenet virginitatem, seruat incorruptionem.* Sic Augustinus serm. 20. & 40. de nouis & recens collectis, ex antiquis exemplaribus, & 1. in die Pentecostes, atque ita, ex ipsius mente, in ipso primi hominis, primum in lucem prodeuntis exordio, vnitas, & dilectio, toti hominum generi commendatur, sunt item qui in ipso adhuc nascentis mundi ortu, quem describit Moyses Genes. 2. vers. 2. obseruant, eam ob causam, totam vniuersæ huius D molis fabricam, atque adeo vniuersorum Dei operum molitionem, vnum tantummodo opus, ab auctore sacro appellari, *compleuitque* inquit Deus *die septimo, opus suum, quod fecerat,* quia nimirum vnum tãtummodo opus, quod quasi ex pluribus partibus confletur, subsistatque, in tot operum mutua constructione, videlicet dilectio, omniumque creaturum vnitas, & nexus, à Deo intenditur, & significatur. Nec ab eo sensu, Ethnicos inter Philosophos, acutissimus, Seneca, longè discedit, cum epist. 95. de ea re, sic disserit, in hæc verba, *Omne hoc quod vides, quo diuina, atque humana, conclusa sunt, vnum est, membra sumus corporis magni natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem gigneret*, simile quiddam in Lactantio Firmiano reperies, qui lib. 5. de Iustitia Dei capite 8. ex Ciceronis sententia, sublimius paulò se effert, atque ad mores accommodatius, cum ait, *sicut vna eademque natura, mundus omnibus partibus, inter se cohæret, & nititur, sic omnes homines, inter se, natura confusi, prauitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos, & subiectos omnes, sub vnam eandemque tutelam, quod si tenere-* B *tur, Deorum profectò vita homines viuerent*, quin & eandem ob causam, D. Hieronymo Interprete in Regul. Monachorum, ad Paulam & Eustochium, tom. 9. cum singulæ quæque creaturæ, seorsum spectatæ, bonæ Deo visæ fuerint, postmodum tamen cum omnes mutuo inter se concinentes, simulque nexæ spectatæ sunt, non bonæ tantum, sed valde bonæ apparuerunt; *Vidit Deus cuncta quæ fecerat; & erant valde bona*; ait Moyses Genesis 1. vers. 31. quæ verba exponens, Hieronymus, loco citato, sic de bono vnitatis edisserit. *Omne secundum Phi-* C *losophos*, inquit, *tantum habet bonitatis, quantum vnitatis, propterea in exordio mūdi vidit Deus, cũcta quæ fecerat simul, & erant valde bona*, ita ille, optimè scilicet super ea re, à magistro suo, D. Gregorio Nazianzeno edoctus, qui orat. 2. de Paschate, sic habet, atque his verbis, sanè elegantibus, in eodem versatur argumento, *Posteaquam*, inquit, *Primas partes pulchrè constitutas vidit, alterum mundum materia constantem & aspectabilem excogitauit; Hanc nimirum, ex cælo, & terra, & his rebus, quæ eorum complexu continentur, coagmentationem & concretionem, laudabilem, illam, quidem ob singularem partium elegantiam, verum laudabiliorem, ob eam, quæ ex vniuersis extitit, concinnitatem, atque concordiam, alta re videlicet, ad aliud quiddam pulchrè quadrante, atque omnibus, ad omnia strictè conuenientibus, ad vnius mundi ornatum, omnibus numeris absoluendum*: Ita Gregorius, inter Græcos Patres eloquens, iuxta ac theologus, quæ ab eo dici videntur, quasi noua quædam veluti perfectio ac splendor singulis creaturis alioqui imperfectis & quasi inchoatis, ac mancis, ex aliarum consortio, & vnitate accesserit, quod quidem ipsum

Vnitas & nexus à Deo intendebatur, & significabatur.

XIII.

De vno homine genus humanum prodiit, vt homini vnitas commendaretur & animorum concordia.

Vniuersa mundi molitio tantũ vnum opus vocatur à Moyse in Genesis quia vnũ tantum opus, in tot rebus creatis, nempe dilectio & omnium creaturarũ

XIV.

In creatione mundi creatura seorsũ spectata Deo visa sunt, simul nexa & spectata non tantũ bona sed valde bona quod ad vnitatis bonum refert D. Hieronymus.

mutuæ hominum dilectioni sic imprimis aptauit alter Gregorius Nyssenus, tractatu 1. in Psal. cum sic disputat, *Si ergo totus hic mundus, musica quadam consonantia est, cuius opifex & effector Deus, paruus vero mundus, homo est, simulque similitudo, & imitatio quadam eius, qui mundum concinnauit, necesse est, vt quod ratio in magno illo, & spatioso mundo reperit, hoc vt par est in paruo ibidem conspiciatur, pars enim totius, cognata est toti*: Adhæc, addo etiam illud Plutarchi, in libello de occultè viuēdo: *Est*, inquit, *quisque nostrum obscurus, & ignotus, dum in vniuersi mole, seorsim exiguus fertur, cum autem inter se coëunt homines, adepti iam magnitudinem, effulgent, clarique ex obscuris fiunt, & conspicui ex abditis*, Sic ille. Ex quo totam hanc vnitatis spiritus commendationem, immo & fructum omnem, vtilitatemque ex ea in homines manantem absoluo, sicque concludo. Ergo qui antea Iudæi pauci erant, exiguoque in numero, postmodum multi sunt, augēturque plurimum, quia vniti, & Iudæorum omnis multitudo, quanta quanta est, censetur quasi vir vnus, quia concordes sunt, quia bell'è inter se se omnes consentiūt, quia charitatis vinculo simul colligantur, quia quotquot sparsi per se se, ac diuisi sunt (si sigillatim eorū censū ineas) Vera simul dilectione atque vna animorum consensione, in vnum omnes colliguntur; quod Iudæi magno suo bono faciunt, vt multi vnum sint, id Christianos, multo æquiori iure maiorique studio præstare oportet, si diuino numinis fauore, ac beneficentiæ ipsius muneribus, quam Iudæi copiosius & abundantius cumulari volunt.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA

Sensus mysticus horum verborum: Habitauerunt ergo Sacerdotes & Leuitæ de populo & Cantores & Ianitores & Nathinæi in vrbibus suis vniuersusque Israel in ciuitatibus suis vers. 70. Id fieri cum pœnitentes pristinum ac olim deperditum gratiæ ac virtutis gradum per bona opera recuperant.

IV.

ROMPTVS est ac facilis ex superioribus huius loci sensus spiritalis ac mysticus, maximè si Bedam audire rursum non pigeat, cum ait Sacerdotes, Leuitas, Cantores, Ianitores, & Nathinæos in vrbibus suis, vniuersumque adeo Israëlem, in ciuitatibus suis habitare reuertentes de Babylone, cum Ecclesiæ ministri, seu, altaris sancti, vt ipse loquitur, ac Doctores, ac ipsa Dei plebs in suis singuli gradibus Deo fideliter seruiunt, siuè qui suo in gradu, vitiis aliquando sordidati, postea per pœnitentiam abluti sunt, siuè qui nuper de regno diaboli ad Ecclesiam venientes, suum sibi gradum bene ministrando acquisierunt, suas etenim ciuitates introierunt Leuitæ, vel filii Israël, non solum illi qui easdem ciuitates quondam in captiuitatem adducti deseruerunt, verum etiam hi qui de captiuorum stirpe progeniti, ad ipsas ciuitates, ex paterna successione se pertinere didicerunt, vt iam supra tùm in litera, tùm in allegoria notauimus, ex quo fit vt dicendus sit Leuita, aut quilibet de filiis Israël, allegoricè, ciuitatem suam de qua abductus est à Chaldæis, recipere, cum quis in Ecclesia, virtutis perfectionem, quam à diabolo seductus perdiderat, Domino donante recuperat, verbi gratia qui per ebriositatem, vel concupiscentiam, vel superbiam, de dignitatis, aut virtutis gradu, quem acquisierat, deiectus est aliquanto tempore, & denuò per continentiam, parsimoniam, humilitatem, & cætera vitæ emendationis insignia, ad eundem dignior redit ac purior. Rursus Leuita, aut Iudæus quilibet in Babylone natus, ciuitatem suam, è Babylone in Iudæam rediens ingreditur, cum quis regeneratus in Christo, reatum primæ præuaricationis exuit, ac bene institutus, in Ecclesia, suo se in gradu atque ordine quem accepit sanctè ac prudenter con-

Qui in eundem gradu gratia & virtutis per pænitētiā redeunt vnde per peccatum delapsi erāt, redire à Babylone in ciuitates suas dicuntur.

tempus vobis est vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta est? Et paulo post: *Et suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel Ducis Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedech Sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo, & ingressi sunt & faciebant opus, in domo Domini exercituum Dei sui.* Aspice igitur (pergit idem sanctus Pater) quemadmodum duplici nota, imagineque, Emmanuel, Rex atque Pontifex maximus haberetur, nam ad similitudinem Zorobabel, qui cum ex Tribu Iuda esset, Hierosolymorum imperium obtinuit & ipse profecto, non dicam Hierosolymorum, sed omnium Rex est. Ad Iesu vero Sacerdotis magni imaginem, Pontifex quoque maximus inter homines extitit, sed & Dux etiam strenuus itineris fuit, quod Hierosolyma versus tendit, patronusque populi, opifexque ædis sacratissimæ habitus est, Christum enim præceptorem nostrum, veluti imperatorem, Pontificemque maximum, per fidem sequimur, à captiuitateque prauissimi dæmonis, quasi ab aliena exteraque regione, erroreque huius seculi profecti ciuitatem primogenitorum, sanctissimam, Ecclesiam scilicet, quam Christus spiritualibus cõstruxit lapidibus nimirum, intramus, quod Paulus perpulchrè declarat cum ad eos, qui fide salui euaserint, Christique vestigia sequi voluerint, scribit Ephes. 2. *In quo & vos ædificamini in habitaculum Christi in spiritu*, sed quod Ecclesia Christi clarior ac pulchrior sit prisco Iudæorum Templo, terrestribus constructo lapidibus: Aggæi rursus Prophetæ verbis latissime patet, cum ita referat cap. 2. *Quis ex vobis qui vidit domum istam in gloria sua prima, & quomodo vos videtis hanc, nunc, sicut non esset coram vobis* & paulo post, *Meum est argentum & meum est aurum, dicit Dominus omnipotẽs, magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum*, huc vsque sanctus Cyrillus non longè ab his Beda, cum ait de reducibus Iudæis, *Vtebantur autem, ante alios Ducibus Zorobabel, & Iesua, quorum vnus de Regia, alter de Sacerdotali prosapia genus duxisse multis sacra historiæ locis ostenditur, qui ambo vnam eandemque Redemptoris nostri veri scilicet Regis & summi Sacerdotis personam designant: ipse enim solus est per quem venire ad salutem debeamus*, vnde ait Ioannis 14 *Nemo venit ad Patrem nisi per me, qui singulos electorum, siue per seipsum, occulta inspiratione, seu aperta eruditione, per sanctos prædicatores de confusione vitæ præsentis, ad visionem perpetuæ pacis & confessionem diuinæ laudis quasi ad Hierusalem & Iudam de Babylone colligit, quæ nimirum visio pacis & confessio gratiarum ipso donante, in præsenti quidem inchoatur sed in futuro perficitur.* Cuin & (vt ad superiora quoque hoc addam) si ex nominum ipsorum notatione seu etymologia argumentum in hanc rem duci oporteat, nomina ipsa Christum designant, Zorobabel enim & Iesus, Saluatorem & Doctorem loquuntur, *Iesus, idem ac Saluator, Zorobabel*, id est: *Iste Magister Babylonis*, vt ex Hæbræis docet Hieronymus, id est magister, eorum qui Babylone versantur, quæ quam aptè Christo conueniant, quem & Saluatorem & *Magistrum & Præceptorem in gentibus*, & Doctorem *iustitiæ*, sacræ literæ passim appellant, nemo est qui non intelligat.

Christus Rex & Pontifex Templum in Hierusalẽ id est Ecclesiam suã in orbe construxit ex spiritualibus lapidibus.

IV.

Etymon, nominum Zorobabelis & Iesu, quæ Saluatorem & Magistrũ sonans, Christo aprimè conuenit.

TROPOLOGIA CAPITIS SECVNDI.

Moralis dissertatio in eundem versum secundum. Principes seculares & Ecclesiasticos, seu primarios Sacerdotes, inter se bene consentientes, mirùm quàm pietatem promouere, & totius populi Salutem.

V. CVM apud Hebræos sæpe, tum apud exteras etiam gentes frequentissimè, qui Duces & Iudices populi, ijdem quoque fuere Pontifices, & qui rebus politicis, ijdem sacris administrãdis præfuere: & illud quidem percommode, enimuero tanta est, vtriusq; potestatis suapte natura consensio, tantus inter se nexus, vt sane optandum sit, si minus in vno eodemque tota residet, saltem mutuo amoris vinculo copulari, conciliarique, reciprocâ voluntatum, eodem spectantium, conspiratione, & concordia, fac Ducem aut Principem, in res sacras ac diuinas propensissimum, veræ fidei, ac religionis amantissimum, bene animatum erga Ecclesiæ Principes, sacrorumque administros, nihil dissentientes vtrosque inter sese, quanta hinc, Deus bone: in totius populi salutem redundabit vtilitas, quanta toto regno atque imperio in hominum animis redigendis, flectendisque ad virtutem, facilitas erit & securitas, quod in Zorobabele Duce, & Iesu filio Iosedech, summo Sacerdote, magno Iudæorum bono, atque emolumento contigisse, rerum sub ipsis, à soluta captiuitate Babylonica gestarũ series, satis commonstrat. Neque vero subesse in eo mysterij quidpiam, negari potest, quòd in sacris literis sæpè, iuxta atq; in vulgatis sanctorum Patrũ sermonibus, passim Sacerdotes vocantur multi, qui regia, aut primaria dignitate, in populo insigniuntur, licet ipsi è Sacerdotali genere non sint oriundi. Et quoniam ad rem nostram præsentem, non parum pertinet, non leuiter illud quidem, sed fuse paulum atque enucleate discutiendum est. Ego vt de Samuele taceam qui à nonnullis sanctorum Patrum, Sacer-A dos dicitur, licet ex meliorum authorum sententia, non Sacerdos, sed tantum Leuita fuerit: filii Dauid qui nec erant è Tribu Leuitica, nec sacris initiati, nec Templi ministeriis addicti, sed ex Tribu Iuda, tractandis armis intenti rebusque ciuilibus curandis assueti, Sacerdotes appellabantur 2. Reg. 8. v. 18. *Filij autem Dauid Sacerdotes erant*, ait sacer Textus, hoc est, principes aulæ, vt septuaginta, & Pagninus transtulerunt, & D. Petrus Damiani lib. 2. Epist. 20. quæ est in ordine 41. interpretatur, vnde & iidem filii Dauid, qui citato loco Sacerdotes vocãntur 1. Paralipom. cap. 18. v. 17. dicuntur, *Primi ad manum Regis*: Item, Ietro dicitur, B *Sacerdos Madian*. Exod. 18. v. 1. quia scilicet, erat Princeps terræ Madian, vt Glossa & magister Histor. iuxta Chaldæum interpretantur, Genes. 41. v. 45. Putiphar dicitur, *Sacerdos Heliopoleos*: hoc est Dux, seu Princeps, vt Chaldæus transfert, & nonnulli Hebræorum potius existimant: Et clarius, 2. Reg. 20. v. 26 ita, Iairites, *erat Sacerdos Dauid*, quia vt Pagninus, ex Hebræo vertit, erat *Princeps ipsi Dauid*, hoc est apud Dauidem, seu in domo Regia Dauid, seu intimus Dauidis, familiaris, immo vox Hebræa, *Cohen*, quod obseruarunt pri-C dem sacræ Linguæ non ignari, non solum Sacerdotem, sed etiam Principẽ significat, à verbo *Cahan*, quod non solum significat ministrare in sacris, sed etiam decorare, seu ornare more Regio. Quid quod D. Irenæus lib. 4. cap. 20. Dauidem, Sacerdotem appellat. *Sacerdos*, inquit, *factus fuerat Dauid*. D. Hieronymus in cap. 2. Sophoniæ, *Antistitem* vocat: Chrysostomus Homil. 2 de Dauide, & Saüle, etiam *Sacerdotem*, cum ait, *Præfuerat illis Dauid non vt bello dux militibus, sed vt Sacerdos*. Et Diu. Ambrosius lib. 2. de Iacob & vita beata, cap. 10. Eleazarum *Sacerdotem* appellat.

Magna in plebem vtilitas ex concordia Principũ seu Magistratuum politicorũ, cum præsulibus Ecclesiæ probatur ex rebus sub Zorobabele Duce & Iesu summo Sacerdote gestis à soluta captiuitate.

Sæpe Sacerdotes vocatos qui Regia aut primaria dignitate fuerint licet è Sacerdotali genere non essent multis exemplis ostenditur Sacra Scriptura ac sanctorum Patrum.

pietate in Deum, Deique adiutores, & A administros, omnis accedit regni felicitas qua & diutius imperatur, & imperium in filios transmittitur, & hostes expugnantur, & quicquid in rebus humanis præclarum est, hinc idem Augustinus, capite sequenti, de florentissima Constantini magni ob assertam religionem fortuna sic disserit, *Constantinum Imperatorem, non supplicantem dæmonibus, sed ipsum, verum Deum colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet, cui etiam condere ciuitatem, Romano imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed* B *sine aliquo dæmonum templo, simulachroque concessit, diu imperauit, vniuersum orbem Romanum, vnus Augustus tenuit, & defendit, in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit, in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est, grandæuus ægritudine, & senectute defunctus est, filios imperantes reliquit.* Cæterùm vt illustre est in eam sententiam, sic meo quidem iudicio scitu dignissimum illud magni Leonis summi Pontificis, Maximianum Imperatorem sic alloquentis, epistola 42. *Studiosissimos vos ecclesiasticæ pacis agnoui, cui sancto desiderio digna æquitate consertur, vt quem* C *statum esse cupitis Religionis, eundem habeatis & Regni: certi enim sunt de tutèla regnantes, si nulla eisdem præsidentibus Ecclesiæ castitas, importuna diaboli commixtione maculetur*, ait Hormisda Papa, epistola ad Anastasium Imperatorem: sic Ambrosius in prologo ad lib. 1. de Spiritu sancto, Constantinopolitanum imperium, per studium erga veram Religionem, & fidem synceram, stetisse firmum & inconcussum, cum per hæresim prius pene collapsum fuisset Gratiano Imperatori denunciat his verbis: *Etiam Constantinopolis iam verbum Dei recepit, & euidentiam meruit hac* D *documenta iudicij, etenim quãdiu venena Arrianorũ suis fouebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, murus armis circumsonabat hostilibus, postea verò quam fidei exules abdicauit, hostem ipsum, quem regnum semper timere consueuerat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obtinuit, sepultum possidet*: Vis & alterum è Romanis Pontificibus in eadem causa perorantem? Audi Ioannem 2. Iustiniano Imperatori sic scribentem epistola 1. *Patet in vobis impletum fore: quod Scripturæ loquuntur, per me Reges regnant & potentes scribunt iustitiam prou.* 8. *nihil est enim quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe, nihil est quod ita nequeat occasus subiacere, quam vera Religio, nam cum authorem vitæ, vel luminis, vtraque respiciant, recte & tenebras respuunt, & nesciunt subiacere defectui, hoc est, quod vestrum firmat imperium, hoc quod vestra regna conseruat, nam pax Ecclesiæ, Religionis vnitas, authorem facit in sublime prouectum, grata sibi tranquillitate custodit*, quibus paulo post subiungit: *Neque enim est parua vicissitudo, a potentia diuina tribuitur, per quem nullis rugis, Ecclesia diuisa, secernitur, nullis infectis maculis variatur*: sic ille, ad tertium eiusdem ordinis Pontificem appellas? en profero, is est Cœlestinus Papa qui in epistola ad Theodosium Imperatorem, quæ citatur tomo 1. Conciliorum; sic habet: *Maior vobis fidei causa debet esse, quam regni, ampliusque, pro pace Ecclesiarum, clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum, subsequuntur enim omnia prospera, si penitus quæ Deo sunt cariora seruentur, pro vestri imperij salute geritur, quicquid pro quiete Ecclesiæ, vel sanctæ Religionis reuerentia laboratur*: sic Cœlestinus, qui & in alia epistola ad eundem Theodosium iuniorem Augustum, post Synodum Ephesinam, pietatem illius summè commendat his verbis: *Illata quidem fidei bella sunt, sed vos regnantes hostes impios, fides vestræ virtute vicistis, cælestem reuocantes triumphum, per quod religioso munimen, in perpetuum præstetis imperio, verè enim Prophetica gloriæ vestræ, vox conuenit* Ps. 144 *& regnum vestrum dici potest Regnum omnium sæculorum quod defensæ fidei meritis propagatur, & crescente sanctæ Religionis obseruantia, Christianæ insertum reuerentia semper augetur: Ecce nunc domus Domini orationibus vacant, & vestrum per omnes Ecclesias, Deo nostro, oblatis sacrificijs commendant imperium. Nihil amoto perturbatoris ausu, scandalis licet, pestifer vlterius, animos hominum sermo non vulnerat, salutem omnibus, suarum animarum, dum vniuersali Ecclesiæ consulitis, reddidistis, hæc est vestra, prædicandi regni vestri, clementia, per quam non terræ, non Prouinciæ, sed omnium animæ sunt defensæ: imputabitis hanc omnino victoriam, quam non bellis, non gladiis, sed sola deuotione, qua Deo estis dediti, conquisiuistis, manet hic vestræ gloriæ titulus, & manebit, vt nulla illum*

Florens Constantini fortuna ob assertã Religionẽ a D. Augustino significatur.

VIII.

Illustria in eam rem testimonia Leonis magni, Hormisdæ, Ambrosii.

Ioannis 2. Pontif.

Cælestini.

fidei nostra: hi sunt Rectores per diuersas sedes, ciuitatis Christi, cuius antemurale est fides Catholica, & charitas, firmissimus murus, sed quāto illustrius est, quod in capitularibus suis, statuit ipse de obedientia Episcopis debita, deque ipso non obedientibus infligendo supplicio, cum ait lib. 1. cap. 182. *Qui Episcopum suum noluerit audire, perennem cōdemnationem Episcoporum apud Deum sustineat, & insuper Palatio nostro sit omnino extraneus; & omnes facultates eius, ad legitimos parentes perueniant*, & cap. 301. *nullo pacto*, inquit idem ille, non re minus quam nomine, magnus Imperator, *agnoscere possumus qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, & suis Sacerdotibus inobedientes apparuerint; qualiter nobis obedientes, nostrisque ministris ac legatis obtemperantes erunt, qui illis, in Dei causis, & Ecclesiarum vtilitatibus, non obtemperant: Potius namque, iuxta veritatis vocem, ille metuendus est, qui potest animam perdere in gehennam, quam ille qui corpus torquere, & honores temporales potest auferre.* O seculum verè aureum, in quo tanta tamque eximia efferebat sese, status politici, cum Ecclesiastico concordia: Faxit Deus, vt quæ pietas, & obseruantia, in Ecclesiam, & Ecclesiæ principes totis seculis superioribus, eluxit in nostris Regibus, magno Gallici imperii ornamento, & compendio, in externis etiam Regibus atque Imperatoribus, toto orbe efflorescat!

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA
Capitis secundi.

Explicatio Allegorica in hæc verba vers. 59. *Et hi qui ascenderunt de Thelmala, &c. Et non potuerunt indicare domum patrum suorum & semen suum, vtrum ex Israël essent, &c. Multos reperiri etiam inter fideles in quibus nulla ferè aut exigua Religionis & pietatis species apparet, eosque dici mysticè qui non possint indicare domum patrum suorum & semen suum vtrum ex Israël sint.*

II.

Olim etiã ad veteris Legis professionem admittebantur Gẽtiles qui Proselyti ideo vocabantur.

IN hoc Textu Esdrę cuius explanationem mysticam indagamus, etiam iuxta literã, quod rectè obseruauit Beda, gratia Dei qua, & in veteri Testamento Gentiles ad salutem recipiebantur, ostenditur: nam exposita eorum summa ac catalogo, quos certo & veraciter, ad populum Dei pertinere constabat, adiuncti sunt etiam aliqui ex eis, qui vtrum, ex Israël, an ex Proselytis essent ignorabatur, eorumque simul inter filios Israël numerus exponitur, qui etsi ob diuturnam separationem Patrum suorum, à Templo, vel populo Dei, quomodo ad eum pertinerent, indicare nequiuerant, tamen quia data generali licentia, de captiuitate ascenderant, & cum eis qui certum ex Israël semen duxerant, ad ædificandum Deo Templum properabant, recipiebantur ab illis vt socii, cum quibus se eorumdem sacrorum ac religionum participes animaduertebant, & palam profitebantur, gaudebant scilicet Iudæi bene noti, eos ob amorem communis fidei & religionis habere, velut fratres, & notos, tametsi ob incertitudinem originis carnalis videbantur eos minus cognitos habuisse, iam vero vt è literali sensu ad spiritualem & mysticum prouehamur; intelligendum est inter fideles, immo etiam pœnitentes qui è Babylone, id est confusione peccati, in Hierusalem id est locum pacis ac sedem gratiæ, liberati à captiuitate Dæmonis, ad ædificandam vel in seipsis, vel in aliis domum Domini, quæ cuiusque mens, est & conscientia ascendunt, varii esse generis, nec vnius omnes status ac conditionis: sunt enim nonnulli plerumque grauioribus peccatis astricti, qui adeo ab omni actu

pietatis, & castitatis videntur alieni, vt A nihil prorsus pietatis ac Religionis, quam olim à sanctis Doctoribus acceperunt, in eis remansisse videatur: De illis sane, percommodè dici potest quod in textu ponitur, scilicet, *Non possunt eos indicare, vtrum ex Israël*, id est, ex sancta Ecclesia *fuerint generati per fidem*, ac verè in fidelium ac credentium numero haberi debeant, quia nimirum, tales peccando facti sunt, ac si in nullo vnquam ad semen sanctum pertinuissent, qui tamen pœnitendo, nonnunquam etiam adeo corriguntur, atque ita, meliorem ad vitam conuertuntur, vt numerus eorum, inter veros B Israëlitas in quibus dolus non est, hoc est inter verè fideles ac solidè credentes, facto & voce merito conscribantur in cœlis. Et sanè si fideles, ac Christiani sumus, *filij Sanctorum sumus*, Christiani enim ac fideles, ipsa legis quam profitentur conditione, atque adeo ex vocatione sua sancti sunt vt eos fere compellat D. Paulus, Rom. 1 v. 7. *Omnibus qui sunt Romæ vocatis Sanctis*: & 1. Corinth. 1. v. 2. & 2. Corinth. v. 2. & Ephes. 1. v. 1. Si filii Sanctorum sumus, nisi degeneres sumus sanctos ergo nos esse oportet ac proinde sãctitatem nostram moribus atque operibus ipsis C indicare, *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, aiebat olim Christus ad Iudæos Ioan. 8. v. 40. Quidni etiam nunc ad Christianos si quidpiam à conditione sua alienum faciunt si vita & moribus non fideles & Christianos sed Paganos atque infideles referunt? Certè grauiter ac peracerbè conquesti olim inuectique sunt eo nomine in Antiquos Christianos de sanctis Patribus bene multi, Audi sanctum Augustinum tractatu 5. in Epistolam Ioannis, *Quomodo te gloriaris esse Christianum, nomen habes & facta non habes, si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quisque Paganum: Tu factis te ostende Christianum, nam si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent, quid prodest nomen vbi res non inuenitur?* Vis sanctum Cyrillũ Hierosolymitanũ: is catechesi 10 sic habet, *Christianus vocatus es: parce huic nomini ne propter te blasphemetur Dominus noster Iesus Christus.* Placet Saluiani audire sententiam? libro 3. de Prouidentia sic intonat vrgetque vehementius, cum ait: *Magis per sacratissimum nomen rei sumus, quia à nomine sacratissimo discrepamus.* Contra commendatur à D. Gregorio Nazianzeno sanctus *Meletius*, quod esset reapse quod audiebat nomine, id est quod mores & nomen haberet melleum, à S. Ambrosio lib. de virginibus. S. Agnes quod in illa ob castimoniam & puritatem, non hominis nomen, sed martyris oraculum fuisset, à Gregorio Turonensi lib. 10. cap. 18. Clotarius quod sui nominis executor esset, sic consentaneum est, *Vocatione Sanctos*. Semen suum indicare hoc est fidem suam sanctam spectantium oculis certam facere, vt nihil à quoquam exprobari illis possit nec de genere suo dubitari, alioquin profanis illis hominibus & fidelibus ignotis, qui fidem suam & Religionem, synceram illam quidem & sanctam, prauis deturpant moribus, dicatur identidem illud Iacobi 2. vers. 18. & 26. & vnicuique, passim in aurem suggeratur, *Ostende mihi fidem tuam sine operibus &c. Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est*, nisi genere ipso vitæ, genus suum, quod fidem spectat & Religionis sanctitatem, ad oculum, commodè indicare, seu in tenta, quod aiũt, manu monstrare nemo potest: merito igitur censendi sunt non posse indicare domum patrum suorum & semen suum vtrũ ex Israël sint; id est ex populo Dei atque ex verè credentium numero, in quorum instituto viuendi, D nulla pietatis ac Religionis, quam nomine ipso, & externa tantum specie profitentur, nota appareat.

Illi nõ possunt indicare inter fideles verũ ex Israel sint, in quibus nihil pietatis ac Religionis elucet.

Inuectiua SS. Patrum aduersus Christianos qui nomine tantum non opere sunt Christiani.

Laudantur item à sanctis Patribus qui vita & operibus nominis sui splendori ac sanctitati respondẽt.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis secundi.

Obseruatio moralis & mystica in hæc verba, v. 64.

Omnis multitudo quasi vnus quadraginta duo millia trecenti sexaginta etc. Vnitatem Spiritus, Benedictionem ac fauorem diuinum in populum inferre.

XIV. QVOD ad tantam Iudæorum è Babylone redeūtium multitudinem spectat, hic tantisper hæreo, atque ex Historia sacra animaduerto, Hieremiæ 52. v. 30. abductis tantùm in captiuitatem Babylonicā è Iudæa quater mille & sexcentas animas cum ex eadem captiuitate reductæ sint, vt ex hoc textu liquet, hominum quadraginta duo millia, cum trecentis sexaginta, exceptis seruis eorum, & ancillis, quorum numerus, ad septem mille trecentos triginta septem perueniebat. Vides Lector exiguum captiuorum numerum intrasse Babylonem & decuplo maiorem è Babylone exiisse. Quid porro causæ fuit, cur populus in tantam multitudinem coalesceret, cum in tam dura seruitute, potius ad maiorem paucitatem redigendus videretur: vnam causam assignat, Beda, lib. 1. in Esdram cap. 2. nimirum aduersitatem: *Notum*, inquit, *est quantum populo Dei, iniuria captiuitatis, ac longa seruitutis profuerit, qui enim in paucissimo numero captiuati sunt, inter hostes multiplicati, ad quinquaginta ferme millia, in patriam redierunt.* Et vlterius notat Iudæos omnibus bonis spoliatos seruitutem iniisse, locupletatos vero magnis diuitiis, è seruitute remigrasse, vt non immerito videatur ille populus, typum Ecclesiæ prætulisse, quæ persecutionibus non minuitur, sed augetur; nec ex detrimentis inopiam contrahit, sed rerum omnium abundantiam colligit: *Sanguis Martyrum semen Christianorum*, aiebat olim Tertullianus sic Exodi 1. n. 12. de Hebræis illis, tam durè olim in Ægyptiaca seruitute oppressis, & cum Pharaone miserabiliter colluctantibus, dicitur, *quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant, &c.* Notat prætereà Beda in hunc locum, populum Hebræum in Patria multos Deos falsos coluisse, in exilio, vnum verum Deum, adorasse, *Cultum*, inquit, *pietatis, quem in terra sancta Prophetis reclamantibus, atque exempla iustitiæ demonstrantibus, spreuerunt, hunc in terra aliena, hostibus idololatriæ seruientibus ad animum reuocarunt. Quid ergo in his intuendum*, inquit, *quid memoria commendandum? nisi quod eos, quos, libertas, & copia rerum omnium, in patria negligentes reddidit, & cælestium immemores mandatorum, ipsos seruitus peregre, & inopia, ad obsequium sui creatoris, ac liberatoris adduxit; familiaris namque res est, humanum cor opibus ac libertate dissolui, ærumnis vero, ac paupertate, ad semetipsum recolligi:* Sic ille: Quæ quidem, etsi præclarè dicta sunt, tamen opportuna etiam & commoda, ad hunc textum illustrandum, videtur multiplicationis populi fuisse ratio, mutua inter illos charitas, & concordia, quam ante captiuitatem, non ita studiosè curarent, sed postmodum in ipsa captiuitate impensè exercuerunt, & argumento est, quod in ingressu Babylonis, non dicuntur omnes quasi vir vnus, Babylonem subiisse, at vero in egressu, omnis multitudo, inquit sacer author, hoc textu, quasi vir vnus, sic multitudo, seu multiplicatio, naturæ ipsius ductu, fœtus est vnitatis, tanti est (quod ait Paulus) *seruare vnitatem in vinculo pacis*, adeo *concordia res paruæ crescunt, discordia magnæ dilabuntur*: Et quidē, etsi vnitas non est numerus (vti norunt Philosophi & Arithmetici) tamen principium numeri est, & vt numeri principium est vnitas, nu-

Et plures longè & locupletiores multo, è Babylone exierunt Iudæi quā fuerant ingressi.

Multiplicatio populi de Iudæorum in captiuitate

Typus fuit Ecclesiæ quæ persecutionibus nō minuitur sed augetur.

Prosperitas cor humanum dissoluit aduersitas recolligit.

Mutua inter Iudæos captiuos charitas & concordia causa multiplicationis illorū,

Vnitas semper numerum multiplicat.

merumque inchoat, sic illa quoque A (quod in naturalibus, non magis quam in moralibus, vsu venire solet, atque experientia teste comprobatur) semper numerum multiplicat. Adde numero cuicumque, & quantumuis ingenti, vnitatem, numerus eò amplior atque auctior est, fac vt in populo, quod olim in Christianis, ipso nascentis Ecclesiæ exordio, sit cor vnum, & anima vna, non diu erit, quin summè accrescat, & mirandum in modum amplificetur, donisque cœlestibus abundantissime cumuletur, Mysterium vnitatis,

XIII. sic mystice numerum multiplicantis, ipsamq; spiritus vnitatem, seu spiritum vnitatis, tamquam bonorum omnium, quæ in genus humanum deriuantur fontem, atque principium, agnoscit, deducitque ex prima hominis formatione S. Augustinus, cum ait, *Numquid Deus de vna aue, fecit cæteras aues? numquid de vno pisce, omnes pisces? de vno equo omnes equos? de vna bestia, omnes bestias? numquid non multas simul terra produxit, & multiplicibus fœtibus multa compleuit! Ventum est ad hominem faciendum, & factus est vnus, de vno, genus humanum, nec duos facere voluit, separatim, masculum & fœminam, sed vnum, & de vno, vnam. Quare sic! quare ab vno, genus humanum inchoatur! nisi quia generi humano, vnitas commendatur, & Dominus Christus, ex vna, vnitas virgo est, tenet virginitatem, seruat incorruptionem.* Sic Augustinus serm. 20. & 40. de nouis & recens collectis, ex antiquis exemplaribus, & 1. in die Pentecostes, atque ita, ex ipsius mente, in ipso primi hominis, primum in lucem prodeuntis exordio, vnitas, & dilectio, toti hominum generi commendatur, sunt item qui in Ipso adhuc nascentis mundi ortu, quem describit Moyses Genes. 2. vers. 2. obseruant, eam ob causam, totam vniuersæ huius molis fabricam, atque adeo vniuersorum Dei operum molitionem, vnum tantummodo opus, ab auctore sacro appellari, *compleuitque* inquit Deus *die septimo, opus suum, quod fecerat,* quia nimirum vnum tãtummodo opus, quod quasi ex pluribus partibus conflet ur, subsistatque, in tot operum mutua constructione, videlicet dilectio, omniumque creaturum vnitas, & nexus, à Deo intenditur, & significatur. Nec ab eo seniu, Ethnicos inter Philosophos, acutissimus, Seneca, longè discedit, cum epist. 95. de ea re, sic disse-

De vno homine genus humanum prodiit, vt hominis vnitas commendaretur & animorum concordia.

Vniuersa mundi molitio tantũ vnum opus vocatur à Moyse in Genesis quia vnũ tantum opus, in tot rebus creatis, nempe dilectio & omnium creaturarũ

rit, in hæc verba, *Omne hoc quod vides, quo diuina, atque humana, conclusa sunt, vnum est, membra sumus corporis magni natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem gigneret,* simile quiddam in Lactantio Firmiano reperies, qui lib. 5. de Iustitia Dei capite 8. ex Ciceronis sententia, sublimius paulò se effert, atque ad mores accommodatius, cum ait, *sicut vna eademque natura, mundus omnibus partibus, inter se cohæret, & nititur, sic omnes homines, inter se, natura confusi, prauitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos, & subiectos omnes, sub vnam eandemque tutelam, quod si tenere-* B *tur, Deorum profectò vita homines viuerent,* quin & eandem ob causam, D. Hieronymo Interprete in Regul. Monachorum, ad Paulam & Eustochium, tom. 9. cum singulæ quæque creaturæ, seorsum spectatæ, bonæ Deo visæ fuerint, postmodum tamen cum omnes mutuo inter se concinentes, simulque nexæ spectatæ sunt, non bonæ tantum, sed valde bonæ apparuerunt; *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona;* ait Moyses Genesis 1. vers. 31. quæ verba exponens, Hieronymus, loco citato, sic de bono vnitatis edisserit. *Omne secundum Phi-* C *losophos,* inquit, *tantum habet bonitatis, quantum vnitatis, propterea in exordio mũdi videt Deus, cũcta quæ fecerat simul, & erant valde bona,* ita ille, optimè scilicet super ea re, à magistro suo, D. Gregorio Nazianzeno edoctus, qui orat. 2. de Paschate, sic habet, atque his verbis, sanè elegantibus, in eodem versatur argumento, *Posteaquam,* inquit, *Primas partes pulchrè constitutas vidit, alterum mundum materia constantem & aspectabilem excogitauit; Hunc nimirum, ex cœlo, & terra, & his rebus, quæ eorum complexu continentur, coagmentationem & concretionem, lauda-* D *bilem, illam, quidem ob singularem partium elegantiam, verum laudabiliorem, ob eam, quæ ex vniuersis extitit, concinnitatem, atque concordiam, alia re videlicet, ad aliud quiddam pulchrè quadrante, atque omnibus, ad omnia scitè conuenientibus, ad vnius mundi ornatum, omnibus numeris absoluendum:* Ita Gregorius, inter Græcos Patres eloquens, iuxta ac theologus, quæ ab eo dici videntur, quasi noua quædam veluti perfectio ac splendor singulis creaturis alioqui imperfectis & quasi inchoatis, ac mancis, ex aliarum consortio, & vnitate accesserit, quod quidem ipsur

vnitas & nexus à Deo intendebatur, & significabatur.

XIV.

In creatione mundi creatura seorsũ spectata Deo visa sunt, simul nexa & spectata non tantũ bona sed valde bonà quod ad vnitatis bonum refert D. Hieronymus.

mutuæ hominum dilectioni sic imprimis aptauit alter Gregorius Nyssenus, tractatu 1. in Psal. cum sic disputat, *Si ergo totus hic mundus, musica quadam consonantia est, cuius opifex & effector Deus, paruus verò mundus, homo est, simulque similitudo, & imitatio quadam eius, qui mundum concinnauit; necesse est, vt quod ratio in magno illo, & spatioso mundo reperit, hoc vt par est in paruo ibidem conspiciatur, pars enim totius, cognata est toti*: Adhæc, addo etiam illud Plutarchi, in libello de occultè viuēdo: *Est*, inquit, *quisque nostrum obscurus, & ignotus, dum in vniuersi mole, seorsim exiguus fertur, cum autem inter se coeunt homines, adepti iam magnitudinem, effulgent, clarique ex obscuris fiunt, & conspicui ex abditis*, Sic ille. Ex quo totam hanc vnitatis spiritus commendationem, immo & fructum omnem, vtilitatemque ex ea in homines manantem absoluo, sicque concludo. Ergo qui antea Iudæi pauci erant, exiguoque in numero, postmodum multi sunt, augēturque plurimum, quia vniti, & Iudæorum omnis multitudo, quanta quanta est, censetur quasi vir vnus, quia concordes sunt, quia bellè inter se se omnes consentiūt, quia charitatis vinculo simul colligantur, quia quotquot sparsi per se se, ac diuisi sunt (si sigillatim eorū censū ineas) Vera simul dilectione atque vna animorum consensione, in vnum omnes colliguntur; quod Iudæi magno suo bono faciunt, vt multi vnum sint; id Christianos, multo æquiori iure maiorique studio præstare oportet, si diuino numinis fauore, ac beneficentiæ ipsius muneribus, quam Iudæi copiosius & abundantius cumulari volunt.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA

Sensus mysticus horum verborum: Habitauerunt ergo Sacerdotes & Leuitæ de populo & Cantores & Ianitores & Nathinæi in vrbibus suis vniuersusque Israel in ciuitatibus suis vers. 70. Id fieri cum pœnitentes pristinum ac olim deperditum gratiæ ac virtutis gradum per bona opera recuperant.

IV.

ROMPTVS est ac facilis ex superioribus huius loci sensus spiritalis ac mysticus, maximè si Bedam audire rursum non pigeat, cum ait Sacerdotes, Leuitas, Cantores, Ianitores, & Nathinæos in vrbibus suis, vniuersumque adeo Israëlem, in ciuitatibus suis habitare reuertentes de Babylone, cum Ecclesiæ ministri, seu, altaris sancti, vt ipse loquitur, ac Doctores, ac ipsa Dei plebs in suis singuli gradibus Deo fideliter seruiunt, siuè qui suo in gradu, vitiis aliquando sordidati, postea per pœnitentiam abluti sunt, siuè qui nuper de regno diaboli ad Ecclesiam venientes, suum sibi gradum bene ministrando acquisierunt, suas etenim ciuitates introierunt Leuitæ, vel filii Israël, non solum illi qui easdem ciuitates quondam in captiuitatem adducti deseruerunt, verum etiam hi qui de captiuorum stirpe progeniti, ad ipsas ciuitates, ex paterna successione se pertinere didicerunt, vt iam supra tum in litera, tùm in allegoria notauimus, ex quo fit vt dicendus sit Leuita, aut quilibet de filiis Israël, allegoricè, ciuitatem suam de qua abductus est à Chaldæis, recipere, cum quis in Ecclesia, virtutis perfectionem, quam à diabolo seductus perdiderat, Domino donante recuperat, verbi gratia qui per ebriositatem, vel concupiscentiam, vel superbiam, de dignitatis, aut virtutis gradu, quem acquisierat, deiectus est aliquanto tempore, & denuo per continentiam, parsimoniam, humilitatem, & cætera vitæ emendationis insignia, ad eundem dignior redit ac purior. Rursus Leuita, aut Iudæus quilibet in Babylone natus, ciuitatem suam, è Babylone in Iudæam rediens ingreditur, cum quis regeneratus in Christo, reatum primæ præuaricationis exuit, ac bene institutus, in Ecclesia, suo se in gradu atque ordine quem accepit sanctè ac prudenter con-

Qui in eūdem gradum gratiæ & virtutis per pœnitētiā redeunt vnde per peccatum delapsi erāt, redire à Babylone in ciuitates suas dicuntur.

seruat: Nam, & ille, sicut per gratiam A sui Redemptoris quasi de Chaldæa seruitute liberatus est, ita etiam per executionem bonorum operum in quibus parentes ac prædecessores conuersati sunt, velut ad mœnia propriæ ciuitatis ascendit. Porrò, vt optimè in eundem locum addit Beda quicunque de filiis Israël ita captiui abducti sunt vt nunquam in patriam reuersi, aliis potiùs suas ciuitates ac fundos possidendos reliquerint, illorum vtique miseram sortem ac infelicem conditionem designant, qui sic peccando, ab Ecclesia discedunt, vt nunquam pœnitendo resipiscant, sed aliis potiùs qui digni sunt promissa sibi præmia percipienda relinquunt, quorum vni pœnitentiam suadens dicit in Apocalypsi Dominus cap. 2. *Memor esto vnde excideris & age pœnitentiam & prima opera tua fac, sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum de loco tuo, nisi pœnitentiam egeris*, qui rursum alteri in fide perstanti ne caderet suggerens. *Ecce*, inquit, *venio cito, tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam*. Ergo, vt in summa, rem omnem concludam, Iudæi olim captiui nunc in Iudæam reduces pœnitentium statum ac conditionem in Ecclesia adumbrant, & quod in vno populo semel factum est hoc in omnibus propter peccatū pœnitentibus quotidie solet contingere, dum hi qui per negligentiam intentationes & laqueos inciderunt diaboli, per industriam pœnitentiæ, diuinitus adiuti resurgunt, & qui virtutum opibus ab hoste antiquo nudati, de Ecclesiæ societate recesserunt, & B tamquam de Iudæa in Babylonem commigrarunt, plerumque etiam ad communionem illius; maioribus quàm anteà perdiderant virtutibus exerciti redeunt, quia nimirum quo se grauiùs errasse meminerunt; eo ardentiùs bonis insudare operibus satagunt: Et hæc quidem, in compendium contracta quicquid in præsentis, & proximè superioris Allegoriæ, & Tropologiæ medulla reconditum est, planè ac penitus, aperiunt.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ANTEQVAM de vniuersa Templi fabrica constituatur à Iudæis, è captiuitate in antiquas sedes restitutis, primum ab ipsis, certo ac stabili in loco, excitatur altare, deterrentibus eos licet, ab opere passim alienigenis, atque gentilibus, super altari iam erecto, sacrificia & holocausta de more offeruntur, res sacra, iam pridem eo in loco intermissa renouatur, ac demum festum etiam ipsum tabernaculorum, septimo mense, legitimo ritu celebratur. Deinde ad sacram templi ipsius fabricam, cum nondum fundatum esset, viri principes, & reliqui ex promiscua populi turba, mira animorum consensione se accingunt, latomos, cementariosque mercede conducunt, ex Tyro, ac Sidone, artifices aduocant, qui ligna cædant, eaque ad Ioppen vsque, è Libano traduci curent, Leuitis ad id negotii constitutis, vt opus quàm citissime vrgeant: apertis demum templi fundamentis, solemnique ritu, ac pompa, dedicato illo spatio, quod ad templi aream definitum erat, & iam operi designatum, tum vero permixtus, atque confusus, ex lætitia & cantico, & ex lamentatione, atque clamore lugubri, astantis multitudinis sonitus, ac velut vlulatus, auditus est, cum alij, primis iam apparentibus, templi vestigijs, à festiuo clamore temperare sibi non possent, quod illius ædificij, de cuius instauratione dudum ante desperauerant, fundamenta locata conspicerent: Alij vero, qui prius templum viderant, longe amplius atque illustrius, eo, cuius tenuem, & exiguam, ex locorum angustijs tenuique principio molem præuidebant, flerent, atque eiularent vehementer.

CAPVT TERTIVM Esdræ.

1. IAMQVE venerat mensis septimus, & erāt filij Israel in ciuitatibus, suis cōgregatus est ergo populus quasi vir vnus in Hierusalem.
2. Et surrexit Iosue filius Iosedech & fratres eius Sacerdotes & Zorobabel filius Salathiel & fratres eius, & ædificauerunt altare Dei Israel, vt offerent in eo holocaustomata sicut scriptum est in Lege Moysi viri Dei.
3. Collocauerunt autem Altare Dei super bases suas deterrentibus eos per circuitum populis terrarum & obtulerunt super illud holocaustum Domino mane & vespere.
4. Feceruntque solemnitatem Tabernaculorum sicut scriptum est, & holocaustum diebus singulis, per ordinem, secundum præceptum, opus diei in die suo.
5. Et post hæc holocaustum iuge, tam in Calendis, quam in vniuersis solemnitatibus Domini quæ erant consecratæ, & in omnibus in quibus vltro offerebatur munus Domino.
6. A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino, porro Templum Dei nondum fundatum erat.
7. Dederunt autem pecunias latomis & cæmentariis, cibum quoque & potum, & oleum Sidoniis, Tyriisque, vt deferrent ligna Cedrina de Libano, ad mare Ioppe, iuxta quod præceperat Cyrus Rex Persarum.
8. Anno autem secundo, aduentus eorum ad Templum Dei in Hierusalem, mense secundo, cœperunt Zorobabel, filius Salathiel, & Iosue filius Iosedech, & reliqui de fratribus eorum Sacerdotes & Leuitæ, & omnes qui venerant de captiuitate in Hierusalem, & constituerunt Leuitas à viginti annis & supra vt vrgerent opus Domini.
9. Stetitque Iosue & filii eius & fratres eius, Cedmihel & filii eius, & filii Iuda, quasi vir vnus, vt instarent super eos qui faciebant opus in Templo Dei, filii Henadad, & filii eorum & fratres eorum Leuitæ.
10. Fundato igitur à cæmentariis, Templo Domini steterunt Sacerdotes, in ornatu suo, cum tubis & Leuitæ filii Asaph in cymbalis, vt laudarent Deum per manus Dauid Regis Israel.
11. Et concinebant in hymnis & confessione Domini quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius super Israel, omnis quoque populus vociferabatur clamore magno, in laudando Dominum, eoquod fundatum esset Templum Domini.
12. Plurimi etiam de Sacerdotibus & Leuitis, & Principes Patrum & seniores qui viderant Templum prius cum fundatum esset hoc Templum, in oculis eorum flebant voce magna, & multi vociferantes in lætitia eleuabant vocem.
13. Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium & vocem fletus populi, commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul.

EXPOSITIO LITERALIS.

V. 1.

AMQVE venerat mensis septimus, & erant filij Is-

I. *rael in Ciuitatibus suis, cõgregatus est ergo populus quasi vir vnus in Hierusalem, &c.* Quem in mensem circiter, ceciderit soluta primum captiuitas, iam diximus uperiori capite, ex hoc loco, tantum confirmatur, primam illam Iudæorum, in proprias sedes, remigrationem, contigisse multo ante mensem septimum, cum iam incunte hoc mense, vniuersus populus, suas in Ciuitates, atque ordines fuerit distributus, venit ergo populus, in Hierusalem, mense septimo; is est *Tisri*, qui Septembri nostro respondet, aut vt aliis placet, Octobri; ita enim glossa, aut certè partim Septembri, partim Octobri: cum autem, apud Hebræos, duplex initium anni esset, nimirum, quoad festa, *Nisan* qui nobis Martius est, quoad alia *Tisri*, potius mensis septimus dicitur *Tisri*, quam *Nisan*, quia scilicet v. 4. narratur, statim à reditu in Hierusalem, celebratum à Iudæis festum tabernaculorum, quod incidit in diem decimum quintum, sicque habita festorum ratione, à *Nisan* ducendum anni fuit initium, & quod consequens est, mensis *Tisri* septimus est nuncupandus; nec absre fuerit, hic adiungere, ad ea quæ superius annotata sunt, cum mensis septimus præter cæteros legali obseruatione solemnis fuerit, in illo etiam celebratã esse dedicationẽ templi Salomonis, quare congruè, vt notat glossa, cum primũ Ciuitates suas intrassent Iudæi, & mansiones sibi prouidissent, mox in Hierusalem confluxerunt, & altare construxerunt, & quidem eo tempore, quo Templum cum Altari & omnibus vasis olim consecratum est, & quoad diem consecrationis, annuatim venire solebant consecratum autem fuisse Salomonicum Templum mense 7. constat ex lib. 3. Reg. cap. 8. vers. 1. & 2. Paralip. cap. 5.

II. vers. 3. Iam, quod dicitur *congregatus est populus, in Hierusalem* intelligendum est, accersitu Zorobabelis Ducis, & Iosue

Vti duplex annus, sic duplex anni initium apud Hebræos, sacri Nisan, nobis martius ciuilis, Tisri nobis September.

A Pontificis, nimirum ab ipsis indictum est, vt omnes iuxta legem, in Hierusalem conuenirent, vt constituta in mensem septimum festa, præscripto à Moyse ritu celebrarent, & quidem, notum est, vel mediocriter eruditis, in scripturarum sacrarum lectione, ter in anno Iudæos omnes in Hierusalem ascendisse, ad præcipua quædam festa celebrãda, vt habetur Exodi c. 23. vers. 13. & cap. 34. vers. 23. & Deuteron. cap. 16. vers. 16. Primum erat in mense *Nisan*, qui est primus totius anni sacri, scilicet, in quo *Pascha* celebrari consueuerat, & *festum Azymorum* sic dictum, quod in eo azyma comederentur,

B secundum dicebatur *festum Pentecostes*, id est quinquagesimæ, quia scilicet quinquagesimo post die celebrabatur, in quo datam legem fuisse vulgo existimant Iudæi, & in ea celebritate, solebant ex triticea messe Deo offerri primitiæ. Tertium denique *festum*, erat *Tabernaculorum*, siue *scenopegia*, quod à die decimo quinto *Tisri*, seu septimi mensis, ducebat initium, trium illorum festorum, expresse fit mentio, citato Deuter. loco, his verbis, *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco*

C *quem elegerit, in solemnitate Azymorum, & in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate Tabernaculorum*; ad hanc solemnitatem, magna animorum conspiratione, factus est vndecumque, Iudæorum omnium, qui redierunt, in Hierusalem concursus. Porrò cum multæ solemnitates, variis anni temporibus celebrarentur, ab Hebræis, in nullum mensem tam frequentes incidebant, quam in mensem septimum; huius rei fidem facit, quod vt constat ex Leuitic. cap. 22. vers. 24. & cap. 23.

D vers. 27. primo illius mensis die, *festum* perageretur *tubarum*, vulgo dictum, aut clangoris, decimo die *festum expiationis*, die decimo quinto, *festum Tabernaculorum*, quod ad multos dies producebatur, mensis denique totus pœne, sacer esset, quo fit, vt à nonnulis mensis iste septimus, mensis, *Ethanim*, id est fortium aliquando in scriptura dictus censeatur, hac potissimum ratione, quod in eo multæ, eæque ma-

Ter in anno conueniebant Iudæi in Hierusalem ad præcipua festa celebranda.

Mensis Tisri seu septimus totus pœne sacer ac festiuus dictus aliquando Ethanim id est fortium.

quod multa ac pracipua Hebraorũ celebritates sacra in eo essent indicta.

gnæ, ac præcipuæ Hebræorum cele- A britates sacræ, essent indictæ.

III.

Vers. 2. *Et surrexit Iosue filius Iosedech & fratres eius Sacerdotes, & Zorobabel, &c.* Summus Sacerdos erat Iosue, filius Iosedech, nepos Saraiæ summi Sacerdotis de quo 4. Reg. capite vltimo, vers. 18. cum igitur septimi iam mensis esset initium, ac proinde festum Tabernaculorum appeteret, summi Sacerdotis fuit potissimum, aliorumque principum, & magistratuum populi, curare, ac prouidere, vt ex omnibus quæ ad sacræ festiuitatis Religionem pertinerent, ex legis præscripto nihil quidpiam deesset, cumque ex Leuitic. B cap 23. vers. 24. A quinto decimo die mensis huius septimi, essent feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino, & septem diebus offerri holocausta oporteret, necesse fuit vt primum excitaretur altare, in quo & holocausta immolaret, & sacra iampridem, eo in loco intermissa, rursus obire inciperent; hinc est quod dicitur, *ædificauerunt Altare Dei Israel vt offerrent in eo holocausta*, quod autem additur, *sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei*, vel ad locum iam citatum Leuitici alludit, vbi hæc verba legis sunt de holocaustis offerendis, *septem diebus offeretis holocausta Domino*, vel Exodi cap. 27. & 38. vbi, quale esse oportuerit Altare holocaustorum, cuiusmodi fuit quod hic à Iudæis exstruitur, fuse à Moyse descriptum est.

Appetente festo Tabernaculorum primũ Iudais excitandũ fuit altare ad offerenda holocausta ex lege prascripta

IV.

V. 3. *Collocauerunt autem altare Dei super bases, &c.* Non est dubium, quin hoc altare à Iudæis erectum, altare fuerit holocausti; deinde certum etiam est, meo quidem iudicio, hoc altare, eodem, quo ante steterat, loco, id est in medio atrii Leuitici, collocatum fuisse, cum integrum id esset, ad templi structuram & fabricam se accingentibus, neque refert, quod altare tectum non fuerit, sed apertum, & sub dio positum, cum neque constructo etiam olim primo, aut postea secundo templo, opertum fuisse comperiatur altare illud holocausti, quod erat extra sancta, in atrio sacerdotali, si quidem atrium sacerdotale, à superiori parte erat apertum sicut & alia atria, ita vt in toto templo, præter locum qui dicebatur *Sancta*, siue domus Dei, & *Sancta Sanctorum*, siue interius Sanctuarium, opertum omnino nihil esset, vnde cum in templo Salomonis multa Hebræi dicant accidisse mira-

Altare primum à Iudais erectum, altare fuit holocausti, & eodem in loco quo ante, scilicet in medio atrii Sacerdotum.

A cula, illud in præcipuis ac nominatissimis censetur, quod cum atria paterent omnia cœli iniuriis, prorsus exposita, numquam tamen eo pluuia deciderit, neque in altari holocaustorum, ignis extinctus fuerit, neque ventorum flatus, quantumcumque vehemens & incitatus vnquam impedierit, quominus victimarum fumus, in Cœlum rectà semper ascenderet, quod autem in vulgata versione legimus *collocauerunt altare super bases suas*, 70. habent, *super præparationem suam*. Hebræa, *super stabilimentum*, quo innui ac significari videtur, munitio addita B à Iudæis, quod sibi timerent à populis terrarum, ne eo irrumperent, & disturbarent omnia, & certe coniecturam hanc firmat, quod statim subiungitur *deterrentibus eos populis*, aliud in eo mysterium agnoscit Sanctius, quod impositum dicitur altare *super bases suas*, iuxta vulgatam, quia nimirum, inquit, prius raptim tantum, videbatur altare extrui, quando eo loco offerebantur sacrificia, quale fuit illud de quo Baruch cap. 1. & quod excitaturi videbantur viri de Sichem & de Silo, de quibus Hier. cap 1. Et sanè Deus Exodi 20. v. 24 altare de terra C excitari sibi iussit *Altare*, inquit, *de terra facietis mihi & offeretis super eo holocausta*, cuius quidem rei, placet, inter cæteras rationes, quas adducit Serrarius, in cap. 8. Iosue quæst. 16 hæc vna, quæ ad institutum nostrum facit, scilicet id iussisse Deũ vt subito, & vbicumque, vbi ipse vellet, copia esset opportunior altaris erigendi, cum vbique ad manum esset eiusmodi materia, quæ lege præcipiebatur, nec operosum foret, artificiosumque negotium; hinc intelligas, quid sit cur im peret etiam Deus, Leuit. 20. & Iosue 8. & Deuter. 27. vt altare *de lapidibus impolitis, & rudibus, quos ferrum non* D *attingeret*, construatur; hæc enim intelligenda sunt, de altari extra tabernaculum, & templum, in loco incerto & instabili, at de altari quod construendum esset, in loco iam stabili, & certo, vt in tabernaculo, & templo à Salomone constructo, aut à Zorobabele instaurato, alia ratio fuit præscripta, nam in eo multum fuisse operis atque artificii satis apertè significatur Exod. 27. & cap. 38. Ezech. cap. 43. Cum igitur filii Israel non ita multo ante extorres, ac vagi, iam locum haberent certum ac stabilem, quem ab hostili

Nominatissimum illud miraculum templi Salomonis quod cum atria omnia paterent Cœli iniuriis numquam eo pluuia deciderit, numquam ignis extinctus in altari holocaustorum, numquam ventus impedierit, quominus victimarum fumus in calum recta semper ascenderet.

Cum pracipitur in lege vt exstruatur altare de terra aut de lapidibus impolitis intelligendum de altari extra Tabernaculum & Templum in loco instabili & incerto.

impetu tueri possent, altare moliri cœperunt non è cespite, aut terra, sicut antea sed ex lapide suppolita basi vt sic Salomonici altaris speciem referret, atque adeo firmius esset, quam vt à subita hostium impressione dirueretur. Hęc magis ad litteram & sensum historicum, *Deterrentibus eos per circuitum populis terrarum &c.* Isti populi terrarum intelligũtur præsertim Samaritæ, de quibus apertius initio capitis sequentis, quos Rex Assyriorum Sennacherib miserat ad habitandum Samariam, & ciuitates, per circuitum, quia timebant, ne filii Israël, si res prospere illis fluerent, & ad pristinum fortunæ statum redirent, eos eiicerent è terra, quam inuaserant, in genere autem atque vniuersim dicuntur populi terrarum Gentiles omnes Iudæorum inimici, & reliqui populi à Iudæorum Religione alieni, *obtulerunt super illud holocaustum Domino &c.* Holocaustum hoc quotidianum erat, ex lege id est iuge sacrificium, in quo offerebatur vnus Agnus, statim ab ortu solis, & alius ante occasum, oblatum autem fuisse, tunc primum, iuge sacrificium, cum altare nouum, ad antiqui formam, atque exemplar erectum est aut ædificari cœptum. Sanctio certum videtur, à quo non dissentio, neque enim, vt rectè animaduertit, satis commodè, ante offerri potuit, neque cum iuge esset, & bis solitum immolari quotidie, nunc esset opus dicere, tunc oblatum esse sacrificium, matutino & vespertino tempore, & quecadmodũ tunc cœpit festum Tabernaculorũ, quod festorũ omnium primum videtur fuisse celebratum, ita probabile est, tunc etiam cœpisse iuge sacrificium, de quo sacrificio, sic constitutum est. Num. cap. 28. vers. 3. *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis, Agnos anniculos immaculatos duos, quotidie in holocaustum sempiternum vnum offeretis manè, alterum ad vesperum*, de aliis sacrificiis, an priùs oblata fuerint, hoc ipso cap. vers. 6. videndum erit: Interim obseruandum est cum Saliano, eandem historiam quæ hoc tertio capite narratur, haberi quoque, 3. lib. Esdræ, cap. 5. cum exigua diuersitate, vt quomodo conuenerint in atrium, quod erat ante portam Orientalem, nisi quod, vbi in textu sacro legitur, *Deterrentibus eos per circuitum populis terrarum*, in dicto loco legitur, & conuenerunt ibi ex aliis nationibus terræ & erexerunt *sacrarium*, id est altare, *in loco suo, omnes gentes terræ*, quod videtur perabsurdum, itaque Tigurina paraphrasticè sic exponit, & quamuis conueniretur aduersum eos, ex aliis gentibus terræ, quæ inimicitias haberent cum eis, omnesq; gẽtes terræ vim in eos facerent, aram tamen suo loco erigebant, *Magna ergo prouisione*, ait Beda, *primo altare ædificauerunt Iudæi, vt quia Templum nondum erat fundatum, haberent tamen sacrificantes vbi deuotionem mentis suæ ostenderent.*

VI. (margin)

Iuge sacrificium primum oblatum a Iudæis vnius Agni statim ab ortu solis & alterius ante occasum. (margin)

VII.

Vers. 4. *Feceruntque solemnitatem Tabernaculorum sicut scriptum est, &c.* De solemnitate Tabernaculorum multa præcipiuntur à Deo per Moysem Leuit. cap. 23. à versu 34. ad 44. quæ omnia ad vnum à Iudæis recens in patriam reuersis obseruata religiosè constat apertissimè ex lib. 2. cap. 8. vers. 16. vbi quæ strictim hic dicta sunt, fusius commemorantur, *Fecerunt*, inquit Nehemias, *sibi Tabernacula vnusquisque, in domate suo, & in atriis suis, & in atriis domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim, &c.* Nec singularia quæque recensere prætermisit Iosephus ipse, lib. 3 antiq. cap. 10 cum ait, *eiusdem mensis*, nempe septimi, *decima quinta die tempore iam in Hibernum vergente, Tabernacula compingere iubentur per singulas familias, & octo dies festos ducere, victimasq; Deo solitas incendere, & simul pro gratiarum actione sacrificare, manibus interim gestantes ramos, myrti, salicis, & palmæ, &c.* quod autem adiungitur *& holocaustum in diebus singulis per ordinem secundum præceptum, opus diei in die suo, &c.* Hebraicè est *in numero, secundum morem*, quasi diceret, tot hostias quot offerri mos erat, scilicet, iuxta præceptum, in die suo, id est suo quodque tempore, seu quasi diceret, eo numero & modo, quo erant singulis diebus offerendæ. Porrò de tota Tabernaculorum solemnitate eiusque institutione, nos iam alibi in annotationibus præambulis, & rursum à nobis, lib. 2. cap. 8. quemadmodum à Iudæis reducibus omnia, quæ in Lege præcipiebantur, ad hoc festum pertinentia, obseruari potuerint, disputabitur.

Festũ Tabernaculorum religiose obseruatum à Iudæis recens in patriam reuersis. (margin)

VIII.

Vers. 5. *Et post hæc, holocaustum iuge, &c.* Holocaustum iuge vocatur, quod scilicet nunquam intermittebatur, pro aliis sacrificiis &c. *tam in Kalendis &c.* id est Neomeniis quæ celebrantur in principiis mensium, *quam*

Holocaustum iuge seu quotidianum sic dictum quod nun- (margin)

quam intermitterentur pro aliis Sacrificiis, in quacumque celebritate, nec illis etiam diebus quibus spõtanea offerebantur victima.

in vniuersis solemnitatibus, &c. id est A Paschæ, Pentecostes, tubarum, expiationis, Tabernaculorum, ideò iuge dicebatur, aut sempiternum holocaustum: porrò iuge istud sacrificium, primum locum, & tempus sibi vendicabat, in quacumque solemnitate, & hoc est quod textus indicat, nimirum, postquam initiatum est, & consecratum altare, nunquam postea omissum fuisse, illud sacrificium, etiam in Kalendis, siue Neomenis, & aliis solemnitatibus, quas colere consueuerunt Hebræi, illis etiam diebus in quibus spontaneæ offerebantur victimæ, quarum magnus & frequens numerus B esse solebat, de iugi autem sacrificio, & illius ritu, in sacrificando, aliisque multis quæ quotidianum illud sacrificium comitantur, sic habetur Num. 28. vers. 3. *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis agnos anniculos immaculatos duo, in holocaustum sempiternum vnum offeretis manè, & alterum ad vesperum, decimam partē Ephi similæ, quæ conspersa sit, oleo purissimo, & habeat quartam partē Hin, holocaustum iuge est quod obtulistis in monte Sinai, in odorem suauissimum, incensi Domini, & libabitis vini quartam partem Hin, per agnos singulos in sanctuario Domini.* C

IX. *Tam in Kalendis quam in vniuersis solemnitatibus Domini &c.* Notum est Kalendas, seu Neomenias, dici primos dies, cuiuscumque mensis, in quibus licet à seruili opere abstinendum non esset, ex Lege, apud Iudæos tamen religiosi erant, & peculiaribus quibusdam sacrificiis celebres, de quibus solemni, ac legitimo clangore, populus admonebatur: sic enim Numer. cap. 10. vers. 10. sancitũ reperies, *si quando habebitis epulum & dies festos & Kalendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri.* Cuius autem rei potissimum recordarentur Iudæi, cum tu- D barum audirent clangorem, vel cum ineunte mense sacrificiis interessent, sic explicat sanctus Thomas I. 2. q. 102. art. 4. ad 10. Alia, inquit, solemnitas iterabatur quolibet mense, scilicet festum Neomeniæ, quod celebrabatur ad commemorandum opus, diuinæ gubernationis, nam hæc inferiora præcipue variantur, secundum motum Lunæ, & ideo celebrabatur hoc festum, in nouitate Lunæ, non autem in eius plenitudine, ad euitandum Idololatrarum cultum, qui in tali tempore, Lu-

Festum Neomeniæ primo quoque die celebrari solitum apud Hebræos memoriam illis ingerebat diuinæ gubernationis rerũ omniũ huius mundi.

næ sacrificabãt: ergo ex interpretatione sancti Doctoris primo die mensis, qui nouilunium seu Neomeniæ, id est nouus mensis, aut mensis exordium dicitur, quia Hebræi à Luna mensium ducunt initium, recordabatur populus, beneficii gubernationis, sicut singulis Sabbatis, creationis memoria renouatur.

Vers. 6. *A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino, &c.* His verbis, apertè significatur, antiquum holocaustorum, & sacrificiorum, vsum, fuisse planè restitutum, sumpto initio, à primo die mensis septimi, quia scilicet, hinc primo fuit erectum altare holocaustorum, ante cuius erectionem, non poterant eiusmodi sacrificia offerre: Quodnam autem fuerit illud holocaustum quod primo die immolatum fuit, an iuge, aut pacificum, siue pro peccato, dubium est inter authores, nec constare liquido potest, illud tantum habemus, primo die Septembris cœpisse Sacerdotes sacrificale negotium, extructo fortè rapthim altari vt fecerunt ante, non semel Hebræi, è terra, cespite, aut impolito lapide, deinde vero pro festo Tabernaculorum, quod post quindecim dies peragendum erat, instructum est aliud, opere firmiori, & suis impositum basibus: Porro Iudæos credo commouit, ad incheanda sacra primo die mensis septimi, & diei, & mensis illius peculiaris sanctitas; erat enim mensis ille septimus, magna ex parte sacer, & primus dies duplici nomine festiuus, tum quia in illo erat Neomenia, singulis mensibus, vt proximè diximus, antiqua religione venerabilis ex lege data Deuter. cap. 28. v. 11. tum maximè, quia dies primus septimi mensis præcipua quadam religione celebrabatur, dicebaturque dies tubarum, seu clangoris, quique propter celebritatem, Sabbatum appellatur memoriale, de quo Leuitici cap. 23. v. 14. *Mense septimo prima die mensis erit vobis Sabbatum memoriale clangentibus tubis & vocabitur sanctum:* Nempe Hebræi putant eo die liberatum Isaac & eius loco suppositum arietem, atque ideo tubis corneis celebrari, diem illum, vocarique memorialem, quia liberati Isaac memoria recolitur.

Primus dies septimi mensis dictus dies tubarum seu clangoris & Sabbatum memoriale quod eo die liberati Isaac memoria recoleretur.

XI. *Porro templum Dei nondum fundatum erat &c.* Hic consequenter, agitur de templi fundatione, postquam scilicet primum omnium extructum fuit alta-

tare, ne diu differrentur sacrificia, siue statim initio firmiori opere, siue tantùm è terra aut cespite vel imposito lapide, subsisterit. certè erecto firmius altari & uper bases suas imposito ante festum tabernaculorum eoque, tandem peracto de reliquo opere, eoque præcipuo cogitari cœptum est sedulo: accinxerunt itaque, se, mira consensione, ex Iudæis viri principes, & reliqui ex promiscua turba, ad sacram templi fabricam, & quod antea Salomon, illi modo consilium inierunt, ad materiæ templi præparationem & hoc est quod textu proximè sequenti enarratur.

V. 7. *Dederunt autem pecunias latomis, & cæmentariis, cibum quoque, & potum, & oleum, Sydoniis, Tyriisque, vt deferrent ligna cedrina ac Libano, &c.* nimirum cum Iudæi, latomos, cæmentarios'que, mercede conduxissent, ex Tyro ac Sidone asciuerunt artifices, qui ligna cæderent, eaque ad Ioppem vsque, à Libano deducerent, horum autem, merces fuit frumentum, vinum, oleum, quibus rebus, carent Sidonii, & Tyrii, abundat autem terra promissionis, sic fecerat Salomon Hiram Regi Tyri, pro lignis habendis, & deducendis, per mare, ad ædificationem prioris tepli, vt habetur 3 Reg. &

V. 10. *Ad mare Ioppe, &c.* Ioppe est portus supra mare Mediterraneum, ad quem ducebantur ligna, per mare, & inde ducebantur in Hierusalem, per terram, in vehiculo, qui portus est propinquior Hierusalem. Addit hoc loco Dionysius Carthusianus *Ioppe* vrbem esse antiquam quæ à *Iapheth* filio *Noe* perhibetur fundata: *Iuxta quod præceperat Cyrus Rex Persarum eis, &c.* De hoc Cyri edicto, siue præcepto, ad templi fundationem, & sacræ fabricæ molitionem spectante, iam superius cap. 1. & interius, adhuc, cap 6. v. 3. & 4. explicatius recensetur, vbi sigillatim templi materia, magnitudo, & forma, à Cyro describitur.

V. 8. *Anno autem secundo aduentus eorum ad templum Dei in Hierusalem &c.* Annus hic, qui cēsetur secundū Chronologos recētiores circiter ab orbe cōdito 3518. sextæ ætatis 2. solutæ captiuitatis

XII. *Annus secundus aduentus Iudæorum in Hierusalem prima* 2. Zorobabelis Ducis & Iosue Ponti. 2. Cyri & imperii Persarum 2. Olymp. 61. annus 1. vrbis conditæ 217 prima templi fundatione, post solutam captiuitatem Babylonicam, admodum celebris est, prima inquam fundatione, quoniam secundus Darii annus, altera fundatione celebratur, apud Aggæum Prophetam, de qua interius dicetur; *Templi fundatione celebris.* *Anno igitur secundo aduentus eorum mense 2. &c.* in 3. Esdræ, cap. 5. v. 57. additur, *in nouilunio secundi mensis*, sicut etiam habetur in Græco Sixti, vt recte annotauit Salianus, *Cœperunt Iudæi ædificare aut iacere fundamenta templi*; Ad id enim tempus parauerant latomi, & cæmentarii, materiam necessariam, locumque perpurgarant, vt congregato populo, nulla esset mora, in primo lapide rite deiiciendo quanquam credibile est, magnam antiquorum fundamentorum partem, & ab incendio, & à Babyloniorum machinis, integram, incorruptamque perstitisse, & hęc authoris proximè citati non improbabilis est coniectura, nondum enim, inquit, supra vniuersam templi fabricam, tristem illam vocem, Math. 24. emiserat Dominus, *non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur &c.* *Mense secundo &c.* Is mensis est iuxta Hebræos Ijar, Aprili ferè respondens, quo mense, opus inchoarunt, & è Leuitis præsides, & architectos constituerunt à viginti annis & supra qui vrgerent opus, neque trigere sinerent, id quod à Cyro, immo quod a Deo ipsis fuerat imperatum, *a viginti annos* inquit *& supra*, licet ex lege Num. 8. à viginti quinque annis, primum & supra consecrari solerent Leuitæ, & ad ministerium suum applicari, quæ quo pacto conciliari possunt, dicemus inferius: cum autem supra dicatur Iudæos 7 mense venisse in Hierusalem, hic vero, 2. anno aduentus eorum, mense 2. opus Templi inchoasse, patet per septem menses, lapides, cæmentum, ligna, & cætera necessaria, parauisse: octauo autem incipiente mense, operari cæpisse: sex enim erant menses anni primi, & septimus sequentis.

XIII. V. 10. *Fundato igitur a cæmentariis templo Dei steterunt Sacerdotes in ornatu suo cū tubis &c.* qua tandē cæremonia, aut iacta, aut reparata fuerint templi fundamenta, pergit explicare sacer author, fundato inquit templo Dei, id est, dum fundaretur, vt clarius est, in Hebræo, steterunt Sacerdotes in ornatu suo, cum tubis, scilicet ex communi hominum, & præsertim Iudæorum vsu, cum cantico, & plausu, & precationibus faustis, fundamenta templi demissa sunt, sic fieri aliquando, nostra ætate, cum magna aliqua, & su- *Cum acclamationibus & precationibus faustis iacta Templi fundamenta.*

merumque inchoat, sic illa quoque (quod in naturalibus, non magis quam in moralibus, vsu venire solet, atque experientia teste comprobatur) semper numerum multiplicat. Adde numero cuicumque, & quantumuis ingenti, vnitatem, numerus eò amplior atque auctior est, fac vt in populo, quod olim in Christianis, ipso nascentis Ecclesiæ exordio, sit cor vnum, & anima vna, non diu erit, quin summè accrescat, & mirandum in modum amplificetur, donisque cœlestibus abundantissime cumuletur, Mysterium vnitatis, sic mystice numerum multiplicantis, ipsamq; spiritus vnitatem, seu spiritum vnitatis, tamquam bonorum omnium, quæ in genus humanum deriuantur fontem, atque principium, agnoscit, deducitque ex prima hominis formatione S. Augustinus, cum ait, *Numquid Deus de vna aue, fecit cæteras aues? numquid de vno pisce, omnes pisces? de vno equo omnes equos? de vna bestia, omnes bestias? numquid non multas simul terra produxit, & multiplicibus fœtibus multa compleuit! Ventum est ad hominem faciendum, & factus est vnus, de vno, genus humanum, nec duos facere voluit, separatim, masculum & fœminam, sed vnum, & de vno, vnum: Quare sic? quare ab vno, genus humanum inchoatur! nisi quia generi humano, vnitas commendatur, & Dominus Christus, ex vna, vnitas virgo est, tenet virginitatem, seruat incorruptionem.* Sic Augustinus serm. 20. & 40. de nouis & recens collectis, ex antiquis exemplaribus, & 1. in die Pentecostes, atque ita, ex ipsius mente, in ipso primi hominis, primum in lucem prodeuntis exordio, vnitas, & dilectio, toti hominum generi commendatur, sunt item qui in ipso adhuc nascentis mundi ortu, quem describit Moyses Genes. 2. vers. 2. obseruant, eam ob causam, totam vniuersæ huius molis fabricam, atque adeo vniuersorum Dei operum molitionem, vnum tantummodo opus, ab auctore sacro appellari, *compleuitque* inquit *Deus die septimo, opus suum, quod fecerat,* quia nimirum vnum tãtummodo opus, quod quasi ex pluribus partibus conflетur, subsistatque, in tot operum mutua constructione, videlicet dilectio, omnium que creaturum vnitas, & nexus, à Deo intenditur, & significatur. Nec ab eo sensu, Ethnicos inter Philosophos, acutissimus, Seneca, longè discedit, cum epist. 95. de ea re, sic disse-

Vnitas sẽper numerum multiplicat.

XIII.

De vno homine genus humanum prodiit, vt homini vnitas commendaretur & animorum concordia.

Vniuersa mundi molitio tantũ vnum opus vocatur à Moyse Genesis quia vnũ tantum opus, in tot rebus creatis, nempe dilectio & omnium creaturarũ

A rit, in hæc verba, *Omne hoc quod vides, quo diuina, atque humana, conclusa sunt, vnum est, membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem gigneret,* simile quiddam in Lactantio Firmiano reperies, qui lib. 5. de Iustitia Dei capite 8. ex Ciceronis sententia, sublimius paulò se effert, atque ad mores accommodatius, cum ait, *sicut vna eademque natura, mundus omnibus partibus, inter se cohæret, & nititur, sic omnes homines, inter se, natura confusi, prauitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos, & subiectos omnes, sub vnam eandemque tutelam, quod si tenere-*
B *tur, Deorum profectò vita homines viuerent,* quin & eandem ob causam, D. Hieronymo Interprete in Regul. Monachorum, ad Paulam & Eustochium, tom. 9. cum singulæ quæque creaturæ, seorsum spectatæ, bonæ Deo visæ fuerint, postmodum tamen cum omnes mutuo inter se concinentes, simulque nexæ spectatæ sunt, non bonæ tantum, sed valde bonæ apparuerunt; *Vidit Deus cuncta quæ fecerat; & erant valde bona;* ait Moyses Genesis 1. vers. 31. quæ verba exponens, Hieronymus, loco citato, sic de bono vnitatis edisserit. *Omne secundum Phi-*
C *losophos,* inquit, *tantum habet bonitatis, quantum vnitatis, propterea in exordio mũdi videt Deus, cũcta quæ fecerat simul, & erant valde bona,* ita ille, optimè scilicet super ea re, à magistro suo, D. Gregorio Nazianzeno edoctus, qui orat. 2. de Paschate, sic habet, atque his verbis, sanè elegantibus, in eodem versatur argumento, *Posteaquam,* inquit, *Primas partes pulchrè constitutas vidit, alterum mundum materia constantem & aspectabilem excogitauit; Hanc nimirum, ex cælo, & terra, & his rebus, quæ eorum complexu continentur, coagmentationem & concretionem, lauda-*
D *bilem, illam, quidem ob singularem partium elegantiam, verum laudabiliorem, ob eam, quæ ex vniuersis extitit, concinnitatem, atque concordiam, alia re videlicet, ad aliud quiddam pulchrè quadrante, atque omnibus, ad omnia scitè conuenientibus, ad vnius mundi ornatum, omnibus numeris absoluendum:* Ita Gregorius, inter Græcos Patres eloquens, iuxta ac theologus, quæ ab eo dici videntur, quasi noua quædam veluti perfectio ac splendor singulis creaturis alioqui imperfectis & quasi inchoatis, ac mancis, ex aliarum consortio, & vnitate accesserit, quod quidem ipsius

vnitas & nexus à Deo intendebatur, & significabatur.

XIV.

In creatione mundi creatura seorsũ spectata Deo visæ sunt, simul nexæ & spectatæ non tantũ bonæ sed valde bonæ quod ad vnitatis bonum refert D. Hieronymus.

mutuæ hominum dilectioni sic impri- A mis aptauit alter Gregorius Nyssenus, tractatu 1. in Psal. cum sic disputat, *Si ergo totus hic mundus, musica quadam consonantia est, cuius opifex & effector Deus, paruus vero mundus, homo est, simulque similitudo, & imitatio quadam eius, qui mundum continnauit, necesse est, vt quod ratio in magno illo, & spatioso mundo reperit, hoc vt par est in paruo ibidem conspiciatur, pars enim totius, cognata est toti*: Adhæc, addo etiam illud Plutarchi, in libello de occultè viuēdo: *Est*, inquit, *quisque nostrum obscurus, &* B *ignotus, dum in vniuersi mole, seorsim exiguus fertur, cum autem inter se coeunt homines, adepti iam magnitudinem, effulgent, clarique ex obscuris fiunt, & conspicui ex abditis*, Sic ille. Ex quo totam hanc vnitatis spiritus commendationem, immo & fructum omnem, vtilitatemque ex ea in homines manantem absoluo, sicque concludo. Ergo qui antea Iudæi pauci erant, exiguoque in numero, postmodum multi sunt, augēturque plurimum, quia vniti, & Iudæorum omnis multitudo, quanta quanta est, censetur quasi vir vnus, quia concordes sunt, quia bel'è inter se se omnes consentiūt, quia charitatis vinculo simul colligantur, quia quotquot sparsi per se se, ac diuisi sunt (si sigillatim eorū censū ineas) Vera simul dilectione atque vna animorum consensione, in vnum omnes colliguntur; quod Iudæi magno suo bono faciunt, vt multi vnum sint, id Christianos, multo æquiori iure maiorique studio præstare oportet, si diuino numinis fauore, ac beneficentiæ ipsius muneribus, quam Iudæi copiosius & abundantius cumulari volunt.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA

Sensus mysticus horum verborum: Habitauerunt ergo Sacerdotes & Leuitæ de populo & Cantores & Ianitores & Nathinæi in vrbibus suis vniuersusque Israel in ciuitatibus suis vers. 70. Id fieri cum pœnitentes pristinum ac olim deperditum gratiæ ac virtutis gradum per bona opera recuperant.

IV.

PROMPTVS est C ac facilis ex superioribus huius loci sensus spiritalis ac mysticus, maximè si Bedam audire rursum non pigeat, cum ait Sacerdotes, Leuitas, Cantores, Ianitores, & Nathinæos in vrbibus suis, vniuersumque adeo Israëlem, in ciuitatibus suis habitare reuertentes de Babylone, cum Ecclesiæ ministri, seu, alta is sancti, vt ipse loquitur, ac Doctores, ac ipsa Dei plebs in suis singuli gradibus Deo fideliter seruiunt, siuè qui suo in gradu, vitiis aliquando D sordidati, postea per pœnitentiam abluti sunt, siuè qui nuper de regno diaboli ad Ecclesiam venientes, suum sibi gradum bene ministrando acquisierunt, suas etenim ciuitates introierunt Leuitæ, vel filii Israël, non solum illi qui easdem ciuitates quondam in captiuitatem adducti deseruerunt, verum etiam hi qui de captiuorum stirpe progeniti, ad ipsas ciuitates, ex paterna successione se pertinere didicerunt, vt iam supra tum in litera, tùm in allegoria notauimus, ex quo fit vt dicendus sit Leuita aut quilibet de filiis Israël, allegoricè, ciuitatem suam de qua abductus est à Chaldæis, recipere, cum quis in Ecclesia, virtutis perfectionem, quam à diabolo seductus perdiderat, Domino donante recuperat, verbi gratia qui per ebriositatem, vel concupiscentiam, vel superbiam, de dignitatis, aut virtutis gradu, quem acquisierat, deiectus est aliquanto tempore, & denuò per continentiam, parsimoniam, humilitatem, & cætera vitæ emendationis insignia, ad eundem dignior redit ac purior. Rursus Leuita, aut Iudæus quilibet in Babylone natus, ciuitatem suam, è Babylone in Iudæam rediens ingreditur, cum quis regeneratus in Christo, reatum primæ præuaricationis exuit, ac bene institutus, in Ecclesia, suo se in gradu atque ordine quem accepit sanctè ac prudenter con-

Qui in eūdem gradū gratiæ & virtutis per pœnitētiā redeunt vnde per peccatum delapsi erāt, redire à Babylone in ciuitates suas dicuntur.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ANTEQVAM de vniuersa Templi fabrica constituatur à Iudæis, è captiuitate in antiquas sedes restitutis, primum ab ipsis, certo ac stabili in loco, excitatur altare, deterrentibus eos licet, ab opere passim alienigenis, atque gentilibus, super altari iam erecto, sacrificia & holocausta de more offeruntur, res sacra, iam pridem eo in loco intermissa renouatur, ac demum festum etiam ipsum tabernaculorum, septimo mense, legitimo ritu celebratur. Deinde ad sacram templi ipsius fabricam, cum nondum fundatum esset, viri principes, & reliqui ex promiscua populi turba, mira animorum consensione se accingunt, latomos, cementariosque mercede conducunt, ex Tyro, ac Sidone, artifices aduocant, qui ligna cedant, eaque ad Ioppen vsque, è Libano traduci curent, Leuitis ad id negotii constitutis, vt opus quàm citissime vrgeant: apertis demum templi fundamentis, solemnique ritu, ac pompa, dedicato illo spatio, quod ad templi aream definitum erat, & iam operi designatum, tum vero permixtus, atque confusus, ex lætitia & cantico, & ex lamentatione, atque clamore lugubri, astantis multitudinis sonitus, ac velut vlulatus, auditus est, cum alij, primis iam apparentibus, templi vestigijs, à festiuo clamore temperare sibi non possent, quod illius ædificij, de cuius instauratione dudum ante desperauerant, fundamenta locata conspicerent: Alij vero, qui prius templum viderant, longe amplius atque illustrius, eo, cuius tenuem, & exiguam, ex locorum angustijs tenuique principio molem præuidebant, flerent, atque eiularent vehementer.

EXPOSITIO LITERALIS.

V. 1. *AMQVE venerat mensis*
septimus, &
erant filij Is-
I. *rael in Ciui-*
tatibus suis,
cögregatus est
ergo populus quasi vir vnus in Hieru-
salem, &c. Quem in mensem circiter,
ceciderit soluta primum captiuitas,
iam diximus uperiori capite, ex hoc
loco, tantum confirmatur, primam
illam Iudæorum, in proprias sedes, re-
migrationem, contigisse multo ante
mensem septimum, cum iam ineunte
hoc mense, vniuersus populus, suas in
B Ciuitates, atque ordines fuerit distri-
butus, venit ergo populus, in Hierusa-
lem, mense septimo; is est *Tisri*, qui
Septembri nostro respondet aut vt aliis
placet, Octobri, ita enim glossa, aut
certè partim Septembri, partim Octo-
bri: cum autem, apud Hebræos, du-
plex initium anni esset, nimirum, quo-
ad festa, *Nisan* qui nobis Martius est,
quoad alia *Tisri*, potius mensis septi-
mus dicitur *Tisri*, quam *Nisan*, quia
scilicet v. 4. narratur, statim à reditu
in Hierusalem, celebratum à Iudæis
festum tabernaculorum, quod incidit
C in diem decimum quintum, sicque
habita festorum ratione, à *Nisan* du-
cendum anni fuit initium, & quod
consequens est, mensis *Tisri* septimus
est nuncupandus; nec absre fuerit, hic
adiungere, ad ea quæ superius anno-
tata sunt, cum mensis septimus præter
cæteros legali obseruatione solemnis
fuerit, in illo etiam celebratā esse dedi-
cationē templi Salomonis, quare con-
gruè, vt notat glossa, cum primū Ciui-
tates suas intrassent Iudæi, & mansiones
sibi prouidissent, mox in Hierusalem
D confluxerunt, & altare construxerunt,
& quidem eo tempore, quo Templum
cum Altari & omnibus vasis olim con-
secratum est, & quoad diem consecra-
tionis, annuatim venire solebant con-
secratum autem fuisse Salomonicum
Templum mense 7. constat ex lib. 3.
Reg. cap. 8. vers. 1. & 2. Paralip. cap. 5.
II. vers. 3. Iam, quod dicitur *congregatum po-*
pulum, in Hierusalem intelligendum est,
accersitu Zorobabelis Ducis, & Iosue

Vt duplex annus, sic duplex anni initium apud Hebræos, sacri Nisan, nobis martius ciuilis, Tisri nobis September.

A Pontificis, nimirum ab ipsis indictum
est, vt omnes iuxta legem, in Hierusa-
lem conuenirent, vt constituta in men-
sem septimum festa, præscripto à
Moyse ritu celebrarent, & quidem,
notum est, vel mediocriter eruditis, in
scripturarum sacrarum lectione, ter in
anno Iudæos omnes in Hierusalem
ascendisse, ad præcipua quædam festa
celebrāda, vt habetur Exodi c. 23. vers.
13. & cap. 34. vers. 23. & Deuteron.
cap. 16. vers. 16. Primum erat in men-
se *Nisan*, qui est primus totius anni sa-
cri, scilicet, in quo *Pascha* celebrari
consueuerat, & *festum Azymorum* sic
B dictum, quod in eo azyma comede-
rentur, secundum dicebatur *festum Pen-*
tecostes, id est quinquagesimæ, quia sci-
licet quinquagesimo post die celebra-
batur, in quo datam legem fuisse vulgo
existimant Iudæi, & in ea celebritate,
solebant ex triticea messe Deo offerri
primitiæ Tertium denique *festum*, erat
Tabernaculorum, siue *scenopegiæ*, quod
à die decimo quinto *Tisri*, seu septimi
mensis, ducebat initium, trium illorum
festorum, expresè fit mentio, citato
Deuter. loco, his verbis, *Tribus vicibus*
per annum apparebit omne masculinum
tuum in conspectu Domini Dei tui in loco
C *quem elegerit, in solemnitate Azymorum,*
& in solemnitate hebdomadarum, & in
solemnitate Tabernaculorum; ad hanc
solemnitatem, magna animorum con-
spiratione, factus est vndecumque, Iu-
dæorum omnium, qui redierunt, in
Hierusalem concursus. Porrò cum
multæ solemnitates, variis anni tempo-
ribus celebrarentur, ab Hebræis, in
nullum mensem tam frequentes inci-
debant, quam in mensem septimum;
huius rei fidem facit, quod vt constat
ex Leuitic. cap. 22. vers. 24. & cap. 23.
D vers. 27. primo illius mensis die, *festum*
peragerетur *tubarum*, vulgo dictum,
aut clangoris, decimo die *festum ex-*
piationis, die decimo quinto, *festum*
Tabernaculorum, quod ad multos dies
producebatur, mensis denique totus
pœne, sacer esset, quo fit, vt à nonnullis
mensis iste septimus, mensis, *Ethanim*,
id est fortium aliquando in scriptura
dictus censeatur, hac potissimum ra-
tione, quod in eo multæ, eæque ma-

Ter in anno conueniebant Iudæi in Hierusalem ad præcipua festa celebranda.

Mensis Tisri seu septimus totus pœne sacer ac festiuus aliquādo Ethanim id est fortium.

quod multa ac præcipua Hebræorū celebritates sacræ in eo essent indictæ.

gnæ, ac præcipuæ Hebræorum celebritates sacræ, essent indictæ.

III.

Vers. 2. *Et surrexit Iosue filius Iosedech & fratres eius Sacerdotes, & Zorobabel, &c.* Summus Sacerdos erat Iosue, filius Iosedech, nepos Saraiæ summi Sacerdotis, de quo 4. Reg. capite vltimo, vers. 18. cum igitur septimi iam mensis esset initium, ac proinde festum Tabernaculorum appeteret, summi Sacerdotis fuit potissimum, aliorumque principum, & magistratuum populi, curare, ac prouidere, vt ex omnibus quæ ad sacræ festiuitatis Religionem pertinerent, ex legis præscripto nihil quidpiam deesset, cumque ex Leuitic. cap 23. vers. 24. A quinto decimo die mensis huius septimi, essent feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino, & septem diebus offerri holocausta oporteret, necesse fuit vt primum excitaretur altare, in quo & holocausta immolaret, & sacra iampridem, eo in loco intermissa, rursus obire inciperent; hinc est quod dicitur, *ædificauerunt Altare Dei Israel vt offerrent in eo holocausta*, quod autem additur, *sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei*, vel ad locum iam citatum Leuitici alludit, vbi hæc verba legis sunt de holocaustis offerendis, *septem diebus offeretis holocausta Domino*, vel Exodi cap. 27. & 38. vbi, quale esse oportuerit Altare holocaustorum, cuiusmodi fuit quod hic à Iudæis exstruitur, fuse à Moyse descriptum est.

Appetente festo Tabernaculorum primū Iudæis excitandū fuit altare ad offerenda holocausta ex lege præscripta

IV.

Altare primum à Iudæis erectum, altare fuit holocausti, & eodem in loco quo ante, stetit in medio atrii Sacerdotum.

V. 3. *Collocauerunt autem altare Dei super bases, &c.* Non est dubium, quin hoc altare à Iudæis erectum, altare fuerit holocausti, deinde certum etiam est, meo quidem iudicio, hoc altare, eodem, quo ante steterat, loco, id est in medio atrii Leuitici, collocatum fuisse, cum integrum id esset, ad templi structuram & fabricam se accingentibus, neque refert, quod altare tectum non fuerit, sed apertum, & sub dio positum, cum neque constructo etiam olim primo, aut postea secundo templo, opertum fuisse comperiatur altare illud holocausti, quod erat extra sancta, in atrio sacerdotali, si quidem atrium sacerdotale, à superiori parte erat apertum sicut & alia atria, ita vt in toto templo, præter locum qui dicebatur *Sancta*, siue domus Dei, & *Sancta Sanctorum*, siue interius Sanctuarium, opertum omnino nihil esset, vnde cum in templo Salomonis multa Hebræi dicant accidisse miracula, illud in præcipuis ac nominatissimis censetur, quod cum atria paterent omnia cœli iniuriis, prorsus exposita, numquam tamen eo pluuia deciderit, neque in altari holocaustorum, ignis extinctus fuerit, neque ventorum flatus, quantumcumque vehemens & incitatus vnquam impedierit, quominus victimarum fumus, in Cœlum rectà semper ascenderet, quod autem in vulgata versione legimus *collocauerunt altare super bases suas*, 70. habent, *super præparationem suam*. Hebræa, *super stabilimentum*, quo innui ac significari videtur, munitio addita à Iudæis, quod sibi timerent à populis terrarum, ne eo irrumperent, & disturbarent omnia, & certe coniecturam hanc firmat, quod statim subiungitur *deterrentibus eos populis*, aliud in eo mysterium agnoscit Sanctius, quod impositum dicitur altare *super bases suas*, iuxta vulgatam, quia nimirum, inquit, prius raptim tantum, videbatur altare extrui, quando eo loco offerebantur sacrificia, quale fuit illud de quo Baruch cap. 1. & quod excitatum videbantur viri de Sichem & de Silo, de quibus Hier. cap 1. Et tantē Deus Exodi 20. v. 24 altare de terra excitari sibi iussit *Altare*, inquit, *de terra facietis mihi & offeretis super eo holocausta*, cuius quidem rei, placet, inter cæteras rationes, quas adducit Serrarius, in cap. 8. Iosue quæst. 16 hæc vna, quæ ad institutum nostrum facit, scilicet id iussisse Deū vt subito, & vbicumque, vbi ipse vellet, copia esset opportunior altaris erigendi, cum vbique ad manum esset eiusmodi materia, quæ lege præcipiebatur, nec operosum foret, artificiosumque negotium; hinc intelligas, quid sit cur imperet etiam Deus, Leuit. 20. & Iosue 8. & Deuter. 27. vt altare *de lapidibus impolitis, & rudibus, quos ferrum non attingeret*, construatur; hæc enim intelligenda sunt, de altari extra tabernaculum, & templum, in loco incerto & instabili, at de altari quod construendum esset, in loco iam stabili, & certo, vt in tabernaculo, & templo à Salomone constructo, aut à Zorobabele instaurato, alia ratio fuit præscripta, nam in eo multum fuisse operis atque artificii satis apertè significatur Exod. 27. & cap. 38. Ezech. cap. 43. Cum igitur filii Israel non ita multo ante extorres, ac vagi, iam locum haberent certum ac stabilem, quem ab hostili

Nominatissimum illud miraculum templi Salomonis quod cum atria omnia paterent Cœli iniuriis numquam eo pluuia deciderit, numquam ignis extinctus in altari holocaustorum, numquam ventus impediuerit quominus victimarum fumus in cælum rectà semper ascenderet.

Cum præcipitur in lege vt exstruatur altare de terra aut de lapidibus impolitis intelligendum de altari extra Tabernaculum & Templum in loco instabili & incerto.

impetu tueri possent, altare moliri cœperunt non è cespite, aut terra, sicut antea sed ex lapide suppesita basi vt sic Salomonici altaris speciem referret, atque adeo firmius esset, quam vt à subita hostium impressione dirueretur. Hęc magis ad litteram & sensum historicum, *Deterrentibus eos per circuitum*

VI. *populis terrarum &c.* Isti populi terrarum intelligũtur præsertim Samaritæ, de quibus apertius initio capitis sequentis, quos Rex Assyriorum Sennacherib miserat ad habitandum Samariam, & ciuitates, per circuitum, quia timebant, ne filii Israël, si res prospere illis fluerent, & ad pristinum fortunæ statum redirent, eos eiicerent è terra, quam inuaserant, in genere autem atque vniuersim dicuntur populi terrarum Gentiles omnes Iudæorum inimici, & reliqui populi à Iudæorum Religione alieni, *obtulerunt super illud holocaustum Domino &c.* Holocaustum hoc quotidianum erat, ex lege id est iuge sacrificium, in quo offerebatur vnus Agnus, statim ab ortu solis, & alius ante occasum, oblatum autem fuisse, tunc primum, iuge sacrificium, cum altare nouum, ad antiqui formam, atque exemplar erectum est aut ædificari cœptum. Sanctio certum videtur, à quo non dissentio, neque enim, vt rectè animaduertit, satis commodè, ante offerri potuit, neque cum iuge esset, & bis solitum immolari quotidie, nunc esset opus dicere, tunc oblatum esse sacrificium, matutino & vespertino tempore, & quęadmodũ tunc cœpit festum Tabernaculorũ, quod festorũ omnium primum videtur fuisse celebratum, ita probabile est, tunc etiam cœpisse iuge sacrificium, de quo sacrificio, sic constitutum est. Num. cap. 18. vers. 3. *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis, Agnos anniculos immaculatos duos, quotidie in holocaustum sempiternum vnum offeretis manè, alterum ad vesperum*, de aliis sacrificiis, an priùs oblata fuerint, hoc ipso cap. vers. 6. videndum erit: Interim obseruandum est cum Saliano, eandem historiam quæ hoc tertio capite narratur, haberi quoque, 3. lib. Esdræ, cap. 5. cum exigua diuersitate, vt quomodo conuenerint in atrium, quod erat ante portam Orientalem, nisi quod, vbi in textu sacro legitur, *Deterrentibus eos per circuitum populis terrarum*, in dicto loco legitur, & conuenerunt ibi ex aliis nationibus terræ & erexerunt *Sacrarium*, id est altare, *in loco suo, omnes gentes terræ*, quod videtur perabsurdum, itaque Tigurina paraphrasticè sic exponit, & quamuis conueniretur aduersum eos, ex aliis gentibus terræ, quæ inimicitias haberent cum eis, omnesq; gẽtes terræ vim in eos facerent, aram tamen suo loco erigebant, *Magna ergo prouisione*, ait Beda, *primo altare ædificauerunt Iudæi, vt quia Templum nondum erat fundatum, haberent tamen sacrificantes vbi deuotionem mentis suæ ostenderent.* VII.

Iuge sacrificium primum celebratum à Iudæis vnus Agni statim ab ortu solis & alterius ante occasum.

Vers. 4. *Feceruntque solemnitatem Tabernaculorum sicut scriptum est, &c.* De solemnitate Tabernaculorum multa præcipiuntur à Deo per Moysem Leuit. cap. 23. à versu 34. ad 44. quæ omnia ad vnum à Iudæis recens in patriam reuersis obseruata religiosè, constat apertissimè ex lib. 2. cap. 8. vers. 16. vbi quæ strictim hic dicta sunt, fusius commemorantur, *Fecerunt*, inquit Nehemias, *sibi Tabernacula vnusquisque, in domate suo, & in atriis suis, & in atriis domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim, &c.* Nec singularia quæque recensere prætermisit Iosephus ipse, lib. 3 antiq. cap. 10. cum ait, *eiusdem mensis*, nempe septimi, *decima quinta die tempore iam in Hibernum vergente, Tabernacula compingere iubentur per singulas familias, & octo dies festos ducere, victimasq; Deo solitas incendere, & simul pro gratiarum actione sacrificare, manibus interim gestantes ramos, myrti, salicis, & palmæ, &c.* quod autem adiungitur *& holocaustum in diebus singulis per ordinem secundum præceptum, opus diei in die suo, &c.* Hebraicè est *in numero, secundum morem*, quasi diceret, tot hostias quot offerri mos erat, scilicet, iuxta præceptum, in die suo, id est suo quodque tempore, seu quasi diceret, eo numero & modo, quo erant singulis diebus offerendæ. Porrò de tota Tabernaculorum solemnitate eiusque institutione, nos iam alibi in annotationibus præambulis, & rursum à nobis, lib. 2. cap. 8. quemadmodum à Iudæis reducibus omnia, quæ in Lege præcipiebantur, ad hoc festum pertinentia, obseruari potuerint, disputabitur.

Festũ Tabernaculorum religiose obseruatum à Iudæis recens in patriam reuersis.

VIII. Vers. 5. *Et post hæc, holocaustum iuge, &c.* Holocaustum iuge vocatur, quod scilicet nunquam intermittebatur, pro aliis sacrificiis &c. *tam in Kalendis &c.* id est Neomeniis quæ celebrantur in principiis mensium, *quam*

Holocaustum iuge seu quotidianum sic dictum quod nunquam

quam intermitteretur pro aliis Sacrificiis, in quacumque celebritate, nec illis etiam diebus quibus spõtanea offerebantur victima.

in vniuersis solemnitatibus, &c. id est A Paschæ, Pentecostes, tubarum, expiationis, Tabernaculorum, ideò iuge dicebatur, aut sempiternum holocaustum: porrò iuge istud sacrificium, primum locum, & tempus sibi vendicabat, in quacumque solemnitate, & hoc est quod textus indicat, nimirum, postquam initiatum est, & consecratum altare, nunquam postea emissum fuisse, illud sacrificium, etiam in Kalendis, siue Neomenis, & aliis solemnitatibus, quas colere consueuerunt Hebræi, illis etiam diebus in quibus spontaneæ offerebantur victimæ, quarum magnus & frequens numerus B esse solebat, de iugi autem sacrificio, & illius ritu, in sacrificando, aliisque multis quæ quotidianum illud sacrificium comitantur, sic habetur Num. 28. vers. 3. *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis annos anniculos immaculatos duos, in holocaustum sempiternum vnum offeretis manè, & alterum ad vesperum, decimam partē Ephi simila, quæ conspersa sit, oleo purissimo, & habeat quartam partē Hin, holocaustum iuge est quod obtulistis in monte Sinai, in odorem suauissimum, incensi Domini, & libabitis vini quartam partem Hin, per agnos singulos in sanctuario Domini.* C

IX. *Tam in Kalendis quam in vniuersis solemnitatibus Domini &c.* Notum est Kalendas, seu Neomenias, dici primos dies, cuiuscumque mensis, in quibus licet à seruili opere abstinendum non esset, ex Lege, apud Iudæos tamen religiosi erant, & peculiaribus quibusdam sacrificiis celebres, de quibus solemni, ac legitimo clangore, populus admonebatur: sic enim Numer. cap. 10. vers. 10. sancitū reperies, *si quando habebitis epulum & dies festos & Kalendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri.* Cuius autem rei potissimum recordarentur Iudæi, cum tu- D barum audirent clangorem, vel cum ineunte mense sacrificiis interessent, sic explicat sanctus Thomas T. 2. q. 102. art. 4. ad 10. Alia, inquit, solemnitas iterabatur quolibet mense, scilicet festum Neomeniæ, quod celebrabatur ad commemorandum opus, diuinæ gubernationis, nam hæc inferiora præcipue variantur secundum motum Lunæ, & ideo celebrabatur hoc festum, in nouitate Lunæ, non autem in eius plenitudine, ad euitandum Idololatrarum cultum, qui in tali tempore, Lunæ sacrificabãt: ergo ex interpretatione sancti Doctoris primo die mensis, qui nouilunium seu Neomeniæ, id est nouus mensis, aut mensis exordium dicitur, quia Hebræi à Luna mensium ducunt initium, recordabatur populus, beneficii gubernationis, sicut singulis Sabbatis, creationis memoria renouatur.

Festum Neomeniæ primo quoque die celebrari solitum apud Hebræos memoriam illis ingerebat diuinæ gubernationis rerū omniū huius mundi.

Vers. 6. A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino, &c. His verbis, apertè significatur, antiquum holocaustorum, & sacrificiorum, vsum, fuisse planè restitutum, sumpto initio, à primo die mensis septimi, quia scilicet, hinc primo fuit erectum altare holocaustorum, ante cuius erectionem, non poterant eiusmodi sacrificia offerre: Quodnam autem fuerit illud holocaustum quod primo die immolatum fuit, an iuge, aut pacificum, siue pro peccato, dubium est inter authores, nec constare liquido potest, illud tantum habemus, primo die Septembris cœpisse Sacerdotes sacrificale negotium, extructo fortè raptim altari vt fecerunt ante, non semel Hebræi, è terra, cespite, aut impolito lapide, deinde vero pro festo Tabernaculorum, quod post quindecim dies peragendum erat, instructum est aliud, opere firmiori, & suis impositum basibus; Porro Iudæos credo commouit, ad inchoanda sacra primo die mensis septimi, & diei, & mensis illius peculiaris sanctitas; erat enim mensis ille septimus, magna ex parte sacer, & primus dies duplici nomine festiuus, tum quia in illo erat Neomenia, singulis mensibus, vt proximè diximus, antiqua religione venerabilis ex lege lata Deuter. cap. 28. v. 11. tum maximè, quia dies primus septimi mensis præcipua quadam religione celebrabatur, dicebaturque dies tubarum, seu clangoris, quique propter celebritatem, Sabbatum appellatur memoriale, de quo Leuitici cap, 23. v. 14. *Mense septimo prima die mensis erit vobis Sabbatum memoriale clangentibus tubis & vocabitur sanctum:* Nempe Hebræi putant eo die liberatum Isaac & eius loco suppositum arietem, atque ideo tubis corneis celebrari, diem illum, vocarique memorialem, quia liberati Isaac memoria recolitur.

Primus dies septimi mensis dictus dies tubarum seu clangoris & Sabbatum memoriale quod eo die liberati Isaac memoria recolitur.

XI. *Porro templum Dei nondum fundatum erat &c.* Hic consequenter, agitur de templi fundatione, postquam scilicet primum omnium extructum fuit alta-

tare, ne diu differrentur sacrificia, siue A statim initio firmiori opere, siue tantum è terra aut cespite vel imposito lapide, subsisterit. certè erecto firmius altari & super bases suas imposito ante festum tabernaculorum coque, tandem peracto de reliquo opere, eoque præcipuo cogitari cœptum est sedulo: accinxerunt itaque, se, mira consensione, ex Iudæis viri principes, & reliqui ex promiscua turba, ad sacram templi fabricam, & quod antea Salomon, illi modo consilium inierunt, ad materiæ templi præparationem & hoc est quod textu proximè sequenti enar- B ratur.

V. 7. *Dederunt autem pecunias latomis, & cæmentariis, cibum quoque, & potum, & oleum, Sydoniis, Tyriisque, vt deferrent ligna cedrina de Libano, &c.* nimirum cum Iudæi, latomos, cæmentariosque, mercede conduxissent, ex Tyro ac Sidone asciuerunt artifices, qui ligna cæderent, eaque ad Ioppem vsque, à Libano deducerent, horum autem, merces fuit frumentum, vinum, oleum, quibus rebus, carent Sidonii, & Tyrii, abundat autem terra promissionis, sic fecerat Salomon Hi- C ram Regi Tyri, pro lignis habendis, & deducendis, per mare, ad ædificationem prioris tépli, vt habetur 3 Reg. & v. 10. *Ad mare Ioppe, &c.* Ioppe est portus supra mare Mediterraneum, ad quem ducebantur ligna, per mare, & inde ducebantur in Hierusalem, per terram, in vehiculo, qui portus est propinquior Hierusalem. Addit hoc loco Dionysius Carthusianus *Ioppe* vrbem esse antiquam quæ à *Iapheth* filio *Noe* perhibetur fundata: *Iuxta quod præceperat Cyrus Rex Persarum eis &c.* De hoc Cyri edicto, siue præcepto, ad templi fundationem, & sacræ fabricæ molitionem spectante, iam superius D cap. 1. & inferius, adhuc, cap 6. v. 3. & 4. explicatius recensetur, vbi sigillatim templi materia, magnitudo, & forma, à Cyro describitur.

V. 8. *Anno autem secundo aduentus eorum ad templum Dei in Hierusalem &c.* Annus hic, qui cẽsetur secundũ Chronologos recẽtiores circiter ab orbe cõdito 3518. sextæ ætatis 2. solutæ captiui-

XII. *Annus secundus aduentus Iudæorum in Hierusalem prima* 2. Zorobabelis Ducis & Iosue Ponti. 2. Cyri & imperii Persarum 2. Olymp. 61. annus 1. vrbis conditæ 217 prima templi fundatione, post solutam captiuitatem Babylonicam, admodum celebris est, prima inquam fundatione, quoniam secundus Darii annus, altera *Temp'i fundatione celebris.* fundatione celebratur, apud Aggæum Prophetam, de qua inferius dicetur; *Anno igitur secundo aduentus eorum mense 2. &c.* in 3. Esdræ, cap. 5. v. 57. additur, *in nouilunio secundi mensis*, sicut etiam habetur in Græco Sixti, vt rectè annotauit Salianus, *Cœperunt Iudæi ædificare aut iacere fundamenta templi*; Ad id enim tempus parauerant latomi, & cæmentarii, materiam necessariam, locumque perpurgarant, vt congregato populo, nulla esset mora, in primo lapide rite deiiciendo quanquam credibile est, magnam antiquorum fundamentorum partem, & ab incendio, & à Babyloniorum machinis, integram, incorruptamque perstitisse, & hęc authoris proximè citati non improbabilis est coniectura, nondum enim, inquit, supra vniuersam templi fabricam, tristem illam vocem, Math. 24. emiserat Dominus, *non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur &c. Mense secundo &c.* Is mensis est iuxta Hebræos, Ijar, Aprili ferè respondens, quo mense, opus inchoarunt, & è Leuitis præsides, & architectos constituerunt à viginti annis & supra qui vrgerent opus, neque trigere finerent, id quod à Cyro, immo quod a Deo ipsis fuerat imperatum, *a viginti annos* inquit *& supra*, licet ex lege Num. 8. à viginti quinque annis, primum & supra, consecrari solerent Leuitæ, & ad ministerium suum applicari, quæ quo pacto conciliari possunt, dicemus inferius: cum autem supra dicatur Iudæos 7 mense venisse in Hierusalem, hic vero, 2. anno aduentus eorum, mense 2. opus Templi inchoasse, patet per septem menses, lapides, cæmentum, ligna, & cætera necessaria, parauisse: octauo autem incipiente mense, operari cæpisse: sex enim erant menses anni primi, & septimus sequentis.

V. 10. *Fundato igitur a cæmentariis templo Dei steterunt Sacerdotes in ornatu suo cũ tubis &c.* qua tandẽ cæremonia, aut iacta, aut reparata fuerint templi fundamenta, pergit explicare sacer author, fundato inquit templo Dei, id est, dum fundaretur, vt clarius est, in Hebræo, steterunt Sacerdotes in ornatu suo, cum tubis, scilicet ex communi hominum, & præsertim Iudæorum vsu, cum cantico, & plausu, & precationibus faustis, fundamenta templi demissa sunt, sic fieri aliquando, nostra ætate, cum magna aliqua, & su- XIII. *Cum acclamationibus & precationibus faustis iacta Templi fundamenta.*

perba moles excitatur vt auspicato inchoata, fœlicem, & expeditum sortiatur exitum, bene hic aduertit Sanctius, qui sic factum putat, in Salomonis templo sicque accidisse in eodem iam absoluto, cum dedicatum est, & sanè, vt idem ille obseruat, in rituali; seu in Pontificali Romano, etiamnum hodie, forma proponitur, iuxta quam prima domus fundamenta sacrari quodammodo, atque atque initiari solent, quod autem fundatum hoc anno vulgo ab authoribus dicitur templum interius, id est domus Domini, vt putat Beda, & probat Toletus, in illud Ioan. cap. 2, *quadraginta sex annis ædificatum est templum*, sic intellige, fundatum dici templum, cum iacta sunt fundamenta, quæ futuri templi molem vniuersam sustinerent: licet tota illa fabrica nondum esset ad extremum fastigium perducta, aut fundamenta ipsa ad summam altitudinem prouecta.

XIV. *Et Leuitæ filij Asaph in cymbalis vt laudarent Deum, &c.* Nimirum, cum apertis iam fundamentis, primi demissi sunt lapides, confestim accessere tubicines & psaltæ, ex ordine Leuitico, vt laudarent Deum, solemnesque, ei gratias agerent, quòd rem eo deduxissent, vt tum renouati, atque instaurati Templi, vestigium aliquod, & initium appareret, quod ad Leuitas attinet, de quibus hic agitur, & superius textu 8. obseruat hic Sanctius eruditè, ex Abulensi, in caput octauum Numerorum ex Lege (quod iam proximè monuimus) consecrari quidem solitos Leuitas, anno vigesimo quinto, vt opus docerentur Leuiticum, illique assuefierent, anno vero trigesimo, incepisse datum sibi munus obire legitime, quod ante non poterant, quodvero nunc Leuitus ab anno vigesimo id datur negotij, & operis, vt molitionem vrgeant hæreantque laborantibus assiduè nihil decreto legis aduersari, vrgere siquidē opus illud, cuiuis cōcessū esse, etiāsi sacro alteri ministerio addictus sit: & sanè artifices ipsi, qui erutam, cæsamq; materiam, tractabant, Leuitæ non erant, & rei aliquomodo sacræ, aut saltem sacrandæ, operam dabant, quare ex hominum designatione, constitutos fuisse Leuitas ab anno vigesimo, non ex diuina Lege, censendum est, quin & Samuel, ab infantili ætate, addictus est Templo, vt seruiret Sacerdoti, sed cum nullum obiret sacrum

Ex hominum designatione non ex diuina lege constituti sunt Leuitæ ab anno vigesimo & supra vt vrgerent opus Templi.

A ministerium, non est à Templo, aut famulari ministerio depulsus; sic ille.

XV. *Per manus Dauid Regis Israel, &c.* scilicet, psalmos compositos à Dauide canebant, *Leuitæ filij Asaph*, vel certe, quia Dauid in collocatione arcæ, principem fecit, ad confitendum Domino, Asaph, *& fratres eius*, vt verba dierum testantur, de quo rursum dicitur, quia *filij eius sub manu ipsius erant prophetantes iuxta Regem*, merito hic cum filii Asaph laudarent & confiterentur Domino per manum Dauid, id est iuxta dispositionem eius, siue ordinem, ab eo institutum, hoc fecisse in- B telligendi sunt.

XVI. Vers. 11. *Et concinebant in hymnis & confessione Domini, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. &c.* Ex his verbis, constat, fuisse Psalmum Dauidis 117. quem alternatim canerent Iudæi, alternatim inquam, nam & pro eo, quod in textu est, *concinebant*, Hebræa, & 70. habent, *respondebant*, Saliano quidem videtur, Esdras alludere ad Psalmum 135. cuius initium est: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius*, in quo vicies & septies repetitur, *quoniam in æternum misericordia* C *eius*, alij ferè, cum Vatablo, de Psalmo 117. sentiunt, cuius idem est initium, concinebant autem Psal. 117. qui in gratiarum actionem legitimo ritu adhiberi solebat, sicut in multis scripturæ locis, vbi similis occurrit occasio, cantari aut solet, aut præcipitur, sic lib. 2 Paralipom. cap. 7. vers. 4. & iterum vers. 6. quasi solemne esset canticum, cantasse dicitur populus, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius, &c.*

Psalmus 117. in gratiarum actionem solemni ritu ab Hebræis cantari solitus.

XVII. *Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quod fundatum esset Templum, &c.* Quemadmodum in magnorum operum D constructione, & in ingentibus fabricis moliendis, clamores excitari fere soleant & festiui plausus, iam ante diximus, cum igitur Sacerdotes & Leuitæ siue Psalmum 135. siue 117. in gratiarum actionem, aliis sæpè locis vsurpatum, cantarent, à simili laude festiuoque cantu temperare sibi non potuit reliquus populus, cum videret, eius Templi, iacta fundamenta, de cuius instauratione, diu multumque desperauerat vociferabantur itaque clamore magno, Dominumque læti, atque hilares collaudabant, quod nimium, deside-

desideratissimam illam viderent diem. A in qua instaurationi Templi, daretur initium, & vero in Græco habetur, *collaudantes Dominum in suscitationem Templi Domini.*

Vers 12. *Plurimi etiam de Sacerdotibus & Leuitis & Principes Patrum, &*
XVIII. *Seniores, qui viderant Templum prius, cum fundatum esset hoc Templum, in oculis eorum, flebant voce magna, &c.* Flebant plurimi, qui viderant Templum, quod scilicet conflagrarat, sexaginta circiter ante annis, 11. post captiuitatem Ioachim, & de Iudæis è captiuitate reuersis, non pauci, ad hanc retro B ætatem pertingere poterant, sed consulere hic opus est lectionem 70. & Hebræam, ad obscuritatem retegendam verborum sequentium, *cum fundatum esset*, vno verbo, iuxta vtramque oportet, hæc intelligi, de fundamentis noui Templi, non deprimi, quod à Salomone fundatum erat, ante 500. annos, ac proinde cuius erectioni nemo superuixerat cum fundatũ esset, id est, cum fundaretur nouum Templum, flebant &c. non ex lætitia, sed tristitia, quia opponuntur iis, alii mixtim lætantes, causa erat, quod viderent fundamenta noui Templi, non C promittere tantum splendorem quantum prius à Salomone magnificè conditum, & ex eo etiam quod nouerant Templum illud Salomonicum olim tam splendidum & cuius maiestas ac pulchritudo toti fuerat orbi terrarum admirabilis pro suis sceleribus esse destructum. Hic vt vides conciliandus locus Aggæi 2. cap loquentis. de hoc secundo Templo, quasi fuerit priori magnificentius, per hæc verba, *adhuc modicum & veniet desideratus cunctis gentibus*, de Christi in hoc Templum ingressu & præsentia, siue iterum destructum fuerit & ab Herode reædifi D catum siue non. nam potest semper idem dici. Adde quòd vt notat Glossa, hæc verba Aggæi, de 2. Templo prophetãtis, *Erit gloria domus istius nouissimæ magis quam primæ*, non tam ad magnitudinem, vel ornatum domus, quam ad rem ipsam pertinent, quia scilicet maioris miraculi, & euidentioris virtutis Dei fuit, vt paucæ captiuorum reliquiæ, inimicis etiam resistentibus, tantum opus perfecerint, quàm quod Rex opulentissimus Salomon, scilicet, nullum omnino aduersarium habens, id est nullo reluctante, cum adiutorio, Hyram Regis prout voluit fecerit, & hic est sensus litteræ Esdræ, valde accommodus.

Qui prius Templum à Salomone fundatum viderant flebant cum iam fundaretur, quod ex fundamentis colligerent non fore tam splendidum quam primum.

Quomodo Hæc Aggæi verba ad literam commode intelligantur Erit gloria domus istius nouissimæ magis quam primæ.

Et multi vociferantes in lætitia eleuabant vocem, &c. Bene additur sequenti versu 13. eoque totius capitis vltimo, non potuisse quenquam agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi. Permixtus enim erat sonitus, vndequaque, ex lætitia, & cantico, & ex lamentatione, atque clamore lugubri, confusus. gaudebant quidem iuniores sed illorum gaudio & canticis, aliquid amarum, & triste, seniorum fletus admiscebat. Ratio vero dolendi ea fuit (vt iam superius innuimus) quod cùm nonnulli, ex his qui à captiuitate redierãt, antiquũ Salomonis Tẽplum vidissent, cuius splendor & eximia admodum species adeo omniũ hominum mentes perculerat, & ex fundamentis tenuioribus, quæ iacta erant, agnoscerent, quale Templum esset futurum, quod illi præclaræ atque angustę, moli succederet, temperare sibi à lachrymis non poterant, neque ab animi sui sensu impetrare, quominus erumperet, & in gemitus vbertim sese effunderet, rediisse vero non paucos è Babylone in Iudæam, ex iis, præsertim qui cum Ioachim, & Iechonia, & Sedecia, abducti fuerant in captiuitatem, dubitari vix potest, illi siquidem qui cum Sedecia transmigrarunt, tantum quinquaginta annos in exilio posuerunt cum ipse Sedecias anno ab incœpta transmigratione decimo octauo abductus fuerit, & sane, vt notat hic Sanctius Esdras vtrumque vidit Templum, qui natus Saraia Sacerdote magno, quem Nabuchodonosor, eodem tempore occidi iussit, quo Templum exussit, & Daniel, qui tamen cum Ioachim, octodecim ante annis Babylonem abiit & Mardocheus qui cum Iechonia missus est in exilium. Hinc est quod in Græco libro 1. cap. 5. & 3 Esdræ cap. 5. vers. 63. sic habetur, *Et venerunt ex Sacerdotibus & Leuitis & Senioribus qui viderant pristinam domum & ad huius ædificationem cum planctu & clamore magno, &c.* Idem affirmat Iosephus lib. 11. antiq. cap. 4. Cum, inquit, Sacerdotes & Leuitæ & Seniores Prouinciarum vetus recordarentur Templum ingenti magnificentia conditum, & nouum viderent per inopiam, non ita constructum, arbitrati quantum à priore felicitate minores existerent tristes ac dolorem minime tenere valentes, ad lachrymas lamenta-

XIX. (margin, beside "*Et multi vociferantes*")

Quinam præsertim è Iudæis reductibus videre potuerint vtrumque Templum.

tationesque prorupeturt, &c.

Locus Zachariæ explicatus de mæstitia Iudæorū in fundatione Templi.

In eam rem, recentiores quidam interpretes accommodant verba illa Zachariæ satis obscura cap. 4. vers. 10. *Quis enim despexit dies paruos?* qui proximè & immediatè consequuntur prophetiam, de absoluendo Templo à Zorobabel vers. 9. *Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam, &c.* Quis enim despexit dies paruos? sic vt dies paruos intelligi velint de initiis, in quibus cœpit Templi structura consurgere, quæ quidem tenuia fuisse, satis ex textu constat, vnde exigua fuit populi lætitia, siquidem maior seniorum pars, profusis lachrymis primi Templi iacturam flebat & posterioris imparem splendorem condolebat, ita vt iuuenum acclamationes, lugubri senum permixta mœstitia, paruæ fuerint, atque ita iuxta Zachariam, erant tum temporis, dies parui, vel Hebraicè, Ketanoth, paruarum, puta consolationum, aut popularium acclamationum. Ita censent Vatablus, Montanus, Isidorus, Pagninus, fauet etiam Chaldæus, qui sic vertit: Quis est iste qui contempsit diem hanc, eo quod ædificium sit exiguum, nonne conuertetur & lætabitur quando viderit lapidem perpendiculi in manu Zorobabel? Arabicus quoque proxime accedit, ad hanc mentem, dum sic ait, quis est qui deridebit Zorobabel in diebus tuis? &c.

X X.

Vers. 13. *Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi, commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul, &c.* Mirabilis profecto fuit iste clamor, & fletus & lætitia, in tantum (vt est in Græco) vt populus non audiret, tubas, propter planctum populi, clamor erat ab interno exultantis simul, ac gementis animi motu, planctus propter ruinam Templi prioris, lætitia, propter spem eiusdem quasi reuiuiscentis, clamor erat laudantium Deum de præsenti rerum statu, & gemētium de culpis, quibus Deum, ad tantam contra populum suum compulerant, seueritatem, plangebant illud oraculum, illud sanctum, Sanctorum, tanto tempore omnibus sordibus inquinatum fuisse, in quo, tot sæculis steterat solium gloriæ Dei, & illud sacrarium, in quo vix semel in anno, ipsi

Peculiares causæ fletus, & lætitiæ simul, in Iudæis secundi Templi fundamenta spectantibus.

A summo Pontifici, in infulis suis, omnique sacro apparatu, patebat aditus, impiorum ac profanorum hominum cursibus, & bestiarum saltibus patuisse, plangebant, auream, & marmoream illam ædem sanctam, illud vestibulum admirandæ altitudinis, atque pulchritudinis, in terram deturbatum; cuius vix ipsa vestigia superessent, illa propylæa illas turres, atque propugnacula, plangebant, multiplicia illa atria, longe latéque patentia Leuitarum, Israelitarum, & Gentium, ita concidisse, vt antiquæ magnificentiæ indicia potius quam reliquiæ superessent, & B voce lugubri Hieremiæ Threnos, & complorationes integrabant, dicentes, *Quomodo sedet sola ciuitas, &c.* Lætabantur tamen aliunde, iidem seniores aliique, quod cum plurimi in ciuitate decessissent, sibi diuinitus in patriam reditus contigisset, lætabantur iuniores, ad quorum ætatem spes futuræ fœlicitatis pertinebat, lætabantur omnes de propensa tanti Monarchæ, Cyri videlicet, erga se voluntate & beneficentia, & quod caput est, de diuino erga se numine reconciliato. Itaque tot animi motus, magnum excitabant Iudæorum clamorem gemitu, lætitiaque confusum &c. Sic ferè Salianus in C Annalibus Ecclesiasticis ad Annum mundi 3518. num. 3. & 4. Ad extremum hoc addo, sicut qualitas vocis diuersos in diuersis hominibus mores indicat, iuxta regulas Physiognomiæ, raucescens quidem molles ac deliciosos, aspera & absona, duros & agrestes, acuta & intensa, timidos & fugaces, grauis & magna, detractores & conuitiatores, media & temperata, compositos & suaues: Ita eiusdem vocis in eodem homine differentia, diuersos indicat animi effectus, clara quidem & æquabilis lætitiam & spem, obtusa & intercidens tristitiam & timorem: Vnde D quando plures eodem vocis sono vtuntur, facile idem omnium affectus vel lætitiæ vel tristitiæ indicatur, quemadmodum vice versa si in magno aliquo clamore, clara pariter & obtusa vox promiscue coniūgatur, vix lætitiæ tristitiæque affectus discernentur, quod hic accidisse cum Templum reædificaretur narrat Esdras aliis scilicet è plebe præ lætitia plaudentibus, aliis verò præ tristitia plorantibus.

Diuersæ vocis qualitas & conditio diuersos in hominibus mores indicat.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis tertij.

Interpretatio Allegorica in hæc verba versicul. 1.

Iamque venerat mensis septimus, & erant filij Israël in ciuitatibus suis. Congregatus est ergo populus quasi vir vnus in Hierusalem, Mensem septimum, quo congregatur populus in Hierusalem septiformem gratiam, Spiritus sancti significare, cuius præsidio, firma sedes ac statio figitur, in pacis ac quietis domicilio, quæ est Hierusalem mystica ac cælestis.

I. DE septimo mense qui totus præ cęteris mensibus legali obseruatione solemnis erat apud Hebręos, iuxta Bedam diximus, in litera consentaneum fuisse Iudæorum pietati qui de captiuitate ascenderant vt cùm primo suas ciuitates singuli cum pecudibus & pecunia quam attulerant intrassent, atque in his mansiones sibi, suisque congruas prouidissent, mox omnes pariter in Hierusalem confluerent, eoque anni tempore quo olim templum ipsum cum altari & omnibus B vasis eius consecratum esse perhibetur, & quo ad diem dedicationis eius annuatim venire populus consueuerat. Ad altiorem autem sensum si conuertimus orationem, & quid mensis septimus quo superiora, quæ in textu memorantur, contigerunt, mysticè significet, inquirimus, dicendum est, eodem authore mensem illum septimum, rerum euentu, tam solemnem, ac celebrem Iudæis, gratiam Spiritus sancti quæ in Isaia Propheta, cap. 11. & in Apocalypsi cap. 5. septiformis describitur, satis apertè insinuare, cuius beneficio è seruitute filiorum Diaboli, in C libertatem filiorum Dei transcribimur, vt hæreditatem salutis, quod ait Paulus, capiamus. In illo videlicet mense septimo, typicè adumbrato, post captiuitatem, de ciuitatibus nostris, in Hierusalem conuenimus, cum post ablutas sordes, erroresque vitiorum, post inchoata præsidia operum bonorum, maiore eiusdem Spiritus gratia illuminamur, atque in amore supernæ

Mense septimo conueniunt in Hierusalem Iudæi omnes quasi vir vnus mysticè & spi-

A pacis, quæ in vera vnitate continetur, accendimur, Hierusalem, quippe, visio pacis dicitur, de qua, item percommodè ad hanc Allegoriam, Psaltes Regius Psalm. 121. *Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum: rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem:* Nec mirū quod, Omnis Israel quasi vir vnus septimo mense in Hierusalem conuenisse, dicatur: Hoc enim quotidie in spiritali Israel agitur, cum per gratiam sancti Spiritus, omnes per orbem electi, vna eademque fide Deum colunt, vna & non dispari electione, ad gaudia perpetuæ pacis ac fidelitatis anhelant, hoc est, cum cœlum cogitant ac suspirant ardentius, cum æternam fœlicitatem mente reuoluunt iugiter, cum beatarum mentium, pacem, vnitatem, concordiam, sibi ob oculos ponunt assiduè, atque hæc in quantum valent, etiam in præsenti, alterutrum se se diligendo ac sufferendo imitantur, quod autem v. 6. *A primo die mensis septimi cæpisse dicuntur Iudæi holocaustum offerre Domino.* II. Licet in eo mysterium quoque hoc agnoscere, quod ad ea quæ iam diximus appendicis loco sit, nimirum, cum per septimum mensem septiformis gratiæ spiritalis illustratio designetur bene dici *A primo die mensis cæpisse offeri holocaustum*, quia ab ipso exordio diuinæ inspirationis necesse est humanam conscientiam immutari, ac neglectis infimis delectationibus, ad ea quæ Domini sunt sola cogitanda, atque agenda inardescere, sic *A primo die mensis septimi*, hoc est, à prima illustratione gratiæ cœlestis, olim offerebant holocausta virtutum, Domino,

ritualiter, cum electi omnes per gratiam Spiritus sancti vna fide Deum colunt, & ad Hierusalem cœlestem mutua omnes charitate aspirant.

Primus dies mensis septimi, primam significat inspirationem Spiritus sancti & illustrationem gratiæ cœlestis quam illico sequi oportet vitā

mens immutetur & in holocaustum Deo offeratur. qui superueniente in igneis linguis Spiritu sancto, mox velut ab eo quod fuerant immutati, nouis iam intimi amoris facibus ardere, & omnium linguis gentium, magnalia Dei prædicare cœperunt, atque adeo sunt hoc holocausto dediti, immo ipsi holocaustum facti vt facilius occidi ab eis qui contraria sapiebant quam à sua intentione possent reuocari, nec mysterio item vacat quod idem mensis septimus, apud Hebræos nouus annus vocatur, quasi suo ipso nomine indicaret, per donum sancti Spiritus fidelibus concedi vt mandatum nouum, mutuę dilectionis implere, & canticum nouum supernæ laudis, in ædificatione domus Domini valeant resonare: De cuius mensis, legali obseruatione, ita præcipit Dominus Leuit. 23. *Mense septimo prima die mensis erit vobis Sabbathum memoriale clangentibus tubis & vocabitur sanctum, omne opus seruile non facietis in eo, & offeretis holocaustum Domino*: Quod mysticè sic interpretatur Beda iam citatus Sabbathum memoriale, id est, requies erit prima mensis huius die cum mens accensa diuinitus A à temporalibus se se illecebris abstinuerit, & in contemplanda Dei voluntate contenderit, clangunt tubis Sacerdotes cùm fideles eam quam cœperint flagrantiam internæ suauitatis, etiam proximis prædicare satagunt. Opus seruile non fit in tali Sabbato, cum ab omni delectatione, & contagione peccati, quantùm in hac vita fieri potest, se mens, placendo Deo, immunem seruauerit: Seruile namque opus esse, peccatum ipsum. Christus ipsemet asseruit in Euangelio cum dixit Ioann. 8. vers. 14 *Omnis qui facit peccatum seruus est peccati*: Atque B adeo rectè holocaustum Domino in eodem Sabbato offertur, vti lege præcipitur, quia nimirum ille veraciter à seruitute peccati liber redditur, cuius totum cor igne amoris accenditur, quod holocaustum sonat, hoc est totum incensum, sed de holocausto ex lege præscripto ad diem primum mensis septimi & eodem die à Iudæis reducibus in Hierusalem oblato nos rursùs infra & fusius paulo alia dissertatione.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis tertij.

Allegoria in hæc verba vers. 3. *Collocauerunt autem altare super bases suas, &c. Quid erectum altare super bases suas, significet, nempe, Non communiri Dominicæ fidei sacramenta nisi animus Doctorum industria ac studio excultis ac præparatis.*

III. Ollocauerunt sanè exstructum altare, super bases suas Iudæi, non aliam ob causam quam vt firmius consisteret, nec facile collaberetur, hoc breuiter ad literam: Nec vero diutius hæreo, vt quid altare typicum sit, quid bases mysticè significent aperiam: Nimirum quod satis subtiliter atque ingeniosè commentatur item in hunc locum Beda, referre non vereor, atque in pauca sic contrahere; altare, res ipsas diuinas, ac fidei sacramenta, bases, electos ipsos, ac fideles in bono C constantes atque erectos repræsentant. Bases itaque altaris, seu super quas altare collocatum est, inquit prædictus author, sunt corda electorum, ad suscipienda fidei Dominicæ sacramenta, præceptis magistrorum præcedentium, quasi fabrorum ferramentis præparata; sic ille, vbi addit: Et bene vnum altare memoratur, cum plures sint quæ altare portent ac suffulciant bases, quia scilicet, *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma*, vt ait D. Paulus Ephesiorum, 4. sed multa sunt corda fidelium, quæ vna veritatis regula instituta, quasi æqualem collecta in sinum communi deuotione cœlestium onus portant sacramentorum. Alio-

quin qui minus instructis, & necdum vitia pristina deserere curantibus fidei sacramenta committit, (quod summo cauendum est opere) quasi altare Domini, in terram sine basibus ponit, id est, quasi terrenis adhuc mentibus, & peritura solum spectantibus, quæ sunt cœlestia minus prudenter tradit. Crediderim ego eò referendum illud Christi Matthæi 7. vers. 6. *Nolite sanctum dare canibus, neque projiciatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos:* In quibus verbis, idem significat, sanctum, quod margaritæ scilicet pretiosam cœlestemque doctrinam Euangelii, mysteria fidei & veritatis, & consequenter etiam Ecclesiæ sacramenta, nisi mauis cum sancto Chrysostomo per sanctum, accipere Baptismum & Eucharistiam quæ nō debet dari canibus & porcis, id est immundis & indignis. Per Margaritas, mysteria veritatis inclusa, diuinis verbis in maris profunditate, id est sanctæ Scripturæ altitudine: Vetat ergo Christus doctrinam fidei & sacramenta canibus & porcis tradi, hoc est summe immundis & peruersis, atque in scelere suo obstinatis: illi enim propter immūditiam suam porcos referunt, hi propter rebellem velut oblatrationem canibus similes esse produntur. Congruit, autem huic loco quem mysticè interpretamur de Altari super bases erecto quod in Euangelio etiam Dominus ait Matthæi 5. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. sicut enim Christus Dominus altare vocatur, quia nos ab iniquitatibus nostris emundat, quia vota

Euangelij doctrinam & sacramenta prohibet Christus tradi immundis & in scelere obstinatis, cum vetat sanctum dari canibus & projici Margaritas ante porcos.

IV. Christus & altare, & lucerna mysticè dici potest.

A orationum nostrarum suscipiens patri commendat, sic etiam lucerna potest non inconuenienter appellari, quia in testa assumptæ humanitatis, lumen imposuit æternæ diuinitatis: Supponuntur autem bases altari, supponuntur lucernæ candelabra, cum fideles quique sua corda, siue corpora, ad exercendum operando quod credunt humili intentione submittunt. Bene etiam, postquam dictum est Iudæos collocasse altare super bases, ibidem adiungitur, *Deterrentibus eos per circuitum populis terrarum*: vt significetur, sanctis actionibus, ac religiosis, fidelium in-

B cœptis, nō defuturos qui sese opponāt, sed adfuturam illico, contradictionem nefandorum, vel spirituum, vel hominum, qui opus bonum, ne perficiatur, impedire, omni studio atque opere contendant, illi nimirum sunt qui populi terrarum vocantur, ad distinctionem eorum videlicet, qui dicunt, Philipp. 3. *Nostra conuersatio in cœlis est*: Illi sunt qui veros Israëlitas à studiosis actionibus ex quibus spiritualis animæ ædificatio consurgit, deterrere conantur: sed quamuis populi terrarum deterreant, necesse tamen est, ciues Hierusalem, hoc est, ciues & incolas supernæ ciuitatis, in spe, ci-

C ues Sanctorum, & domesticos Dei, cœptis semel virtutum operibus fortiter ac constanter insistere, quod & Iudæi reduces in Hierusalem reapse præstiterunt altari iam erecto & super bases suas constituto, vnde sequitur, *Et obtulerunt super illud holocaustum Domino mane & vespere*: De quo nos infra pluribus, vt iam proximè monuimus.

Solemne ferè est vt religiosè inceptis contradicatur ab aliquibus sed illis fortiter obsistendum & persistendumque in bono.

ALLEGORIA, ET TROPOLOGIA Capitis tertij.

Morale & mysticum in illud vers. 4. *Feceruntque solemnitatem Tabernaculorum, sicut scriptum est*, De Festo *Tabernaculorum tota vita obseruando.*

V. QVoniam dicũtur Iudæi, fecisse solemnitatẽ Tabernaculorum, *sicut scriptũ est*, hoc est iuxta Moysis sanctionem, Leuitici cap. 23. contentam, vbi inter cætera, quæ speciatim obseruanda describit Moyses, primum enarrantur, præcipiunturque, septem dierum feriæ celebrandæ, ita vt septẽdialis omnino sit celebritas, vult, Hesichius allegoricè, hac Tabernaculorum festiuitate, nos reddi tutos futuri seculi, & vitam præsentem ad illud coaptare, quia scilicet totius legis summa est, non inhiare præsentibus, neque adhærere terrenis, sed scire quia inquilini, in ea, & peregrini sumus, hanc esse Christianæ perfectionis formam ac summam, hic viuere, vti in tabernaculo, per septem dies, id est, tota vita, sic vt rebus huius seculi fluxis, ac perituris, vtamur quidem, quantum necesse est, non amplius, & toto mentis desiderio, per desertum huius mundi, ad cœlestem patriam festinemus, & sacram illam Psaltis regii vocem vsurpemus, Psal. 38. Aduena Ego sum, & peregrinus, sicut & omnes patres mei, *in casulis enim habitauit Abraham, cum Isaac & Iacob, cohæredibus repromissionis eiusdem*, ait Paulus Hebræ. 2. v. 9. In eum omnino sensum, Origenes Homil. 22. in Num. interpretatur, id quod dicitur Leuit. 23. de festo Tabernaculorum, *Lætabimini coram Domino Deo vestro*, sic enim illa, *lætatur*, inquit, *super te Deus, cum te viderit in hoc mundo, in tabernaculis habitantem, cum te viderit non habentem fixum ac fundatum animum, ac propositum super terram, nec vmbram vitæ huius, quasi possessionem propriam, sed veluti in transitu positum, ad veram illam*

Christianæ perfectionis forma ac summa, hic viuere, vt in tabernaculo, in morem Aduenæ & Peregrini.

A *patriam festinantem, ac dicentem illud Psal. 38. v. 13. Incola sum ac peregrinus.* Sic Origenes, vbi, & iubet nos, præterea, considerare quomodo dies festi agantur in futuro, erigendo sensus à terra, & obliuiscendo, quæ habentur in facie, describendo, quomodo cœlum & terra transeant, transeatque hic omnis habitus, seu *figura mundi*, vt loquitur Apostolus, quomodo cœlum nouum, & noua terra fundabitur, considerando, & coniiciendo, quomodo agi possint dies festi Domini. quæ ibi festiuitas, quæ gaudia, quæ lætitiæ magnitudo, nam de spiritalibus festiuita-
B tibus vitæ præsentis, etiamsi magnæ sint & veræ, præcipuè cum spiritaliter geruntur, in anima, magna tamen ex parte sunt, non ex integro sicut enim dixit Apostolus, 1. Corinth. 13. *Quia ex parte scimus, & ex parte prophetamus.* Ita consequens est, vt ex parte, diem festum geramus, quod confirmat eiusdem Pauli testimonio scribentis Coloss. 2. *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte dies festi*: Ex parte enim, & non ex integro, diem festum in hoc mundo positi celebramus. interpellamur enim, etiamsi nolumus, ab onere carnis, pulsamur à concu-
C piscentiis eius, curisque & sollicitudinibus terebramur. Corpus enim corruptibile, vt ait ille Sapientissimus, Sap. 9. aggrauat animam & deprimit sensum multa cogitantem. Cum autem festum Tabernaculorum celebrare iussi sint Hebræi in illius memoriam temporis, quo egressi quondam de Ægypto in Tabernaculis morabantur, in solitudine, prædicante Legem Moyse, & Deo ipsi crebrius apparente, interim dum tempus idoneum expectarent quo terram repromissionis ingredi eis liceret, cum inquam indicta Hebræis esset Tabernaculorum solemnitas, ne vnquam eis excideret tanti olim concessi diuinitus beneficii

memoria; Eam nos quoque celebritatem pari deuotione nec disparem omnino ob causam spiritaliter agere conuenit: Quis enim dubitet, egressos etiam nos, per sanguinem Agni de Ægyptiaca seruitute, vt veniremus ad Terram promissionis, cum, in sacramento Dominicæ passionis baptizati, iugum graue antiquæ præuaricationis abiecimus, vt in libertatem gloriæ filiorum Dei adoptati, hæredes regni cœlestis esse possimus? An non, in Tabernaculis & tentoriis per desertum longo tempore egimus, donec in patriam ingrederemur, cum in baptismo renunciantes non solum Sathanæ, quasi Regi Ægypti, id est tenebrarum, sed & omnibus pompis atque operibus huius sæculi, velut peregrinos nos in hoc mundo ac viatores, alterius autem vitæ quam à Domino sperauimus, ciues esse promisimus. Ergo illius in spei memoriam ac promissionis, debemus, in Tabernaculis manere, id est, mundum hunc velut extraneam, alienamque plagam deserere ac fixa mente totisque animis, ad immarcessibilia Paradisi gaudia properare, & id quidem septem totis diebus, id est, toto tempore vitæ præsentis, quæ totidem diebus circumagitur, nisi diuinorum beneficiorum & datæ olim Deo fidei, per summum flagitium immemores esse volumus.

VI.

Cæterum vt per omnes aut certè præcipuas, veteris scenopegiæ, seu festi Tabernaculorum circumstantias, quas peculiari annotatione, ex capite iam citato Leuitic. 23. explicuimus, vagetur, & excurrat hæc Allegoria, celebratur sanè festum Tabernaculorum, vti par est, Christiano more septimo mense, id est tempore gratiæ, 15. die, qua fere Luna decrescere incipit, cum is qui bona huius mundi, fluxa & caduca, (quorum Luna est symbolum) esse cognoscit, ad æterna magnis itineribus, contendit: septem diebus continuis offerimus holocausta, si totos nos nostraque omnia, Deo consecramus; tum vero (quod in lege præcipitur, Iudæisque solemne erat) præ manibus, primo citrum gestamus, qui colore est aureo, id est ardentem charitatem, qua toti Dei gloriæ atque animorum saluti procurandæ incumbimus. Secundo spatulas Palmarum, quia quasi victores, terrena omnia calcamus, dum *nostra conuersatio in cœlis est*. Tertio, lignum densarum frondium, puta myr-

Malũ citriũ quod in festo Tabernaculorum præ manibus gestabant Iudæi, repræsentabat ardentem charitatem.

Spatula palmarum

A thum, id est odoriferam virtutum omnium densitatem & continuum earum exercitium. Quarto, ramos salicis virentis quia stabili firmitate in ipso virtutum statu, & virore, perseuerare debemus hi de torrente sumuntur, quia nisi crebro in lege Dei meditemur, Deique gratiam, imploremus, marcescet subito in nobis, ille animi vigor, sensimque studium omne virtutis, aut extinguetur, aut elanguescet; & quoniam harum arborum intelligentia mystica, pendet ex earum Physiologia, de qua Origenes, Theodoretus D. Hieronymus, Hesychius, Ra-

B dulphus, cæterique authores longè plurima, illud modo dicam, sanctum Hieronymum in cap. 14. Zachariæ, per lignum pulcherrimum, accipere sapientiam: per palmas victoriam, per myrthum mortificationem, per salices castitatem, *Nam Medici*, inquit, *& Physici, tradunt, quod si quis salicis florem, mistum aqua, biberet, omnis in eo frigescat calor, & libidinis vena siccetur, vt vltra filios generare non possit. Hisce ornati, in Tabernaculis huius vitæ, pariter & armati, tendimus ad domum nostram, paratam in cœlis*: Sic fere D. Hieronymus, qui & post multa ad hanc

C quoque Allegoriam pertinentia, tandem concludit, vt qui talium arborum ramis protectus fuerit, *Exerceat festiuitatem Tabernaculorum, sextum mensem transiens, qui refertur ad mundum, & in septimo agens Sabbatum spirituale, in quinta decima die mensis eiusdem, quando noctis Luna plenissima est, & omnes eius tenebræ, claro lumine resoluentur.* Iam vero D. Cyrillus Alexandrinus 17. de adorat. repræsentari scribit, festo hoc Tabernaculorum, quod celebrabatur, post fructuum collectam, seu congregationem, ipsam Paradisi habitationem, ac delicias atque

D hominis reuocationem, ad bonorum participationem quibus antea fruebatur, cum resurget, denotantibus ramis, perpetuitatem status illius, & lætitiam sempiternam, super capita beatorum, hauriendam die octauo de torrente aquam, qui torrens, Christum designat, irrigantem superis illis fluentis, colentium se animos, & qui ab Isaia cap. 66. *Fluuius pacis* appellatur, torrensque inundans, delicias cumulatissime impertiendas, victoribus peccati, secundum intellectum bene olentibus, spatiosumque & amabilem Euangelicæ vitæ fructum habentibus

terrenorum omnium victoriam & contemptum. Myrthus seu lignum densarum frondium virtutum omnium exercitium & vsum. Ramos salicis virentis firmitatem in virtute & perseuerantiã verè in spiritu celebrantium festiuitatem Tabernaculorũ.

Varia festi Tabernaculorum & arborum quas Iudæi manibus gestabant in ea festiuitate, expositiones mystica apud sanctos Patres.

VII. *Ex D. Cyrillo Alex. festiuitas Tabernaculorũ umbra fuit & imago æternæ felicitatis.*

caste demum & sancte in terra conuersantibus, minari item Deum nos ascendentibus, ad hoc festum, perniciem, Zach. 14. pœnasque non absimiles iis, quas daturi sint, persecutores & contumeliosi, ita vt eodem loco ducantur, quo hostes, qui diligere noluerint, quemadmodum Christus dixit Luc. 11. *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.* Nec omittenda est Allegoria Ruperti qui satis apposite, & eleganter, accommodat, festum Tabernaculorum, festis natalitiis, Christi Domini, *Festum* (inquit) *Tabernaculorum, quod in exitu anni celebrabatur, significabat, festum natalis Domini, quod in fine anni celebratur, tum enim lætabuntur, terræ nostræ virgineæ, puta beatæ Mariæ, fructum, scilicet Christum in Bethleem colligimus, vt fructum arboris pulcherrimæ, id est Virginis intemeratæ, Fructum, in Eucharistia ter offerimus, & sumimus, Christus enim in stabulo, & hospitio, natus est, vt hic nobiscum, quasi in tabernaculo versaretur, neque, ex eo, ad Patriam cœlestem deduceret. Adsunt & palmæ, hoc enim Christi festum comitatur & sequitur S. Stephani Martyrium, & victoria, adest & lignum densarum frondium, videlicet sanctus Ioannes, densa, & altissima mysteria, eructans, adsunt & paruuli innocentes, qui quasi salices, de torrente, fructum operum non habentes, subito per solam Dei gratiam, ad viriditatem salierunt æternæ Patriæ, & Paradisi cœlestis immarcescibilem Lauream sunt consecuti.* Et certè D. Gregorius Nyssenus, orat. de Natiuitate Domini, Natiuitatem appellans insignem solemnitatem, in qua buccinandum iu-
VIII. bet Dauid tuba cornea Ps. 80. hoc est, oratione, quam Paulus tubam vocat 1. Corinth. 14. ait, dictæ celebritatis argumentum, veræ tabernaculi exstructionis mysterium esse: *Quoniam in ea, humanum est Tabernaculum figitur, qui propter nos formam hominis induit, & tabernacula nostra, quæ morte corruerant, instaurari ab eo, qui ab initio construxerat ædificium, & propterea legem in vmbræ figuris, ante depingendo veritatem in tabernaculorum celebritate, tubis vt caneretur mandauisse:* Sic ille. Ex quibus, meo iudicio, captauit occasionem modernus author, comminiscendi asserendique, posse etiam non incommode, per festum tabernaculorum, præsertim cum octauo simul die collectæ, festum omnium Sanctorum adumbrari, quod Kalendis Nouembris celebratur tùm cùm iam collecti sunt & conditi fructus omnes, transierunt siquidem illi, ad æterna tabernacula, ex istis extemporariis, fructus arboris pulcherrimæ, beata Virgo est, spatulæ palmarum, quotquot victoriam Martyrii retulerunt palmæ enim in Apocal. sunt in manibus eorum, rami ligni densarum frondium, tum Doctores qui reuelauerunt condensa, tum Confessores alii qui se abdiderunt in claustra, & syluas; salices virgines sunt, & continentes, ad quos ordines reuocari facile possunt, sancti omnes, vt primi, sint charitate aurea prædi- ti ob citrum, quod aiunt designari per fructus arboris pulcherrimæ, nimirum illi qui ob amorem Dei proximis iuandis operam dederunt, spatulæ palmarum, martyres, rami densarum frondium, quibus volunt myrtum intelligi, quæ Veneri dicata erat, & symbolum etiam fortitudinis fuit. Cultores virginitatis & continentiæ, salices propè aquas, & sine fructu, dediti contemplationi.

Festum Tabernaculorum accommodat, festis Natalitiis Christi Domini Rupertus.

Lorin. in Leuitic. Ad festum omnium Sanctorum scenopegiā referri posse quidam volunt.

Postremum, & istud quoque ex Beda adiungo dici posse D. Paulum, Act. 28. Hanc nobis, Tabernaculorum solemnitatem, seu scenopegiam, mysticè celebrandam insinuasse, cum inter prædicandum scenofactoriæ arti vacaret: faciebat enim σκηνὰς, id est Tabernacula, vt & seipsum, incolam esse huius mundi ac peregrinum doceret, eisque quos erudiebat, peregrinandum in hac vita, in futuro autem patriam expectandam sperandamque indicaret. Tabernaculis namque siue tentoriis peregrinantes, vel iter agentes, vti solemus, quod in hac vita sanctos agere testatur, idem Apostolus, 2. Corinth 5. cum ait, *Dum sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino,* & Hebræor. 13. *Non habemus hic, manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus;* Quoniam vero, hi qui mentem perfectè, à mundo alienant, ac se ciues eius quæ sursum est Hierusalem, profitentur, mox, vniuersis in se virtutibus, aditum faciunt, rectè subiungitur vers. 5. *Et post hæc holocaustum iuge tam in Kalendis, quam in vniuersis solemnitatibus, quæ erant consecratæ, & in omnibus in quibus vltro offerebatur munus Domino.* Nimirum, vbi animus semel huic mundo perfectè nuntium remiserit, oportet vt totum se obsequio

quio diuinæ voluntatis, quod per holocaustum designatur, iugiter impendat, & hoc faciat, tam in iis exequendis, quæ Deus præcipit ac fieri mandat, omnibus, quod est, *Holocaustum offerre in solemnitatibus Domini quæ sunt consecratæ*, quam in iis, quibus, Re- A ligiosa mens, sponte Domino famulatur, quod est, diuinum sibi numen conciliare, *In omnibus solemnitatibus in quibus, vltro offerebatur munus Domino, &c.* Sed finis sit, & quidem, de mysteriis festi Tabernaculorum hæc tandem satis.

ALLEGORIA CAPITIS TERTII.

Mysticum & morale in illud vers. 6. *A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino, &c. Quid mysticè significet, holocaustum, quod obtulerunt Iudæi super altare erectum, statimatque reuersi sunt in Iudæam.*

11. OC holocaustum ad Christum, eiusque Passionem, quam pro generis humani redemptione pertulit, obtulitque, refert, mysticè, glossa ordinaria, cum hac obseruatione, digna sane quæ notetur, Notandum, inquit, quod initium quintæ ætatis (nos sextam in Chronologia nostra facimus) sicut quatuor præcedentium, oblatis Domino holocaustis consecratur. In prima enim, protomartyr Abel, primus omnium electorum, de primogenitis ouium Deo holocaustum obtulit, & ingressum nascentis seculi, primò hostiis pecorum, tandem proprio cruore dedicauit. Secundæ ætatis ortum Noë, oblatis Deo holocaustis de his quæ fuerant in Arca consecrauit. Tertiam ætatem, Melchisedech & Abraham, hic in pane & vino, ille proprio filio oblato, sacrarunt. Quartam ætatem, Dauid Domino consecrauit, ædificato altari in area Areunæ Iebusæi, & oblatis Deo holocaustis, quibus cum quem populum numerando offenderat, placaret, vbi Abraham perhibetur filium obtulisse, & post ædificato à Salomone Templo, altare holocaustorum constat esse locatum. Quintæ nunc ætatis quam nos sextam ponimus, exordium ipsum Iosue & Zorobabel, dedicarunt ædificato ibidem altari, statim atque excusso captiuitatis iugo, in Hierusalem re- B dierunt, & postea, iugi holocausto, Dominum sibi placauerunt. Hæc omnia, in figura præcesserunt eius, qui in sexta ætate, quam nos septimam, iuxta aliorum Chronologorum calculum statuimus. Hostia suæ carnis ac sanguis, totum mundum redemit. Addit Beda lib. 1. in Esdram cap. 3. postquam dixit (quod in litera monuimus magna prouisione factum, vt Iudæi primo omnium altare Dei ædificarent, vt quia Templum nondum erat fundatum haberent tamen vbi deuotionem mentis suæ ostenderent, holocaustomata & hostias offerendo. Idipsum nos & hodie spiritaliter facere C in Ecclesia, cum ante omnia in corde nostro, fidem Dominicæ Incarnationis, & Passionis collocamus, in quo videlicet corde, tanquam in altari, holocaustomata nostra, hoc est cogitationes, & opera, offerre debemus, quia nimirum ibi solummodo, vota actionum nostrarum, Deo Patri possunt esse placabilia, si sacramentis Saluatoris nostri participemus, si virtute Spiritus ipsius, quasi igne sacrosancti altaris incendimur. holocaustum namque totum D incensum dicitur, quo nomine, illa sacrificia vel hostias vocabant, ex quibus, nil in humanos vsus cedere, sed totum Deo dari & sacro igne consumi præceptum erat, quibus mysticè illorum vita fidelium exprimebatur, qui nihil proprium quærentes, omne quod viuunt, in famulatum interni arbitris impendunt, qui non solum voluptates animæ, siue corporis sui, pro Domino calcare sed &

Singulæ mundi ætates nominatissimis quibusdā holocaustis Deo oblatis sunt insignes.

Fides Dominicæ Incarnationis, & Passionis, fixa in corde, holocaustū est, spiritualium Israelitarum.

ipsam animam pro illo ponere gaudent, qui possunt dicere cum Apostolis, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis*, Matth. 19. Hoc autem holocaustum vitæ continentioris & sacratioris, in altari Deo Israël offererendum est. Quia nonnisi per fidem Redemptoris nostri, bona nostra opera, vt diximus, Deo patri possunt esse accepta: nam Diogenes, inquit, & similes, eius stultæ Philosophiæ sequaces, qui cum propria reliquissent, & nudam in seculo ac pauperem vitam gererent, Dominum non sequebantur, holocaustum quidem facere videbantur, sed hoc in altari Dei Israël, non fecerunt, quoniam à suis quidem se voluptatibus, alienos reddiderunt, sed Christum Iesum apud Patrem aduocatum habere nescierunt, sic ille. Quidni etiam holocaustum Deo offerant, qui exhibent membra, & corpora sua, hostiam viuentem sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium suum, vt loquitur Paulus, Rom. 12. vers. 11. qui Spiritum suum contritum, diuino numini, immolant, & in sacrificium ei quotidie repræsentant? denique qui totum cor suum, diuini amoris igne, incendi patiuntur? quod autem superiori versu 5. dicitur, *Holocaustum, iuge fuisse, oblatumque super altare Domino mane & vespere*: Apte ad rem nostram facit, offerimus namque, in summa, holocaustum Domino, cum stabilita in corde nostro fidei eius integra deuotione, bonis actibus operam damus. Et hoc mane ac vespere facimus, cum nos pro certo meminerimus, & initia

XII.

Holocaustum mane & vespere Deo, offerimus cum nos nec bonũ inchoare nec per-

A salutiferæ intentionis ab illo accepisse, & nonnisi per auxilium gratiæ eius, ea quæ inchoauimus bona posse perficere, ideoque illi vota gratiarum, in omnibus, cum ardenti desiderio piæ conuersationis referimus. Item mane holocaustum facimus, cum pro lumine accepto spiritalis scientiæ, conditori nostro vicem bene viuendi rependimus: Vespere holocaustum facimus, Domino cum pro requie sempiterna quam nos in illo per bona opera accepturos speramus continenti studio flagramus. Tandem, & ad literam propius, dici potest. Mane nos B & vespere, holocaustum Domino offerre, cum ita, diuinæ maiestatis obtutibus placere omni tempore contendimus, vt diluculo surgentes, non prius, ad agenda, quæ humanæ fragilitati necessaria sunt procedamus, quàm igne diuinæ charitatis inflammati ardenti oratione Domino commendemus, iuxta Regium Psaltem qui dicit Psal. 87. *Et mane oratio mea præueniet te*: Similiter completis diei operibus, non ante demus somnum oculis nostris, aut palpebris nostris dormitationem, quam locum Domino, solertiore orationum cura ac instantia, con- C secramus, iuxta id quod idem Propheta dicit Psal. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum*. Extrema hæc, si nescis Lector, aut certè his admodum similia, ne si de meo tantum sensu expressa sint minoris facias, tanquam minus subtilia, reperies apud Bedam loco supra citato.

ficere absq; Dei auxilio & gratia vnquã posse lubentes agnoscimus, cum actione gratiarum.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis tertij.

Allegoria in hæc verba vers. 7. *Dederunt pecunias Latomis & Cæmentarijs, cibum quoque, & potum, & oleum Sidonijs, Tyriisque, vt deferrent ligna Cedrina ad mare Ioppe, &c. Quinam sint in Spiritali sensu, Latomi, Cæmentarij, Sidonij, Tyrij, qui templi fabricæ operam suam commodant.*

XIII.

DIssimulare nō possum, placere mihi supra modum Bedæ Allegoriam in hunc locum, quâ Latomos, Cæmentarios, Sidonios, Tyrosque demum, qui ædificando Templo deseruiunt, operamque omnes suam impendunt nauiter, Diuini Verbi præcones interpretatur: ita enim aptè quadrant omnia, quæ in eam rem edisserit, vt inutilem quilibet operam ponat, in alio spiritali seu mystico sensu inuestigando perquirendoque: Sunt igitur, iuxta prædicti authoris mentem, Latomi, seu lapidum cæsores & fabri, in constructione domus Dei, qui proximorum animos, docēdo, & increpanda instituunt, quos dum firmo gradu, inter participes eiusdem gratiæ eandemque fidem profitentes, consistere docent, quasi quadrando circumpositis lapidibus aptāt. Et cum quadratum quocunque illud verteris stare soleat, Electorum mentes dum inter vniuersa mundi siue aduersa, siue prospera, immotæ permanserint, quasi quadratam sibi inesse figuram virtutis inuictæ demonstrāt. Certe Aristoteles in Ethicis hominem perfectum, seu perfectè studiosum virtutis, eiusque robustæ atque imperterritæ, hominem τετράγωνον, id est, quadratum vocat: Cæmentarii vero, in eadem domus domini molitione, iidem quoque sunt Doctores sancti ac præcones verbi Dei, qui dum eos quos bonis operibus instituunt, copula charitatis ad inuicem nectunt, quasi quadratos, politosque lapides, ne ordinem suæ compositionis deserant, cæmenti infusione coniungunt, dicentes illud passim 1. Petr. cap. 4. vers. 8. *Estote prudentes, & vigilate in orationibus, ante omnia mu-*

Latomi & cæmentarij in ædificatione Templi, Doctores & Præcones verbi diuini mystice significant qui in spirituali animorum structura operam suam collocant.

A *tuam in vobismet ipsis charitatem habentes*, vnde & *D. Paulus*, Coloss. 3. Postquam significauit nobis induenda esse viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam & cætera huiusmodi, subiicit: *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*: Vides nexum, vides vinculum, vides quasi cæmentum animorum, spiritum charitatis & vnionis?

Charitas cæmentum animorum

Iam de Sidoniis, Tyriisque qui cędebant ligna Cedrina de Libano, ad structuram Templi, non multo est difficilius dicere, illos referre, eosdem
B mysticos operarios, ac velut Dei in animorum salute procuranda coadiutores, vt pote qui ex officio atque instituto, homines quondam in sæculi huius pompa ac gloria sublimes, nitidos, & excelsos, malleo, & securi sermonis Dei, de statu pristinæ conuersationis deiiciunt, vt salubriter prostratos, & velut ab humore noxio, ingeniti sensus excoctos, ab omni vitiorum prauitate corrigant, atque in ornatum, siue munimentum, sanctæ Ecclesiæ sublimiter erigant, *Nunquid non verba mea quasi ignis & quasi malleus conterens petram: &c.* Aiebat olim Dominus per
C os Hieremiæ cap. 23. vers. 20. De quo typicè dici mihi videtur in Psalmo 28, qui inscribitur, In consummatione Tabernaculi, *Vox Domini confringentis Cedros*: Vox quippe Domini confringit Cedros vt consummetur Tabernaculum cum superna, inspirationis corda superborum humilianiur, vt his quoque emendatis, sanctæ Ecclesiæ numerus perficiatur; Vnde etiam, aptissime propterea Sidonios, iuxta vim Hebraicæ vocis *Venatores*, Tyrios, vero, *Coangustatos*, interpretamur, Venatores quippe sunt, animorum puta, Doctores Ecclesiastici ac Prædicato-

Sidonii & Tyrii qui ligna cadūt ad structurā Templi eos designāt in Ecclesia qui de statu vitiorū, Verbo Dei sublimes deyciunt & corrigunt.

res, cum vagos atque erraticos, malorum sensus, retibus fidei, & verbo Euangelij Christo subiiciendos capiant, Christo ipso dicente Matth. 4. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*, *ijdem sunt & angustiati, qui pressuram habent in mundo, tametsi confidentes quia Dominus vicerit mundum*: vt Christus etiam ipse futurum denunciat Apostolis, hoc est primis diuini Verbi præconibus Ioann. 16. Nec otiosè dictum est à Propheta Psal. 91. *Bene patientes erunt vt annuntient*. Cum enim ad excolendos animos perficiendosque in virtute, sustinenda sint aduersa plurima plurimæ difficultates perrumpendæ ac superandæ, si quis zelum suum explicare volet ardentissime, sæpe angustiantur vasa carnis, vt animo prorsus excelso atque erecto esse oporteat, ad operosum illud munus rite obeundum: Hinc se suique ministerii consortes ac socios olim sic animabat D. Paulus 2. Corint. 6. vers. 4. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, &c.* Vides quàm congruè, & Latomi & Cæmentarij lapides & cæmentum præparantes Sidonij & Tyrii, Cedros de Libano ad opus Templi deferentes, sacros Doctores adumbrent, qui mentes auditorũ suorum, ad societatem Ecclesiæ conflandam erudiendo instituunt: Sed, quid est, quod *Principes Patrum*, Iosue videlicet ac Zorobabel ac fratres eorũ *Pecunias*, eisdem *Latomis & Cæmentariis*, dant quo promptiores illos ad operandum reddant? Sic intellige, nimirum, id quoque fit in spiritali ac mystica Hierusalem, quæ est Ecclesia, cum euangelizantibus Verbum, hi qui tempore, merito, eruditione, præcessere Doctores, Christo authore, vel exempla virtutum suarum proponunt, vel diuinorum apicum paginas largiuntur, quorum exhortationibus vel promissis erecti ac confirmati minus in labore cœlesti lassescant. Dant item Sidoniis, Tyriisque (quod mox subiungitur) *cibum, potum & oleum &c.* Cum eisdem Doctoribus, vt ad prædicandum idonei esse valeant, spiritalia charismata, in quibus potiori loco est charitas, æmulanda commendant, quod prolixe facit D. Paulus 2. Corinth. 12. Nisi maluis sic interpretari, vt id fieri censeatur, cum Christus Dominus, quem per Iosue simul, & Zorobabel, designa-

Animarum cultoribus & Pastoribus multa toleranda.

XIV.

Dantur cibus, potus, & oleum operariis Templi mystici, cum illis charismatum dona distribuuntur

A ri alias docuimus, Verbi sui ministris ac dispensatoribus, spiritalia dona quasi talenta partitur, quibus intus illustrati fortiores efficiantur ad debellandam prædicando superborum hominum inanem iactantiam & stultam sapientiam. Neque vero longiori oratione opus est vt potum, cibum & oleum internam mentis nostræ refectionem significare, persuadeam eis qui illud modo meminerint Psaltis Regii, Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me, impinguasti in oleo caput meum, & calix tuus inebrians quàm præclarus est.*
B Dantur itaque, vt summatim omnia complectar) pecuniæ latomis & cæmentariis, datur lignorum cæsoribus, cibus, potus, & oleum, vt ad ædificandam domum Domini materiam præparent, cum tubis illis mysticis & Buccinatoribus veritatis virtutum copia, diuinitùs confertur, quibus adiuti, ad corrigenda prauorum hominum corda, & perceptioni supernorum bonorum aptanda, sufficere ac satis esse possint. *Deferuntur* vero, quod in reliquo textu est, *ligna excisa in mare*, non in illo quidem demergenda, sed per il-
C lud, *Ioppen*, quæ idem sonat, ac pulchritudo, perferenda, cum Doctores Euangelici auditoribus suis, ad fidem vocatis, tentationes mundi, sibi occursuras, sed fide superandas pronuntiant, ita vt primò, siue vitiorum, siue prauorum hominum, feri sint fluctus tolerandi, & sic postea ad pulcherrima velut virtutum mœnia portumque tutissimum perueniendum. Totam hanc Allegoriam mirè confirmat D. Augustinus exponens illud Psalmi 121. *Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas*, cuius verba Coronidis loco hic apponam: Fratres,
D inquit, quando dicebat ista Dauid, perfecta erat illa ciuitas non ædificabatur. Nescio quam ergo ciuitatem dicit quæ modo ædificatur, ad quam currunt in fide lapides viui de quibus dicit Petrus 1. 2. *Et vos tanquam lapides viui coædificamini, in domum spiritalem*, id est, Templum Dei sanctum, quid est lapides viui coædificamini? Viuis si credis, si autem credis, efficieris Templum Dei, quia dicit Apostolus Paulus, 1. Corinth. 3. *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos*: Ipsa ergo modo ciuitas ædificatur, præciduntur de montibus lapides, per manus prædicantium ve-

ad ministerium perfecte obeundum.

ritatem, conquadrantur, vt intrent in structuram sempiternam. Adhuc multi lapides in manibus artificis sunt: non cadant de manibus artificis, vt possint perfecti coædificari in structuram Templi, quo quid clarius, quid expressius, quid cum expositione nostra coniunctius?

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis tertij.

Expositio Allegorica & moralis in hæc verba v. 8. *Constituerunt Leuitas à viginti annis & supra vt vrgerent opus domus Domini; Iudæos diligentiores fuisse in obseruandis diuinæ Legis sanctionibus & cæremoniis post captiuitatem quam ante quod plerumque in Christianis accidit post lapsum in peccatum.*

XV. Constat ex hoc loco, id saltem commodi ex captiuitate Babylonica retulisse Iudæos, vt quam antea diligentius longè in Iudæam regressi diuinos ritus ac cæremonias curauerint, nimirum ad resurgendum, prodest aliquando corruisse, ad valetudinem conseruandam quandoque iuuat ægrotasse. Hinc est quod Sacerdotes & Leuitæ qui ante captiuitatem Babylonicam in suis ministeriis fuerant negligentes, post captiuitatem diligentissimi extiterunt, vt videre est toto hoc textu, & sequentibus, vbi dicuntur Sacerdotes & Leuitæ, non solum ædificando Templo, grauiter incubuisse, sed etiam Templo iam ædificato, diuinos ritus ac cæremonias, magna cum alacritate, ac pietate instaurasse, ita vt priorem suam in diuino cultu negligentiam hac posteriore diligentia, satis superque rependisse videantur. In quem locum, sic excurrit Beda, notandum, inquit, & crebrius animo repetendum, quantum boni malum captiuitatis attulerit, populo Iudæorum, de qua eruti, tanta omnes contentione, quanta nunquam antea, cœlestibus obsequiis incitãt, qui & postea, non solum quondam in Iudæis, sed etiam nunc in Christianis, idipsum aliquando contingere confirmans, subdit, etiam hodie, multis qui in pace Ecclesiæ, negligentes vixerunt, subito errasse & in flagitia aliqua cecidisse proruit, dum post casum, pœnitendo erecti, vigilantius Deo seruire cœperunt, & qui pigri in innocentia stabant, & desides per accidentem ruinam, admoniti sunt, solertius erga sui custodiam, contra omnes antiqui hostis insidias accingi ita vt, qui nec propriam vitam curando, offenderant, postmodum etiam fraternæ salutis à casu suo ac lapsu erecti curam gerant &c. Sanè quod ad rem præsentem maximè pertinet licet illud in ipsius veritatis typo ac figura, non sine aliquo animi stupore, contemplari. Nam ad idololatriam propensiores erant Iudæi, nec semel eo se crimine contaminauerant ante captiuitatem, vt alias obseruauimus, idq; in terra ipsa sancta in loco ipso, vbi primũ in cultu ac cæremoniis diuinæ legis, ac veræ Religionis, fuerant instituti atque enutriti, quin & illi ipsi propter multitudinem falsorum Deorum, quos impiè ac sacrilegè colerent patriam suam perdiderant, ab eaque, olim exularant, vt pote quibus ab increpante Propheta, dictum fuerat, Hierem. 2. *Secundum numerum ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda*: Nunc vero synceram vnius veri Dei Religionem profitentes, eandem patriam repetunt, nunc soluta captiuitate ipsam aliam vnius diuini numinis fidem, vnanimi deuotione colunt: atque ita, eius sese laudibus celebrandis religiosa mente subiiciunt, vt qui pro diuersæ religionis, diuerso numine, Iuda & Israel vocabantur, nunc pro vnitate fidei ac pietatis, antiquo vocabulo, omnes Israël vocẽtur: sic cultũ Religiosum, sensumq; diuini numinis, quem in Iudæa quon-

Ad Idololatriam propensiores Iudæi ante captiuitatem & in eam lapsi, in Iudæam reuersi non item.

dam spreuerant, atque ab animis suis abire siuerant, aut ab ea extorres, aut in eam regressi postliminio reuocarunt, vt mirum non sit, quod Propheta Baruch tam exquisitis verbis, atque adeò vehementi oratione, populum illum, ad pœnitentiam inuitans, cap. 4. vers. 27. 28. 29. Longè ante succlamat, *Animæquiores estote filij, & proclamate ad Dominum: erit enim memoria vestra ab eo qui duxit vos, sicut enim fuit sensus vester, vt erraretis à Deo, decies tantum iterum conuertentes requiretis eum; qui enim induxit vobis mala ipse rursum adducet, vobis sempiternam iucunditatem cum salute vestra, &c.* Nimirum sagaci ac præsaga mente quod futurum præuiderat Propheta, & Iudæis denuntiabat fidenter, & quod sui muneris erat vt præstarent, ipsi, animosque ad meliorem frugem reuocarent, vehementer quoque eos hortabatur, *Sicut fuit sensus vester,* inquit, Græcè *διάνοια*, id est, cogitatio, conceptus, & voluntas vestra, *Vt erraretis a Deo decies tantum conuertentes, requiretis eum* Græcè, *δεκαπλασιάσατε*, id est, decuplate conuersi quærere eum, quasi diceret; O filii mei Iudæi esto Deum offenderitis, nolite desperare, quia animæ pœnitentis & generosæ est, non cadere animo ob peccatum, in quod lapsa est, sed inde fortius resurgere & duplicare, immo decuplare cursum in stadio virtutis: Hoc est quod huc quasi alludens monet D. Paulus Roman. cap. 6. v. 19.

Explicatio loci Baruc. de meliori Iudaeorum statu post captiuitatem quam ante.

XVI. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Atq; ita profectò, quotidie fieri solet in Ecclesia, acciditque inde, quod ait sanctus Gregorius, *Vt plerumque gratior sit Deo, feruens post culpam vita, quàm securitate torpens innocentia.* Illustria eius rei passim extant exempla, in sancto Paulo, in Magdalena, in sancto Petro, Matthæo, sancto Augustino, Guilelmo, aliisque verè pœnitentibus: Et certè præstat hoc pœnitentia, estque germanus illius fructus, vt acriores ad virtutem consectandam reliqua vita, alumnis suis stimulos admoueat. Audi Paulum in Corinthiis quos ad criminis alicuius emendationem per pœnitentiam impulerat id demirantem, 2. Corinth. cap. 7 vbi postquam dicit v. 9. *Gaudeo quia contristati estis ad pœnitentiam*, Subiungit vers. 11. & sequentibus, *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem*, Expiandi scilicet offensam & in gratiam cum Deo redeundi, sed *defensionem* veritatis puta quæ antea impugnabatur, *Sed indignationem*, contra peccatum, *Sed timorem*, relabendi in peccata, *Sed desiderium*, emendationis, & satisfactionis, *Sed æmulationem*, id est zelum contra peccatores, *Sed vindictam*, hoc est omnium tandem criminum ac peccatorum castigationem, cum sempiterni odii erga illa quæ gratiæ aduersantur, aut Deo minus accepta sunt significatione coniunctam: sic veri & perfecti pœnitentes cuius gratiæ apud Deum iacturam ante fecerant, per peccatum, eam per ardentioris charitatis vsum multo fœnore sarciunt. Neque video, quænam aut melior, aut certè ad captum nostrum commodior, ratio subesse queat, cur in multis hominibus permissio lapsus in peccatum à Deo ex gratiâ esse, aut ex summo in illos studio profecta, aut illis expedire, atque adeo (quod nonnulli asseuerant Theologi) effectus prædestinationis censeri possit, quam quod, ex tepidis ac socordibus, ante lapsum, vbi lapsi sunt, & postea resurgunt, multo quam antè, & feruentiores in virtute, & ad lapsus euitandos cautiores, ac diligentiores euadant: Hinc S. Augustinus Sermone 53. de verbis Domini, *Audeo*, inquit, *dicere, superbis continentibus expedit cadere, & lib. 14. de Ciuitat. cap. 13. Audeo, ait, dicere, superbis esse vtile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant*: Subdit exempla, *Salubrius enim, Petrus sibi displicuit, quando fleuit, quam sibi placuit quando præsumpsit. hoc dicit & sacer Psalmista Psal. 82. Imple facies eorum ignominia, & quærēt nomen tuum Domine*, id est, vt tu eis placeas, quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerant quærendo suum; Hoc, & ait Sapiens, Prouerb. cap. 16. vers. 18. Contritionem præcedit superbia & ante ruinam exaltatur spiritus: quin & idem S. Augustinus lib. 1. de Ciuitate Dei. cap. 28. docet Deum, à Barbaris, Romam, aliasque vrbes vastantibus, permisisse, violari Virgines Christianas, vel quia ipsæ superbæ erant, vel quia periculum erat, ne ob castitatem superbirent. *Illarum*, inquit, *tumori occursum est imminenti, istarum occursum est im-*

Vera pœnitentia fructus & virtutū actus qui à pœnitentibus exerceri solent post culpam quā ante longè feruentiori-bus.

Expedire nōnullis labi in aliquod peccatum, vt ex tepidis feruentiores fiant in virtute atque ideo posse censeri permissionem lapsus in peccatum, iuxta quosdā Theologos, effectum prædestinationis.

minenti: Casus igitur & lapsus in peccatum, vt expediat, aliquando & ex eo occasionaliter, vt aiunt, magnum compendium deriuetur facit, feruens post lapsum pœnitentia, facit peccati cuiusuis odium vehementius, facit studium virtutum ardentius, facit denique diuinæ gloriæ: zelus acrior & purior, quæ sæpe in lapso extare atque eminere magis, quam in eo qui nunquam lapsus est deprehendas. Vidi, inquit Climachus, gradu 5. de Pœnitentia, postquam, mores & exempla pœnitentium sui temporis, quæ merito cuiuis peccatori acrem compunctionis sensum, ingenerent longa narratione commemorauit, *Vidi, & fœliciores existimaui, qui post lapsum ita lugent, quam qui nunquam lapsi sunt, & seipsos non sic deflent*: Eam ob rem, tepidi, ac remissi, seu negligentes in opere Dei, frigidis ipsis deteriores æstimantur, quod ex tepidis, vt periculosior est illorum status, frigidos primum esse nonunquam homines oporteat, vt postea ex tepore ac frigore emergant, atque in calidos euadant & conuertantur. Vnde, dicitur in Apocalypsi cap. 3. Optabilius esse, vt Episcopus Laodicenus sit frigidus quam tepidus, quia scilicet tepor spiritualis frigore ipso, periculosior est, in homine, tùm ob maiorem status sui quam inducit obliuionem, & socordiam, ex qua fit, vt quo ipse in periculo versetur, non satis animaduertat, sed securus in eo quiescat & obdormiat, tùm ob periculum sanè imminens derelictionis à Deo, quod ab illo propius abesse consueuit, Deus enim: qui est ignis consumens, sibique à Seraphinis, hoc est ardentibus, ministrari amat, hunc, teporem ardori contrarium, maximè odit, & tepido seu languescenti ferè gratiam suam subtrahit, siniteque sæpissimè altum dormire, atque ita demùm labi & ruere in barathrum adde quod vel eo tepor animi per accidens, quod aiunt, frigore deterior est quod, ex corruptissimo vitiorum fonte promanet oritique soleat, ex magna præfidentia, superbia, præsumptione & contemptu Dei, rerumque diuinarum quæ mirum quantum Spiritui gratiæ aduersantur, & auxilium Dei ad bonas actiones opportunum & necessarium summouent longè aut debilius reddunt, ideoque aut tepido, aut iam tepescenti dicit Christus, *Vtinam aut*

XVII.

Quomodo & quam ob causam tepidi dicuntur frigidis peiores.

frigidus aut calidus esses, quod explicans Thomas Anglicus, ait *Sermonem esse, de frigido non quantum ad frigiditatem & culpam, sed quantum ad dispositionis maiorem facilitatem*: quia frigidus, magis aptus & dispositus est ad emendationem, & pœnitentiam, quam tepidus. qui suo tepore facile est ruiturus, in profundum peccati & gehennæ, *Nec optat*, ait Glossa in eadem verba, *eum frigidum simpliciter sed talem ae quo maior spes habeatur*: Ac licet in se peiùs sit esse frigidum, & in frigore degere, quam tepidum esse & ad frigus tendere, licet peius in se, ac deterius sit, scienter peccare & ex plena atque, obfirmata libertate, quàm ignoranter, ex tepore. & concupiscentia (hoc enim est esse tepidum, illud esse frigidum) tamen hic tepor damnatur præ frigore, optandumque magis homini censetur vt sit frigidus, quam tepidus, satius siquidem est atque optabilius vt qui socors sit ac tepidus, adeoque ruinæ proximus labatur in peccata aliqua grauiora & manifesta vt ex iis lapsus suos agnoscat, serioque & planè corrigatur resiliatque feruentior, & tandem saluetur, vt ex D. Augustino proxime antè audiuimus, quam vt hæreat in sua tepiditate & socordia tam periculosa & damnosa, quantam nemo est qui satis exhorreat vt pote ex qua, in longè plurima peccata mortalia labatur eaque occulta, quæ nunquam eluat, ac proinde irreuocabili casu profundius in gehennam ruat æternā qua sibi accersat perniciem; sic præstat frigidum esse quam tepidum, quod hic quam ille ruinæ propinquior: Nam, vti præclare ait Cassianus collatio. 4. cap. 19. *Frequenter vidimus de frigidis atque carnalibus*, id est, *de sæcularibus, ac Paganis, ad spiritualem peruenire feruorem, de tepidis atque animalibus omnino non vidimus*: Et D. Gregorius, 3. part. Pastoral. admonit. 35. cur maius periculum in tepido, quàm in frigido sit, rationem exponens: *Quoniam*, inquit, *frigus ante teporem sub spe est, tepor autem post frigus in desperatione*, id est, *qui adhuc in peccatis est, conuersionis fiduciam non amittit, qui vero post conuersionem tepuit, simul spem, quæ erat de peccatore subtraxit, quid mirum si tepidos cogatur Deus euomere, quia te-*

Tunc tepidus dicitur a Deo euomi cum derelinquitur ab eo, & induratur in peccato.

pidus es incipiam te euomere ex ore A *meo*, inquit citato capite Apocalyp. versu decimo sexto vbi vomitus metaphoram *Alchazar* noster vt verè sic erudite asserit non esse referendam, propriè scilicet & proximè, ad æternam damnationem hæc enim non solis tepidis, sed omnibus peccatoribus à Deo criminum omnium vindice intentatur: sed ad id, quod eam præcedit, nempe, ad derelictionem Dei, & irreconciliabilem illius status detestationem, atque adeo tepidum tunc aptissimè dici à Christo euomi, cum induratur in peccato & quodammodo proiicitur extra curam diuinæ prouidentiæ: Huius autem comminationis particula (quæ propter venialem etiam teporem meritò timeri debet) est priuari ijs auxiliis, quæ non conceduntur omnibus iustis, sed iis solum, quos Deus maiori fauo e prosequitur: quantum verò periculum inde emineat labendi in peccata lethalia, & tandem in veram obdurationem, id ego cum authore prædicto, spiritualium virorum meditationi relinquo, moneoque de eo fusè ac copiosè tractatum à Lessio libro decimo tertio de perfectionibus diuinis capite decimo quinto vbi de Iustitia Dei, & de pœna quadam spiritali, quam & negatiuam B & permissiuam vocat, & quæ non semper remittitur à Deo, etiam pœnitentibus, disputationem instituit.

Etiam ob teporem venialem timeri debet quorumdam Dei auxiliorum priuatio ex qua facilis lapsus in peccatum.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DOLOSE aguntin Iudæos ædificantes, Iudæorum vicini quidam & contermini (Samaritani nimirum vel Cuthæi) qui cum vniuersæ genti Israëliticæ non parum sint infensi, illorumque fœlicitati magnopere inuideant, inchoatam Templi fundationem, omni ope remorari contendunt, primum igitur vt rem astu & fraude aggrediantur, velle admodum ac vehementer optare se ad præclaræ illius fabricæ molitionem absoluendam, inire cum Iu*dæis ipsis societatem, luculenter confingunt: Iudæi vero, aduersariorum fraudem suspicati, negant, se velle ad religiosum illud opus, socios admittere, aut quidquam sibi cum Samaritanis posse esse commercij; illi, hanc ignominiam æquo animo non ferentes, cum primum simulationis artificium, non successerit ad alias artes, hostilemque improbitatem, inquiore etiam animo progrediuntur, nam consilio inter se inito, in eo ipso, vltionem sumere volunt, in quo se iniuriam accepisse arbitrantur; statuunt enim omnino Templi ædificationem impedire, sed quia id aperta vi, perfici non potest, propterea quod Cyri extat decretum, & de eius in Iudæos beneuolentia certo constat, idem, clam per Regios Cyri administros, perficiunt; adeunt igitur præfectos, & quæstores Regios, quos Cambyses, Cyri filius, qui etiam Assuerus, & Artaxerxes dicitur, Syriæ Prouincijs præposuerat, & eos largitionibus fœdè corruptos, orant, exorantque, vt ad Regem scribant, & confictis in* Iu*dæos calumniis, illum ad inhibendam Templi ciuitatisque instaurationem, nouo Edicto inducant; quod litteris suis Rex, ac Diplomate Regio, non admodum prudens, & cautus, prolixè fecit, et sic, annos aliquot, ab opere cessarunt* Iu*dæi, & ad annum vsque secundum Darij Regis Persarum, inchoata Templi fabrica intermissa est.*

CAPVT QVARTVM
Esdræ.

1. Audierunt autem hostes Iudæ & Beniamin quia filij captiuitatis ædificarēt Templum Domino Deo Israël.
2. Et accedentes ad Zorobabel & ad Principes Patrum dixerunt eis, Ædificemus vobiscum, quia vt vos quærimus Deum vestrū, ecce nos immolauimus victimas à diebus Asor Haddan Regis Assur, qui adduxit nos huc.
3. Et dixit eis Zorobabel, & Iosue, & reliqui Principes Patrum Israel: Non est vobis & nobis, vt ædificemus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro sicut præcepit nobis Cyrus Rex Persarum.
4. Factum est igitur vt populus terræ impediret manus populi Iudæ, & turbaret eos in ædificādo.
5. Conduxerunt autem aduersus eos consiliatores vt destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri Regis Persarum, & vsq; ad regnum Darij Regis Persarum
6. In regno autem Assueri, in principio Regni eius, scripserunt accusationem, aduersus habitatores Iudæ & Hierusalem.
7. Et in diebus Artaxerxis, scripsit Beselam, Mithridates, & Thabeel & reliqui, qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem Regem Persarum, epistola autem accusationis scripta erat Syriacè, & legebatur sermone Syro.
8. Reum Beelteem & Samsai scriba scripserunt epistolam vnam de Hierusalem Artaxerxi, huiuscemodi.
9. Reum Beelteem, & Samsai scriba, & reliqui consiliatores eorum Dinæi, & Apharsathachæi, Terphalæi, Apharsæi, Erchuæi, Babylonij, Susanechæi, Dieui, & Ælamitæ.
10. Et cæteri de Gentibus quas transtulit Asenaphar magnus & gloriosus, & habitare eas fecit in ciuitatibus Samariæ, & in reliquis regionibus trans flumen, in pace.
11. (Hoc est exemplar epistolæ quam miserunt ad eum) Artaxerxi Regi, serui tui, viri qui sunt trans fluuium salutem dicunt.
12. Notum sit Regi, quia Iudæi qui ascenderunt à te ad nos, venerunt in Hierusalem, ciuitatem rebellem & pessimam quam ædificant, extruentes muros eius, & parietes componentes.
13. Nunc igitur notum sit Regi, quia si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri eius instaurati, tributum, & vectigal, & annuos reditus, non dabunt, & vsque ad Reges hæc noxa perueniet.
14. Nos autē memores salis, quod in Palatio comedimus, & quia læsiones Regis videre nefas ducimus, idcirco misimus & nunciauimus Regi.
15. Vt recenseas in libris historiarum Patrum tuorum, & inuenies scriptum in commentariis, & scies quoniam vrbs illa, vrbs rebellis est & nocens Regibus & Prouinciis, & bella concitantur in ea, ex diebus antiquis, quam ob rem, & ciuitas ipsa destructa est.
16. Nunciamus nos Regi, quoniam si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri ipsius instaurati,

possessionem trans fluuium non habebis.

17. Verbum misit Rex ad Reum Beelteem & Samsai scribam, & ad reliquos qui erant in consilio eorum, habitatores Samariæ & cæteris trans fluuium, salutem dicens & pacem.

18. Accusatio quam misistis ad nos manifestè lecta est coram me.

19. Et à me præceptum est, & recensuerunt, inueneruntque, quoniam ciuitas illa à diebus antiquis aduersum Reges rebellat, & seditiones & prælia concitantur in ea.

20. Nam & Reges fortissimi fuerunt in Hierusalem qui & dominati sunt omni regioni quæ trans fluuium est, tributum quoque & vectigal, & reditus accipiebant.

21. Nunc ergo audite sententiam, prohibeatis viros illos, vt vrbs illa non ædificetur, donec si forte à me iussum fuerit.

22. Videte ne negligenter hoc impleatis, & paulatim crescat malum contra Reges.

23. Itaque exemplum Edicti Artaxerxis Regis lectum est coram Reum Beelteem & Samsai scriba & consiliariis eorum, & abierunt festini in Hierusalem, ad Iudæos & prohibuerunt eos in brachio & robore.

24. Tunc intermissum est opus domus Domini in Hierusalem, & non fiebat vsque ad annum secundum Regni Darij Regis Persarum.

EXPOSITIO LITERALIS.

a V.1.

I.



Vdierunt autem hostes Iudæ & Beniamin, quia filij captiuitatis ædificarunt Templum Domino Deo Israël, &c. Conceptam à Iudæis, ex inchoata Templi molitione lætitiam, diuturnam esse non sunt passi, ipsorum hostes infensissimi, Samaritæ, alio nomine Cuthæi, ab ea regione, vnde translati olim fuerunt ab Assyriis, vt constat ex lib. 4. Reg. cap. 17. sic nuncupati, qui cum hostes dicantur Beniamin & Iudæ, sic intellige, vel quia Tribus illæ solæ, vel præcipuæ, reduces erant, è Babylone, quibus se illi opponerent, vel quia hostes prædicti, diuersæ iam ante ab illis potissimum duabus Tribubus, habuerant studia, antequam patrium solum verterent, & in captiuitatem Babylonicam abducerentur, certè ab aliis decem Tribubus, odio, & armis, ita dissidere non poterant, cum omnes illæ Tribus, ab Assyriis multo antea, ex Israëlitica regione essent distractæ, in externas A Prouincias.

Hostes Iudæorum Samaritæ, alio nomine Cuthæi ab ea regione vnde olim translati fuerant ab Assyriis, vt Samariā incolerent sic dicti.

II. Vers. 2. *Et accedentes ad Zorobabel & ad Principes Patrum, dixerunt eis, ædificemus nobiscum quia vt vos quærimus Deum vestrum, &c.* Hostes igitur hi Iudæ & Beniamin, Samaritani, vel Cuthei, sic è tota gente Principes adoriuntur, primum inire se velle cum Iudæis societatem significant, in animo sibi esse, promouere inceptam Templi fabricam, & tanti tamque religiosi operis, partem aliquam assumere, quo consilio, verè, aut fictè, postea expendemus, interim quâ indole, quóue B ingenio, præditi essent Samaritæ, ex Iosepho lib. 11. Antiq licet intelligere, vt lucem, inde sequentibus afferre, facile futurum sit, *Sunt*, inquit, *Samaritæ hoc ingenio, in rebus Iudæorum afflictis negant se cognatos, veritatem tunc dicendo, cum vero affulgere eis fortunam viderint, confestim in societatem irruunt, attinere ad se affirmando, & à Iosepho, eiusque filiis manasse, & Ephraim, generis sui seriem deducendo*, ita Iosephus, qui & exemplis, ex historia petitis rem ipsam confirmat, tum loco proxime citato tum lib. 22. Antiq. cap. 7. nimirum inquit, vt Cyrus modo, sic po-

Vafrum & calidum Samaritarum ingenium qui modo ad Iudæos se adiungebāt cum prosperè res illis cederent, modò ab eisdem diuellebā-

tur cum aduersa fortuna vterentur.

ftea, Iudæis fauit Alexander, cum vt ab Alexandro obtinerent, quod ipsis maxime erat in votis, Iudæos se esse dixerunt Samaritani, iidem ipsi, aliis temporibus, cum audiissent, Antiochum Epiphanem, Iudæis infensum, & contra illos meditari, durum aliquid, atque hostile, tunc vero, ne eadem qua ipsi calamitate percellerentur, & vt cautè intentum in Iudæorum caput, à ceruicibus suis telum declinarent, Iudæos se esse negauerunt; quid si nunc, in re dispari, non dispari ratione, cum Cyrum initio, propensum in Iudæos agnoscunt, eo se Iudæos probare student, quod cum illis extruendi templi curam suscipere, & ea de re societatem coire volunt, eo animo & consilio, vt cum mutatum principis ingenium viderint, ad studia tum Iudæis contraria se conuertant, sed illorum mentem, vti iam dixi, melius infra excutiemus.

III. *Ecce nos immolamus victimas à diebus Asar Haddon Regis Assur qui adduxit nos huc, &c.* Vt intelligatur quid sit quod Samaritani dicunt, se Deum Iudæorum quærere, & communes, cum ipsis victimas immolare, repetenda est veteris historiæ memoria ex l. 4. Reg. c. 17. quam ipsis fere Sanctii verbis, hoc loco, in pauca compendiose sic contraho, cum antiquos cultores è Samaria, Salmanassar transtulisset in Assyrios, noluit regionem illam, speciosam, & vberem, ablato cultore sylvescere, quare priorum incolarum loco, ex Assyriis finibus, nouos induxit agricolas, qui cum suos secum Deos attulissent, nouas quoque in regionem illam, quam sibi Dominus ex omnibus elegerat, religiones inuexerunt, quod abire Deus noluit impunè atque ideo suæ hæreditatis, vindices, leones immisit, qui possessionem illam antiquam in Domini potestate retinerent, id cum ex nouorum incolarum literis didicisset, Assyriorum Rex, cognouissetque illorum cædem ideo contigisse, quod illi nuper inducti habitatores, noua pollurerent religione, aut potius impietate, regionem olim Deo consecratã, ignoraret q; quid ab illis exigeret, illius hæreditatis antiqua Religio, misit Sacerdotes, qui sacrificandi ritus patrios edocerent, & quo cultu rerum Israelitarum Deum, coli oporteret indicarent, & ab illis quidem didicerunt peregrinæ illæ gentes sacrificandi, & religiosi cultus veram formam, neque

Qua occasione Iudæi cum Cuthæis ex Assyria translatis, Samariam incoluerũt ex lib. 4. Reg. c. 17.

A tamen patrios & vernaculos Deos abiecere quod illis permixtim altaria suo more excitarunt & impio ritu victimas obtulerunt. Atque ita ex illa sacrorum, Deorumque confusione, id consecuti sunt, vt neque omnino essent Israelitæ, neque omnino Gentiles, sed monstrum veluti quoddam ex varia Religionum admixtione concretum, & eodem ordine, vulgo censerentur atque Gentiles, hinc illud Christi Matt. 10. ad Apostolos, *In viam Gentium ne intraueritis, & in ciuitate Samaritanorũ ne abieritis*: eam ob rem, Origenes B Tom. 4. in Ioann. Epiphanius in hæresi Samaritanorum, quæ est 9. Ambrosius in cap. 9. 1. Corinth. eruditè obseruant, licet omnes libros sacros Samaritani non admitterent, admisisse tamen Pentateuchum, siue libros legis, & ratio est, quia legem, ritumque sacratum, à Sacerdotibus, eos didicisse oportuit, quæ in illis libris continentur, quare sacrificabant Iudæorum more, & suos circuncidebant infantes, vt in Pentateucho præcipitur, neque de rebus aliis admodum erant solliciti, cum tantum discere studerent legitima terræ, ex quorum ignoratione sibi C persuaserant, ortam esse cædem & vastitatem quam à suis arcere finibus meditabantur. Dicunt ergo Samaritani, ob eam rationem, quam ex superioris historiæ narratione deduximus, se communi Deo *immolasse victimas, à tempore & diebus, Hasor addam*, cæterùm hic *Hasoraddam*, fuit filius *Sennacheribi*, vltimus Assyriorum Princeps, vt constat ex 4. Reg. cap. 19. versu vltimo; vel vt magis placet Sanctio, *Salmanassar* ipse, qui debellauit Samariam, & in eam regionem Cuthæos induxit, quos missis Sacerdotibus, Hebræorum legibus instruxit, quod autem D duplici nomine vocetur facit vt ex noratione D. Hieronymi, obiter hic obseruandum sit, in scriptura viros nobiles, præsertim inter Gentes, sæpe numero, variis nominibus appellari, certè in caput 20. Isaiæ docet Sennacherib, Regem Assyriorum, fuisse septinominem & Tom. 2. contra Heluidium; multa aliorum profert exempla, quæ huc adducere non vacat, nec necesse est, quia res est vulgaris ac trita, atque etiam alibi à nobis peculiari annotatione indicata.

Samaritæ neque omnino Gentiles, sed mixti ex vario Religionum cultu.

Eo numero habentur Samaritani in Euangelio quo Gentiles.

Pentateuchum administrabant Samaritani sacrificabant Iudæorum more, suosque circumcidebant infantes.

Vnus idemque, multis interdum nominibus vocari solitint in scriptura.

IV. *Et dixit eis Zorobabel & Iosue, & reliqui Principes Patrum Israël, non est vobis & nobis, vt ædificemus domum Domi-*

no Deo nostro, &c. Mirum sanè, prima fronte videatur, vt rectè annotauit Salianus, Samaritanos istos, qui vltro se ad Dei cultum promouendum offerebant, tam facilè fuisse repulsos, possitque id, vel superbiæ, & inuidiæ, vel defectui zeli diuini honoris, & salutis animarum tribui, quod si quis causetur fuisse istos cultores Idolorum, de quibus 4. Reg. cap. 17. vers. 33. & cum Dominum colerent diis quoque suis seruiebant, iuxta consuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam: certè eadem videtur fuisse causa Cyri, qui sumptus Templo excitando suggerebat, eadem & multorum aulicorum, & amicorum eius, qui Israelitas discedentes, muneribus & donariis, prosecuti erant, sed cum Zorobabel Dux & Iosue Pontifex, in scriptura, laudatissimi habeantur, non potest in eos merito cadere, ista suspicio, quin potius existimandi sunt, illi Samaritæ non sincerè, vt Cyrus, sed fraudulenter, hoc consilium iniisse, vt postea, vel Templum sibi vendicarent, vel eo sacrificulos suos, cum cultu Iudæorum suorum introducerent, & præteritum idololatriæ & querelarum scandalum renouarent. Itaque sapienter, ab istis, non minus quàm ab apertis hostibus, cauendum sibi esse censuerunt Iudæi, fortè etiam à Deo super ea re diuinitus edocti, quo in genere (quod & obseruat supra citatus author) exemplum satis eximium, & illustre, deuitandi hæreticos, quibuscum nobis nulla, ob periculum apostasiæ, aut defectionis à fide, debet esse communio, posteritati reliquerunt, dum ab Ethnicis mendicare maluerunt, quam ab istis vltro oblata suscipere, hæc tandem nostra est, & authorum (vti quidem existimo) melius sentientium, de astu, ac fraudibus Samaritanorum, erga Iudæos, opinio, seu coniectura.

Qua causa repulsæ fuerit quam passi sunt Samaritani à Iudæis

V.

Sicut præcepit nobis Cyrus Rex Persarum, &c. Cum Iudæi negant se velle Samaritanos, ad templi fabricam promouendam, opusque iaminceptum absoluendum, socios admittere, eam inter alios rationem adducunt, quod aliter Cyro visum esset, à quo facultatem ipsi ad ædificandum, & subsidia necessaria acceperant. Videtur autem Cyrus id præcepisse, in ea decreti parte, de qua inferius cap. 6. v. 7. vbi sic habetur: *Dimittite fieri templum Dei illud, a Duce Iudæorum & à Senioribus eorum,*

In qua decreti parte videri possit Cyrus voluisse, ne Iudæi cum Samaritanis societatem inirent ad templum ædificandū

A *vt domum Dei illam ædificent in loco suo:* Videtur inquam inibi id Cyrus præcepisse, & id quidē probabile censendum est, certum autem prorsus, & indubitatum asseuerare nemo ausit, quia nimirum, si strictè res expanditur, iam citata decreti verba, eo tantum pertinere censeri possunt, vt illis Princeps cautum voluerit, ne à quoquam, Iudæi in opere suo moliendo impedirentur.

VI.

Vers. 4. *Factum est igitur, vt populus terræ impediret manus Iudæ, &c.* Scio quidem Hebraicam locutionem, populum terræ, in scriptura, sæpius significare plebeiam multitudinem, sic lib. B 4. Reg. c. 11. v. 14. *Vidit Athalia regem stantem, & cantores, & tubas, propè eum omnémque populum terræ lætantem,* & v. 18. *Ingressus est omnis populus terræ, templum Baal, & destruxerunt aras eius,* sic Hieremias c. v. 225. *Septem viros ac hu qui videbant faciem regis, & sexaginta viros de populo terræ.* Sicque secundum illa loquendi rationem, conspirasse censendus est in Iudæos populus terræ, id est multitudo plebis, quæ ad vim tumultumque concitandum, solet esse potentior, & eo incubuisse, C vt animos illorum frangerent, & vires infirmarent, quos tam ardenti studio, religiosum extruendi templi negotiū suscipere animaduertebant aut saltem quietem illorum nonnihil interturbarent, & quocumque tandem modo inchoatum opus morerentur: sed tamen magis propriè, vt quidem existimo, qui dicuntur *populus terræ,* isti sunt qui opponuntur *filijs captiuitatis,* sicut incolæ peregrinis indigenæ aduenis. Gentiles nimirum, seu Samaritani, sic porro D populus terræ, id est Gentiles, siue Samaritæ, Iudæos turbasse in ædificando censendi sunt, vt variis insultibus, cum potuerunt, in eos inuaserint, & non solùm impedierint, per seipsos, sed etiam per alios qui locum Regis Persarum tenebant, in terra illa, eam regendo, & recipiendo tributa, quos versu sequenti, consiliatores vocat.

Populus terræ pro vulgari sæpe a. quæ infima plebe sumitur hic propriè pro Gentilibus ac Samaritanis.

Peste & vermibus consumpti Samaritæ qui templi molitionē impedire voluerunt.

Cæterum S. Chrysost. lib. 1. contra Vitup. Vit. Monastic. scribit Samaritas, propterea quod impedire voluerint ædificationem templi, postea peste & vermibus consumptos fuisse.

V. 5. *Conduxerunt autem aduersus eos Consiliatores, &c.* Ex dictis superiori versu, non improbabile est, Consiliatores hic vocari, præfectos a Rege Persarum, quos Samaritæ hostes po-

Consiliatores dicūtur vel Præfecti Prouinciarum Syriæ, vel Regis Persarum à Consiliis, aut ipsi familiares & assidui.

puli Dei, ad impediendum exstructionem, datis muneribus, & pecunia aut quouis alio artificio, corrumperent, præfectos inquam, qui rei Samaritanorum publicæ præessent, & varias in Syria Prouincias moderarentur, atque ita censet Iosephus, vel certe eo Consiliatores dicuntur, quod Persarum Regi à consiliis essent, aut ipsi familiares, & assidui, vt sentit Caietanus, clàm igitur & subdole, per regios administros Samaritæ, omnem mouerunt lapidem, omnesque in partes versarunt sese vt vel inchoatam templi fabricam omninò impedirent, vel quoad fieri B posset retardarent, nimirùm, aut ablato subsidio, quod regiis literis Cyrus conferri iusserat, aut Tyriis, Sidoniisque deterritis, ac per vim etiam prohibitis, ne quod ante promiserant, ligna Cedrina, cæterámque materiam cæduam ad Ioppam, ex Libano deducerent. Porrò, notanda est, inquit Beda in hunc locum, distinctio verborum Esdræ: quia Consiliarios dicit, dato pretio conductos, contra operatores Templi, vt destrueretur consilium eorum, sed nec consilium destructum, nec opus est intermissum, donec scripta Artaxerxis epistola accusationis, ipso iubente, prohibuerunt eos, in brachio & robore: *Tunc enim, intermissum est opus & non fiebat vsque ad annum 2. Darij Regis Persarum*, vnde colligitur, toto tempore Cyri, operi incœpto, quamuis segnius, iusto, institisse, ille autem mortuo, non consiliis prauis impeditos, sed aperta impugnatione, ab opere fuisse repulsos, non enim audebant hostes, Cyro viuente, qui opus fieri iusserat, aperte obluctari edictis illius, licet occulte, maligna quædam consilia suggerendo, opus retardare conarentur, & forte etiam Iudæos in ædificando redderent segniores, & meticulosiores in opere promouendo, quanquam, quod mireris, de impedimento ab hostibus Iudæorum, ædificationi templi allato, loquens Iosephus, ait quidem Cyrum circa bella occupatum, hoc impedimentum ignorasse: Rabi vero Salom. apud Lyranum, etiam ipso sciente, factum esse, quod an verum sit, & quomodo intelligendum, magna discussione indiget, quam nos in explanationem partis sequentis ejusdem versus conjicimus.

Toto tempore Cyri segniter licet ædificando templo incubuerunt Iudæi illo mortuo aperta vi Samaritanorum ab opere fuerūt repulsi.

Vt destrueretur consilium eorum, omnibus diebus Cyri Regis Persarum, vsque ad regnū Darij Regis Persarum, &c. Certū est, intermissum fuisse opus, aut certè lente admodum & pigre promotum, annos aliquot, sed quot annos præcise, & quibus imperantibus, quia non ita liquet, nunc quoad fieri poterit, inuestigandum nobis est definiendumque, sane difficile creditu videtur, plerisque omnibus, Cyri tempore, aut viuo ipso adhuc, atque regnante, prohibere potuisse Iudæos, à templi molitione, vrgendaque fabrica, cum ille tam impense eis faueret, adeoque in eorum causam, commodaque omnia, esset propensus, quid enim? non illos vltro ipse ad opus aggrediendum inchoandumque hortatus est? non vasa eis sacra restituit, & ad illos vsus reuocari iussit, à quibus Nabuchodonozor ante submouerat? non ipsi Iudæorum Deo, cui immensos thesauros, continentem pene victoriarum cursum, proxime acquisitum Chaldæorum imperium, omnia denique accepta ipsa referebat solennes habere gratias voluit, instaurãdo, ornandoq; tẽplo, quod Chaldæorũ incendio conflagrarat? ita sane, si memoriam eorũ replicamus, quæ toto C primo capite enarrantur, quam ægrè igitur fieri potest, vt sibi quis in animũ inducat, aut Cyri ætate cessatum ab opere, & intermissam religiosæ fabricæ molitionem fuisse, aut illius principis animum, tam cito à Iudæis abalienari potuisse? peruidit hanc difficultatem, inter cæteros, Sanctius, soluitque, vti quidem existimat, sed quam bene, vbi primum dixerit, infra aperiam, Cyrus, inquit, ex Xenophontis ipsius sententia, septem annos tenuit Chaldæorum imperium, & magnam illius temporis partem absuit, procul à Babylone, intentus bello Massagetico & Scytico, quo in bello D excessit è viuis, anno septimo ab excidio Babylonico, eo autem tempore Cambysæ filio Babylonici imperii gubernaculum reliquit: Hic porrò Cambyses idem est, qui statim appellatur Assuerus, cum ergo abesset Cyrus à Babylone, externis bellis occupatus, non potuerunt Iudæi, cum vicinæ gentes obstrepuerunt, & per Consiliarios, & amicos Regis, largitione, aut alio corruptos artificio, fabricam impedirent, adire Cyrum, quem sanè ad suas preces difficilem non habuissent, atque ideo omnibus diebus Cyri, pro quo regnauit Cambyses, qui & Assuerus, seu Xerxes, qui fuisse viden-

Opus templi aut interruptum, aut pigre & lente promotum annos aliquot licet difficile sit asserunt quot præcise & quibus regnantibus.

Rationes quæ persuadent difficile creditu prohibitum opus templi Cyro viuo adhuc & regnante.

tur, plus minus, quinque anni, & toto tempore quo regnauit Cambyses, cum Rex vere, & propriè appellari potuit, quod non fuit vltra bienniũ, & quando duo Magi tenuerunt imperium, quod non impleuit annum, & duobus annis quibus regnauit Darius. antequam Iudæorum studia promoueret, & vicinis hostibus frangeret audaciam silentiumque indiceret, cessatum est, abs instituta Templi fabrica, quod nouem omnino annorum spatium impleuit, vt Iosephus indicat, 11. antiq. cap. 3. & à Iosepho complures alij ita censuere; sic ille: Sed ego, pace ipsius dixerim, ad fideliorem, tutioremque Chronologiam appello: sex enim ie minimum annos Cambysi detrah t. Et cuius tandem authoris obsecro, quique sit, ex omnibus quos, viris erudi-tioribus, maximè notos & familiares, nouimus, authoritate fretus, proximum Cyri successorem, biennio tantum imperasse asseuerat? scio quidem de tempore, quo regnauit diuturnitate, non omnium vnam esse sententiam, sed Iosephus qui breuissimum eius regnum facit, ad sexennium, aut vltra etiam, extendit, lib. 11. antiq. cap. 3. Clemens Alexandrinus, qui omnium longissimum, nouemdecim annos ei tribuit, lib. 1. Stromat. Ctesias duodeviginti. Herodotus lib. 3. septem & quinque menses. Eusebius & Beda 8. Seuerus Sulpitius, & Hebræi in Chronico cap. 29. nouem, certè nunc passim omnes Herodotum secuti, septem menses Magorum, ad quinque vltimos Cambysis menses adiungunt, sicque integros annos octo, à morte Cyri, ad regnum Darij Hystaspis constituunt, sic Pererius, Torniellus, Ribera, Gordonius, & alij. &c. Quare vt superius allata Sanctii solutio suis absoluta sit numeris, atque ex omni parte cohæreat, seruata communi temporum ratione, veriorique sententia de annis, imperii Cambysis, dicendum erit, nouem quidem totos annos integros cessatum fuisse penitus ab inchoata Templi fabrica, nimirum à Cyro mortuo, toto filii eius Cambysis regnantis tempore vsque ad secundum Darii annum; cum antea, id est Cyro adhuc spirante, opus interruptum quidem etiam, sed ex parte; atque eo tandem dici possit, quod Iudæi obnitentibus aduersariis timidè ac frigidè operi incumberent. Non inconcinne totam huius loci explanationem absoluet, & lucis etiamnum aliquid, iam superius à nobis annotatis, afferre poterit, Iosephus, sic enim ille eodem lib. 11. antiq. cap. 2. supra citato, *Rogarunt Satrapas* (de Samaritis loquitur) *& eos quibus commendata erat hac adificatio, vt Iudaos impedirent, quo minus vrbem ac Templum instaurare valerent, illi vero pecuniis, etiam corrupti, vendiderunt Cuthaeis, suam circa demandatum officium cessationem & negligentiam; Cyro nesciente, vt pote distracto in alia negotia*, quo fit, vt existimem, non tam cito ad Cyrum querelam esse delatam: immo neque tam cito, Iudæos aduersariorum suorum fraudem sensisse, facile credendum est, quæstoribus Regiis quorum erat sumptus præbere, non statim corruptelæ, & præuaricationis suspicionem præbentibus, sed alias, atque alias, vt assolet, causas prætexentibus, vt primo tardè soluerent, deinde malignè, postremo, etiam planè non soluerent, sicque operæ cessare cogerentur.

IX. Quid peccet Sanctius in solutione quam affert.

Octo annos ferè regnauit Cambyses ex communi Chronologorum sensu contra Sanctium qui duos illi annos tantum tribuit.

Vers. 6. *In regno autem Assueri in principio regni eius scripserunt accusationem aduersus habitantes Iuda & Hierusalem, &c.* Etsi à multis disputari video, quis hic *Assuerus* sit, variaque de eo varii sentiant, vt fuse alibi docuimus, iam tamen dubium nobis esse non potest, quin is *Cambyses* fuerit, aliis nominibus *Assuerus*, & *Artaxerxes* nuncupatus; nam qui Hebræis & Chaldæis, *Assuerus* dicitur, à Græcis *Xerxes* vocatur, is fuit Cyri filius, qui principio quidem cum parente simul, regnum obtinuit, Babylonicum, & Persicum, vt proximè diximus, atque ideo Cyri regnum vocari potuit, deinde solus, cum absolutè Regis potestatem & nomen obtinuit. Ergo qui cum Cyro, agere contra Iudæos, non essent ausi, infensissimi ipsorum hostes, nec sub eiusdem Babylone degentis, imperantisque potestate, illorum consilia disturbare palam, sed fraude tantum, occultisque cuniculis, cùm primum, absente Patre, Assuerum istum Babylone Dominum, atque omnia in eius potestate, esse intelligunt, aperta vi, & arrepta quam sors offerebat occasione ad eum per internuncios accusationem mittunt, qua Iudæos operi suo intentos in odium & inuidiam pertrahant, regium scilicet animum in metum inducendo, ne quid olim à Iudæis patiatur, si ciuitatem dirutam instaurent, eumque magni obsequii specie ac prætextu, ad furorem inflammando.

X. Idem, Cambyses, qui & Assuerus hic vocatur & alibi Artaxerxes.

XI.

Vers. 7. *Epistola autem accusationis* A *scripta erat Syriacè, & legebatur sermone Syro &c.* Hebraicè, habetur & interpretata Syriacè, ad vitandam Tautologiam, & expungendam ex hoc loco inutilem eiusdem rei repetitionem, sic intellige, indicari ab authore, & charactere Syriaco, & verbis Syriacis, scriptam epistolam fuisse, quæ duo diuersa esse nemo non intelligit: possum enim Latinè scribere, id est Latinis verbis, & in exarandis literis, vti charactere Græco, itaut qui Latine sciat, Græcè nesciat, legere quidem non possit, sed legentem intelligere possit: ista igitur epistola, eodem idiomate B scribebatur, & legebatur, quia scilicet, illi, quibus mittebatur, erant de lingua illa, id est callebant linguam Syriacā, siue Chaldaïcam: est enim eadem Chaldaica & Syriaca, vt dicit Hieronymus, in prologo galeato, similiter Iudæi, ad quos mittebatur, sciebant linguam illam, quia diu fuerant in regno Babyloniæ.

Scripta erat epistola Samaritanorum ad Cambysē & charactere Syriaco & verbis Syriacis.

XII.

Superscriptio epistolæ exterior

Vers. 8. *Reum Beelteem & Samsai scriba scripserunt epistolam huiusmodi, &c.* Totus hic versus videtur fuisse epistolæ superscriptio exterior, sed & obiter notandum, occurrit à versu nono proxime consequenti, hoc reliquo C capite & duobus proximis vsque ad versum 18. cap. 6. omissa lingua Hebræa, authorem vti sermone Chaldaico, quod & obseruauit Mariana cum aliis, &c.

XIII.

Vers. 9. *Reum Beelteem, &c.* Falluntur, ex imperitia sermonis Syriaci, siue Chaldaici, qui dicunt hæc esse propria nomina, trium hominum, scribentium epistolam, supra dictam: *Reum* quidem est nomen proprium hominis, aliæ voces duæ sequentes muneris & officii significatiuæ: *Beel Teem*, id est, si vocum interpretationem, aut notationem spectes, *præfectus rationis*, vt qui- D dam vocant, seu *Magister sapientiæ*, quasi dicas Cancellarius. *Beel* enim *Dominum* significat, vel *Magistrum*, *Teem* vero, *ratiocinationem*, & cum ratiocinatio modo computum significet, modo prolocutionem verborum indicet, sensus erit iste. Reum erat Dominus, vel Magister computi, quia illi qui colligebant tributa & redditus pro Rege, ei rationem reddebant, vel erat Dominus seu Magister, proponendo mandata Regis negotia, Samaritanorum populo, vel forte vtrumque, ad ipsius spectabat officium.

Beelteem nomen officij non viri quod Præfectum rationis, seu Magistrū, quasi rationem sonat, vel Magistrū sapientiæ ac quasi Cancellarium.

XIV.

Vers. 10. *Assenaphar magnus, &c.* Hic rursus (ex quorumdam opinione, quam sequitur Mariana) *est Salmanazar*, de quo vers. 2. qui decem Tribus captiuauit. Vatablus, *Sennacherib* dicit, priori congruit, quod dicitur, hic, in paco scilicet *habitare fecit Gentes quas transtulit in Samaria*, vt constat ex 4. Reg. Sed melius meo iudicio Lyranus, cuius hæc notatio est in hunc locum, *aliqui*, inquit, *libri habent Salmanazar, sed male, quia in Hebræo habetur Assennaphar, & iste fuit Assoraddam, filius Sennacherib*, de quo nos antea, &c.

Assenaphar idem qui Salmanazar vel Asraddā filius Sennacherib.

XV.

Vers. 11. *Artaxerxi Regi serui tui, viri qui sunt trans fluuium salutem dicunt, &c.* Proponitur hic exemplar epistolæ, siue accusationis, quam Iudæorum hostes, qui erant in Syria, ad Cambysem Regem seu Assuerum dederunt, Cambysem dicit, nam certè qui supra vers. 6. Assuerus dicitur, & Persarum inter Reges, post Cyrum, & ante Darium ponitur, omnino Cambyses intelligendus, cui Patronymicum siue Gentilitium Assueri nomen, honoris ergo tribuitur, & hoc loco etiam, Artaxerxes vocatur, quod etsi videtur ambiguum, tamen ex 3. Esdræ, cap. 2. vers. 16. & 70. Sixti, aperte declaratur, quæ enim hic dicuntur scripta ad Assuerum, ibi leguntur ad Artaxerxem data, immo in quibusdam libris 1. Esdræ cap. 4. vers. 6. ita scriptum est, *in regno Assueri, ipse est Artaxerxes.* Dicuntur autem qui ad Regem scribunt, & Syriam habitant, seu terram promissionis esse seu habitare, trans flumen, quod intelligendum est, de Euphrate, & comparatione Babyloniorum, nam fluuius Euphrates Babylonios diuidit, ab Hebræis. Erant quidem etiam trans Iordanem, vt qui ciuitates Samariæ incolerent, sed Euphrates, nomine fluuii, propter magnitudinem eius, & celebritatem, in scriptura passim intelligitur, præsertim in Prophetis, &c.

Flumen in scriptura passim pro Euphrate ponitur, & dicuntur Samaritani trans flumen cōparatione Babyloniorum quos ab Hebræis Euphrates diuidit.

V. 12. Notum sit Regi quia Iudæi qui à te ascenderunt &c. Hæc est forma accusationis in epistola data ad Artaxerxem, in qua notandum hæc verba, *qui à te ascenderunt*, videri fauere nonnihil illius Hebræi doctoris opinioni, de quo antè qui eundem cum Cyro, Artaxerxem facit, quia nimirum certum est Iudæos istos fuisse missos in Hierusalem ab ipso Cyro, & non à filio eius, vt patet ex supradictis cap. 1. verum, ne à communi opinione discedamus,

XVI. cedamus, habeo quod respondeam, videri mihi verba hæc, *qui a te ascenderunt*, hunc sensum pati posse, qui olim ascenderunt iuxta concessionem illis factam, à prædecessore tuo, & etiamnum te sinente, te permittente, & & indulgente, hic commorantur, vel certè, qui à te ascenderunt, id est, qui à loco, in quo tute es, seu à ditione tua, & regno Babyloniæ, in quo dominaris ascenderunt: Addi potest forte etiam, tempore Artaxerxis, aliquos adhuc Iudæos, è Babylone in Iudæam rediisse & certum est à 1. reditu multos inibi, ad multos annos, remansisse.

XVII. *In Hierusalem ciuitatem rebellem, &c.* Quod hostes Iudæorum, apud Artaxerxem, Hierusalem ciuitatem, rebellem vocant, ideo dicunt, quod rebellauerit Regi Babylonis, tempore Ioachimi, & tempore Sedeciæ, vt patet ex 4. Reg. 24 & 25. quod autem addunt, in accusatione, *Extruentes muros, &c.* in hoc falso Iudæos accusabāt, quia nondum magno apparatu, reædificabant ciuitatem, sed tantummodo Templum.

XVIII. *V. 13 Notum sit Regi, quia si ciuitas illa ædificata fuerit, tributum & vectigal & annuos reditus non dabunt, &c.* distinguit hæc tria, tributum, vectigal, reditus, quia scilicet tributum propriè illud erat, quod dabatur hominibus, missis à Rege, ad custodiam terræ, pro stipendiis ipsorum; vectigal id quod soluebatur, vt etiam nunc, Principibus & Dominis, de his quæ vehebantur per terram, vel fluminæ vel mare. Annui reditus, erant illa, quæ, soluebantur, singulis annis, de possessionibus, & de agris, & domibus; callide igitur, ab vtili, Regi suadent viri illi eloquentes, vt dictam ciuitatem, instaurari non permittat, ne ciues illi, Regio fisco vectigales, si firmum habuerint præsidium, mœnibusque ac propugnaculis cincti fuerint iugum impositum à suis ceruicibus excutiant.

Quid vectigal, quid tributum, quid annui reditus de quibus hoc loco.

Vers. 14. *Nos autem memores salis quod in Palatio comedimus, & læsiones Regis videre nefas ducimus, idcirco misimus & nunciauimus Regi, &c.* Callidè iterum veteratores isti, inuidiæ, ac maleuolentiæ in Iudæos ab accusatione sua, suspicionem omnem remouent, & dum illam à propensissima in Regis obsequium voluntate, profectam, tantum significant, pietatis speciem aliquam præseferunt, & bonæ mentis

A laruam induunt, zelo quidem honoris regii & obsequii, ardere videntur, cum aiunt, *læsiones Regis videre nefas ducimus*, sed reapse tamen cupiditati suæ seruiunt & Samaritanorum, in Iudæos odio pertinaci, atque inueterato, putidè ac sordidè famulantur, zelus ille aut fucatus est, aut scictia (quod aiunt) seu virtute minimè temperatus, *nos*, inquiunt, *memores salis quod in palatio comedimus, idcirco misimus, &c.* Sic, gratæ memoriæ susceptum; Iudæos calumniandi negotium ascribunt, animumque suum proponunt, longi atque antiqui beneficii, non immemorem, sed cur solis præcipuè meminerunt, aut quid potissimum hoc nomi-

Zelus fucatus Ministrorum Regiorumque Iudaos apud Regē accusans.

B ne intelligi voluit sacer author? multa in hanc rem dici posse video, sic *sportulas* vocat, quas aulici accipiunt, & à sale, *salarium* est dictum, quam vocem, nisi fallor, in Plinio & Trebellio reperis, 70. & Vatablus habent, *sicut sal palatij, aliti sumus*, siue, *sale Templi*, id est, *Palatij salitis sumus*, quod idem est, vt interpretor ac si diceret, salem Regium comedimus, sequitur hunc sensum Mariana, qui vult salem, hic sumi propriè, pro alimento, aut di

Salis nomine, sportula intelliguntur, quæ Aulicis dantur, & salarium à nonnullis dicitur.

C mensio, seu chœnice, aut sportula, quæ à Domino, seruis, ad diurnos sumptus, & præsertim ad victum præberi solet, sed mihi quidem placet omninò, ad hæc attexta, in hunc locum, sancti annotatio, apud bonos authores, *salarium* seu sal esse stipendium, pro alimento, & victu, quod homines potentiores, illis impendunt, quorum vtuntur opera, quodcumque sit illud, siue in pecunia, siue in frumento, aut vino, aut alio

Salarium seu sal, vulgo apud Authores sumi pro stipendio quod operariis datur pro opera diurna, siue in pecunia, siue in frumento, siue in vino aut quocunque alio.

D quocumque pretio, quo vitæ necessaria comparantur, quod probat, ex Vopiscio, in Aureliano, frequens siquidem atque vsitatum esse, vt mutata etiam rerum forma, ipsaque adeo nominis notatione, & causa, nomen ipsum tamen adhuc permaneat, quod ab antiquata illa, & exoleta causa fuerat in vulgarem sermonem inductum, sic dici, etiam nunc, mensurari alicui stipendium, licet pecunia numeretur, quia olim frumentum, aut aliquid mēsurabile, in operæ ac laboris mercedē, seruis dabatur, sic pecunia pendi, licet numeretur, quia æs olim erat rude, & pondere æstimabatur, non numero, sic congiarium, qui sex capit sextarios, & vini mensura est, sumi ad quamlibet laboris mercedem significandam, quia scilicet olim congiario vini, diurna

Frequens esse vt mutata rerum forma atque etiam nominis notatione & causa nomē ipsū permaneat in vsu quod ab illa causa in sermonē vulgarem fuerat inductum.

laborantium opera compensabatur. A sic demum cuiuscumq; tandē generis stipendium, omne *salarium*, seu salem etiā, pari omnino iure appellari posse, quia salariū olim, nihil erat aliud, quā salis, ex pacto constituta mensura, quæ domini seruilē operam aut annuā, aut menstruam compensare solebant, vnde coniectura est apud Persas quoque, solemne illud atque vsitatum fuisse; Quod autem idem author, huic cui potissimum adhærescimus expositioni, præmittit, nihil admodum est, à superioribus diuersum, aut facile eodem redit, nimirum, salis nomen, in textu positum, aut pro diuturna consuetudine, aut pro mensæ vsu, sumi posse, quasi dicant, qui ad Artaxerxem scripserunt, satis sibi perspectam esse Regis beneuolentiam, cum tamdiu ipsos apud se retinuerit, vt si minus in eius mensa, ac domo, saltem in eius obsequio, ac famulatu multos salis modios, quod vulgo dicitur absumere potuerint; aut certè sibi affatim & copiose à Rege de victu necessario fuisse prouisum, iuxta illud vetus prouerbium, *salem & mensam ne prætereas*, cum igitur hi viri honestæ essent conditionis, vt potè C qui publicum etiamnum adhuc munus sustinerent, & prius, in aula Principi adfuissent & atriense forsan, aut nobile quoddam aliud ministerium obiissent, honestum seu honorarium sane, illorum salarium, fuisse oportuit, ac proinde, iure optimo, dicere potuerunt, *nos memores salis*, id est, alimēti copiosi, & lauti, quod à tua liberalitate recepimus, & quo nos, nostramque omnium familiam sustentauimus, has ad te litteras officii, & obsequij nostri, testes, atque Iudices esse censuimus.

D Vers. 15. *Vt recenseas in libris historiam Patrum tuorum, & inuenias scriptum in Commentariis, &c.* Vt accusationem suam, & calumniam, melius, atque artificiosius obtegant veri specie. Regni Commentarios allegant, id est publicos Annales, Diarium imperii, siue Regias Ephemerides, quæ conseruandæ rerum gestarum memoriæ prudenter instituí, & magno etiam studio conseruari solent, illorum, inquam, commentariorum, aduocant fidem, ex quibus, Hebræorum gentem, iam olim, seditiosam fuisse, totam ad factiones, natam fictamque, vt pote, quæ nouum aliquid quotidie meditatur, & res aliorū pacatas assiduè conturbat, liquido constare asseuerant, quanquam, ne difficultatis nonnullæ, quæ sese hic effert, nodum soluendum, aut dissimulemus, aut quasi aliud agentes, prætereamus: si Cambyses siue Artaxerxes, Cyri filius, non Chaldæus ille quidem, sed Persa fuit, quid tandem in Parentum suorum Annalibus inuenire potuit, quod ipsum contra Iudæos, odio atque ira incenderat; cum nihil vspiam illi contra Persas & Medos moliti fuerint hostiliter quod in Commentarios referri, aut monumentis publicis consignari debuerit: Video posse Chaldæorum seu B Babyloniorum Reges, qui antecesserunt, licet alienos genere dici posse Cambysis parentes, quod illis quasi parentibus, in imperio successerit: sed melius respondetur, Persas olim & Medos, Chaldæorum Regi contra Iudæos auxilium præbuisse, quod non obscure colligitur ex Isaia cap. 22. v. 6. vbi cum Babyloniis euocantur Ælamitæ, qui Persæ sunt, ad Hierosolymam euertendam, & rem Iudaicam funditus depopulandam, & quidem Cyrum, cum Babyloniis, sociale fœdus iniisse legimus in Herodoto, lib. 1. quod si ad Babylonios Persæ se adiunxerunt contra Iudæos, ad regiam eorū ciuitatem euertendam, quid si melius veri est, quā ipsos, quid tunc gesserint strenuè, & quam ob causam, auxiliaribus copiis, Chaldæos adiuuerint in suos Annales, seu Commentarios retulisse, quos si consuleret Cambyses, ex iis non difficile, qua indole atque ingenio, Hebræi multis ante annis fuissent, intelligeret, &c.

Quomodo libri historiarum Chaldæorum dicātur, Patrum Cambysis cum non Chaldæus, sed Persa fuerit.

Et scies, quoniam vrbs illa, vrbs rebellis, & nocens Regibus, & Prouinciis, &c. XXII. Quod Hierusalem ab istis nocens Regibus, & Prouinciis, ciuitas dicitur: id spectat quod tempore Dauidis & Salomonis, plura regna fuerunt ei subiecta, vt patet 2. Reg. 8. & 3. Reg. 4. itaque iuxta superius à nobis annotata, *quod bella in ea concitari*, aiunt, *à diebus antiquis*, non malè ad Iosue, & aliorum Iudicum ætatem refertur, qui vicini populis, bella intulerunt, eosque à finibus suis expulsos, in alienos commigrare, & tandem aliis seruire coegerunt, quod autem additur *quam ob rem destructa est, &c.* Rebellionem indicat, contra Nabuchodonosor, quæ memoratur 4. Reg vltimo, hinc est quod versu 16. proxime sequenti, ex superiorum illorum temporum me-

moria, Regi metum incutiant, aiuntque, *Nunciamus nos Regi, quoniam si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri ipsius instaurati, possessionem trans fluuium non habebis*, quasi, si certum omnino esset, stante illa ciuitate fore vt omnis illius regia authoritas, repente concideret.

XXIII. V. 17. *Verbum misit Rex ad Reum, Beelteem, & Samsai, scribam, & ad reliquos, qui erant in consilio eorum habitatores Samariæ, &c.* Non dubium, quin ministrorum regiorum, Iudæis aduersantium, epistola *Susan* siue *Ecbatanā* aut etiam *Babylonem* delata sit, tradit enim. Xenophon, lib. 8. institutionis Cyri, Cyrum, in hyeme septem mensibus, egisse *Babylone*, quod tepida esset ea regio, vere, tribus mensibus *Susis*, æstate autem, menses duos, qui magis æstuosi sunt, *Ecbatanis*, vt sic in perpetuo quodam vere, ætatem transigeret, idque institutum, cæteros Reges tenuisse, ex lib. 3. expeditionis Cyri colligitur; fuisse etiam antiquam Persarum regiam sedem, in *Pasargadis*, vbi sepultus est Cyrus, notum est ex Strabone, deinde vero in *Persepoli*, vbi Persarum regiam combussit Alexander, Græcos vltus, quorum illi sacra & vrbes igne ferroque vastassent, ait idem Strabo l. 1. Hæc igitur epistola in regiam Cambysis delata, & apud Regem lecta, & consultis Commentariis rerum gestarum, inter Iudæos, & exteras nationes, cum eum, imminens periculum, & imminutio prouentuum regiorum pupugisset, visum est respondere, vt proximo versu 18. legitur: *Accusatio quam misistis ad nos manifeste lecta est coram me*, sed prius honesta regiarum litterarum præfatio, obiter expendenda. *Salutem dicens & pacem, &c.* in responsione Regis Artaxerxis, seu potius honesta precatione, quæ ad caput litterarum apponitur: quod spectat ad hæc verba, *Salutem & pacem, &c.* notandum Hebræos sic habere: *Eclitterus trans fluuium, Scelam & Ceanec*, atque adeo sentire illos, hæc esse nomina regionum, trans fluuium existentium, in quibus habitabant aliqui de transmissis à Regibus Assyriorum, ad inhabitandum terram illam.

Epistola Samaritanorum ad Regem, vel Susam, vel Ecbatanā, vel Babylonem missa cum 7. mensibus in hyeme Babylone, 3. Susis vere, duobus æstate Ecbatanis, agere solerent Persarum Reges. Pasargadis & Persepolis, antiqua item Regum Persarum sedes.

XXIV. Vers. 19. *Et à me præceptum est, & recensuerunt inueneruntque, &c.* Quod ait Artaxerxes, *& à me præceptum est*, intellige, consuli, videlicet, veteres historias, annaliumque monimenta, vt ex illis quod hostes Iudæorum, de ipsis perscripserant, innotesceret; cum igitur Rex, acceptis litteris, inquiri iussisset in Commentariis, an verum esset, quod Hebræorum genti, accusatores obiecissent, rem ita se habere, vti monuerant, nihilque omnino in accusatione confictum, se deprehendisse significat.

Vers. 20. *Nam & Reges fortissimi fuerunt in Hierusalem, &c.* Vere id quidem, vt patet de Dauid, Salomone, Iosaphat, & aliis pluribus, quod vero subiungitur, *& dominati sunt omni regioni quæ trans fluuium est*, constat ex Historia Regum lib. 3. de Salomone potissimum, cuius dominium, vt refert scriptura, extendebatur a flumine magno Euphrate, vsque ad riuum Ægypti. *XXV.*

Vers. 21. *Nunc ergo audite sententiam, prohibeatis viros illos vt vrbs illa non ædificetur donec si forte à me iussum fuerit, &c.* Cum verum esse deprehendisset, Artaxerxes, quod in accusatione, Iudæis obiectum audierat, tandem Regia authoritate, aduersus illos, sententiam pronunciat, Edicitque seuere, vt manus ab ædificatione contineant, sic accusatorum postulatis, votisque annuit, & pro sua potestate, aut inchoatum, aut destinatum animo opus, promoueri prohibuit, quod Imperatoris Edictum, cum ad Cuthæos, Samaritas, aliosque Iudæorum hostes, perlatum esset, atque perlectum, mirùm quanto animi ardore, ac studio, imposito sibi munere perfuncti sunt, hinc sequitur. XXVI.

Vers. 23. *Et abierunt festini in Hierusalem ad Iudæos, &c.* Tunc siquidem, publica authoritate, & regali auxilio fulsi, acceptis scilicet, ad id, ab Artaxerxe, litteris, hostes Iudaici nominis, ædificationem Templi, aperta vi impediunt, quorum: vt notata superius à nobis est, in accusando fraudulentia, qua eos, qui domum Dei ædificabant, ciuitatem, contra regnum, ædificare falso quærebantur, sic modo, maligna illorum peruersitas, perstringenda est, qui præcipiente Rege, ne ciuitas ædificaretur, mox arrepta authoritate, ne Templum ædificaretur restiterunt, cum nihil de constructione Templi detulissent, & Rex tantum prohibuisset, constui ciuitatem, vnde, quod facilè notauit etiam Lyranus, in hæc verba, mandati Regis, vers. 2. *Prohibeatis viros illos, &c.* Nec si iste Artaxerxes, Cyrus fuit, quod falso qui-

Vt falso accusatores Iudæorum quærebātur illos ciuitatem ædificare contra regiam authoritatem cum domū Dei tantū ædificabant hic præcipiente Rege tantum ne ciuitas ædificaretur malignè ne tē-

plura quoque construeretur impedierunt.

dam censuerunt, facultatem Iudæis concessam retractasse censendus est, quia non permisit reædificari ciuitatem, sed solum Templum, vt habetur superius, cap. 1. sed nos, hæc alibi discussimus, opus ergo Chaldæi, & Samaritæ, prohibuerunt vt fert textus, *in brachio & robore*, id est, cum virtute exercitus, cui Iudæi non poterant resistere.

XXVIII. Vers. 24. *Tunc intermissum est opus domus Domini vsque ad annum secundum Darij, &c.* Hoc anno complentur, iuxta quorumdam opinionem, quam superius innui in quæstionibus præambulis 70. anni desolationis prædictæ Hieremiæ 25. vers. 11. sic enim Zachariæ 2. habes, vers. 12. vbi Angelus, 2. Darii anno, ait, *ecce hic 70. annus est*, tum Dan 9. vers. 2. *vt complerentur desolationis Hierusalem 70. anni*, quod Darii 1. anno dicit, accidisse & melius alii referunt ad Darium Medum, quam ad Darium filium Hystaspis, quæ sic vniuersim accipienda sunt, vt finis & initium captiuitatis populi Iudaici, ab initio, & fine desolationis Templi, & eiusdem populi secernatur. Porro Darius iste filius Hystaspis secundum Iosephum, fuit amicus Zorobabel, & Iudæis passim studuit vt patet ex sequentibus; quam in Iudæos propensam voluntatem ex eo maxime contigisse refert Iosephus, quod antequam promoueretur ad regnum, votum conceperit, fore vt si contingeret, eum ad regnum promoueri, Templum ædificari curaret: contra vero ex sententia Rab Sal. apud Lyranum, Darius iste fuit filius Assueri, & Reginæ Esther, sicque Iudæorum inquit negotia promouit, in gratiam matris suæ, quæ scilicet ex illorum genere esset oriunda, sed quàm in ea longè erret, & male Chronologiam suam texat, satis liquet, ex superioribus. Intermissum igitur fuit, sacrum illud ædificium, vsque ad annum secundum Darii Hystaspis hoc est, annis nouem vt est communis interpretum sententia, quod iam antea significaui: sic Iosephus, qui dat sex annos

De Dario cuius hic mētio quis fuerit, varia sententia.

Annis nouē opus Templi intermissū quos 1. cētum & septem com-

A Cambysi, vnum magis, & duos Dario. At Scaliger, stupenda sanè ac prodigiosa (vt loquitur Salianus) Chronologia lib. 1. de Emendat. temp. annos Hoseæ nouem, in centum & septem commutat. Cæterùm, & à nonnullis disputari, in vtramque partem, hic video, num ab opere planè destiterint Iudæi, ad illum vsque nonum annum Darii, qui in textu significatur. Certe cap. 5. vers. 16. dicitur, ex eo tempore quo posita fuerunt permissu Cyri, à Zorobabele, fundamenta, vsque ad initium regni Darii, *ædificatum fuisse, & necdum completum fuisse opus*, quod

mutat Scaliger errore Chronologie

XXIX.

B Torniellus 6 ætat. ann 78. n. 2. sic explicat, vt non toto illo interiecto tempore, cessatum fuerit, nempè quod eam cessationem, ardens Iudæorum zelus, ferre nequiuerit sed quod Regis metu & regiorum sumptuum substractione, opus lentè ac furtiuè promoueretur, sed cum ex altera parte, non minus ardens esset odium, & inuidia Samaritanorum, in obseruandis Iudæis, an forte, Regis mandata violarent, potest videri ea oratio Præfectorum Darii, ex qua superiora verba decerpta sunt non carere amplifica-

C tione, quæ causæ seruire videretur, sicut vice versa omittunt, quæ nocere poterant, nam prohibitionis Artaxerxis & Cambysis nulla omnino fit mentio: forte etiam dici possit, & rectius, Iudæos non destitisse ab ædificando Templo, quantum eorum tenuitas ferebat, quoniam Cambyses solam vrbis constructionem prohibuerat, & de illa duntaxat, hostes Iudæorum, ad ipsum querelas detulerant, quod autem dicitur *opus domus Domini intermissum in Hierusalem* accipi potest, de ipsa vrbe, quæ propter Templum, extruenda erat, vt esset in tuto, verum, vt rem totam vno verbo conficiam

D opus sacræ ædificationis, planè desertum fuisse à Iudæis, & quidem, non sine culpa, pœnaque; ex 1. Aggæi capite, à versu 2. acerbè id ferentis, atque acriter populo, exprobrantis, manifestè constat, quod sequenti capite fusius expendendum erit.

Opus sacræ ædificationis planè non intermissum à Iudæis manifestè cōstat ex Aggæo.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quarti.

Quinam sint in sensu Allegorico Iudæorum aduersarii, qui cum illis ædificare se velle simulant Templum Domino : iuxta illud, Vers. 1. *Audierunt autem hostes Iudæ & Beniamin, quia filij captiuitatis ædificarent Templum Domino, & accedentes dixerunt eis: Ædificemus vobiscum, &c.*

I. IAM in ipsa literæ expositione, cursim licet atque obiter tantum, satis tamen apertè significauimus, quinam per Samaritas hostes Iudæ & Beniamin, quos abductis olim in captiuitatem decem tribubus Rex Assyriorum ex diuersis gentium populis, in eorum fœdus ciuitatesque transtulerat, typicè exprimerentur: nempe falsi fratres, hoc est Hæretici; & mali Catholici, quod facile cuiuis patet, ait Beda. Nam cum Samaritæ illi & Cuthæi ex Assyria aducti à Iudæorum Sacerdotibus acceptam legem, vt ante vidimus, sic tantum ex parte seruarent, vt nihilominus eisdem quibus antea falsorum numinum simulachris seruirent. Cum illi veros Dei cultores hoc est Iudæos & ciues Hierusalem abominarentur, & nihilominus suum illis ædificantibus auxilium operamque offerrent ac pollicerentur, vt in societatem recepti melius postmodum ac commodius illis ipsis detrimenti aliquid afferre possent atque dispendii, profectò eorum quos dicimus, & indolem & ingenium egregiè repræsentant, nimirum hostes sunt Iudæ, hoc est confessionis & laudis, quam Ecclesia Domino in præsenti per fidem rectam & opera fide digna offerre consueuit, hostes quoque Beniamin, id est, vt vox ipsa sonat, filii dextræ, censeri eos oportet, dum quos prauis suis sermonibus à fidei veritate aut bonis moribus abalienant, segregant ipsi à populi fidelis sorte, qui ad dexteram summi iudicis, in futuro quondam iu-

Samaritæ Iudæorum hostes & populi Dei, mysticè, Hæretici & mali Catholici.

A dicio benedictionem in perpetuum duraturam & æterni regni fœlicitatem percepturus est. quod si D. Gregorius per amicos Iob, qui amicitiæ suæ significationem primo ipso congressus aditu satis insignem in specie, postmodum in iniurias ac contumelias conuerterunt Hæreticos mysticè interpretatur lib. 3. Moralium cap. 14. Quidni ego pari iure id faciam, eosdémque per Samaritas istos designari asseram, qui se Iudæorum amicos veteratoriè simulant, cum aiunt : *Ædificemus vobiscum, quia ita vt vos quærimus Deum vestrum* : Hæreticorum scilicet hæc vox est, hic sensus & cogitatio altè eorum animis impressa, vt ædificandi Templum Domino, id est docendi prędicandique authoritatem, cum Catholicis, siue inter Catholicos, æque atque inter alios, tribui sibi, omni studio affectent atque contendant: sed eo duntaxat consilio, vt cum promiserint, se vnam eandemque cum eis rectæ fidei morúmque castitatem tenere ac profiteri, postea accepta docendi potestate, in medio boni seminis zizania doctrinæ occultè & peruersè interserant. Sic fecere olim quidam, in Niceno Concilio, (quod eruditè etiam hic obseruat Beda) qui rectæ fidei, inter orthodoxos Patres, non orthodoxa mente subscripserunt, vt quo fidelibus bene Catholicis, propius ac familiarius essent admixti, eo recipiendæ perfidiæ Arianæ liberius locum struerent. Sic quoque Pelagius in Concilio Palæstino, hæresim suam, qua gratiam Dei acerrimè impugnabat, confessione & scripto, non ex animo, sed fictè tantum anathematizauit, ne ipse à Catholicis Sacerdotibus anathema-

D. Gregorius per amicos Iob Hæreticos designari ait.

Simularunt se Catholicos olim multi Hæretici vt liberius priuatam suam doctrinam disseminarent.

tizatus & ex eo um albo expunctus, locum dicendi in Ecclesia, sicque, errorem suum liberè dissiminandi facultatem amitteret. *Ecce*, inquiebant Samaritæ illi veteres, *nos immolamus victimas ex diebus Assorhadam Regis Assur qui adduxit nos huc*, quibus sanè respondendum fuit: ita vero, immolastis victimas, sed immundas, quia non renunciastis Idolis. Intrastis in terram filiorum Israël non, à Iosue, introducti, non Hierosolymorum imperio subditi, sed à Rege perfido, ab hoste populi Dei, in terram eius adducti, non vt in hac Domino, sed eidem Regi, & Iudaicæ gentis sic diuinæ legis aduersario seruiatis, sic Samaritæ nostri temporis, sic Hæretici, hac ætate sic falsi Catholici, cùm pacem Ecclesiæ, vel viuendo peruersè vel etiam docendo impugnant, an non dicendi sunt, ab mystico & spirituali Hierosolymorum regno extranei, & ad gentilium magis, quorum peccata non deserunt, miserandam conditionem, quam ad fortunatam Christianorum sortem quos moribus non referunt, pertinere. An non iidem ipsi, vt aperte rem eloquar, non Domino Iesu, sed Diabolo Duce, cuius figuram gerit Assorhaddam Rex Assur sanctæ Ecclesiæ fines, introire censendi sunt? Quo enim nisi Diabolo instigante agitur, vt quis Sacramenta Ecclesiæ percipiat non vt per hæc ipse Deo consecretur saluandus sed vt consecratus Deos, alio ex familiaritate corrumpat acrius inde damnandus? Reuolue si velis Ecclesiæ iam primùm nascentis historiam, sic fecisse Simonem illum Magum comperies qui Baptismum in Ecclesia, percepit non ob suæ studium saluationis, sed vt res Ecclesiæ, certius ex vicinitate dignosceret, disturbaretque si posset tandem aliquando quod exitu ipso perdocuit. Iure itaque, quod *Zorobabel, & Iosue, & reliqui Principes Patrum Israël*, Samaritanis dixerunt, nos etiam falsis fratribus, aut à fide alienis aut morum prauitate corruptis, liberis pronuntiemus, *Non est vobis & nobis vt ædificemus domum Deo nostro sed nos ipsi soli ædificabimus*: Non est Hæreticorum ædificare domum Domini, quæ est Ecclesia, à qua ipsi probantur esse alieni, sed eorum solummodo qui Zorobabel & Iosue, id est, Christo Domino vero Regi ac Sacerdoti adhærentes Principes Patrum Israël vocari merentur ob curam videlicet quam sanctè erga eos impendunt, qui veri sunt Israëlitæ, ac quod Israël significat, Deum videre desiderant, quod autem Samaritæ cùm veteres tùm moderni clàm ac subdolè agant cum populo Dei venenumque suum boni ferè, ac virtutis quadam specie obtegere soleant, scitè ac subtiliter indicat loco iam proximè citato cum de amicis Iob, Themanita, Suite, Naamathite quibus Hæreticos ipsos adumbrari vult, vt diximus, sic ait, A Thema & Sui, id est à calore & loquacitate, vt hæc verba exponit venire referuntur, quia per hoc scripturarum lectioni se studiosos exhibent, solius loquacitatis, non autem visceribus charitatis calent. Naama, vero interpretatur, decor, quia enim, docti non esse, sed videri appetunt, ex eruditionis verbis speciem beneviuentium sumunt. Et per calorem loquacitatis, in se imaginem ostendunt decoris, vt eo per decorem linguæ peruersa facilè persuadeant, quo fœditatem vitæ sensus calliditate occultant; sic quasi ædificaturi domum Domini, obuiis quibusque offerunt sese latenter ac dolosè, cum tamen aliud nihil quam eam destruere ac funditus euertere moliantur. Propterea D. Bernardus sermone 64. in Cantica, eosdem cum Vulpibus comparat, exponens illud 2. Canticorum vers. 15. *Capite nobis Vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas*, & sermone 65. vbi post multa de Hæreticis manifestis, hæc de occultis quos longe aliis periculosiores existimat, sic, edisserit, *Quid faciemus his malignissimis vulpibus, vt capi queant, quæ nocere quam vincere malunt, & nec apparere volunt, sed serpere. Omnibus vna intentio Hæreticis semper fuit, captare gloriam singularitate scientiæ, sola ista malignior cæteris, versutiorque Hæresibus damnis pascitur alienis, propriæ gloriæ negligens, docta credo exemplis veterum, quæ prodita euadere non valebant, sed confestim capiebantur, cauta est nouo maleficij genere, operari mysterium iniquitatis eo licentius, quo latentius.* Hactenus Bernardus ad quem, si plura volet in hanc materiam studiosum lectorem remitto.

Nec Heretici nec mali Catholici idonei sunt ad ædificandam domũ Domini quæ est Ecclesia.

Heretici cum Vulpibus comparati.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quarti.

Tractatio moralis in hæc verba, vers. 4. *Factum est vt populus terræ impediret manus populi Iudæ: quinam scilicet in sensu morali & mystico, dicendi sunt populi terræ.*

ENE (inquit Glossa interlinearis, in hunc locũ) dicitur populus terrę qui operarios virtutis turbare, & opus cœleste impedire tentat, & iam superiori cap. 3. vers. 3. expandens hæc verba deterrentibus eos populis terrarum, populis terrarum, inquit, non quorum conuersatio in cœlis est, &c. Nimirum hinc, Gentilis populus, ac legi diuinæ inimicus, olim *populus terræ* dicebatur, quod passim in scripturis sacris testatissimum est. Quin & inferius cap. 9. vers. 2. Transgressores legis latæ, Deuteron. 7. vers. 3. qua prohibentur Israëlitis, coniugia cum infidelibus, dicuntur *miscuisse semen sanctum, cum populis terrarum*, vbi infideles, terrarum populi, appellantur, nempe quod terræ plus nimio sint affixi, quod terrenis rebus adhæreseant, & incubent toti, quod de diuinis, nihil cogitent, nihil de cœlestibus meditentur, ex quo patet vana illa ostentatio, quam præ se ferebant, magnates Holofernis. *Sciat*, inquiunt, *omnis gens, quoniam Nabuchodonosor, Deus terræ est, & præter ipsum, alius non est*: Iudith 5. vers. 29. Nam si Nabuchodonosorem, solius terræ Deum esse fatebantur, alium esse Deum, ipsius cœli oportebat. Cur ergo alium quam ipsum Nabuchodonosorem esse negabant. Planè, quia ita terram diligebant, vt cœlum prorsus obliti viderentur, atque adeo præter Deum terræ, nullum aliud cœli numen venerabantur, nec infideles modo, verum etiam fideles, terra quodammodo fiunt, & terra nuncupantur, cum terrenis negotiis immerguntur. Nempe si D. Augustinum audimus in hanc sententiam, *Talis quisque nostrum est, qualis est eius dilectio, terram diligis terra eris, Deum diligis Deus eris*: sic ille, tractatu 2. in epistolam 1 Ioan. nec otiose dictum est, à Propheta de impiis. *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt*: Osee 9. v. 11. Hinc illi qui Dauidi insidias tendebant, vt in eius regnum inuolarent, in terram defixos, auersosque penitus à cœlo oculos, habuisse dicuntur. *Oculos suos, inquit Dauid, statuerunt declinare in terram*, Psal. 16. v. 11. quippe, regno cœlesti renunciantes, ad terram duntaxat aspirabant, sed & fallaces, ipsiusmet Dauidis insidiantes, *In iracundia terræ loquentes dolos cogitabant*. Psa. 34. v. 20. hoc est, Lyrano interprete, iuxta iracundiam hominum, qui propter terrenas affectiones, terra dicuntur. Quid quod Danielis cap. 13. v. 9. impuri illi senes, qui *sensum suum*, vti scriptura loquitur, *euerterant*, qui fœde exarserant in concupiscentiam Susannæ, eiusque pudori insidias moliebantur, dicuntur *oculos suos declinasse ne viderent cælum*, scilicet, vt terram liberius spectarent, quia pudendum in modum, terra erant, totique terrenarum cupiditatum, ac nefariæ libidinis cœno immersi denique, eo spectat, idipsumque innuit Moyses, Genes. 6. v. 12. his verbis: *Cum vidisset*, inquit, *Deus terram esse corruptam, &c.* vbi D. Chrysostomus, hom. 23. Non de terra, inquit, sensibili loquitur, sed inhabitatores, terram vocat, eo quod, terrenis cogitationibus absumantur. Quare sicut iustorum nomina scripta sunt in cœlo, Luc. 10. v. 20. quia cœlum corde, cœlum ore præferebant; ita impiorum nomina in terra, iuxta illud: *Recedentes à te, in terra scribentur*: Hierem. 17. v. 13. quia nihil nisi terrenum amabant, nihil nisi terrenum loquebantur: vt pote qui de terra erant dumtaxat, & qui de terra est terrena seu de terra loquitur ait Christus. Ioan. 3. v. 31. Igi-

Populi terrarum dicuntur qui terrenis adhærescũt toti & de diuinis nihil cogitãt.

Terra etiam dicuntur qui terrenis negotiis immerguntur.

Impij in scriptura defixos in terram auersos à cœlo oculos habere dicuntur.

Vt iustorũ nomina in cælo, sic impiorum in terra scribuntur.

tur improbi homines:& legis Dei inimici teste etiam D. Paulo 1. Corinth. 15. v. 4. sunt plane *de terra terreni*, sicut probi, ac iusti, *de cælo cælestes*, &c. Et terreni quidem homines terramq; habitantes, vel eo solum nomine, male semper audiunt in scriptura, vt pridem notarunt periti illius interpretes, quod terram inhabitare dicuntur: quã in rem satis insignis est obseruatio. D. Hieronymi epistola ad Dardanum, de terra promissionis, quæ sic habet, *Vbicunque*, inquit, *habitator terræ legitur, superiora, & media, & extrema tractemus liquido scripturarum poterit regula comprobari, semper habitatores terræ, peccatores appellari*, de quibus in Apocalypsi, illud exemplum est, c. 8. v. 1. *Væ habitatoribus terræ*, siue habitantibus in terra, væ hominibus terræ incolis, id est, væ terrenis, & mundanis hominibus, qui corde & affectu habitant in terra, immo eidem prorsus affixi sunt & passim, mysticè, & moraliter, hæc verba interpretantur Sancti Patres, atque in illis, idem Hieronymus, qui alibi etiam, quàm loco à nobis iam citato, huic interpretationi adhærescit: sic enim ille in Ezechiel c. 7 *Sanctus non est, habitator terræ, sed aduena atque peregrinus*, dixitque aduena sum, & peregrinus sicut & Patres mei, quamobrem, & Abraham, Hebræus, id est, περάτης, & peregrinus, transitorque memoratus ex quo, licet concludere pessimè audire apud Deũ, habitatorem terræ, si peccator est, si sanctus non est. habitator terræ, quin & S. Ambros. lib. 2. de Abraham c. 7. citans & ipse hunc eundem locum Apocalypsis: *Væ habitantibus in terra* pauloque fusius exponens, subdit,

Sepe habitatorẽ terræ appellari in scriptura, impium & peccatorem.

Non vtique omnes homines comprehendit, qui tunc, vitæ huius cursum conficiens (sunt enim & in terris positi, quorũ conuersatio in cælis est, sed eos, quos terrenæ conuersationis affectus, ac seculi huius vicerit, gratia. Ergo non habitatores, sed accolæ sumus terræ huius, accola enim temporalis diuersorij, spem gerit, habitator autem spem omnem atque vsum, suæ illic substantiæ, locare videtur, vbi habitandum putauerit: Itaque qui est terræ accola, habitator cæli est, qui autem habitator terræ, possessor est mortis. Sic Ambrosius. Ad hæc dicam ego. Ergo si Christiani sumus, conuersatio nostra in cœlis est. Si Christo insiti, tanquam ramus arbori, sic tanquam surculus trunco, ac radici, ne ab eo diuellamur cœlum cum ipso spectemus, ac cœlestia, cœlestes cum eo simus, quando ipse, iam homo vita, atque institutio cœlestis est, olim in terra, cœlestis quoque domicilio, si cum ipso surreximus, ac velut in cœlum è terra scilicet, ascendimus, ne relabamur in terram quæ sursum sunt quæramus, quæ sursum sunt sapiamus non quæ super terram sursum animos & cogitationes efferamus. Emergamus votis ac desideriis è terra in cœlum terram vsque generoso contemptu, & quod infra Deum sunt calcantes. Cum populis terræ, mundanæ voluptatis fæces ac quisquilias depereuntibus, nihil sit nobis communionis atque commercij Terram sinamus filiis hominum, ac terræ & carnis amatoribus, nos filij Dei cœlum vnum, & fixam olim statamque in cœlo stationem, earum rerum studiis quæ nos eo deducant, fortiter, constanterque ambiamus.

ALLEGORIA

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quarti.

Mysticum at Morale, In hæc verba cap. 4. vers. 14. *Nos memores salis, &c.*

Identur hæc Ministrorum Regiorum verba, quibus se memores salis, quod in palatio comederunt, datis literis ad Artaxerxẽ profitentur, maxime iuxta versionem 70. in codice Complutensi, & Vatabli, eiusmodi esse, vt ex illis aliquid ad mores, ac proinde ad sensum mysticũ seu tropologicum illustrandum desumi commode possit nec leue, nec vulgare, *sale* inquiunt, *Palatij saliti sumus* quid istud tandem indicat? vt ex sensu quoque literali enucleatius exposito postea sensum moralem purius eliciamus nimirum quemadmodum sal, solet durare & conseruare corpora, ne putrescant, & difluant, sic etiam videntur hi, qui se Regio sale, dicunt esse salitos conditosque, significare se salutem suam, vitamque, debere, regis beneficio, à quo, sustentantur, conseruanturque, non secus ac carnes conditæ sale, quo à tabe conseruantur & sani, & in multum tempus, integræ & incorruptæ durare consueuerunt.

Homines, à diuinis beneficiis, sustentantur conseruanturque vt a sale, carnes, quæ eo sunt condita.

Quod si homines hominum donis ac muneribus adeo afficiuntur, quidni & Dei ipsius? quidni etiam diuina beneficia recognoscere nobis liceat? quidni palàm & publicè profiteri, nos veluti salitos esse omnes, à Deo atque illius, regia sanè prouidentia, & magnifica benignitate conseruatos, alioqui perituros, & momento, in tabem & saniem abituros totos, quemadmodum carni accidere solet, cui si salis desit condimentum, putrescit statim, & cum intolerabili fœtore corrumpitur? quid *quod saliti sumus*, à mensa Regia, mensa inquam Eucharistica, Christi carne, & corpore, atque *ipsius opimitate*, vt cum Tertulliano loquar, *saginati*? Panis hic noster & supersubstantialis & quotidianus est quem subministrari à nobis pe-

A timus ea orationis parte quam Christus discipulos ipsos edocuit Matth. 6. *Panem nostrum quotidianum* ὑπερούσιον *supersubstantialem, da nobis hodie*: hoc alimur hoc reficimur, hoc vegetiores quoque nos, in dies fortioresque reddimur; hoc denique, & sustentamur in gratia quæ vita animæ est, & conseruamur, vt dicere liceat: *Sale palatii saliti sumus*, atque ideo si qua nobis mens est, & pudor, eo maxime incumbere debemus, ne ad alienas à pietate voluptates deflectamus, ne caro nostra, Christi carne velut diuino sale, toties

B salita & condita, aliquid oleat impurum & obcœnum. Sal rebus eo conditis vim suam impartit? Tunc autem intelligemus diuinum illud sal, nobis vim suam eximiam communicasse, si de diuina gloria laboramus sollicitè, si nos diuini numinis offensi, vt verè nostrum omnium domini, dolor tangit asperius, atque exulcerat, denique si vere pronunciare illud possumus, quod isti Regis Artaxerxis, aulici, fortasse falso de sua, in Regis obsequio, fidelitate, & constantia profitentur. *Nos memores salis quod in Palatio comedimus*,

C *læsiones Regis videre nefas ducimus*, id est, Nos memores beneficii à Rege omnium maximo & Principe Regum Terræ Deo omnipotente accepti, quo tandiù ab eo sustentati sumus magnificè, sustentamurque quotidiè, quicquid diuinum eius nomen & gloriam, non labefactat modo grauiter, sed etiam vel minimum lædit ac leuiter conuulnerat, ferre nos nisi iniquo & acerbiore animo non possumus: Sanctius qui totis alioqui suis commẽtarios, totus in litera est, neque ad mores fere vllibi quidquam edisserit, huius allegoriæ & Tropologiæ mihi fontem aperuit, quam vt in alium riuum deducam, sequentem tractationem annecto.

Prouidendum ne caro nostra Christi carne velut sale condita, aliquid impurũ oleat.

MORALE IN EVNDEM VERSVM 14. de zelo Dei, in hæc verba. *Læsiones Regis videre nefas duximus, Zelum diuini honoris, illustrem esse Dei seruorum notam.*

VI. Certum est zelum, A esse amoris indicem, nec propriè quidquam aliud esse, si rectè intelligatur quam incensam, plus solito, efferuescentemque charitatem; vetus illa parœmia est, de qua D. August. lib. contra adimant. cap. 13 *Qui non zelat, non amat*, & quidem D. Thom. 1. 2. quæst. 28. art. 4. *Zelum vocat, amoris effectum*, & lect. 1. in cap. 11. 1. ad Corinth. ad ea verba, *Æmulor vos*, id est, B diligo vos feruenter, sic definit zelum, est amor intensus, non patiens consortium in amato, sic dicitur in scriptura, *Deus ipse zelotes, siue zelotypus*, Exod. cap. 20. & 34. quia, non patitur, vt secum alius Deus colatur, solus, pro Deo, amari vult, & coli. Hinc apud Ioelem, cap. 2. *zelatus est Dominus super terrā* apud Zachariam cap. 8. *zelatus sum Sion zelo magno*, apud Ezechielem cap. 16. *Auferetur zelus meus à te, &c.* quod notauit Theodoretus, quæst. 34. in Exod. cum ait, Deus, seipsum, zelotem appellat, humano more, lo- C quens, vt terreat homines, & illos sapere cogat, sicut enim vir, ignauam habens vxorem admonere solet illam his verbis, Zelotypus sum, videre non possum te. cum alio viro loquentem, ita Dominus, volens à cultu dæmonum illos ab alienare, non tantum seipsum zelotem appellauit, sed & ignem consumentem. &c. tandemque concludit Theodoretus, *Est igitur zelus amoris index*, ad Theodoretum addo, Diony- D sium Areopagitam cap. 4. de diuinis nominibus qui sic illam Dei appellationem explicat, Deus, inquit, zelotes appellatur, propter multum amorem, quem habet, quemadmodum vir, qui vnice, & vehementer, diligit vxorem suam, eam, zelo quodam, ac studio, & sollicitudine prosequitur, tremens & cauens, ne ab aliis adametur, aut violetur. Hinc Hieronymus in fine Commentariorum, ad caput 1. Sophoniæ,

Zelus amoris index, & effectus, & qui non zelat, non amat.

Exponitur cur in scriptura Deus zelotes dicatur.

nisi Deus, inquit, amaret, humanam animam, nunquam zelaretur eam, & in similitudine mariti, peccatum vlcisceretur vxoris, in quam sententiam, plura Gregor. Nazianz. orat. 2. Apolog. & vbi ait, amor, ad accusandum acerrimus, copiosissimusque est, cum ob mœrorem susceptum in zelotypiam exarseris. Hoc igitur zelo quo sæpe Deus incenditur, vult ipse; diuinam suam, nobis ipsis, charitatem indicare, qua omnes animas amplectitur, ex quo fit etiam, vt cum amati sit, amantem redamare, & zelum zelo reponere: zelum ipsum, amoris, & gloriæ diuinæ, illustrem seruorum, & amicorum Dei notam esse oporteat, & cum illorum sit potissimum, quorum animos ardentissima inflammat in Deum charitas, odisse peccata, vitia fugere, cum propria tum aliena, bona omnia persequi, animorum salutem sitiere ardentissime mœrore tristari, summum etiam angorem concipere, ob relanguescentem in hominum animis pietatis sensum erga Deum, resque ipsas diuinum cultum religionemque spectantes, irasci in crimen ipsum; excandescere in legis violatores, eorumque præfractum ingenium, atque obstinationem. Hæc omnia ad vnum zelum quo ipsi sanctissime ardent, a sanctis Patribus referunt *Rectitudinis zelo contra accendimur*, ait Gregorius in Ezechiel. Hom. 15. qui Hom. 12. dixerat vt & in Psal. 9. Pœnit. *Nullum omnipotenti Deo sacrificiū tale est sacrificium quale est zelus animarum, &c.* Zelo vindicatur Hierusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur, ait S. Ambros. in Psal. 118. Zelus Dei gratia est qui exquirit, qui superuenit, qui se iusti infundit pectori, zelus Dei vita est. Zelum Dei qui habent omnes sibi inimicos putant, qui sunt hostes Dei, quamuis patrem, fratres, sorores, iuxta illud Euang. *Qui non odit patrem & matrem insuper & animam suam non potest meus esse discipulus*, quid aliud sonat illa vox Pro-

VII.

Qui sint zeli effectus & proprietates.

Zelus animarū gratum Deo sacrificiū.

Zelus Dei vita.

phetæ, *Iniquos odio habui & legem tuam* A dilexi, Psal. 118. Et vero, zelus est feruor animi, ad compassionem naturæ, & vltionem culpæ, & deuotionem gratiæ proni. Zelus itaque vtiliter flagellat seruum, salubriter corrigit filium, sollicite atque fideliter seruat coniugium, seruum vltione, filium compassione, coniugium deuotione, sic Hugo, in Ioelem; Zelus denique, ait, iam supra citatus Ambrosius, in Psal. 118. vbi addit, *valida est sicut mors charitas, durus sicut inferi zelus*, quem nulla vincit huius vitæ illecebra, durus sicut inferi per quem peccato morimur, vt viuamus Deo. Angeli quoque, sine zelo nihil sunt & substantiæ suæ amittunt prærogatiuuam, nisi eam zeli ardore sustentant, addam & illud, ad Ambrosij dissertationem, eo forte dici in scriptura Angelos, spiritus, & flammam vrentem, quod illorum ardentissimus amor in Deum, incensumque diuinæ voluntatis in omnibus exequendi studium, quod zelum alii appellant, sub ignis forma, ac specie, percommode adumbretur &c. Sed iam exemplis ipsis, res tota illustranda est, notus est, ex sacris literis, zelus Moysis, Phinees, Dauidis, Eliæ, Hieremiæ, Mathatthæ, Pauli pro Domino, Christi demum ipsius, pro Patre; quin & à zelo, Apostolum vnum, cognominatum, Matth. 10. vt zelotes, diceretur, aliter Chananæus, nemo est qui nesciat *zelo zelatus sum*, aiebat Elias, *pro Domino exercituum*, Reg. 3. cap. 19. vers. 10. scilicet, vitia hominum etiam potentiorum carpebat verbis acerbissimis, indolebat tristabatur, vitam suam ægrè ferebat, cum Dei cultum, aut aboleri, aut remittere sensim animaduertebat nec abs re, cum illius Prophetæ, laudationem texit Syracides, Ecclesiastici 48. vers. 1. sic ait, *Et surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius, quasi facula ardebat*, nimirum, vt his verbis, quod in re non absimili mox de Angelis diximus, zelum illius feruentissimum significaret; *zelus domus tuæ comedit me*, ait de Christo, Euangelista Ioann. 2. vers. 17. & Psal. 67. vers. 15. quis, æternum parentem, maiori studio, & amore, prosecutus est, quam eius filius, quo eius amor ardentior, eo quoque zelus eius feruentior.

Angeli sine zelo nihil sunt ac forte propter Zelum suum spiritus & flamma vrens dicuntur in scriptura.

VIII.

Qui ob zelum diuinæ gloriæ celebriores in scriptura.

Quid de Dauide dicam? quem totum, ad Dei nutum voluntatemque fictum, atque compositum, scriptura ipsa repræsentat? quid de ipsius zelo commemorem? audis, vt ipse se prodit, effertque in publicum, cum ait Psalm. 118. vers. 53. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*: Defectio, inquit, tenuit me, digna vox, quæ nonnihil expendatur. *Horror obtinuit me*, vt vertunt, Hieronymus & Augustinus, in speculo, alii terror, aut tremor, inuasit me, vel tabes apprehendit me, vel æstus, aut combustio, quasi dicat: Tædium ego seu tristitiam, horrorem, tremorem, ardorem etiam ac æstum iræ, & excandescentiam in me sentio, infelicium illorum causa, & commiseratione, qui perituri sunt, si B in iniquitate perseuerant, & ob diuinam tuam offensam præsertim, & illo angore & tædio afficior, vsque ad exanimationem propemodum, & animi defectionem, deliquiumque Cassiodorus, locum hunc versans: Hic pietas, inquit, sanctæ conuersationis exponitur, vt dolore se defecisse dicat, quia peccatores legem Domini, deserere cernebantur, necesse est enim, vt sanctum virum alterius culpa contristet, dum animus pius, saluos fieri desiderat vniuersos, &c. Nec longè ab eo, August. lib. de vnitate Ecclesiæ, cap. C 15. vult hoc loco à Dauide, cruciatus exprimi, & angores, quos, ex zelo Dei, patitur iustus, dum peccatores relinquunt legem Dei, & hanc haberi posse persecutionem, sine tormentis corporalibus, qualem Loth in Sodomis patiebatur, Genes. 19. vers. 25. & 2. Petr. 2. vers. 7. vbi dicitur, *Habitans apud eos, de die in diem, animam iusti, iniquis operibus cruciabant*: sed nec vna tantum voce, aut vno duntaxat loco zelum suum prodit, Regius Psaltes, geminat, iteratque, idem ipsum, sæpius, alibi, hinc illud Psal. 138. vers. 21. & 22. D *Qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam, perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi*, & rursum Psal. 118. vers. 158. *Vidi præuaricantes & tabescebam quia eloquia tua non custodierunt*, & supra vers. 139. *Tabescere me fecit zelus meus quia obliti sunt verba tua inimici tui.* Hinc sensum animi sui, in Deum, zelum appellat ipse, atque, præ illius æstu, atque ardore, prope esse vt contabescat, quid istud tandem est? *Tabescere me fecit zelus meus*: Consumpsit me zelus meus. Vertit Hieronymus; alij dissipauit, succidit, confecit, consumpsit, enecauit, cōtristauit, oppressit constrinxit, cadere ac labefecit, id est, vt verbo dicam, tanta me molestia, atque angore affecit, vt pene mortem attulerit, scilicet,

Explicatio Zeli Dauidis & defectio quā sensit ob aliena peccata Psal. 118.

IX.

conscius Propheta, diuina testimonia siue præcepta à se diligi, non potest, intra se, concoquere, aut æquo animo ferre, immo non ægerrime pati, non dolere, vehementer non indignari, non excandescere, non languere, non defici, non animo ipso contabescere præ zelo, tanquam igne liquefaciente, atque consumente, cum ea videt, ab inimicis suis tradi obliuioni, hoc est negligi, violari, proculcari, &c. ex quo intelligis, Danidem non tanti æstimare, priuatas iniurias, & inimicitias, quanti, contemptum diuini numinis, ipsiusque offensam, certè si (quod in ipso huius dissertationis ingressu, velut fundamenti loco posuimus, *qui zelat, amat*, Dauid profectò, Deum amabat ardentissime, qui tanto tamque incenso, diuini numinis zelo ardebat, habet hanc etiam natura humana consuetudinem inquit Hilarius, in Psalmos, vt si quando eorum quos diligimus, voluntati, aduersari aliquos viderimus zelo eius cui non paretur, vtamur. Affert in exemplum, Phineis celebrem illum zelum, de quo Num. 25. vers. 7. cum Hebræū, & Madianitidem peccantes, interfecit, addere potuit & Mathatiæ qui 1. Machab. cap. 2. vers. 24. viso superstitioso sacrificio, *doluit*, ait sacer textus, *& contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius, secundum iudicium legis, occisoque Idololatra & ara destructa zelatus legem post*
X. *se exire iussit, omnem qui zelum haberet legis.* Iam vt de Moyse taceam qui ex zelo diuini amoris & charitatis fraternæ deleri de libro vitæ cupiebat Exod. 32. vers. 32. ne Deus Israelitico populo ignosceret; quid de D. Paulo, quem alicubi D. Bernardus seruum amoris Dei vocat, satis eximium dici possit qui in zelo suo deprædicando, tam ipse eximius est, 2. Corinth. 11. vers. 29. *Quis infirmatur*, inquit, *& ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror?* & alibi, Philippens. 2. vers. 17. *quotidie immolor propter gloriam vestram fratres, sed etsi immolor super sacrificium & obsequium fidei vestræ gaudeo & congratulor omnibus vobis*, quasi dicat, sim ego Sacerdos, vos hostia, libamen sanguis meus. Hac de causa quasi pater, qui totum orbem genuisset, sic sollicitus erat, sic angebatur animo, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere; *Instantia*, inquit, *quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum: quis infirmatur & ego non infirmor*, nēpe

A factus est Iudæis, tamquam sub lege, infirmis infirmus, omnia omnibus factus est, vt omnes Christo lucrifaceret, hic amor, hic diuini amoris zelus, coegit eum sæpius, quasi matrem, os & verba mutare alternis, blandiendo, increpando, rogando, terrendo, consolando, & in omnes partes, se suosque versando; an non, Galatas, durius acerbiusque compellat, cum ait: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit*; sed statim blandiendo, *filioli*, inquit, *mei quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus*, & Philip. 2. rogando, obtestandoque, *si qua ergo*,
B ait, *consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua viscera miserationis, implet gaudium meum*, Vide vt ex zeli feruore pœne se euiscerat & nimium charitate incensus, nihil aliud satagebat, quam Dei cultum & gloriam propagare, omnesque ad Dei fidem & amorem perducere: sicut ferrum, inquit sanctus Chrysostomus, Hom. 3. de Pauli laudibus, missum in ignem, totus ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus totus factus est charitas, vnde nunc per epistolas, nunc per exhortationes, nunc per preces, nunc
C per minas, nunc per se, nunc per suos, omni studio conabatur erigere laborantes, stantes firmare, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes animare, hostes retundere, more optimi ducis, militis, & medici, omnium officiorum, personas, & munia vnus ipse subibat sic ille: hoc Paulo, amor ingeniosus, hoc prudens charitas, hoc zelus solers, & industrius suggerebat, de quo tandem nihil dum egimus, nisi insigne illud, & motis ipsius exemplum in Iudæos & Iudaizantes proferimus, cum aiebat, Roman. 9. v. 1. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhiben-*
D *te conscientia mea, in Spiritu sancto*, hoc est nihil exaggerando loquor, rhetorica amplificatione non vtor, ne quis me putet hic ludere, testor Christum, testor conscientiam meam, testor Spiritum sanctum huius mei, & doloris, & amoris conscios, immo causas vnicas, *quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, optabam enim ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem*: Amabo quonam tanti hominis zelus amorque in Deum, & proximum erumpere potuit altius? *Optabam*, inquit, *anathe-*

Explicatur diui Pauli zelus ex diuo Chrysostomo.

ma esse, Deus bone! an non videtur contra charitatem, ipsa specie, sed pro charitate in charitatem conniti ac tendere? ita vero, inquit, opto pro charitate Christi, à Christo diuelli, lubens, & volens, cupio, pro salute Iudæorum, non ab amore, sed à beatitudine, & gloria Christi, à Christo, & cœlo etiam, in æternum, si opus sit, excludi, pro eis anathema esse, non inuitis deposco, dempto peccato, & charitatis naufragio, deposco mihi æternum, si opus est, eorum exitium, opto, oroque, Domine, omnia irarum tuarum fulmina, Iudæis imminentia, & in caput meum retorqueas vibres, effundas, exhaurias, dummodo, illorum salus in tuto sit. totiusque gentis ipsius meæ, tantæ adhuc cæcitate perculsæ, criminibus ignoscas, illo igne diuini amoris, illis flammis zeli vsque adeo efferuescentis, quid ardentius? quid mirabilius fingi etiam, aut excogitari potest? Et quoniam, vti superius diximus atque in Paulo videre iam cœpimus, zelus ex natura sua, dolorem adiun-

XII. ctum pœne habet continuum, tristitiamque magnam, de peccatis alienis, quid mirum si idem ipse ex eodem zelo; fiebat alios *inimicos Crucis Christi, & quorum Deus venter esset*, Philip. 3. vers. si per triennium, *nocte, & die; non cessabat, cum lachrymis, monere vnumquemque*, Act. 20. vers. 31. si, *ex multa tribulatione & angustia cordis scribebat per multas lachrymas*, 2. Corint. 2. vers. 4. si Athenis, *incitabatur spiritus eius in ipso cum videret, idololatriæ deditam ciuitatem*, Act. 17. 16. Hinc D. Bernar. Serm. 28 in Cant. diuinæ sponsæ, hoc est animæ Deum amantis, nigredinem, fuscumue colorem, de quo Cant. 1. vers. 6. ad zelum ipsius refert, & decolorari à sole, quod ibidem de sponsa dicitur, ait esse ignoscere charitate fraterna, flere cum flentibus, cum infirmantibus infirmari, vri ad scandala singulorum. & Gregor. lib. 20. Moral. cap. 30. Quod cutim quoque Iob. cap. 30 vers. 3. denigratam super se deplorat, & ossa aruisse, conuenire scribit omnibus perfectis, & in virtute fortibus, qui dum infirmi ad iniquitatem prosiliunt, illi zeli sui igne cruciantur, atque in hanc etiam sententiam, singularis illa D. Bernard. proxime citati, expositio notanda, in hæc verba D. Pauli ad Galat. 6. vers. 14. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*, sic enim explicat, Serm. 7. de Quadrages. quasi

Zelus dolorem habet adiunctum pœne continuum de peccatis alienis.

A Paulus affirmaret, mundum sibi crucifixum, & se mundo, quia videlicet mundum crucifixum, videbat, obligationibus vitiorum & ipse crucifigebatur ei, per compassionis affectum tantaque prospiciens flagella, & mala, in mundo, illis tam dire cruciabatur, & torquebatur, acsi cruci & patibulo affixus esset: sic olim Augustinus, ardens & ipse, amore & zelo, Donatistas, his verbis, amice compellabat, lib. 1 contra Gaudent. cap. 20. & 2?. quia videmus vos insensatos, & tabescimus, quia infirmatos, & infirmamur, quia scandalizatos & vrimur, quia perditos, & lugemus, hæc mala vestra, quæ vos in

D. Augustini zelus in Donatistas verbis ipsius expicatus.

B æternum interitum mittunt, amarius nos persequimur, quam illa, quæ à vobis, nostris corporibus vel rebus, vel domibus, aut Basilicis inferantur.

XIII. Satis igitur constat ex tot, tamque illustribus virorum nominatissimorum exemplis, qui præ cæteris eximiè Dei amantes sunt, eos quoque præ cæteris eximiè zelo diuinæ eius gloriæ succendi, & vt nemo est qui diuini amoris notam aliquam præ se ferre, non vehementer cupiat sic; studere ad vnum quisque diligenter debet, vt cumque ipse sit, zelum suum in procuranda diuini numinis gloria, cum

C res feret, ac se occasio dederit, erga omnes proferat, atque explicet; scio quidem sanctum Ambrosium in Psal. vbi multa de zelo congerit, pronuntiare illum præsertim in Sacerdote, siue in Prælatis, ac superioribus, vtilem & necessarium ne scilicet remissi, ac negligentes sint, sed tamen omnibus omnino fidelibus, bonum, vtilem, atque adeo sæpe necessarium etiam zelum esse, idem ipse eo loco asserere non dubitat; quare ad vniuscuiusque prudentiam pertinet peruidere, quoniam vsque, & ad quos, vbi,

In Sacerdote, Prælatis, ac Superioribus præsertim zelum vtilem esse ac necessarium.

D quando & quomodo zelum suum exterius protendat: nam internus amoris sensus ac zelus, nullis proprie limitibus coercetur, sanè & de cæteris omnibus, sic de hac sapientissime præcipere videtur D. Augustinus, tractat. 10 in Ioannem, vbi versans animo illud Dauidis Psal 118. *Tabescere me fecit zelus meus quia obliti sunt verba tua inimici tui*, quare quis comeditur zelo domus Dei? sibique respondens, mox subdit, qui omnia quæ ibi videt forte peruersa satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit si emendare non potest, tolerat, gemit, & postea idem

Quomodo prudenter vnusquisque zelum suum erga alios exercere potest ex doctrina D. Augustini.

eodemque loco, scilicet vt quemadmodum ab omnibus, & cuiuscumque demum conditionis hominibus zelum exerceri, & prudenter & sancte oporteat intelligamus, hac addit: vnumquemque Christianum zelus Dei comebat, sed quo tandem pacto? verbi gratia; inquit, vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contristare si zelus domus Dei comedit te, vides alios currere, & inebriari velle, A & hoc velle; in locis sanctis, quod nusquam decet, prohibe quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere &c. non longe ab his absimilia, habet diuus Hilarius in versum illum 139. iam citatum Psal. 118. quæ quidem satis aptam & commodam toti huic dissertationi Coronidem efficient, si moribus nostris rite informandis atque adeo nostræ omnium vtilitati deseruiunt.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quarti.

Morale & mysticum in illud vers. 24. *Tunc intermissum est opus domus Domini in Hierusalem.* De interruptione Templi mystici, & quinam mysticè significentur eius opus impedire; ac de necessitate perseuerantiæ in bono opere inchoato.

PRRÆCLARE omnino Beda citatus in glossa, postquam Samaritas ædificationem Templi impediētes, hæreticos esse dixit, & falsos fratres, siue malos Catholicos, vt nos prima iam dissertatione mystica annotauimus. subiungit, egregia inductione ex superiorum temporum historiis petita. Quoties hæretici non solùm in ciuitatibus, sed etiam in Prouinciis, peruerse docendo, vel etiam sæuiendo, dogma cōfessionis veræ, olim impedierunt, vtinam nesciremus! nam vt de magistro gentium sileamus, qui biennio vinctus in Cæsarea, ob persecutionem Iudæorum, ab ædificando domum Dei, & docendo scilicet, & prædicando publicè linguam compescuit, hæreticorum insidiis, Athanasius, pluribus profugus annis, Ambrosius in sua ciuitate obsessus, Hilarius in exilium relegatus. Eusebius Martyrium passus. plures in Africa Episcopi, linguis cæsis, à prouincia sua eiecti, alii diuersis pœnis vexati vel interempti, domum Dei siue Ecclesiam Christi quam ædificauerāt, populis terræ, id est hominibus, sua quærentibus, non quæ sunt Christi, profanandam dimisere, donec tempore diuinitus præuiso, sapientibus Architectis reædificandę post captiuitatem, B eiusdem domus copia suppeteret. Hactenus Beda, qui & ad superiores proxime citatos, addere potuit, magnum illum Hosium Cordubensem, proh dolor! ab Hæreticorum Arrianorum factione, tam duris cruciatibus, ac tormentis, ad lapsum incitatum, & vero etiam factum præcipitem; Addam & ego Ignatiū Constantinopolitanum, à sectariis Phocij, viri schismatici, tam durè olim, & crudeliter habitum, sed, quid si nostris extitisset temporibus, & tot nouos Esdras, in Germania, Anglia, Gallia, non ita pridem Templum Dei destructum, id est vnius veræ Ecclesiæ Romanæ collapsam fidem, in integrum restituere C conantes, ab hæreticis perduellibus, ferro, flamma, & exquisitis, omni ope pœnarum generibus, extinctos, vidisset vtinam (quod optabat ille, luctuosas illas, & miserandas Ecclesiæ clades nescimus! Sed & hoc notandum, quod spectat ad solutam captiuitatem Babylonicam, Templique iam inchoati à Iudæis in Hierusalem molitionem interruptam, mysticè & spiritualem intelligendam, non omnes qui Babylone exeunt, & altare habent, in quo victimæ immolentur, eos continuo domum domino ædificare, fundamen-

ta quidem faciunt, ac velle ædificare, planeque ædificaturi videntur, sed rege prophano & impio, Cambyse scilicet, prohibente, vicinisque hostibus bellum minitantibus, relinquunt, & ab ædificando Templo abstinent, multi siquidem è Babylone, hoc est è peccatorum confusione, exeunt, in altari cordis sui, victimas bonorum operũ, Deo immolare incipiunt, statuunt apud se, totos se Deo dicare, quod est fundamenta Templi iacere; sed Princeps mundi huius, tanquam alter Cambyses, & tentationes hinc inde insurgentes, vt Samaritæ illi hostes Iudæorum, ita eos deterrent, vt à domo erigenda, abducti, cœptam perfectionis viam deserant, panis admodum, firmi, & constantes, in primo aut susceptæ, aut suscipiendæ virtutis proposito perseuerant, &c. *Dicet piger Leo est in via*, ait Sapiens Prou. 26. vers. 13. vel minima re, bonis studiis, ac piis ipsorum conatibus obrestante, obluctanteque, vires vt plurimum hominibus deficiunt, & fractis animis elanguescunt. Multi, Christo etiam teste bonum semen seu diuinũ inspirationis seu prædicationis, ac *verbi diuini, &c. Cum gaudio suscipiunt*: inchoant quidem fœliciter, sed, malum quod *radices non habent*, atque adeo vento sufflante hoc est, aduersante dæmone & ingruente illius insultu, aut quouis alio renitente, facile succutiantur, *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*; Luc. 8. quam multi hodie (vt Christi quoque ipsiu adhuc verbis vtar, Luc 14 vers. 28.) turrim Euangelicæ perfectionis moliri ac fabricare incipiant, *Qui non computant sumptus qui necessarij sunt ad perficiendum?* quam multi, qui tanto muneri impares onerique succumbentes resiliunt, & sibi damnum perditorum sumptuum & ignominiam inchoatæ imprudenter fabricæ, quam perficere nequeãt, asciscunt? Ille computat sumptus ad inchoandum perficiendumque necessarios ait Glossa, qui cor auertendum à cupiditatibus, & præparandam animam contra aduersa intelligit quod quia pauci intelligunt aut opere ipso expiare satagunt, vt potè segniores atque ab erectione animo, pauci quoque cœptum perfectionis opus consummare censendi sunt. Contra quàm magnis ingeniis ac generosa indole præditis prĕstandum, vt præclarè atque adhunc locum quem præ manibus ha-

Vt Iudæi Templum quidem inchoatus, sed obsistentibus hostibus opus relinquerent, sic à Christianis multis cœptam perfectionis viam infundentibus, tentationibus desierunt.

A bemus illustrandum per quam accommodatè, docet D. Hieronymus, qui enim inquit semel decreuit instaurare Templum Dei, huic omne tempus aptum est ad ædificandum nec rex diabolus potest impedire, nec hostis per circuitum, nec pietas simulata, parentum, affinium, liberorum, statim vt cõuersus inclamaueris nomen Domini, dicit *ecce adsum*. Sic D. Hiersnymus in in Aggæum: Sane propudiosum homini est, qui bonæ vitæ fundamentum posuerit, si non perficiat, vt omnes qui viderint, incipiant illudere ei, dicantque, *Hic homo cœpit ædificare, sed non*
B *potuit consummare nimirum, si nescis, mi homo, non laudantur in Christianis initia sed finis, Paulus male cœpit, sed bene finiuit, Iudæ laudantur exordia, sed exitus proditione damnatior, ait S. Hieronimus, epistola 10. ad furiam: incipere plurimorum esse, perseuerare paucorum, vnde & grandis premium eorum qui perseuerauerint*, vt notat Clem. ipse, lib. 1. contra Iouinianum: Nouimus enim qui dicat Math. 10. vers. 22. *Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit*, quare perseuerantia vti virtutum est maxima, immo quæ sola inter virtutes coronatur, ita summum est Dei do-
C num, vt docet Augustinus lib. de bono Perseuerantiæ, & Concilium Tridentinum sess. 6. Canone 16. *Incassum quippe, bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur, quia & frustra velociter currit*, qui priusquam ad metas veneri, deficit, ait S. Gregorius, at habetur, de Pœnitenti dist. 3. canone, Incassum. Huic & Paulus Philipp. 3. v. 14. *Quæ retrò*, inquit, *sunt obliuiscens ad ea vero quæ sunt, priora extendens meipsum* ad destinatũ persequor, ad brauium supernæ vocationis, quod typicæ etiam significare videbantur, sacra illa animalia Ezechielis, quibus perfectorum vitam
D designari vult S. Gregorius, cum de illis dicitur cap. 1. v. 9. *Non reuertebantur cum incederent, sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur*, nec mirum quod Christus sedulo ac serio in opere versante dicat Apocalyps. 2. vers. 10. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, & cap. 3. vers. 11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*, id est retine fidem & patientiam quauis occurrente tentatione & afflictione ne quis coronam tuæ fidei ac patientiæ promissam & præparatam non absolutè sed sub conditione (si videlicet perseueras) te non prĕstante, sed ca-

Perseuerantia necessitas explicatur.

dente accipiat. Certè enim quod nascentis primum Ecclesiæ primis olim alumnis dicebat sanctus Petrus 2. Canonicæ, cap 2. vers. 21. Vt eos ad constantiam in fide ac virtute animaret,
XV. *Melius esset nobis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod nobis traditum est sancto mandato*, melius inquam non positiue quidem, quasi maius sit bonum, sed negatiue, vt vocant, quia minus malum hoc est; minor est infidelis ignorantia, quam fidelis cognoscentis, culpa, ideoque minor erit pœna. *Ille enim nondum accessit, iste retro respexit &c.* August. in Psalm. 83. qui concione 2. in Psal. 30. *Cum dicit*, inquit, *melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, indicauit meliores esse inimicos foris positos quam intus male viuentes, quibus premitur & grauatur Ecclesia*: Constantes igitur ac firmos nos esse oportet in incœpto bono opere, non remissos non negligentes non tepidos ne si ex bonis ac virtutis olim studiosis vitiosi tandem euadimus, sic cum infidelibus comparemur vt eis multo peiores inueniamur, quam in rem, sic quoque Saluianus lib. 4. de Prouidentia, *Nunc*, ait, *Christum agnouisti, qui susceptus es quasi intra os Dei, per fidei agnitionem, proijciens per teporem quod etiam B. Petrus exposuit dicens, de vitiosis & tepidis melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ &c.* Pulchrè omnino (vt hoc etiam è prophanis arripiam) Socrates apud Stobæum Sermone 1. de Prouidentia, *Vt statua basi*,
XVI. *Perseuerãtiæ laudes & encomia ex prophanis authoribus.* inquit, *ita vir bonus*, instituto innixus, ab honesto nullatenus *discedere debet* & è sapientibus alter, quem Chilonem nominant, tardè quidem aggrediendа omnia, verum cum semel iam incœperis, constantissimè in agendo perseuerandum esse prudenter monebat. Ad hæc, Senecam adi, vel audi, Epistol. 1. *Nihil est*, ait, *quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac dili-*

A *gens cura*, & Epist. 65. In excelso est vita beata, sed *perseuerantia penetrabilis* rude, quod idem ipse alibi fuse persequitur) *Turpe est cedere oneri, & luctari cum officio, quod semel recepisti, non est vir fortis ac strenuus qui laborem fugit, nec crescit illi animus, ipsa rerum difficultate*: Sic illas de perseuerentiæ laudibus & encomiis tam multi, cùm sacri tùm prophani authores, vt pigeat plura huc congerere: Omnium instar sit illud Bernardi epistola 129. *Perseuerantia est vigor virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ*
B *filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis*, tolle perseuerantiam neque obsequium mercedem habet neque beneficium gratiam neque laudem fortitudo. Ex quibus profectò, facile licet concludere satagendum nobis esse quod ait S. Petrus epist. 1. cap. 1. vers. 10. *Vt per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus*. Vt, quod ait Paulus, sic in studio virtutis curramus, indefessi vt brauium tandem aliquando fœlicitatis æternæ comprehendamus. Cum enim perseuerantiæ donum non cadat sub meri- *Quo' studio perseuerantiæ donum obtineri potest.*
C tum, vt aiunt Theologi merum sit Dei donum, quod quibuscumque voluerit gratuitò, & ex mera liberalitate impertitur, reliquum nobis est, vt per orationes feruidas easque continuas illud postulemus, & per assidua bona opera, impetrare à Deo, & quasi de congruo, vt loquuntur, mereri pro virili contendamus, certi ad hoc petendum, impetrandumque nihil defuturum nobis, nisi Deo primum eiusque gratiæ, atque adeo nobis ipsis, desimus: *Deus*, quippe, *sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur, & nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum ita perficiet, operans velle & perficere*, inquit Concilium Tridentinum, Sessione 6. cap. 11. & 13.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

SVBLATO iam è viuis Cambyse Cyri filio, cuius authoritate Regia Iudæi ab incepto opere cessauerant, tum vero Aggæi & Zachariæ, eo tempore prophetantium, hortatu, pene assiduo, erecti vehementius, confirmatique, tandem intermissam, annos aliquot, sacri ædificij molitionem instaurant, iterumque ad opus se accingunt, sed cùm illorum consilium animaduerterent Iudaici nominis hostes, mirarenturque admodum, homines alioqui non adeo fortunatos, aut potentes, contra Regis paulo ante imperantis Edictum, interruptam Templi fabricam retexere, totius gentis Principes adeunt, rogantque, non sine stomacho & fastidio, quo potissimum monitore, quo duce ac fautore, rem a tanto Principe, tantaque seueritate prohibitam aggrediantur, atque adeo Regium ipsius Edictum, ausu planè insolenti reuellere, nihil reformident, quod illi verè ac fideliter præstare non dedignantur, docentque sigillatim, & quo primum authore, tanta, tamque horribilis Templi vastatio contigerit, & quo primum Duce, atque imperante, ortá sit illius instauratio, nomina Principum edunt, qui operibus præerant, vrgebantq; fabricam, quorũ authoritate, & consilio, repetitum est opus, & in dies magis ac magis promotum, vetus etiã Cyri Edictũ de construendo ornandoque Templo in mediũ proferunt, vasa aurea atque argentea in Templi ornatum ab ipso tradita commemorant. Demum ad sedandam omnium animorum contentionem, inter Accusatores & Iudæos sic conuenit, vt res tota ad Darium, Persici imperij sceptra moderantem deferatur, quam Præfecti Regij, & iustam, & expeditam conditionem rati, eum illico de toto negotio certiorem faciunt, orantque, vt ipsius iussu, atque imperio, num in publicis Regni tabulariis, aliquod datæ olim à Cyro, in gratiam Iudæorum, de Templo instaurando, Regiæ sanctionis, extet monimentum, diligentius perquiratur.

CAPVT QVINTVM Esdræ.

1. Rophetauerunt autem Aggæus Propheta & Zacharias filius Addo, prophetantes ad Iudæos, qui erant in Iudæa & Hierusalem in nomine Dei Israel.
2. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedech, & cœperunt ædificare Templum Dei in Hierusalem, & cum eis Prophetæ Dei adiuuantes eos.
3. In ipso autem tempore venit ad eos Thatanai, qui erat Dux trãs flumen, & Stharbuzanai, & consiliarij eorum, sicque dixerunt eis, quis dedit vobis consilium vt domum hanc ædificaretis & muros eius instauraretis.
4. Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina, hominum authorum ædificationis illius.
5. Oculus autẽ Dei eorũ factus est super senes Iudæorũ, & non potuerunt inhibere eos, placuitque vt res ad Darium referretur, & tunc satisfacerent aduersus accusationem illam.
6. Exemplar epistolæ quam misit Thatanai Dux Regionis trans flumen & Stharbuzanai, & consiliatores eius Arphasachæi, qui erant trans flumen, ad Darium Regem.
7. Sermo, quem miserant ei, sic scriptus erat. Dario Regi pax omnis.
8. Notum sit Regi, esse nos ad Iudæam Prouinciam, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, & ligna ponuntur in parietibus, opusque illud diligenter extruitur, & crescit in manibus eorum.
9. Interrogauimus ergo senes illos, & ita diximus eis, quis dedit vobis potestatem vt domum hanc ædificaretis, & muros hos instauraretis?
10. Sed & nomina eorum quæsiuimus ab eis vt nuntiaremus tibi, scripsimusque nomina eorum virorum qui sunt principes in eis.
11. Huiuscemodi autem sermonem responderunt nobis dicentes, Nos sumus serui Dei cœli & terræ, & ædificamus Templum, quod erat extructum ante hos annos multos, quodque Rex Israël magnus ædificauerat, & extruxerat.
12. Postquam autem ad iracundiã prouocauerunt Patres nostri Deum Cœli, tradidit eos in manus Nabuchodonozor Regis Babylonis Chaldæi, domum quoque hanc destruxit, & populum eius transtulit in Babylonem.
13. Anno autem primo Cyri Regis Babylonis, Cyrus Rex proposuit Edictum, vt domus Dei hæc ædificaretur.
14. Nam & vasa Templi Dei aurea & argentea quæ Nabuchodonozor tulerat de Templo quod erat in Hierusalem, & asportauerat ea in Templum Babylonis protulit Cyrus Rex de Tẽplo Babylonis, & data sunt Sassabazar vocabulo, quem & principem constituit.
15. Dixitque ei: Hæc vasa tolle, & vade, & pone ea in Templo quod est in Hierusalem, & domus Dei ædificetur in loco suo.
16. Tunc itaque Sassabasar ille venit & posuit fundamenta Templi Dei in Hierusalem, & ex eo tempore vsque nunc, ædificatur, & necdum completum est.

17. Nunc ergo si videtur Regi bonum recenseat in Bibliotheca Regis, quæ est in Babylone, vtrumnam à Cyro Rege iussum fuerit, vt ædificaretur domus Dei in Hierusalem, & voluntatem Regis super hac re mittat ad nos.

EXPOSITIO LITERALIS.

v.1 *Rophetauerunt autem Aggæus Propheta & Zacharias, &c.*

I.

Quoniam celeberrimū est huius capitis Initium, nominatissimis duorum Prophetarum Aggæi scilicet, & Zachariæ, vaticiniis, vt maiorem reliqui textus expositioni lucem afferamus, repetendum est, ex sacris voluminibus, quid illi Prophetæ, hoc secundo Darij imperantis anno, dixerint, diuinitus impulsi, quibus verbis Iudæos aggressi sunt, quam ob causam, illorum in ædificando tarditatem, ac segnitiem, tam B acriter, tamque acerbe arguerint, & qua demum ratione, timidis ipsorum ac languentibus animis, faces admouerint, sic vt versu 1. exponendo, non leuem vtriusque Prophetæ, præsertim Aggæi, partem explicari oporteat.

Zacharias dicitur filius Addo quia eius Nepos.

Zacharias filius Addo, &c. Ne verba hæc, cum Zacharia ipso, pugnare videantur, per filium, Nepotem intellige: nam Zacharias, Barachiæ filius fuit, eodem ipso teste cap. 1. vers. 1. & c. Porrò, licet anno secundo Darii prophetare cœperint, Aggæus & Zacharias, non tamen eodem omnino tempore, prophetandi munus exorsi sunt: C Aggæus enim, illius anni mense sexto, Zacharias vero mense octauo prophetare cœpit, quod ex prophetiarum vtriusq; principio, manifeste constat; cadit autem hic 2. Darii annus, in annum ab orbe condito 3533. & solutæ à Cyro captiuitatis 17.

In quod tēpus inciderit Prophetia Zachariæ & Aggæi.

II.

Prophetantes ad Iudæos qui erant in Iudæa & Hierusalem in nomine Domini, &c. Ergo, cum Dario etiam imperante, ædificandi Templi curam omnem abiecisse viderentur Iudæi, vel quod sua magis curarent, quam diuina, vel quod Regis Persarum, cuius seuerum Edictum nouerant, iram metuerent, paulo vehementius, persecerunt duorum Prophetarum promissiones, & A minæ, à Deo per illorum ora, in eo rerum articulo propositæ, vt nihil vicinarum Gentiū querelas, aut insidias curarent, sed contra illarum vires, atq; impetus niterētur, & tandē religiosū opus cuius antea penitus obliti videbantur, maiori animo studioque pertexerent: sic enim Zacharias cap. 1. *In anno secundo Darij Regis in mense sexto in die vna mensis*, id est prima, *factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ*, id est, per Aggæum Prophetam. Cæterùm, quod ait Aggæus, in mense sexto, notandum hic obiter, loqui de anno sacro, qui incipit à Martio, idque illi, tota prophetia solemne esse, vt probatur ex cap. 2. vers. 20 vbi nono mense, nihil apparet ex quo anni vbertas colligi possit, mēse videlicet Noueb. copiosum tamen prouentum pollicetur. At si de anno vulgari ac prophano ageret, nonus mensis erat Maius, quo messis peragebatur, & sic annum interpretatur, Vatablus ex Rabb. Kimki, & Ribera, Sa, Torniellus, *Factum est autem hoc verbum Domini*, pergit Aggæus, *ad Zorobabel filium Salathiel, Ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedech, Sacerdotem magnum, dicens, Hæc dicit Dominus exercituum, populus iste, dicit, nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.* Nimirum cum multis iam annis, intermissa fuisset ædificatio Templi, simul & multorum zelus, pietasque refrixerant, & ad studium rerum priuatarum conuersi, domos sibi splendidas ædificabant, agriculturam colebant, vineas, agros, oliueta, sed ita vt Deo minime operibus ipsorum benedicente, rerum victui necessariarum penuria premerentur, quæ fusius Propheta persequitur, aitque eius rei causam esse, quod domum Domini deseruissent, hinc illud cap. 1. vers. 6. *Seminastis multum, & intulistis parum, comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti, & qui mercedes congregauit misit eas in sacculum perfusum*, & rur-

Menses quorum mentio fit in Aggæo ad annum sacrum referuntur non ad vulgarem & prophanū.

Explicatur magna pars prophetiæ Aggæi.

sum vers. 10 *Propter hoc super vos prohibiti sunt Cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum. Ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor*: scilicet negligentibus hominibus cultum Domini, negligit Dominus benedicere operibus manuũ hominum, & rursum cap. 2. v. 17. & 18. *Cum accederetis ad aceruum viginti modiorum, & fierent decem, & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti, &c.* quæ videntur non ad vnum aliquem, sed ad plures etiam annos pertinere: cæterum, hæc B domini querela, ad Zorobabelem relata, sine vlla ipsius reprehensione, tacite innuit, Aggæum diuinitus monitum de statu rerum Iudaicarum in Perside, monuisse populum, vt vacarent ædificando Templo Domini, illosque neglexisse, nisi enim præmoniti fuissent, intempestiua videretur, tàm præsens Prophetæ castigatio, quam præcedens, annonæ charitas diuinitus immissa, quod si cui forte aut mira, aut insolens videtur, hæc non tantum accusatio, sed castigatio, etiam negligentiæ Iudæorum, in Templo Domini non ædificando, cum id eis, per Imperatores Persarum, eorumque magistratus, Iudaico nomini infensos, non liceret. Respondeo, quod rerum sacrarum commentator eruditus annotauit, idemque iam alibi innuisse videor, nimirùm si quis Cambysis, Imperatoris edictum, siue responsum, quod superiori capite 4. descriptum est, legerit, attentius facile intellecturum solam vrbis ædificationem, non vero etiam ipsius Templi fuisse prohibitam, sicut nec priuatarum domorum, quas sibi Iudæi, illo etiã tẽpore magnificẽtissimè construebant: vnde Dominus per eundem Aggæum, eam illis vanitatem exprobrans ait: *Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis?* quarum, scilicet aulæ, & cubicula tectum habent, aut tabulatum, cedrinis tabulis, aliaue pretiosa materia conuestitum, & variis picturæ coloribus, vel auro etiam exornatum, *& domus ista* pergit Propheta, ex Domini voce: mea nimirùm, quam ædificare cœperatis *deserta*, atque opere intermisso derelicta, qua in re, neque principis interdictum, vt iam dixi, neque penuriam suam, vt eorum laqueatæ domus probabant, excusationis loco prætexere poterant: sic Aggæus, vt totam fermè illius Prophetiam, paucis

Aggeus diuinitus monitus de statu rerũ Iudaicarum in Perside populum monuerat vt ædificarent quod ab eis neglectum.

A retexam) inertiam Iudæis obiicit in sacro opere vrgendo, defectumque pietatis in Deum, sic eos verbis castigat asperioribus, sic docet, quidquid ad illud tempus aduersum illis acciderit, à Deo immissum esse, negligentiæ illius vindice, quod fames grauis illorũ fines inuaserit, quod tot annis nihil pro votis successerit, id vnum in causa fuisse, quod rei diuinæ curam omnem abiecerint, neque beneficiorum ab ipso acceptorum memoria in illorum animis vim vllam habuerit, quod si memoriam vllam excitent, & se ad pietatis opus, Templique ædificationem accingant, experturos esse illos, deinceps diuinam manum liberalem, & mitem, quam antea duram, & contractam sint experti. Hæc Prophetiæ summa: sed nec parũ etiam momenti, in Iudæorũ animis habuisse videtur, quod c. 2. dixit, 2. futuram nempe, esse domum illam secundam, gloriosam magis, quã primam, id est, secundum hoc Templum, illustrius fore quam Templum, à Salomone constructum, ab ingressu scilicet Christi promissi, vt complures interpretantur) in domum illam cuius C tum rudia admodum, & exigua videbantur nascentis initia: neque ab his dissimilia, vaticinatus est, Zacharias toto capite 8. & præsertim vers. 9. his verbis. *Hæc dicit Dominus exercituũ confortentur manus vestræ, qui auditis, in his diebus, sermones istos per os Prophetarum, in die qua fundata est domus Domini, exercituum, vt Templum ædificaretur, siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces iumentorum erat neque introeunti, neque exeunti erat pax, præ tribulatione, & dimisi omnes homines, vnumquemque contra proximum suum:* D *nunc autem non iuxta dies priores, ego faciam, reliquiis populi huius dicit Dominus exercituum, sed semen pacis erit, vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cæli dabunt rorem suum, & possidere faciam reliquias populi huius vniuersa hæc*: Horum autem Prophetarum tam congrua tempori, tam Iudæorum necessitati, rebusque afflictis attemperata vaticinia, quantum pondus apud illos habuerint, quidue effecerint explicat Aggæus cap. 1. 14. *Suscitauit*, inquit, *Dominus spiritum Zorobabel, filii Salathiel, Ducis Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedech Sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo, & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui*, quod proxime ab Esdra narratur.

Animati videntur Iudæi ad repetendũ opus Templi ex Aggæi voce promissum: tis secundã Dei domũ fore gloriosam magis quam primam.

Prophetia Zachariæ cap. 8. omnino conformis verbis Aggæi.

Vers.2. *Tunc surrexerunt Zorobabel & Iosue,&c. & cœperunt ædificare Templum Dei,&c.* Nimirũ reuerso Zorobabele à Babylone (Dario enim imperiũ capessente, spe noua sub nouo Principe sollicitatus, aulam iamdudum desertam, feliciter repetierat, & postmodum eo genti suæ conciliato, cum magno Iudæorum comitatu, in Hierusalem redierat) Aggæus domini querelam, ad Principem populi retulit, qui litteris regiis munitus, vt par est credere, annitente etiam Aggæo, & dicente, ex ore Domini, *Ego vobiscum sum*, consurrexit & cum eo populus vniuersus, vno animo, ad Templum Domini ædificandũ, additur ad hunc Esdræ textum, in Aggæo, cœptum istud opus. *In die vigesima quarta sexti mensis, eiusdem anni secundi*, siquidem hæc notatio temporis, quæ initio capitis secundi legitur, ad finem primi pertinet, vt consentiũt omnes antiqui recentioresque Interpretes, quamuis in Hebræis Græcisque codicibus, eadem transpositio reperiatur, fuit itaque iuxta Prophetam vigesimus quartus dies sexti mensis primus redintegratæ restaurationis Templi cum cœpta est parari lapidea ligneaque materia, trium mensium spatio; nam vigesimo quarto tantum noni mensis iacta sunt fundamenta, vt ex Aggæo colligitur, super illa priora, quæ Cyri tempore iacta fuerant, vel in alia quapiam Templi parte, in qua nõdum cœpta fuerant, vt notarunt Emmanuel Sa, in cap. 2 vers. 1. & 19. & Ribera in Aggæum cap. 1. vers. 13. A Castro autem non putat, iacta hoc tempore, vlla fundamenta, sed hanc vult eius loci, apud Aggæum, esse sententiam vers. 16. *Et nunc ponite corda vestra, à die hac* (nempe vigesima quarta noni mensis, de qua paulo ante vers. 11.) *& supra antequam poneretur lapis super lapidem in Templo Domini*; id est, considerate ab hoc die 24. noni mensis, superiores omnes annos, exorsi, à die quo cœperunt iaci fundamenta Templi, nempe à nouilunio secundi mensis anni secundi regni Cyri, & constat ex 1. hoc libro Esdræ cap. 3. vers. 8. commoda vtique interpretatione (ait Salianus) ad cuius partes me adiungo; durum quippe videtur, aut nondum iacta tot annis Templi fundamenta, aut exædificationem dici Templi fundationem.

Redintegrata Templi instauratio 24 die mensis sexti, & trium mẽsium spatio parari cœpta lapidea ligneaque materiã.

Aggæum non loqui de fundamentis Templi iactis suo tempore.

Et cum eis Prophetæ Dñi adiuuantes eos,&c. Prophetis igitur obtemperantes, reuertuntur Iudæi ad structuram, prohibitione superiori neglecta, porro duplici de causa, ad opus Templi promouendum, tot annis interruptum, denuo sese accingunt, non expectata Darii facultate, vna quidẽ, quod de gratia & fauore eius confiderent, ob amicitiam, & familiarem quæ inter eum, & Zorobabelẽ intercedebat, necessitudinem, iuxta Iosephum; altera, quod Aggæus & Zacharias denuntiarent eis, in nomine Domini, vt secum opus resumerent, nihil quidquam vererentur sed certò sibi persuaderent, nullum à Persis sibi futurum impedimentum, & sic 2. anno Darii, opus intermissum resumpserunt.

Quas ob causas interruptum opus resumpserũt Iudæi non expectatis Regys Darij literis.

VII. Vers. 3. *In ipso autem tempore venit ad eos Thatanai qui erat Dux trans flumen, &c.* Cum itaque Iudæi ædificare cœpissent, sub finem noni mensis, aliquanto post, Thatanai & Stharbuzanai, & consiliarii eorum, vt hic dicitur, & habetur etiam in textu Græco lib. 1. c. 6. & in 3. Esdræ cap. 6. vbi vocantur, Sisennes subregulus Syriæ, Phœnicis, Stharbuzanai. Hi ergo, venerunt cum aliis Syriæ & Phœnicis præsidibus, sociis suis, qui dixerunt eis, *Quis dedit vobis consilium vt domum hanc ædificaretis, seu vt est in Græco, & in 3. Esdræ cap. iam citato vers. 4. quo præcipiente* vobis domum hanc ædificatis, & tectum istud, & alia omnia perficitis, seu vt est eodem cap. infra vers. 11. *quo permittente vobis, ædificatis domum istam, & opera hæc fundatis?* Quod Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 4. in alium sensum trahit, vt potius de modo ædificandi, quam de ædificatione inquirere videantur. Rogauerunt, inquit, Iudæorum Principes, cuius permissu, Templum sic ædificarent, vt arx potius, quam fanum existimari posset; & cur tam firmis mœnibus, & porticibus, vrbem cinxissent: sed hæc non sunt consentanea textui citato, in quo nulla penitus est vrbis mentio, neque humilitati Templi, de qua loquitur Aggæus, cap. 2. vers. 2. immo & Iosephus ipse, vllo modo conuenire possunt. Iam verò, quid à Iudæis, responsum fuerit, in Epistola ad Darium missa, fusè narratur, & à nobis inferius commodiore loco expendetur, quod autem Thatanai Dux trans flumen inscribitur, *Dux*, id est Prorex, qui scilicet, trans flumen Euphratem, in regenda Iudæa, cæterisque Prouinciis Babylonico, seu potius

Dux trãs flumen hic dicitur Darij Prorex qui trans flumen Eu-

phratem in Iudæa cæterisque Prouincys vices eius gereret.

Persico imperio subiectis, Darii regnantis, vices gereret.

VIII. Vers. 4. *Ad quod respondemus ei, &c.* Dubium mouent hæc verba, videtur siquidem qui hæc scripsit præsens affuisse, cum se aliis connumeret, & dicat, *Respondimus*, aliunde Esdras, huius operis author, quique hæc scripsisse vulgo dicitur, tunc Hierosolymæ non fuit, sed multo post illuc venisse reperitur, vt constat ex cap. 7. vers. 1. quare dicendum videtur, ad nodum huius difficultatis soluendum, aut tunc vere Esdram fuisse in Hierusalem, & facto Templo, in Babyloniam rediisse, ad Regem, vt plures de filiis Israel in Hierusalem reduceret, iuxta id quod recensetur, initio capitis 7 aut certè Esdram, licet in Babylone esset, se ædificantibus adiungere, quasi suum ipsius sit, quod erga fratres agitur, vel quod ipsi agunt, cùm vnum cum illis corpus componat, & non generis modo, sed diuini etiam cultus, ac Religionis societate, illis astringatur, sicut Paulus se illis annumerat, qui in die iudicij reperientur viui 1. Thessal. 4. dicens, *Nos qui viuimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis in nubibus, obuiam in aëra*, quod similis locutionis exemplum affert, & notat Lyranus. sic Christus Dominus Matth. 23. dixit ad Iudæos, qui Zachariam Prophetam nunquam inderant, *Quem occidistis inter Templum & Altare*, sic vniuersè, & ex omnium pene linguarum vsu, aliquis fecisse dicitur, quod sui ordinis ac generis homines fecisse narrantur.

Quam ob causam Esdras se ædificantibus adiungit qui ab fuisse videtur à Hierusalem.

IX. *Quæ essent nomina authorum ædificationis illius, &c.* Mirum profectò videtur (quod rectè aduertit Salianus in Annalibus ad ann. mundi 3533. n. 32.) nullam fieri, in hoc altero reditu Iudæorum, è Babylone, Duce Zorobabele, mentionem Regiarum litterarum Darij, nec singularis illius in Iudæos beneuolentiæ, atque beneficentiæ, immo ne profectionis quidem Zorobabelis, non solum apud Aggæum, ac Zachariam, quos facile dicas historicos non agere, sed Prophetas, sed nec apud authorem nostrum, hoc præsertim capite, vbi res id maxime videbatur exigere, nam cum auditum esset à vicinis Regis Persarum Præfectis, Iudæos ædificare, venerunt ad eos, vt proximè vidimus, & quæsierunt, quis eis consilium dedisset, vt domum Dei ædificarent, & muros eius instaura-A rent, quibus cum illi vno verbo satisfacere potuissent, Regias eis litteras exhibendo, immo reddere oportuisse, quæ ad eos dirigebantur, illi tamen tantum responderunt, quæ essent nomina hominum authorũ ædificationis illius: verùm per hæc nomina authorũ ędificationis, non male intelligi possũt, tam Darius Rex, quam Principes Persarum qui erant ei à consilio, quin etiam illa verba Aggæi, cap. 1. vers. 13. *Et dixit Aggæus nuncius Domini de nunciis Domini populo dicens, Ego vobiscum sum ait Dominus* de Zorobabele, & sociis eius, accipi possunt, qui nuncii Domini di-B cantur, quia bonum nuncium, de domo Domini ædificanda, attulerunt populo Domini quibuscum ædificaturis Dominus se fore pollicebatur, nec alienum est illud, quod in Hebræo nunc legitur, *Dixit Aggæus nuncius Domini de legatione Domini*: iuit enim Zorobabel ad Darium quasi delegatus à populo suo ad impetrandum a nouo Rege Templi ædificationem, sed ad hæc omnia, satis aperte, confirmare videntur priores Darii litteras, aliæ quæ cap. 6. proximè sequenti referuntur, ea potissimum parte, qua hæc verba continentur, vers. 8. *Sed & a me præce-C ptum est, quid fieri oporteat à Presbyteris Iudæorum*: Quæro enim, vbi? & quando, vtique in litteris, quas secum tulit Zorobabel, cum secundo venit in Iudæam, alioqui enim nusquam apparet vbi, aut quando, hoc præceperit Darius.

Per nomina Authorũ ædificationis intelligi possunt, tã Darius quã Principes Persarum qui erant ei à Consilio.

X. Vers. 5. *Oculus autem Dei eorum factus est super senes Iudæorum, & non potuerunt inhibere eos, &c.* Hic dicitur, oculum Domini, id est diuini numinis prouidentiam, & fauorem, propitium fuisse Iudæis, vt non prohiberentur ab ædificatione, donec nouum à Dario responsum acciperetur, sed vt nihilo-D minus, pergere in incepto opere, permitterentur, igitur *oculus Dei eorum, &c.* id est, prouidentia, seu fauor diuinus, intuitus misericordiæ diuinæ, & adiutorii eius, factus est super senes Iudæorum, eos scilicet confortando, & roborando in ædificatione, & non potuerunt inhibere eos, &c. Quid mirum? cum nullus possit resistere voluntati diuinæ, licet autem prædicti venissent forte ad inhibendum, tamen pronum ac procliuè fuit Deo, mutare eorum voluntatem; iuxta illud Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Dei quocumque voluerit flectet illud*: Hic autem dicendi

Oculus Dei super aliquem, fere in scriptura, intuitum diuinæ misericordiæ & fauorem illius significat.

tiam significationem, nonnunquam adhiberi soleat, certè fauorem & benignitatem indicat, plus satis illud Psal. 32. *Oculi Domini super metuentes eum*, & illud Ecclesiastici 34. vers. 15. *Oculi Dei in diligentes se*, sed vtrumque coniunxit Amos, cap. 9. vers. 4 vbi in malum pariter & in bonum sumitur. Ponam in quit oculos meos super eos in malum & non in bonum.

XI. Vers. 8. *Notum sit Regi esse nos ad Iudæam, &c.* Quod hi fuerunt cùm apud Darium, tùm apud Iudæos, non fuit animo impediendi ædificationem sicut Samaritæ. sed tantum vt cognoscerent, super hac re, Regis voluntatem, vnde quasi ad laudem Dei, in epistola ponunt, *Ad domum Dei magni, &c.* Propterea Beda, hos Gentiles, Samaritas hæreticos, mysticè intelligit, quasi hos, illis peiores, & maiorem Ecclesiæ perniciem molientes, & vero vt bene obseruat Glossa, multum dissimilis est, hæc epistola, illi quam, Reum Beel Teem, & Samsai, scripserunt Artaxerxi: illa enim accusatione Hierosolymitarum, hæc, laude non solum gentis, sed & Dei omnipotentis plena est, illa insidiis. hæc amicabilibus, id est plenis beneuolentiæ litteris, scripta; causa porro tantæ diuersitatis, ad litteram hæc est, quia illa à Samaritanis hostibus Iudæorum, hæc à Duce Regionis trans fluuium, id est inferioris Syriæ & Phœnicis, & sociis eius, qui nullas contra Iudæos inimicitias domesticas habuere, sed tantum Regis, à quo potestatem acceperant voluntatem exequi curabant: de structura ergo Templi, ad Darium scribentes, sic pergunt referre, exædificari scilicet *domum Dei magni, lapide impolito, &c.* id est, *nouo*, vt aiunt quidam, quem poliendo aptarant. alius *impolito*, id est, in quo nullæ fierent sculpturæ imaginum, sed qui tamen aptaretur ad vsum ędificii, sic Lyranus; Vox Hebręa, vel potius Chaldęa non significat propriè, *impolitum*, sed *magnum*, scilicet mole, vel pretio, vel *impolito*, idem est ac *rotato*, id est qui prę pondere rotatur: vnde, quidam vertunt, *ex lapide ingenti*, alij, *ex lapide marmoreo*, 70. *de lapidibus politis, electis*, id est, *pretiosis & magnificis*: certè lib. 3 cap. 1. de eiusdem Templi structura sic loquuntur, in litteris ad Darium datis, Iudæorum aduersarij, *Inuenimus aedificantes Templum, ex lapidibus politis, & magnis, & pretiosis materiis*: certiorem tamen esse

Variæ expositiones lapidis impoliti ex quo referuntur ad Darium exædificari domum Dei.

A lectionem vulgatam, quæ etiam repetitur capite sequenti, vers. 4. colligimus ex Aggæo, quæ prophetia, ad hunc ipsum annum, & septimum eius mensem, pertinet, vt idem Propheta testatur cap. 2. vers. 2. vbi iussu Dei, alloquitur illos, qui priorem domum extructam à Salomone viderant, & nunc eam videbant, quæ construebantur, quibus hæc videbatur contemptibilis, & nihili præ illa; *Quis in vobis est derelictus*, inquit, *qui vidit domum istam in gloria sua prima, & quid vos videtis hanc nunc? nunquid non ita est quasi non sit in oculis vestris*: iuxta Chal-

B dæam, *quasi res nihili*, & eandem sententiam, Hebræa, Græca, & Latina omnia exprimunt: Quod autem additur, *& ligna ponuntur in parietibus &c.* Id est trabes, ex transuerso domus, ad tenendum, vnum parietem, cum alio, & ad sustentandum solarium desuper, & quia parietes Templi interius erant operti tabulis ligneis, sicut fuerat in Templo Salomonis.

Vers. 9. *Interrogauimus ergo senes illos &c.* Retexunt in litteris, ad Darium datis, Præfecti Regij, interrogationem ipsam, quam superius, Iudæorum viris Principibus fecerant, cui subdunt deinde longiorem responsionem, quæ innuit, nouos fuisse, hos Persarum Præsides, quos sigillatim, vt textu consequenti narratur, de Templo ædificato prius à Salomone, quem Regem Israëlis magnum vocant, vers. 11. postea à Chaldæis exusto, postremum de eodem. excitari, & renouari cœpto, Cyri liberalitate, & magnificentia, à Iudæis edoceri oportuerit. XII.

C

Arguuntur ex textu noui fuisse Syriæ Præsides & Præfecti Regij.

Vers. 11. *Ædificamus templum extructum ante hos annos multos &c.* Quadringentis & decem annis stetisse Templum Salomonis, antequam de-

D strueretur per Nabuchodonosor, dicunt Hebræi, teste Lyrano &c. certam magis & exactam huius temporis rationem qui volet, Chronologos consulat, certe multis ante annis animo & sæculis stetisse non dubium est. XIII.

Quadringentis & decem annis stetit Templum Salomonis antequam destrueretur ex Hebræorum sententia.

Vers. 13. *Anno autem Cyri &c.* Puta Regni Babylonici, nam in Perside, iam plures annos regnauerat, nimirum 27. ex quorumdam sententia &c. vnde & in textu forte additur, *Regis Babylonis*, sed de hac re, nos iam alibi. in expositione primi capitis distinctius. XIV.

Vers. 14. *Nam & vasa Templi protulit Cyrus de Templo Babylonis, & data sunt Sassabasar quem & Principem con-* XV.

stituit &c. Etiam soluta captiuitate, summos Magistratus ac Principes, qui populo præessent, iusque ipsi dicerent in Iudæa, à Persarum Regibus constitui solitos, ac proinde nec Iudæos planè aut ex omni parte fuisse liberos iam superius monuimus, itaque ex hoc loco, aperte probari ostendimus. siquidem *Sassabasar*, quem alias item, Zorobabelem esse sic dictum, Chaldaico vocabulo, docuimus: Cyrus ipse, in ipso à Babylone discessu, Ducem ac Principem creauit.

XVI. *Quod Præfecti Regij dicunt à Cyri tempore vsque nunc ædificari etsi intermissum sit opus aliquot annos id faciunt vt Iudæorum causæ faueant.*

Vers. 16. *Tunc itaque Sassabasar ille venit, & posuit fundamenta Templi, & ex eo tempore vsque nunc ædificatur &c.* Sic textus hic intelligendus, quod iam alio loco significasse memini, vt pro certo, compertoque habeatur, reipsa, ac verè, intermissam fuisse, annos aliquot, Templi ædificationem, istos autem Præfectos, cum dicunt, *& ex eo tempore, vsque nunc ædificatur*, vti aliqua amplificatione, quæ causæ faueat, facilius enim conceditur, vt aliquid iam dudum inchoatum, quodque continenter promotum est, absoluatur, quam vt recens inchoetur, id enim innuunt illa verba quæ mox consequuntur, *& necdum completum est*, nec prohibitionis Cambysis meminerunt, sed tantum Iussionis Cyri patris eius, quin & arbitror, quod etiam, authori valde bono, vero proximum visum est, istos Præfectos, nequaquam de Darii voluntate, in hoc negotio dubitasse, cuius litteras a Zorobabele accepissent, vt ratio postulat, sed politica prudentia, etiam Cuthæis, seu Samaritanis hostibus Iudæorum, nonnihil gratificari voluisse, vt hac de re tota ad Darium scriberent, sed tamen in gratiam Iudæorum, ita scriberent, vt eorum causæ fauerent potius quam nocerent.

Sal. Ann. cit. n. 38.

Vers. 17. *Nunc ergo si videtur Regi bonum, recenseat in Bibliotheca Regis, &c.* Hæc tandem est totius Epistolæ ad Darium missæ conclusio, ex qua constat, cum audiissent a Iudæis præfecti Regis, quid de Templi fabrica, Cyrus decreuisset, quod in litteris suis ad verbum expressere, non facile eos in spem venire potuisse, si id verum esset, accusationem suam aliquid ponderis, apud Regem habituram, quare cum orant, vt in tabulariis, Cyri decretum, inuestigari iubeat, & examinari diligenter, an Iudæi aliquid in hac parte confingant, quo à se, vel culpæ, vel audaciæ, ex ædificato Templo, & crimen & pœnam, amoliantur, statuatque, iuxta Cyri decretum, quid in re tanta maxime fieri velit, sic ipsi, in quo Iudæis, ne hoc etiam omittam, fauere manifeste mihi videntur: simulant enim, se ignorare Cyri decretum, de quo aperte constat, quod vnam causam Iudæorum valde tuebatur, nec improbabilis est ignorantia, ab eo enim tempore, iam septemdecim anni abierant, & Rex quartus iam regnabat. Cæterùm, cum extremo anno hæc scripta fuerint, nimirum in fine mensis noni, aut etiam decimo ineunte secundi anni Darii, videtur responsio de qua capite sequenti, ad sequentem etiam annum Darii, tertium, pertinere; nam & via longinqua erat, vsque in Persidem, & Babylonem, & Mediam: nihilque erat, quod missionem vrgeret, cum nihilominus interea vrgeretur ædificatio. Postremùm hoc addo, quod in textu legitur, secundum vulgatam, *In Bibliotheca Regis &c.* verti posse, vt voces Chaldaïcæ ferunt, *In domo thesaurorum Regis, &c.* sed quicumque demum is locus fuerit, in eo & rationum libri & acta recondebantur.

XVII. *Bibliotheca Regis seu domus thesauroru vt alius dicitur locus fuit vbi & rationum libri & acta reconderentur.*

ALLEGORIA

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quinti.

Obseruatio mystica in vers. 1.

De Magnitudine animi in Aggæo, & Zacharia Prophetantibus ad Iudæos, vt ædificationem Templi intermissam resumerent & in Iudæis opus illud ex eorum consilio resumentibus.

Quidue hoc mystice significet cum ait Esdras.

Prophetauerunt Aggæus Propheta et Zacharias filius Addo prophetantes ad Iudæos qui erant in Iudæa & Hierusalem in nomine Domini Dei Israel, & tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel & Iosue filius Iosedech, & cœperunt ædificare Templum Dei in Hierusalem, & cum iis Prophetæ adiuuantes eos.



BSERVANDVM hic occurrit quanti Spiritus, isti Prophetæ, Aggæus scilicet, & Zacharias fuerint, inquit Beda, citatus in Glossa, (quod à D. Hieronymo mutuatus est. Prologo in Aggæum) qua vi spiritus, hoc est, vt ego interpretor, quam præsentis, quam generosi, atque imperterriti animi, vt contra tanti Regis edictum Artaxerxis puta, siue Cambysis, quod superiori capite vidimus contra Samaritanos, & omnes gentes, per circuitum, ædificationem Templi impedientes, iuberent Templum exstrui, & magna festinarem ad fastigium perduci; dederat illis Deus, scilicet, quod olim Hieremiæ, & Ezechieli *faciem valentiorem, facie eorum*, Ezech. 3 præfatusque fuerat iisdem solemnibus verbis, quibus Hieremi. 1. *Nec formidetis facie eorum, nec enim timere vos faciam vultus eorum, Ne timeatis à facie eorum, quia ego vobiscum sum, & eruam vos dicit Dominus.* Zorobabel quoque, & Iesus & populus qui cum eis erat, non minoris fuisse fidei probantur, qui Prophetas iubentesq; significantes vt ad sacrũ opus animum appellerent, quod diuini erat consilij exequerentur promptissime, magis audierunt quam prohibentis Regis imperium, rati, scilicet, satius in cœlum quàm in terram, oculos intendere, magisque satagentes, obedire Deo, quam hominibus. & sane est illud omni admiratione dignum quemadmodum verbis Prophetarum statim confirmati, optimates Iudæorum non potuerint, amplius ex eo tempore hostium infestationibus, à sancto opere præpediri, à quo quiescentibus adhuc Prophetis, timore hostium multis iam annis cessauerant, mirum tantillos homines, tanti tamque ingentis populi, animos, tam fractos, ac debiles, tam leui machina hoc est sua concione paucis verbis comprehensa tam subito erexisse, nimirum sic nunc in Ecclesia res geritur (addit Beda) factum hoc Iudæorum ad mores illustrando lib. 2. expositionis allegoricæ in Esdram cap. 6.) dum hi qui malignorum spirituum hominum insidiis retardati tardiores aliquando ad bonum opus fuerunt repente verbis Doctorum & diuinarum Scripturarum correpti nullis tentatiõnum machinis possunt vinci, vel à proposito intentionis reuocari: Sic ingenio molles & fracti oratione firmandi sũt, sic debiles sustẽtãdi, sic natura prona in vitium ac procliuis duce ac magistro indiget qui stimulos addat ad

Deus verbis suis fortitudinẽ & audaciam Prophetarum animis indiderat.

vel Munus est Prophetarum & Doctorum languentes in officio excitare & confirmare.

virtutem & languentem incitet., sic vbivis atque apud quosuis homines ad res magnas præstandas hortatore vt plurimum atque incentore plurimo opus est. Sic ad animandum ad ea quæ rerum cœlestium ac diuinarum studia spectant Prophetis, id est, Doctoribus, Concionatoribus, amicis etiam, ac priuatis monitoribus vtendum est, alioquin vertẽdum est ne in ipso veluti limine atque ingressu virtutis hæreat aut à cœpto itinere desistat tandem, atque in ipso cursu deficiat. Sic demum ad omnia pœne quæ salutis nostræ propria sunt. non inuitari modo nos à Deo, ac vocari suauiter sed compelli quoque quodammodo necesse est; *Compelle eos intrare*, ait Christus in Euangelio, Luc. 14. vers. 23. quo fit, *vt repleatur domus tota* quæ alioqui tota, vel certè magnam partem, vacua remansisset. Hinc Diuus Paulus, ministro ac Doctori Euangelico Timotheo scilicet ipsi Episcopo Ephesino quod sui muneris atque officii erat & ad populi salutem procurandam vtile imprimis ac necessarium grauissimis verbis commendabat 2. ad Timoth. 4. *Prædica verbum, insta, opportune importunè, argue, obsecra, increpa*: ergo, dicuntur Aggæus & Zacharias Prophetæ adiuuantes Iudæos, quia *Nisi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt qui ædificant eam*, vt Iudæi ipsi nisi eos Prophetæ missi diuinitus, adiuuissent, in medio opere substitissent, templumque infectum posteris reliquissent: scilicet Prophetarum est ac Doctorum quibus tanquam administris ad aliorum salutem, vtitur Deus, languentes ac remissos hominum animos, ad quos mittuntur erigere, ac confirmare in bono: eam in rem audi Arnoldum Carnotensem, de Sacerdotis ac Doctoris Euangelici munere sic differentem tractatu de vltimis verbis Domini in cruce: *Nihil aliud*, inquit, *illud pectus occupare debet quam animarum zelus quia officii illius est, reuocare deuios, reconciliare erroneos, confirmare eos qui proficiunt in iustitia, eos qui deficiunt cohortari sæpe, ne desperent de venia*, propterea non ab vno modo Propheta, nec semel animantur confirmanturque ad opus Iudæi in Hierusalem reuersi *Et suscitauit Dominus spiritum Zorobabelis filii Salathiel Ducis Iudæ & spiritum Iesu filii Iosedech, Sacerdotis magni & spiritum reliquorum domini populo*, ait Aggæus ipse ex quo profectò docemur, etiam perfectos viros, indigere Dei auxilio & sine Christo nihil facere posse, vt in eum locum notat Ribera, atque idcirco dici. Spiritum illorum excitari, qui Principes erant in populo, suscitatur etiam spiritus populi qui in eis ante dormiebat, non corpus, non anima, sed vt diximus spiritus, qui magis ædificare scit Templum Dei, ait diuus Hieronymus, qui & mysterium quoque in eo agnoscit, quod primum, *in primo die mensis*, locutus dicitur ad Iudæos Aggæus, ipsi vero tantum *vigesima quarta ingrediantur ad faciendum opus in domo Domini*, *Nimirum*, inquit, *duo & viginti dies interiecti sunt, quot & literæ sunt apud Hebræos. Necesse enim habuerunt doceri quæ essent elementa principii sermonum Dei, quæ eos prohiberent dicere, Nondum tempus venit domus Domini ædificandæ*, & vt prouocarentur ad ponendum corda sua super vias suas, & recordarentur, quanta propter negligentiam fuerant ante perpessi. At vbi plene his instructi sunt sine mora & sine timore ędificãt. Vides ex sensu D. Hieronymi, vt populo cuiuis, remisso præsertim ac negligenti, opus est Propheta, seu Doctore atque incentore ad bonum opus inquam diuini verbi præcone ardentissimo à quo adiuuetur accendaturque vehementius, quem si audiat alios postea aut Zacharias aut Aggæos qui eum adiuuẽt, solenturque, copiosius quoque subministrabit Deus, Sic se in homines fere explicare solet diuinæ bonitatis studium singulare, atque indefessa summæ illius prouidentiæ cura, inchoent modo, ac labori se dedant primum cœlo inspirante illico adiuuabit Deus, inchoatum opus ille perficiet confirmabit solidabitque. Ac ne ab Historia nostra longius aberremus. Obserua iterum in mense septimo vicesima prima prima die mensis Deum Iudæos ædificantes alloqui per Aggæum Prophetam cap. 2. cum ipsi ædificare cæpissent vicesima quarta die mensis sexti quorsum tandem? sane ad maiores subinde addendos illis animos, contra aduersariorum insultus, ad vanum omnẽ ex illorum animis metum excutiendum, cuiuscunque difficultatis quæ laborantibus posset occurrere eosque ab opere deterrere, sic in spirituali ac mystica animorum nostrorum ædificatione contingere animaduertimus, nec enim diu obliuiscitur Deus operantiũ

Ex diuo Hieronymo duo & viginti dies interiecti inter Prophetiam Aggæi & inchoationẽ operis quot sunt literæ apud Hebraicos mystice indicant necessitatem sermonis Dei à quo permoueretur ad ædificandum populus.

in Templo suo Sathanam ipsum cohibet illis aduersantem, si vtile sit, aut si tentare sinit, vires ad vincendũ suggerit, fouet charitatem alacritatem animo fortitudinemque inspirat, ad ei seruiendum & quidlibet pro eo perferendum, si modo non desint ipsi sibi per laborem nec in incœpto iam opere remittant, cuius rei certos nos ac securos facit Deus ipse per Isaiam cap. 40. vers. 27. cum ait. *Quare dicis Iacob, & loquens Israel. Abscondita est via mea à Domino, & à Deo meo iudicium transiuit*, id est ne dicas Ego laboro, & dura patior, & Deus me deserit & in medio certamine relinquit, nullis consolationibus, nullis nouis præsidiis pugnantem iuuat, quæ cogitatio sæpe, iustorum animos inuadit & vires quodammodo infirmat, quibus sic respondetur. *Nunquid nescis aut non audisti, Deus sempiternus Dominus qui creauit terminos terræ, non deficiat, neque laborabit, neque est inuestigatio sapientiæ eius, qui dat lasso virtutem, & iis qui non sunt fortitudinem, & robur multiplicat, deficiant pueri & laborabunt vt iuuenes in infirmitate cadent, qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*, quasi dicat: Dominus sempiternus Deus est, semper viuit atque operatur, ipse creauit terminos terræ, ideoque potens est ad faciendum quicquid velit nec labore vllo modo fatigabitur, vt hac causa deterreatur, ab adiuuando quos velit, neque ignoratione omittet, quia nouit omnia, & scit quid cuique rei faciendæ opus sit, ne deficiatis timore aut tentationibus cedatis ipse dat lasso virtutem & robur Pueri, id est adolescentes, quamuis viribus valeant & iuuenes qui fortiores sunt defatigabuntur & deficient, id est omnis humana vis deficiet, tandem & cadet, at qui sperant in Domino, neque vnquam laboribus, aut tentationibus animum despondent, aut spem suã à Deo tollunt subinde nouas, vires capient, & cum delassati victique videbuntur nouas pennas accipient & renouabuntur vt aquilæ. Reduces igitur à captiuitate Iudæos qui iam laborare cœperunt in domo Domini, secundo alloquitur Deus per Aggæum Prophetam, per quem iam eorum spiritum suscitauerat, vt iterum resuscitet, quo intelligas eum modo per seipsum, modo per ministros suos, non desistere, eorum animos ad progrediendum in via virtutis commouere, quos videt iam suis verbis obedire cœpisse, & de profectu suo cogitare, Vnde nec cuiuis ad virtutis studium aggredienti quidquam ab aduersariis occurrentibus magnopere timendum est, si speret in Domino, parantemque eum ferre opportunum necessitati auxilium mentis oculis intuetur Quod satis superque in Iudæis adumbratũ videmus, *qui cœperunt ædificare Templum Dei, & cum eis Prophetæ Dei adiuuantes eos.* Discãt hinc porrò Prophetæ nostri, hoc veri Doctores & Ministri Euangelii quam honorifico nomine gaudeant cum passim Adiutores, & Cooperatores Dei vocantur, ac proinde nomen suum ac Ministerium replet, *ingens, hac Angelica, immo diuina est dignitas*, ait sanctus Dionysius cœlestis Hierarchiæ cap. 3. *Dei cooperatorem fieri in conuersione animarum diuinamque in se operationem palam cunctis ostendunt*: Hoc est Prophetam Dei esse, at laborantes in ædificatione Templi Dei quod sanctum est, vt scimus nos adiuuare: *Dei enim sumus adiutores*, aiebat olim D. Paulus 1. Corinth. cap. 3. vers. 9. *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis, secundum gratiam quæ data est mihi, vt sapiẽs Architectus fundamentum posui.* Discant Fideles & Christiani opus Dei, non fieri in Ecclesia, nec promoueri longius, nec inchoari nec perfici solidam virtutum structuram sine illorum ministerio ac proinde magnifaciant, reuereanturque, tanquam Dei ministros à quibus ad salutem suam consequendam quotidie adiuuãtur discant iidem Dei adiutores atque administri, concionando loquendo hortando, vti faciebant Aggæus, & Zacharias Iudæos vrgendo ad ædificationem Templi, leuem omnem suam operam immo nullam esse, sine interna Dei motione qua sic hominum animos percellit tangitque, vt vitam illi commutent vel proficiant in melius. atque ita suo in opere quantum quantum est & quicquid demum efficiant, ne glorientur sed demittant sese abiiciantque ante Deum, *Neque enim qui plantat est aliquid neque qui rigat sed qui incrementum dat Deus*, ait Paulus loco iam citato, vers. 7. qui plantat & rigat, agricola scilicet, parum est, parumque affert & quasi nihil, præ Deo, nam tantum exterius agit, & quicquid agit, accipit à Deo, agitque vt instrumentum Dei, Deus

Ad virtutis studium aggredienti nihil sinendum ab aduersarijs Deo auxilium promittente.

III.

Magna dignitas Doctoris Euangelij quod Dei adiutor & adiutor ac cooperatur in salute animarum as sit & habentur.

Concionatores nihil faciunt in meritoriis animis, sine interna Dei voce ac concione.

autem, per se interius, vt principale A agens, operatur, vimque & vigorem crescendi sufficere ac suggerere solet, quare actio tribuitur quod aiunt principali agenti & maxime causæ primæ. Sic & tu quoque existima exteriorem concionem, vocationem, exempla, miracula etiam ipsa non sufficere ad animorum conuersionem aut vitam spiritualem inchoandam vel promouendam, nisi Deus interius operetur. Hinc pulchrè S. Augustinus Tractatu 7. in Epistolam 1. Ioannis, *Ministeria forinsecus*, inquit, *adiutoria sunt & admonitiones, cathedram tamen in cælo habet, qui corda docet, sic sunt hæc verba quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborem forinsecus enim agricola operatur, quia adhibet aquam, diligentiamque agriculturæ, sed tamen poma non format, &c. Quis ergo? Deus, sane*, cum arbore concurrens, arborique, vim poma gignandi indens ac subministrans Dictu, pari modo, parum omnino facit Doctoris & concionatoris vox, ad animos permouendos, sonat enim tantum exterius: sed Deus est qui cum eo concurrens interius, motus animorum facit, & per gratiam suam eos illuminat & conuertit. Bene itaq; Zacharias & Aggęus, dicuntur hic ab Esdra cum Iudęis ędificantibus, *Prophetæ Dei, adiuuantes eos*, hortationibus suis scilicet, quasi duri adiutores & administri sed Deo Iudæos ipsos mouente interius, ac persuadente.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Captis quinti.

Expositio Allegorica & moralis in hæc verba, v. 2. *Cæperunt ædificare Templum Domini.*

De ædificatione Templi mystici instituenda quemadmodum anima sit Templum illud mysticum & quibus virtutibus sit ornandum.

1. V. *Domũ Domino ædificare, est animam suam mũdare & eã tanquam sanctũ Dei domiciliũ, virtutibus instruere.*

ERTE domum C Dei decet sanctitudo, vt ab illa Psaltis Regii voce totam hanc allegoriam exordiar, & cum præparatur habitatio non homini sed Deo, multum in eo negotio operæ ponendum est, magno studio inuigilandum. Domum autem Domino ædificamus, quando animam nostram, ab omni inquinamento carnis & spiritus emun- D dantes, sanctum & impollutum Deo in nobis domicilium præparamus, de quo Paulus ad Ephesios 3. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris*, fidem autem intelliget quæ per charitatem vt operatur, ipse ad Galatas? interpretatus est de hoc etiam ait 2. Corinth. 6. *Qui autem consensus Templo Dei cum Idolis*, pura enim esse debet anima nostra, ab amore rerum terrestrium, & nullum idolum habere quæ domus est Dei, quoniam *inhabitabo in illis, & in ambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi mihi erunt populus*: ait ille ipse qui domicilium instrui sibi ac præparari vult, Leuitic. 16. huius domus Domini ædificationem, sancti non differunt, sed ardenter optant, & perficiunt, vt verba indicant sancti Prophetæ, *Sicut iurauit Domino votum vouit Deo Iacob si introiero in Tabernaculum domus meæ & donec inueniam locum Domino &c.* Psal. 31. *At peccatores, differunt de die in diem, & dicunt semper, nondum venit tempus domus Domini ædificando.* Satiari prius voluptatibus expetunt, & morem animæ suæ gerere volunt, tempus expectant quo sine dolore relinquant, quod amant. Porro, quemadmodum domum Dei, siue Templum istud mysticum, fundari, perfici, ornari atque adeo, omnibus suis numeris, & partibus absolui oporteat, fusè quidem, & prolixè, nonnihil sed piè, admodum enarrat Auctor incognitus in Psalmos exponens illud Psal. 44. *Adducentur in Templum Regi*

A *Domino* cuius verba, etiam huc inferre non pigebit. Quælibet anima, inquit, quæ in statu gratiæ, & per consequens membrum est Ecclesiæ, Templum Dei dicitur, quia in illa, sicut in Templo suo, habitat Deus, 1. Corinth. 6. *Templum sanctum Dei est, quod estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Adducentur, ergo in Templum Regis, id est, ad hoc adducentur fideles ad Christum, vt fiant Dei Templum, Templum siquidem quasi platea Dei dicitur, eo quod in illa specialiter habitet Deus, hinc est quod talis anima Templum Regis dicitur, vnde Magister dicit, in sanctis propriè B habitat Deus, in quibus est & habitat per gratiam, non enim vbicumque est Deus, ibi habitat, vbicumque vero habitat, ibi est, sed in sanctis habitat, qui sunt Templum eius & sedes. Vnde Dominus per Esaiam ait *Cælum mihi sedes est*, quia in electis, qui sunt cælum, habitat Deus, & regnat, qui eius voluntati, deuoti obtemperant vnde Sap. 7. Thronus sapientiæ anima iusti, quia in iustis specialius est, quam in aliis rebus, in quibus tamen omnibus totus est: quemadmodum anima vt ait August. in Epist. ad Hyeron. de origine animæ, per omnes particulas corporis C tota adest simul, nec minor in minoribus, nec in maioribus maior est, sed tamen in aliis intentius, in aliis remissius operatur; ita Deus cum in omnibus sit essentialiter ac totus, tamen plenius esse dicitur in illis quos inhabitat in quibus ita est vt faciat eos Templum suum &c. hęc magister. Istud ergo est illud Templum quod à Rege Christo, qui est fons & origo omnium gratiarum ædificatur, de quo Zachar.

V. 6. prædictum, *Ecce vir oriens nomen eius & ædificabit Templum Domino*, scilicet per gratiam inhabitando animam, ad videndum autem moraliter, qualiter istud Templum ædificatur, sciendum D est, qnod ad similitudinem Templi materialis, à Salomone constructi, quælibet anima quæ Dei Templum vult esse, quatuor conditiones debet habere, nam in illo materiali Templo inter cætera, quatuor erant scilicet fundationis solidata, permanentia, habitationis, tripartita differentia, fenestrationis requisita congruentia, decorationis exquisita refulgentia: sic loquitur ille author à cuius simplici ac rudiori paulum stylo discedere hic non placet: Primum inquit, patet, quia Templum illud, erat fundatum de lapidibus magnis, & quadratis, qui sunt magnæ firmitatis, vnde 3. Reg. 5. *Præcepit Rex Salomon vt tollerent lapides grandes, in fundamentum Templi, & quadrarent eos*, & in hoc notatur fundamentum Templi spiritualis, conscientiæ, quod fundamentum est, humilitas, quia sicut fundamentum stat in parte inferiori, omnem sustinens structuram, sic humilitas in fundamento Templi spiritualis: vnde Cassiodorus, de spiritus superbiæ ait, *Nullomodo poterit in anima nostra virtutum structura consurgere, nisi prius iactata fuerint in corda veræ humilitatis fundamenta*, quæ perfectè collocata, perfectionis culmen valeant *sustinere*, sed nota, quod in isto fundamento, debent poni lapides grandes, & quadrati, quia humilitas, huius Templi fundamentum, debet esset dura, vt lapis, contra præsumptionem, magna & grandis, erga inferiorem, quadra & fortis, præter defectionem; sic ergo humilitas dura vt lapis, &c. quia sicut lapis sua duritia resistit vento, sic humilitas vera, sua duritia resistere debet vento superbiæ: & hoc contra humilitatem fictam, quæ non resistit superbiæ, sed ipsam includit, de qua Eccles. 19. *Est qui nequiter se humiliat & interiora eius plena sunt dolo*, si ergo humilitas sit stabilis & fortis velut lapis, erit huius Templi fundamentum, de lapidibus pretiosis vt 3 Reg. 7. secundo, sit humilitas magna & grandis, & vt scilicet, altiorem gradum humilitatis habeat, ideo præcepit Rex, vt in isto fundamento ponerentur lapides grandes, vbi notandum, quod humilitas etiam vera, est triplex, scilicet sufficiens, abundans, & grandis, quæ alio nomine, omnis iustitia dicitur, vnde Glossa Matth. 3. ait, quod perfecta humilitas, habeat tres gradus, primus est subdere se maiori, & se non præferre æquali, & sic dicitur sufficiens. Secundus est, subiicere se æquali, nec se præferre minore; sic dicitur abundans: Tertius est subdere se minori, in quo omnis habetur iustitia & hic dicitur humilitas grandis, in hoc igitur quod dicitur, *Præcepit Rex vt ponerentur lapides grandes*, notatur, quod, qui seipsum, Regis Templum vult facere, istum gradum grandis humilitatis, debet habere, & sic iuxta illud quod habetur Hierem. 30. *Templum iuxta ordinem suum fundabitur.* Tertio hæc humilitas, debet esse quadra, quia

Dicitur Deus in Sanctis habitare tanquam in Téplo suo quia in illis est per gratiam & Spiritum sãctum inhabitantẽ.

Quatuor cõditiones Templi Salomonici debet habere anima quæ vult esse Templum Dei.

Fundamẽtum Templi mystici, humilitas.

Variæ humilitatis proprietates & gradus.

A ſicut lapis quadrus, magis eſt ſtabilis, & omni alio lapide, ſic iſta humilitas debet eſſe quadra 1. Stabilis, per perſeuerantiam. Sic enim vt habetur Eſdræ 5. *Præcepit Rex Cyrus vt ponerent in Templo fundamenta de lapidibus, ſupportantia altitudinem, & latitudinem,* tunc enim ſolum fundamentum, altitudinem, & latitudinem ædificii, dicitur ſupportare, quando ſub ipſis dicitur perſeuerare, & talis debet eſſe humilitas, per perſeuerantiam, propter quod ait Bern. ſuper Cantica. *Quod ſpirituale ædificium non poteſt ſtare niſi ſuper humilitatis ſtabile fundamentum, & in figuram huius dicitur quod cum Templum ædificaretur, malleus & ſecuris, & omne ferramentum,* non ſunt audita in domo Domini, quia ſcilicet in eo qui Templum Dei eſt tanta debet eſſe humilitas, vt in eius mente nulla murmuratio ſit aut audiatur.

VI. Secundo, principaliter in Templo Salomonis, erat habitationis tripartita differentia, nam vt habetur 3. Regum 6. in Templo, erant tres māſiones, ſic, quod ab inferiori per cochleam aſcendebatur in mediam, à media in ſuperiorem, & per hoc ſignificatur, quod qui Templum Dei ſe conſtruit, in ſeipſo, tres manſiones debet habere, ſcilicet, in ſimam, mediam, & ſupremam, vt in tali anima ſit pro inferiori manſione peccati cognitio, pro media peccati contritio, pro ſuprema peccati remiſſio. Nec immerito peccati cognitio dicitur manſio inferior, quia ſtante generali influentia, à ſolo homine poteſt eſſe, quia non includit gratiam gratum facientem, cum multi peccata ſua cognoſcant, & relinquant, eſt tamen magna hominis ad bonum prouocatio, quia initium ſalutis hominis eſt cognitio peccati, qui enim peccare ſe neſcit, corrigi non vult: & ideo animæ peccatrici, vt fiat Templum Dei dicitur Hierem. 3. *Leua oculos tuos in directum, & vide vbi proſtrata ſis &c.* vt ſic talis anima, quæ conſiderat peccata ſua, erit de numero illorum de quibus dicitur, Eſdræ 5. *Quod cœperunt ædificare Templum Domini.* Secunda manſio Templi dicitur peccati contritio, quæ bene dicitur media, quia ſicut medium, participat naturam extremorum, id eſt, Dei & hominis, quia non poteſt eſſe contritio ſine voluntate hominis, nec ſine gratia Dei gratum faciente, & ad iſtam ſecundam manſionem, aſcenditur à prima, quia contritio præſupponit confeſſionem.

Tres in anima debent eſſe manſiones ſicut in Templo Salomonico.

Tertia habitatio, eſt peccati remiſſio, quæ ſuprema dicitur, quia à ſolo Deo fit, ſine hominis cooperatione, quia ſolus Deus peccata remittere poteſt, & tunc anima talis, poterit dicere illud 3. Reg. 5. *Cogito ædificare Templum nomini Domini mei.* Tertio principaliter, in materiali Templo Salomonis, erat feneſtratio, vnde 3. Reg. 6. dicitur, quod *Salomon fecit in Templo feneſtras obliquas,* quæ ſcilicet erant exterius ſtrictæ, ſed interius latæ, hæ enim bene ſunt diſpoſitæ ad illuminandum interius, per hoc autem ſpiritualiter intellige, quod anima Templum

B Dei effecta, quæ vult ſpirituali gratia, per contemplationem cœleſtium, perluſtrari, debet habere feneſtras, id eſt affectiones voluntatis, quæ feneſtræ dicuntur, quia illis tanquam feneſtris, illuminatur domus conſcientiæ & iſtæ debent eſſe ſtrictæ exterius, id eſt, reſpectu temporalium, & latæ interius, hoc eſt reſpectu ſpiritualium; & tunc talis anima habebit feneſtras, per circuitum obliquas, quæ commodè lumen excipiant de quo intelligi poteſt illud 1. Mach. 4. *Accenderunt lucernas, & lucebant in Templo.*

Anima quæ paruis efficitur erga temporalia multum erga ſpiritualia dicitur habere feneſtris obliquas ſicut Templum Salomonis ſtrictas exterius latas interius.

VII. Quarto principaliter in Templo erat decoratio, &c.

C quia 3. Reg. 6. dicitur quod nihil erat in Templo quod non auro tegeretur, & per hoc ſignificatur, quod templum animæ, triplici virtute debet ornari per aurum ſignificata ſcilicet caſtitate, charitate, & patientia: nam aurum inter cætera metalla, habet ſplendorem claritatis, & ſic ſignificat caſtitatem, quæ ſumme lucet, *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate,* valorem bonitatis, & ſic, ſignificat charitatem, quæ ſumme valet 1. Corinth. 13. per totam epiſtolam & in finem, *Maior autem horum charitas.* pondus grauitatis,

Vt Templū Dei ſui anima debet ornari triplici virtute qua deſignatur per aurum quo Templum Salomonis conueſtitū erat caſtitate, charitate, & patientia.

D & ſic ſignificat patientiam. quæ hominem ſumme ſtabilem facit, & ponderoſum, vt non leuiter, per iniuriam moueatur, *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras:* auro igitur totum Templum tegebatur, quia iſtis, tribus virtutibus, omnis actio, Templi Dei ſpiritualis, debet decorari, *& ſic omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in Domino:* & ſic de talibus dicit Pſaltes, quod adducentur in Templum Regis, ſic ille quæ viris diſertis ſegetem amplam atque vberem materiam præbeant res hic ſtrictim notatas, in bene longam concionem aut diſſertationem producendi. Addam ad hæc,

VIII. D Hieronymum, qui in Psal. 113. versans illud Leuitici, cum sim à nobis superius citatum, *Inhabitabo in illis & inambulabo inter eos*, ait. *Vide, anima sancta, quam grandis sit. Inhabitabo*, inquit, *sed fieri potest vt aliquis anguste inhabitet, quare additur inhabitabo & deambulabo in eis, vbicumque deambulat, vtique lata domus est*: Vnde S. Ambrosius Serm. 70. in Psal. 118. eodem spectans, sic ait. *Alij queruntur de suis rurus angustijs, in te Deo, est ampla possessio, in quo se deambulare dicit, hoc est, Laxa spatia habitationis inuenire, qui terram includit manu* Isaiæ 40. *Cui mundus angustus est, tu ei ampla es domus.* Quod quidem, ad virtutis ipsius sedem, ac domicilium, egregiè transfert, inter prophanos auctores, in iis quæ ad mores spectant, omnium oculatissimus, Seneca epistola 88. vbi sic habet, *Magna & spatiosa res est sapientia, vacuo illi loco opus est*, & post pauca, subiungit, *Hæc tam multa, & tam magna, vt habere possint liberum hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt, non dabit te in has angustias virtus, laxum spatium res magna desiderat, expellantur*

Grandis domus est anima in qua Deus inhabitat & inambulat.

A *omnia, totum pectus illi vacet.* Quin & S. Hilarius in Psal. 78 expendens etiã verba illa, *Inambulabo in eis angusta*, inquit, *peccantium sunt corda, & hospitio Deum mens polluta non recipit, patulum enim domicilium, inconceptibili Deo, opus est, & idcirco in amplitudine Propheta ambulat cum ait, dilatasti gressus meos.* Hinc demum, illa Tertull. lib. de cultu fœminarum, c. 1. vox quæ non ineptã huic toti expositioni coronidem imponet. *Cum*, inquit, *nos omnes Templum simus Dei, illato in nos & consecrato spiritu sancto, eius Templi æditua, & antistes pudicitia est, quo nihil immundum,* B *nec prophanum, inferri sinat ne Deus ille qui inhabitat inquinatam sedem offensus derelinquat.* Vt profecto ad puritatem animi omni ope ac studio retinendam vitandamque cuiusuis vel leuissimæ noxæ contagionem, iure nos cohortetur D. Paulus 1. Corinth. 3. v. 16. *Nescitis quia Templum Dei & spiritus Dei habitat in vobis*, metumque hunc tandem nobis incutiat. *Si quis Templum Dei violauerit disperdet illum Deus.*

TROPOLOGIA ET ALLEGORIA
Capitis quinti.

Morale & mysticum in vers. 3. *Venit ad eos Thatanai, qui erat Dux trans flumen et Stharbuzanai & Consiliarij eorum, sicque dixerunt eis, quis dedit vobis Consilium vt domum hanc ædificaretis.*

Dæmonem semper aduersari sacris operibus & de cæteris minus sollicitum ea modo quæ ad diuinum cultum pertinent impedire, atq; amoliri si possit.

IX.

IRVM certè videri debet, nec immerito, rem propius inspectantibus, quid sit, quod cum ante Iudæi domos sibi construerent laqueatas, & splendidas, id quamuis aperte contra Regium Cambysis interdictum foret, silebant tamen illorum vicini Samari- C tæ, hostesque Iudaici nominis infensissimi, silebant inquam, nec ægre illis esse, quod huic operi incumberent, vlla ratione testabantur, Iudæorum ausus in negotio, quod rem ipsorum priuatam spectabat, non retardabant, nullam denique ad Regem, de eo, querelam defferre admodum satagebant. At cum Templum instaurari vident, in quo, etiam instaurabatur pietas, & antiqua Religio, quæ longo exilio, & Gentilium conuictu, si non omnino, &

Non conqueruntur de Iudæis Samaritani cum priuatas domos & prophanas sed

cum Dei domus quæ ad Religioni spectat ædificant.

magna ex parte, exoleuisse videbatur. Tunc omnes adhibent machinas vt sacrum ad Religiosum opus impediant? Quod sane non est aliud, vt facilè qui uis intelligit, quam bellum indicere Religioni, & ipsam veluti plagam refricare, quæ iam propè videbatur obducta cicatrice, persananda: vnde satis constat quis fuerit huius seditionis, atque impedimenti, Iudæis Templum ædificare parantibus obiecti Dux, atque author primarius, nempe diabolus qui de profana fabrica, & quiete, quæ otium paret, atque desidiam, nihil sollicitus est, nec eam quauis arte interturbare, vehementer operæ suæ pretium ducit, laborat tamen, vel maxime studetq; impensè, ne operis quidquam sanctioris, ac Religiosi excitetur, quod pietatē in hominum animis alat atque conseruet: imo exultat ipse ac triumphat gaudio, si prophana hæc omnia quæ sensus feriunt, magnopere splendeant, & sua specie primum oculos, deinde animos sensim capiant, & alliciant, dummodo res sacræ ac diuinæ frigescant, modo pietas in Deum, zelus diuini cultus, salutis procurandæ cura vilescant penitus. cætera denique omnia Religionis monimenta passim negligantur, ac veluti in fæce & sordibus delitescant: dum paleam versant, in Ægypto, antiqui Hebræi Exod. 1. Pharao, & si eos durè habet, tamen vtcumque tolerat, dum in lateribus conficiendis, dum in operibus luti, ac cineris occupantur, dum Pharaoni ipsi ciuitates ædificant, nondum eos ferro appetit, vexatque tam crudeliter, at cum Dei cultum sonant, cum de deserto petendo cogitant, vt ibi diuino numini, sacrificia offerant, cum se dant in viam, vt vocante Deo obsequantur, tum vero, omni diritate, atque immanitate, illos persequitur. Ita res habet, & quemadmodum, nihil ab hoste Iudaici nominis timendum est, Iudæis ipsis è seruitute Babylonica in libertatem vindicatis, dum in priuatis domibus construendis, operam suam ponunt, & quod summum, atque ardens, esse oporteret ædificandi Templi studium in eorum animis elanguescit, sic nec ab animorum nostrorum hoste infensissimo formidandum quidquam nobis est, quod eum mipat violentius, dum in iis conquiescimus, totique immergimur quæ à Deo, auertere nos, atque abalienare solent: hoc illius ingenium est, hæ sunt

Dux atq; author primarius obiecti ædificantibus impedimenti diabolus qui res tantum sacras impedire laborat.

Tum antiquos Hebræos Pharao dirè persequitur cum de diuino cultu cogitat.

Nihil timendum homini à dæmone quod eum

A illius artes, hæc machinamenta, hæc vaferrimi veteratoris industria, nempe rerum temporalium cura rerum diuinarum, ac cœlestium sollicitudinem, facile expungit, & deprimit terrena cogitatio sensum æterna meditantem. Hinc est cur vanis hominibus in quibus non subest scientia Dei, nec vsque adeo prudentibus, secundam afflare auram, in rebus humanis, & temporalibus & prosperum semper ac felicem, in omnibus negotiis successum illis contingere, non modo non indignatur, verum etiam plerumque vehementer ardet. quia scilicet, vt monet Sa-B piens, Prouerb. 1. vers. 32. *Prosperitas stultorum perdet eos*, quasi dicat stulti, id est impij, sua ipsorum quiete perdentur, intereimenturque improuidi, cum enim alta pace perfruuntur tum vero innumeris sceleribus, per summam salutis suæ incuriam sese obstringunt, & sic, dum ipsis melius est, aut videtur esse, suam ipsi sibi perniciem creant, siquidem, prosperitate sua insolescentes prouocant iram Dei, hominumque vindictam arcessunt, qua fit, vt funditus intereant & opprimantur, vti periit Sodoma iuxta illud Prophetæ Ezech. 9 vers. 49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ superbia, saturnitas panis, & abundantia, & otium; at hæc enim & per hæc, id est, per prosperitatem*, & rerum omnium abundantiam, per prosperitatem inquam, vitiorum matrem, virtutis nouercam, in tantam scelerum molem, prolapsa est, vt eam, infenso, ac vindicante numine, cœlesti tandem igne conflagrare opportuerit. Et licet D. Bernardus Serm. 3. in Dominica Palmar notet dici à Salomone, *Prosperitas* non omnium quidem, sed *stultorum perdet illos*, quia nimirum modestè vti, prosperitate, ad suum commodum, & profectum norunt sapientes, idem tamen ipse sapienti quoque, maius periculum in prosperis, quam in aduersis, prudenter monet, lib. 2. de considerat. cap. 12. vbi sic habet. *Prosperitas in cautu, est hoc ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad niuem, vel glaciem, sapiens Dauid, sapiens Salomon fuit, sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus qui incidens in aduersa non excidit, vel parum à sapientia, nec minor cui præsens felicitas, si accesserit, quanquam facilius inuenerim, qui sapientiam retinuerunt, contraria sibi fortuna, quam qui propitia non per*

vexet, verum, dum in eo occupatur quod animum à Deo auertit.

X.

Quomodo plerumq; homines prosperitate abeitantur atque inde perniciem sibi accersant.

Prosperitas facit in incautis quod ignis in cera, & quod radius solis in niue vel glacie.

non perdiderunt. Sic ille, qui & Serm. 19. in Cantic. Cum luxuriæ currum instituit, & eius quadrigam, rotasque vitiorum quatuor, depingit ac repræsentat, trahi etiam à prosperitate vitæ, & rerum abundantia, sic tanquam à duobus equis, non ineleganter significat; in quam sententiam, præclarè omnino & sapienter Saluianus lib. 6. de gubernatione. *Tanta,* inquit, *rerum secundarum prosperitate corrumpimur, tanta morum insolentium prauitate vitiamur, vt & Dei penitus obliuiscamur, & nostri, ad hoc tantum data à Deo quiete vtimur, vt in ebrietate, vt in luxuria, vt in flagitiis, vt in rapinis, vt in omni scelere, atque improbitate viuamus, quasi vero beneficium datæ pacis, sit vacatio probrositatis, & ad hæc indutiæ tranquillitatis, Deo donante, captamus, vt licentius, securiusque peccemus,* in quibus, illud potissimum expendo, *tanta rerum secundarum prosperitate corrumpimur, vt & Dei penitus obliuiscamur, & nostri.* Omnino, & nostri etiam obliuiscimur, & salutis nostræ, cum nostri, id est rei nostræ priuatæ, quæ ad hanc tantum vitam spectat, non immemores Dei

XI. & eorum quę ad ipsius obsequium pertinent, obliuiscimur. Quo fit, vt mirari desinam, quid causæ fuerit, cur Aggæus Propheta, suam hac in parte Iudæis inertiam, ne dicam impietatem, vnum modo, id est res suas priuatas ac ciuiles, cum alterius, id est rei sacræ, ac Religionis neglectu, curantibus, tam asperè olim, atque acerbe exprobrarit, diuino spiritu impellente, his verbis, cap. 1. vers. 4. *Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?* Quasi diceret, vobis suppetit tempus, animus, & sumptus, ad construendas vobis domos, non tantum necessarias, sed & delicatas, ac pretiosas, laqueatas scilicet, & cælatas: Quidni ergo multo magis tempus, animus, & sumptus, vobis suppetere debet, ad domum Dei ædificandam? quæ collapsa penitus, ac diruta est, vultis vt Deus habitet in pauimento, ventis ac pluuiis exposito, vos vero in domibus, egregiè, & eleganter, fornicè, aut testudine contectis, & concameratis? Ita ne, vos, vestra commoda Deo antefertis? Itane sinitis, eum degere incommodissime, dum vos lautè degitis, & magnificas domos incolitis? Itane ait D. Hieronymus, sic Prophetæ Dei, vocem hac illustrans paraphrasi, *Habitaculum meum, in quo fuerunt sancta sanctorum, & Cherubim, & mensa propositionis, pluuiis rigabitur, squallebit solitudine, æstu torrebitur?* Indignum facinus, quod eo vel maximè in Iudæis Deus reprehendit, quia scilicet, ex illorũ socordia & incuria, magnam præuidebat animorum perniciem, & percommodam dæmoni, atque opportunam, aduersus eos struendi insidias occasionem; nam habitent sane, miseri mortales, in domibus laqueatis construant, ædificent, versent animo, ac cogitatione, insanas substructionum moles, compingant superba aurataque palatia, nihil eorum mentem, operamue interturbabit dæmon, immò adiumento erit, si volent, dummodo, quæ ad diuini cultus rationem pertinent, ne cogitent quidem. Sed quid tandem est, in domibus laqueatis habitare, quod tantopere Iudæis vitiò vertitur, vt ad nos quoque mysticè, ac moraliter transferri possit, vis scire? In domibus laqueatis habitamus, quando, id maximè curamus, vt voluptatibus præsentibus perfruamur, vt optima quæque in hoc mundo possideamus, obliti nos esse viatores, in hac vita, neque de proposito nobis æternitatis itinere, quicquam cogitantes; qui autem hoc faciunt, locum domus Dei desertum esse sinunt, non præparantes domum, vt perit eis tempus, quod datum erat ad ædificandum, id est exiguum, & breue, quod vitæ concessum est spatium, sine vtilitate abire patiuntur, ita viuentes, ac si non viuerent, si quidem ait D. Hieronymus, in citatum Aggæi locum, *Omne tempus in quo non virtutibus, sed vitiis deseruimus, perit, & quasi non fuerit, reputant in nihilum, si quis ergo de nobis, in voluptate, & luxuria seculari, suam contignat domum, iste Templum Dei non ædificat, nec habet Dominus in eo, vbi caput suum reclinet, & cum vulpibus ædificet domum, habitaculum quondam Dei, patitur esse desertum,* hactenus D. Hieronymus contra electi & perfecti, non possunt in animum suum inducere, vlla vt voluptate fruantur, ne iis quidem quæ necessariæ sunt, nisi Domino domum ædificauerint. Sic est profectò; verè fidelibus, ac bene de diuino numine sentientibus, prima debet esse cura Templi, & sacrorum, & cum respublica, vel vrbs noua erigitur, aut restauratur, primo erigendum est Tem- XII.

Iusta Aggæi Prophetæ querela ad Iudæos priuatas domos ædificantes neglecta curâ domus Dei ædificãda.

Quid sit mysticè in domibus laqueatis habitare quod reprehẽditur in Iudæis.

V.

plum, & cultus Dei stabiliendus, ita Salomon 3. Reg. 6. vers. 1. prius ædificauit domum Deo, deinde sibi, cap. 6. vers. 1. Ita Dauid Psalm. 131. *Si introiero* inquit *in Tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino Tabernaculum Deo Iacob.* Ita Moses, in Sina, formans veluti republicam, & Ecclesiam Hebræorum, legibus à Deo acceptis, ante omnia, fabricans Tabernaculum, quasi mobile Templum Deo, cum Arca, Cherubim, & cæteris, ad ornatum Tabernaculi pertinentibus: & vt ea quæ minus longè, à seculis nostris, dissita sunt, leuiter attingamus; Ita Constantinus Magnus Imperator, mox vt imperium Christianum, Christianus ipse, administrare cœpit, ante omnia, Basilicas augu- A stissimas, Lateranensem, S. Saluatoris, Vaticanam, Sancti Petri, Ostiensem, sancti Pauli, Veranam, sancti Laurentii, aliasque plurimas, in honorem Sanctorum exædificauit quem postea proximè sunt secuti, & in hoc pietatis sensu, insigniter æmulati, eius successores, Gratianus, Theodosius, Honorius, Marcianus, Carolus Magnus, aliique complures: Qua in instituti ratione, si Iudæi è Babylone reduces, vt fœliciter cœperant, sic constanter perstitissent, magnum nobis, posterisque omnibus, exemplum B reliquissent, ex quo intellexisset vnusquisque, primum ædificandam domum Dei, quam nostram, primum res ipsius curandas, quam nostras, ac demum, quod ait Christus, *Primum quærendum Regnum Dei, & Iustitiam eius*, vt postmodum fiat vberior ad ea, cæterorum omnium accessio.

Exemplis illustratur quam sit frequẽs vt bene de diuino numine sentientibus prima sit cura Templi & sacrorum.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VOD à Rege contenderant, data ad eum Epistola Præfecti Prouinciarum trans Euphratem, iidemque Iudæorum accusatores, vt in publicis tabularijs, quid de Templi fabrica, Cyrus olim decreuisset, inuestigari iuberet: id vero cumulatißime perfecit, consultis siquidem Diariis, siue Annalibus Regum Persarum, comperit nihil quidquam, à Iudæis confectum, de Cyro, quod in rem suam dixissent, quin etiam ex illis ipsis Historiarum monimentis, quæ sit ab eodem Principe, ædificij forma præscripta, dilucide intellexit. Hinc Edicto decreto, seu potius noua superioris Cyri decreti confirmatione, imperat Regius administris, qui trans flumen degunt, & terram Israëlitidem à Chaldæorum Regione discriminant, vti ne vllum Iudæis impedimentum afferant, quo minus sacrum opus iam incœptum persequantur, immo & ad Templi fabricam, & illius sumptus, pro sacrificiis, quæ necessaria fuerint abunde suppeditent, quo excellenti facto, & suæ, & liberorum suorum vitæ, ac saluti consultum existimat; denuntiatque illis, qui propositum decretum violare tentauerint, grauè ignominiosumque supplicium: acceptis à Rege literis, Præfecti, qui proximè accusatores, interpellatoresque Iudæorum negotiis, exhibuerant, iuxta Regium mandatum, imposito sibi munere perfuncti sunt diligenter, sicque Iudæi tandem, recenti hoc Darij imperantis Edicto, bene animati, Prophetarumque Aggæi & Zachariæ, hortatu assiduo, vehementer erecti, in sacram illam Templi molitionem, toti eo studio incubuerunt, vt anno Darij sexto, hoc est annis admodum quatuor, ad culmen fastigiumque perduxerint, & solemni demum ritu, peractis, etiam de more, ingenti gaudio ac lætitia, victimarum oblationibus, & sacrificiis, religiosè consecrauerint, ipsumque etiam Pascha, seu ayma, iuxta Religionis antiquæ formam eo tempore celebrauerint.

CAPVT SEXTVM
Esdræ.

1
TVNC Darius Rex præcepit, & recēsuerunt in Bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone.
2. Et inuentum est in Ecbatanis, quod est castrum in Medena Prouincia volumen vnum, talisque scriptus erat in eo commentarius.
3. Anno primo Cyri Regis, Cyrus Rex decreuit vt domus Dei ædificaretur, quæ est in Hierusalem, in loco vbi immolent hostias, & vt ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, & latitudinem cubitorum sexaginta.
4. Ordines de lapidibus impolitis tres, & sic ordines de lignis nouis, sumptus autem de domo Regia dabuntur.
5. Sed & vasa Templi Dei aurea & argentea quæ Nabuchodonozor tulerat de Templo Hierusalem, & attulerat ea in Babylonem, reddantur & referantur in Templum, in Hierusalem, in locum suum, quæ & posita sunt in Templo Dei.
6. Nunc ergo Thatanai Dux regionis quæ est trans flumen, Stharbuzanai, & Consiliarij vestri Apharsachæi, qui estis trans flumen procul recedite ab illis.
7. Et dimittite fieri Templum Dei illud à Duce Iudæorum & senioribus eorum, vt domum Dei illam ædificent in loco suo.
8. Sed & à me præceptum est, quid oporteat fieri à Presbyteris Iudæorum illis, vt ædificetur domus Dei, scilicet vt de arca Regis, id est de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, studiosè sumptus dentur viris illis, ne impediatur opus.
9. Quod si necesse fuerit, & vitulos, & agnos, & hœdos, in holocaustum Deo Cœli, frumentum, sal, vinum, & oleum, secundum ritum Sacerdotum qui sunt in Hierusalem, detur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia.
10. Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita Regis, & filiorum eius.
11. A me ergo positum est decretum, vt omnis homo qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo, domus autem eius publicetur.
12. Deus autem qui habitare fecit nomen suum, ibi dissipet omnia Regna & populum qui extenderit manum suam vt repugnet, & dissipet domum Dei illam, quæ est in Hierusalem. Ego Darius statui decretum, quod studiosè impleri volo.
13. Igitur Thatanai Dux Regionis trans flumen & Stharbuzanai & Consiliarij eius, secūdum quod præceperat Darius Rex sic diligenter executi sunt.
14. Seniores autem Iudæorum ędificabant, & prosperabantur iuxta prophetiam Aggæi Prophetæ, & Zachariæ filij Addo, & ædificauerunt, & construxerunt iubente Deo Israël, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe Regibus Persarum.
15. Et compleuerunt domum Dei istam, vsque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darij Regis.
16. Fecerunt autem filij Israël, Sa-

cerdotes, & Leuitæ, & reliqui
filiorum transmigrationis dedi-
cationem domus Dei in gaudio.
17. Et obtulerunt in dedicationem
domus Dei vitulos centum, arie-
tes ducentos, agnos quadrin-
gentos, hircos caprarum pro
peccato totius Israël duodecim,
iuxta numerũ Tribuum Israël.
18. Et statuerunt Sacerdotes in or-
dinibus suis, & Leuitas in vici-
bus suis super opera Dei in Hie-
rusalẽ sicut scriptũ est in l Moysi.
19 Fecerunt autem filij Israël, Sacer-
dotes & Leuitæ & reliqui filiorum
transmigrationis Pascha, quar-
tadecima die mensis primi.
20. Purificati enim fuerant Sacer-
dotes & Leuitæ quasi vnus, om-
nes mundi ad immolandum
Pascha vniuersis filiis transmi-
grationis, & fratribus suis Sacer-
dotibus & sibi.
21. Et comederunt filii Israel, qui
reuersi fuerant de transmigra-
tione, & omnes qui se separaue-
rant à coinquinatione Gen-
tium terræ ad eos, vt quærerent
Dominum Deum Israel.
22. Et fecerunt solemnitatẽ Azy-
morum septem diebus in læti-
tia, quoniam lætificauerat eos
Dominus, & conuerterat cor
Regis Assur ad eos, vt adiuuaret
manus eorum in opere domus
Domini Dei Israel.

EXPOSITIO LITERALIS.

v. 1. *VNC Darius Rex præcepit, & recensuerunt in Bibliotheca librorũ qui erant repositi in Babylone, &c.* Cum dicitur Darius, acceptis litteris, quas ad eum accusatores Iudæorum perscripserant, iussisse perquiri in Bibliotheca librorum, siue scripturarum Regiarum, & thesaurorum, qui repositi erant in Babylone, decretum Cyri, in gratiam Iudæorum editum, non leuis est difficultas, quid Babylonis nomine intelligi oporteat, aut quam potissimum, ex omnibus, Regionem, siue Prouinciam; locumue, ea voce indicari, dicendum sit, cum præsertim versu proxime sequenti, dicatur; in Media librum inuentum; in quo continebatur quid de æde sacra restituenda Cyrus decreuerat. Non esse hic Babylonem, nomen ciuitatis, sed Prouinciæ, vel potius totius regni, nonnulli suspicantur Babylonem, ait Salianus in Annalibus Ecclesiasticis ad ann. 3514 n. 1. possumus interpretari arcem aliquam Regiam, in Babylonia sitam, ne Herodoti Chronologiam, quæ fert hoc tempore, obsessam Babylonem, deserere cogamur, nisi potius placet, eam per- A quisitionem, sub anni finem, receptа iam vrbe, esse factam, sic ille. Sanctius vero, postquam obseruauit, quod plerique omnes norunt, Babylonem, commune nomen esse, tam Prouinciæ quam Ciuitati, à qua tanquam à Metropoli, & Regia sede, ipsa Prouincia, quæ Prouincia alias plures amplectitur, nomen accepit, addit, existimare se, quia Chaldæorum imperii caput, fuit Babylonia, imperii Persici nomen ab ea defluxisse, Regesque ipsos, maluisse Chaldæorum sibi nomen, quam Persarum, aut Medorum, assumere, quare in Babylonia aut quod idem est, in Chaldæorum B imperio, Mediam contineri, & Persidem, atque ideo, cum in Ecbatanis, quæ Regia erat Ciuitas, & quasi arx, & munimentum Medorum, inuentus est liber, dici etiam potuisse in Babylonia repertum, neque aliter constare posse huius loci sententiam cum in Babylone & Ecbatanis, quæ tanto inter se dissident interuallo, quæsitus dicatur, & inuentus liber, in quo de Templi fabrica decretum Cyri continebatur; sed vt verum fatear, licet illius expositio aliqua probabilitate non careat, malim tamen sic interpretari, vt cum in vno loco Babylone scilicet liber quæsitus primum, nec inuentus

7.

Quid Babylonis nomine hoc loco intelligatur, varia sententia.

Frequens est vt vnũ idemq; nomen commune sit Ciuitati & Prouinciæ

Vno in loco Babylone scilicet quæsitus liber Annaliũ & non inuentus, in alio quæsitus & inuentus dici potest nẽpe in Ecbatanis.

fuisset in alio, postea, id est, in Ecbatanis, & quæsitus & inuentus fuerit, nec textus ipse ad alia excogitanda nos impellit. Porro de Annalibus Regum Persarum quorum hic meminit Esdras, sic Sextus Senensis lib. 2. Bibliothecæ sanctæ, Diarius Regum Mediæ & Persiæ seu Sephar Diurce Haiamim, Lemalche Medai Vphares Hebraicè. id est, liber dierum Regum Medorum & Persarum, significat Annales, in quibus acta diurna Regum, seruata temporum ratione, breuiter annotabantur, & apud Babylonios, in publica vrbis Ecbatanæ Bibliotheca seruabantur; in his testatur Esdras studio Darii, Persarum Regis, inuentum esse quoddam decretum Cyri, Regis Persarum, de reducendo populo Iudaico in Iudæam, & reædificando Templo Hierosolymitano, sumptibus & expensis. ex Regia Persarum Regum paratis, in his etiam refert auctor libri Esther, fuisse descripta Assueri siue Artaxerxis Regis Persarum gesta, præcipuè vero eius erga Iudaicam gentem immortale beneficium, quo vniuersum Hebræorum genus, per omnes vrbes regni sui vna die trucidandum, magnificè liberauit sumpta vltione de inimicis ipsius.

Vers. 2. *Et inuentum est in Ecbatanis volumen vnum, &c.* Cum Cyri decretum in Babylone, vbi primum quæsitum fuerat, non esset inuentum, quæsitum tandem, & inuentum est in Ecbatanis &c. ita fere in vulgatis, & Græco, & in tertio Esdræ, capite 6. vers. 23. quidam tamen vocem Hebræam, Ahmatha, non Ecbatana oppidum, sed scrinium scripturarum verterunt, vt Montanus in Bibliis regiis, & Vatablus, Pagninus, lagenam; in eo ergo scrinio Bibliothecæ Ecbatanicæ inuentum est volumen vnum, in quo de toto Iudæorum negotio, atque adeo de ipsa Templi ædificatione sub Cyro agebatur *quod est castrum in Medena Prouincia &c.* istud castrum ædificauit Arphaxat Rex Medorũ, vt habetur Iudith 1. Iosephus quidem nomen loci, in quo Cyri litteræ sunt inuentæ, de quibus hoc eodem versu secundo, ita posuit, *& inuentus est in Ecbatanis constructa vrbe in regione Media codex*: porro alia translatio sic habet *in Ecbatana, in ædificio tutissimo regionis Medorum*, vnde videtur nomen Medena in textu positum, nihil aliud quam Mediam significare, quod au-

Ecbatanã Vrbem seu castrũ quod hic dicitur in Medena Prouincia ædificauit Arphaxat Rex Medorum.

A tem additur, *talisque scriptus erat commentarius &c.* in Chaldæo habetur, *& sic scriptum intra ipsum memoriale*, id est non ad verbum erat edictum, sed in compendium redactum, hoc pacto, *Cyrus decreuit vt domus Dei ædificetur.*

Vers. 3. *Anno primo Cyri Regis, Cyrus Rex decreuit vt domus Dei ædificaretur, quæ est in Hierusalem, in loco, vbi immolent hostias &c.* Iam tertium huius decreti, mentio fit, hoc opere cap. 1. 5. & 6. quod sanè, diuino prorsus consilio, in regios commentarios est relatum, vt eorum qui se Iudæis oppone- III.
B rent commodius frangeretur audacia, & eo magis sacræ fabricæ, foret expedita molitio, quod in eo Cyri decreto, & Templi materia, & forma, & magnitudo decernitur, quæ cum (vt iam antea expendimus) à Salomonici Templi amplitudine, & splendore longè abessent, quid mirum si de Iudæis seniores permulti, cum viderent ædificium hoc posterius, impar multo futurum esse priori, quod ipsi florere viderant, & incendi, neque gemitus reprimere, neque lachrymas cohibere potuerint: ex his igitur Darii Regis literis apparet quanto ignobilior esset,
C hæc domus priore, cum additur, *Et ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta*, quamuis enim in vtraque triplex futura esset contignatio, prior tamen domus erigebatur ad altitudinem nonaginta cubitorum, porticus autem adhærens Templo, ad 120 hæc autem non debebat assurgere, vltra sexaginta cubitos, nisi forte Iudæi magnificentiora, propriis sumptibus molirentur, sed mirum est, dici latitudinem cubitorum sexaginta, sic enim habetur hoc eodem versu consequenter, *& latitudinem cubitorum* IV.
D *&c.* vox Hebræa siue Chaldaica, significat extensionem, quam rectius longitudinem interpreteris, quam latitudinem, estque vox diuersa ab ea quæ 3. Regum 6. & 2. Paralip. 3. latitudinem significat, adde quod Salomonis Templum lõgum erat 60. cubitos, latum 20. quo latiorem fuisse hanc secundam fabricam, vix credibile est, neque architecturæ ratio patitur, vt altitudo, & latitudo sint pares, sed quoniam aliæ sunt pleræque, & hoc & sequenti versu in verborum minutiis, aut ordinem, aut mensuram Templi indicantibus difficultates, illas vt breuiter succidam. Placet obseruatio

Tribus in locis 1. Esdræ fit mẽtio decreti Cyri de instaurando Templo.

Ex decreto Cyri apparet secundum Templum longe ignobilius priore.

Vox Hebræa pro qua in vulgata lectione latitudo est, extensionem significat, & pro longitudine exponi potest.

Bedæ in Glossa, licet huic Lyranus re- A fragetur, quidquid hic, in decreto Cyri, de modo, ordine, mensuris, & structura Templi continetur, magna expositione non indigere, quod neque in priori Templi ædificatione, neque in posteriori aliquid harum mensurarum, vel huiusmodi operis inuenitur &c. Illud tamen adiungo, rectè vt annotauit Sa, quosdam nomine latitudinis intelligere latitudinem areæ, in qua accipiebatur longitudo Templi, & Lyranus ipse latitudinem pro longitudine positam putat. Cæterùm quod sequenti versu quarto de lapidibus impolitis enarratur, & versu quinto de vasis Templi à Babylone in Iudæam transmissis, iam à nobis superius expositum est.

V. Vers. 6. *Nunc ergo Thatanai dux regionis quæ est trans flumen &c.* Hoc tandem est rescriptum Darii Regis, ad Præsides Syriæ, & Phœnicis, de causa Iudæorum, quod Iosephus, lib. 11. antiq. cap. 4. memoria, aut imprudentia lapsus, non rectè Cyro attribuit, vt obseruauit Salianus quod autem, ait Darius, *nunc ergo Thatanai Dux regionis quæ est trans flumen*, accipi id potest, non solum de Euphrate, sed etiam de Iordane, si quidem trans vtrumque flumen habitabant, si Persarum Præfecti, C quibus dicitur, *Thatanai, Stharbuzanai, & Consiliarii vestri, Aphasarchai, qui estis trans flumen, procul recedite ab illis, & dimittite fieri Templum Dei illud à Duce Iudæorum, & à Senioribus eorum, vt domum Dei ædificent in loco suo.* Vers. 7. ex quibus apparet, quàm Deus se in promissis præstandis benignum, fidelemque præbuerit, & quàm cumulatè Prophetarum Aggæi, & Zachariæ, liberet fidem, qui talia Iudæis, operi sacro incumbentibus pollicebantur.

Errat Iosephus qui hoc Darii edictum Cyro attribuit.

VI. Vers. 8. *Sed & à me præceptum est, quid* D *oporteat fieri, à Presbyteris Iudæorum, vt ædificetur domus Dei &c.* Sed vbi tandem? & quando à Dario hoc præceptum est? vtique in litteris, quas secum tulit Zorobabel, cum secundo venit in Iudæam, alioqui enim nusquam apparet, vbi, aut quando hoc præceperit Darius, scilicet, *vt de arca Regis*, id est, *de tributis, quæ dantur de Regione trans flumen, studiose sumptus dentur, viris illis ne impediatur opus, quod si necesse fuerit & vitulos, & agnos, & hædos in holocaustum, Deo cæli, frumentum, sal, vinum, & oleum, secundum ritum Sacerdotum, qui sunt Hierusalem, detur eis per singulos dies, &c.* Quid magnificentius expectari potuit, quid expressius, ad rem Iudæorum stabiliendam?

Quæ à Dario hic præcipiuntur, litteris quas secū tulit Zoro.

babel continentia esse oportuit.

VII. Vers. 9. *Ne sit in aliquo querimonia &c.* Pro voce Chaldaica, quam vulgatus interpres, querimoniam exponit, interpretantur, alii cessationem, sunt qui significare velint præuaricationem, mendacium, quæ omnes significationes, in hunc locum satis conueniunt, quod enim Principis iussione præcipitur, eo fit, vt sine fraude omnia ad ædificandum necessaria suppeditentur.

B

VIII. Vers. 10. *Et offerant oblationes Deo cæli, orentque pro vita Regis &c.* Sunt qui ex hoc loco concludunt, Darium Regem habuisse fidem vnius veri Dei, cum tamen aliunde, nec ad legem Mosaycam obseruandam teneretur, nec Iudæorum ritibus adstringeretur, quod nimirum, is gentilis esset, sufficiebat autem gentilibus ad salutem, credere vnum Deum, prouidentem saluti hominum, per modum sibi congruum, & à lege naturaliter vnicuique indita, non desciscere, immo in hoc articulo prouidentiæ continetur totum Christi mysterium implicitè, ait Lyranus, in hunc locum. Certè, & hoc maximè ad diuinam prouidentiam pertinet, vt Dario Regi dederit hanc mentem, vt cum Gentilis esset, & aliena occupatus religione, coleret tamen vtcumque Hebræorum Deum, cuius magnam audierat esse potentiam, quare ab eo, ipse quoque magnum suarum rerum incrementum expectabat, atque ideo in holocausta, aliasque victimas, sumptus à Trans-Euphratæis populis impendi iubet, vt in Templo, de quo instaurando, & egregiè ornando, nouum edictum ediderat, Iudæi reduces pro ipsius, filiorumque vita sacrificium offerant; erant autem Dario, iam antequam regnaret, liberi tres è priore vxore, Gobriæ filia, suscepti, euectus autem in regnum alios quatuor genuit, ex Atossa, Cyri filia, superiorum natu maximus erat, Artabazanes, posteriorum, Xerxes, vt ait Herodotus, initio libri septimi; sic Nabuchodonosor suam olim, suorumque salutem, Iudæorum precibus, & sacrificiis, enixè commendauit, & eam ob rem, pecuniam, per captiuos, quos apud se retinebat, Hierosolymam vsque perferri curauit, quod ex Prophetiæ Baruch capite primo, non obscu-

Videtur Darius verum Deum vtcumque coluisse.

re colligitur &c.

Vers. 11. *A me ergo positum est decretum vt omnis homo qui hanc mutauerit iussionem tollatur lignum de domo ipsius & erigatur vt configatur in eo &c.* Intelligebat profecto Darius improbitatem & odium Samaritanorum, in Iudæos, illorumque cautelam in Templi, vel vrbis extructione impedienda, & fortasse etiam Magistratuum ipsorum, in priore Darii decreto dissimulando; propterea eos apposita pœnæ magnitudine deterret, ex quo liquidum est, magno studio, in Iudæorum causam, Templique fabricam affectum fuisse Principem, qui supplicium ignominiosum, & graue, illis interminatur, qui decretum suum, de ædificando Templo, infringere ausi fuerint; Porro quod ad pœnam attinet in textu positam, cum dicitur *Qui regiam sanctionem violauerit, vt domus eius publicetur*, id est, bona eius fisco regio applicentur, Chaldaice fiat sterquilinium, seu latrina 70 in deceptionem graue profecto supplicium, quodque ingenui viri ipsa etiam morte putant esse molestius, quia scilicet, in eo hæret infamia, quam nulla potest obliuio delere, nulla opprimere temporis diuturnitas: siue ergo publicetur, id est, publica fiat domus, siue in vsus conuertatur non admodum honestos, siue regio fisco, aut publicis regni commodis ascribatur, & Domini domus, & domus ipsius, scelerum consciæ, non leuis significatur ignominia, quid enim grauius indici potuit, aduersus impedientes ædificationem Templi, quam vt priuarentur, & bonis, & vita: vita quidem, cum dicatur hoc eodem versu, *tollatur lignum de domo &c.* scilicet, ad patibulum faciendum, in quo penderet &c. & ligno confixus, longo cruciatu, animam exhalaret, ait Glossa ordinaria, durum sane, & peracerbum in crucem tolli, & in ea configi, magna est in eo supplicio doloris acerbitas, & grauis ignominia, sed in suum agi lignum, domumque propriam dissolui, ne ad patibulum, materia desit, aliquid habet profecto ignominiosum, & luctuosum magis, cum illud ipsum, quod comparatum fuerat, ad delicias, & otium liberale, & honestum, conuertatur in doloris, & necis instrumentum, & in sempiternæ monumentum infamiæ, vnde Sanctius obseruat hic multas vulgo, circumferri prouerbiorum formas, quæ dolorem augeri significant, cum quis sua ipsius torquetur opera, suisque instrumentis, quale est verbi causa, cum faber, illis ligatur compedibus, quas ipse fabrefacit, cum auis spiculis configitur quæ suis pennis instructa videt, aut si onix, & onager, ligentur loris, quæ ex ipsius loris venator exsecuit.

IX.

Variæ expositiones supplicii in decreto Darii positi, contra inobsequentes.

Indicti supplicii acerbitas & ignominia.

Vers. 12. *Deus autem qui habitare facit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, & populum, qui extenderit manum suam, ut repugnet & dissipet domum Dei &c.* Postquam durum ignominiosumque proposuit supplicium, iis qui Iudæorum opus aut impedient, aut morabuntur, nunc aduersus eosdem, execrationem addit quod manifestum est, indignantis animi argumentum, optat siquidem, vt talia omnibus omnino, qui aduersus Iudæos, aliquid hostile meditabuntur, eueniant incommoda, qualia ipsi Iudæis molientur; hoc more suo, cum narrat Iosephus, paulum à scripturæ verbis discedens, & Cyro, præpostere, (vt iam antea monuimus) quod Darii est attribuens, ait, *Insuper etiam addita erat execratio, vt quicumque eius Templi ædificationem, vetare voluerit, Deus eum feriat, atque hoc modo iniquitatem eius cohibeat.* Hic porro, cum dicitur Deus, qui habitare facit nomen suum ibi, Dei (*nomen*) quod recte annotauit Sanctius, pro ipso sumitur Deo, quod Hebræis familiare, Chaldæis autem, quorum hæc idiomate scripta sunt, adeo frequens & vsitatum, vt vocem, Sem, quod idem valet, ac nomen, aut epithetum esse putent Dei, aut ipsius communem, & familiarem appellationem, neque vero infrequens est, in scriptura, nomen sumi pro re ipsa per nomen significata &c.

Hic Dei nomen pro Deo ipso ponitur vt sæpe alias in scripturis res per nomina significata nominibus ipsis exprimuntur.

Vers. 14. *Seniores autem Iudæorum ædificabant & prosperabantur iuxta prophetiam Aggæi, & Zachariæ filij Addo, &c.* Consulendum primum caput Aggæi, ad pleniorem huius loci intelligentiam, vt iam alibi indicauimus & ex eo tota historiæ series repetenda, Nimirum, cum vicinæ Gentes, Ciuitatis Hierusalem, vt supra memoratum est, restaurationem Templi, impedire cœpissent, & ea ratione deterritus populus falso crederet nondum iuxta diuinam promissionem, reparationis illius, à Deo, sibi fieri concessionem: Tum Aggæus Propheta, à Deo missus, Zorobabelem Tribus Iuda, qui potestatem

XI.

statem regni suscepturus erat & Iesum filium Iosedech, summum Sacerdotem admonuit, vt crederent, completo numero annorum, tempus restaurationis Hierusalem aduenisse, hoc etiam addito, ne populi incredulitatem, vellent imitari, de quo Deus, per eũ dixit, *Populus hic dicit*, falso scilicet, *nondum tempus venit vt ædificetur domus Dei, &c.* Prophetauit, & eo tempore Zacharias, ad animandum, & consolandum populum sed posterius duobus mensibus Aggæo, vnde & hic illi, præfertur in ordine, & serie Prophetarum. Res igitur ædificantibus Iudæis prosperè fluebant, iuxta prophetiam Aggæi, & Zachariæ, quia prædixerant fore, vt si ædificando Templo insisterent, mox donante Domino, & opus ipsum complerent, & bonis omnibus abundarent.

XII. *Et ædificauerunt & construxerunt iubente Deo Israel & iubente Cyro & Dario, & Artaxerxe, &c.* Dubitant hic nonnulli, an hic Artaxerxes, fuerit Darius ipse, an filius eius, posterius mihi magis placet, si modo per filium nepotem etiam intelligas & quidem eius tempore, facta, quæ ad Templi ornatum spectabant, videtur satis liquido constare ex capite 7. Rabbi Salomon, apud Lyranum vult Artaxerxem hunc, eundem esse, ac Darium sed vocatum esse Darium, nomine proprio, Artaxerxem autem nomine communi Regio, quia secundum ipsum quod alibi monui, omnes Reges Persarum, vocabantur Artaxerxes sicut & omnes Reges Ægypti, Pharaones, & Romani, Cæsares, Iosephus autem dicit fuisse filium Darij, & vocat eum Xerxem nomine proprio, vt interpretor: certè Glossa interlinearis, magis fauet huic sententiæ, siquidem in hanc vocem, *Artaxerxes*, hæc habet, qui post Darium regnauit, & cuius tempore Esdras de Babylonia in Hierusalem ascendit, &c. Salianus, in Annalibus ad annum mundi 3536. Num 8. Postquam dixit, Esdram, coniecisse in vnum locum, omnes Principes Persarum, qui res Iudaicas promouerunt, à soluta captiuitate, addit, etsi tunc solus Darius Iudæis faueret, Cyrum tamen per repetitionem, Artaxerxem per occupationem, recenseri, quod sanè de Artaxerxe Longimano, Darij quidem non filio, sed nepote intelligit: Porro, quod additur, *Regibus Persarum*, Chaldæus habet, *Rege Persarum* in singulari, sed

Variæ opiniones de Artaxerxe cuius hic mentio.

Verius aut probabilius multis videtur eũ fuisse non Dariũ quidem, sed Darij filiũ Xerxem aut nepotẽ Artaxerxem.

A singulare ponitur pro plurali, nam & 70. in plurali ponunt, sed quæritur, nam & huic textui, agnata est quæstio, quomodo, iubente Artaxerxe dicatur domus Dei constructa, cum statim subiũgatur, versu scilicet proximè sequenti, eam regnante adhuc Dario fuisse completam, & dedicatam: responderi potest, Artaxerxem misso auro, & argento, iussisse vt si quid in ædificio, vel ornatu Templi, vel vasorum, minus esset completum, perficeretur; nam Esdra illuc properante, scriptum est inferius cap. 7. Artaxerxem, cum Principibus vel Consiliariis suis, plurimum auri, & argenti, ad Templum B misisse; addit Iosephus, aliqua ædificia circa Templum, illius Regis tempore, fuisse constructa; certè, si de re iam facta, non vero longè postmodum futura, sermonem oportet intelligi, melius per Artaxerxem Xerxem Darij filium, qui cum patre aliquot simul annis, imperium tenuit, interpretari possumus, nam de alio Artaxerxe cognomento Longimano non videtur hoc tempore ita commode inductus sermo, cum agitur de consummato Templo, quod accidit anno Darij sexto, in quo Longimanus, regnare non C potuit, potuit vero Artaxerxes alius, cum patre Dario, circa hoc tẽpus Chaldæorum imperium obtinere, quidquid sit, tandem Iudæorum animi, qui tot antea renitentibus impedimentis, languere cœperant, ad religiosum opus complendum, sacramque Templi fabricam absoluendam, erecti confirmatique sunt, neque id mirum, cum Dei, hominumque exhortationes, & sacra velut auspicia, & oracula, illorum studiis atque rationibus impensè fauerent, iubebat siquidem Deus, per Prophetas, Aggæum, & Zachariam, D qui à Deo omnia secunda promittebant, iubebat Cyrus, cuius Darius decretum renouabat liberaliter, & nouo etiam robore confirmabat, iubebat Artaxerxes, Darij filius, vna cum ipso, ad imperium allectus, cum parentis studium & præclara consilia, in Iudæorum rebus promouendis, tam sedulo imitabatur &c.

Si de re iam facta non vero longe postmodum futura, Sermo est hoc loco melius per Artaxerxem Xerxes Darij filius intelligatur.

XIII. Vers. 15. *Et compleuerunt domum Dei istam vsque ad diem tertium mensis Adar &c.* is est duodecimus, anni sacri, qui est annus sextus Darii Regis, ita editio vulgata, cui consentit Hebræa & Græca Regia, & Chron. Hebræ. cap. 29. Græca Xixti, & 3. Esdræ cap. 7. vers.

5. in die mensis variant, ponunt enim 23 loco tertii. Iosephus autem multo longius abit, erratque cum lib. 11. Antiquit. cap. 4. sub finem ait; Magnis omnium studiis, proficiebat Templi ædificatio. iuxta mandata Cyri, & Darii, prophetantibus interim, Aggæo, & Zacharia, absolutumque est, intra septennium, anno autem Regni Darii nono, vigesima tertia die mensis vndecimi, qui nostris dicitur, Adar, Macedonibus Dystrus Sacerdotes ac Leuitæ, cum reliqua Israëlitarum multitudine, obtulerunt sacrificia, pro renouata, post captiuitatem pristina fœlicitate &c. in quo, primo, grauiter peccat, cum tribuit septennium, absolutioni Templi, textumque ipsum sacrum insulsè corrigere videtur, nam à die vigesima quarta mensis noni, anni secundi Darii, qua die, iacta sunt fundamenta Templi, vt scriptum est, ab Aggæo cap. vers. 19. vsque ad diem tertium mensis, Adar, anni sexti, eiusdem Darii, qua die consummatum est Templum, vt ex hoc versu liquido constat, nonnisi quatuor anni, mensis vnus, & 9. dies inueniantur, propterea que, Eusebius in Chronico semel, atque iterum, & Chronicum Hebræorum, & Genebrardus, aiunt, quatuor annis, hoc Templum excitatum fuisse, Sulpitius quoque Seuerus, lib. 2. Ita, templum inquit, quadriennio, consummatum est, sexto post anno, quàm Darius regnare cœperat, etsi quod bene aduertit Salianus minime in eo probandus est Sulpitius, quod Darium Ochum, pro Dario Hystaspis, sumpserit; Iam verò ad primum errorem, à nobis designatum, alterum etiam adiungit Iosephus, cum ait, Templum nono Darii anno absolutum, cum textus ipse sacer, sine vlla dubitatione, aut varietate, dicat id sexto anno contigisse. Audio quidem Eusebium lib. 8. de demonstratione Euangelii demonstrat. 2. sub finem, excusare Iosephum, & dicere Templum ipsum perfectum fuisse, hoc quadriennio, reliquo autem triennio, exteriora Templi atria, porticus, penbolum & alia, quæ Templi nomine comprehenduntur fuisse perfecta, verum cum hæc distinctio, nullum habeat hoc loco, in scriptura, immo, ne in Iosepho quidem, fundamentum, mihi satis probari non potest, etsi Torniello, anno 94. sextæ ætatis, P. Gordono cap. 14. Chronologiæ Num. 21. Christophoro Castrio,

Errat Iosephus cõtra sacræ Scripturæ textum cum an septennium positum in absolutione Templi à Darij decreto absolutumque anno nono eiusdem Darij.

A lib. 4 de Prophetis. cap 4. non omnino displiceat: Oporteret enim, vt obseruat iam supra citatus Salianus, alterutro in loco, vtriusque temporis fieri mentionem & scriptura sexti duntaxat anni meminit, Iosephus autem noni & nihilominus, quæ illa sexto attribuit, iste assignat nono, videlicet Templi dedicationem, de qua versu 16. proxime sequenti, quis autem absurdum esse non videat, dicere dedicationem Templi fuisse factam, cum Templum, vix dimidia parte dici posset absolutum, cum nullus esset omnino locus, in quo Israëlitæ, ne dicam

Authores qui Iosephum excusant non satis firmis rationibus videntur.

B gentes, sub tecto esse possent, sed omni precum & sacrificij tempore, omnibus Cœli iniuriis expositi essent. Ergo, vt missum Iosephi errorem faciamus, & parachronismum, quatuor omnino annis, nec pluribus, sub Dario Rege, data est à Iudæis opera construendo Templo, quod absolutum est mense Adar, anno iam desinente, Adar enim apud Hebræos, vltimus est mensis, qui nostro Februario respondet, aut certe partim Februario, partim Martio, sicut mensis Nisan, qui apud eosdem est primus, in Martium nostrum,

C maiori ex parte frequenter incurrit, quia primus mensis eorum, semper incipit, à propinquiori lunatione, æquinoctii vernalis, quod est 12. dies Martii, siue sit, ante æquinoctium, siue post, siue in ipso æquinoctio, ait Lyranus; Porrò quidam authores, completos hic dicunt, esse annos, quadraginta sex quorum apud Ioannem cap. 2. vers. 20. meminerunt Iudæi cum dixerunt, Christo *quadraginta sex annis ædificatum fuisse Templum*: Ita, præ cæteris Caietanus, & Mariana, tot enim annos fluxisse dicunt, inter secundum annum Cyri, aut tertium, in quo fundari Templum cæpit, & sextum Darii, in

Quidã ad hunc annũ sextũ Darij referũt finem annorũ 46. quibus ædificatum dicitur Templum à Iudæis Ioãn. 2.

D quo perfectum est, sed illis & merito quidem, refragatur Sanctius, cum ait, vt tot intercesserint anni, quot illi asserunt, quod sane incertum est, tamen eorum plerisque cessatum esse, ab opere, ac proinde, in Templi fabrica, numerari non debere &c. Nos vero quemadmodum is Ioannis locus de quadraginta sex annis, in ædificatione Templi positis, intelligendus sit, peculiari annotatione alibi discussimus.

Vers. 16. *Fecerunt autem filii Israel Sacerdotes & Leuitæ & reliqui filiorum, transmigrationis dedicationem domus Dei in gaudio &c.* Cum dicitur popu-

Ius fecisse dedicationem, intelligendus est, eo fecisse, quod voluntates suas, ac sacrificia Deo, per ministros legitimos obtulerunt, cum omni labore, ac sumptu, in domo ipsius construenda, hactenus tolerato, sic in sancto Missę sacrificio dicimus *Pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus &c.* Cumque omnibus bonis, commune sit gaudium afferre authoribus suis sicut operibus malis, conscientiæ angorem, & magnitudinem expleti desiderii, magnitudo lætitiæ consequatur, quid mirum si populus hic magnam percepit lætitiam opere sanctissimo, desideratissimoque tandem aliquando perfecto? quod tam diu, multorum impiorum, & potentium studiis, ac nefariis conatibus, impeditum fuerat, & nonnullorum etiam, de ipsis Iudæis, vt ex Aggæi reprehensione constat, negligentia retardatum? vt iure dicatur, *Fecerunt dedicationem domus Dei in gaudio*, In hac autem publica lætitia perfruenda, facile Principes extitere tum Zorobabel, qui veniam ædificandi Templi à Dario obtinuerat, tum Aggæus, & Zacharias Prophetæ, qui authore Deo, populum ad hoc opus incitarant. Hinc illud apud Epiphanium in Aggæi vita Babylone inquit profectus est Hierosolymam, & apertè de populi reditione vaticinatus est, & oculis structuram Templi Hierusalem vidit, idem, ibidem omnium primus cecinit, *Alleluia*, quod est laudibus efferamus viuentem Deum, & *Amen*, quod fiat, interpretatur, & mox proinde etiam psallimus *Alleluia*, qui hymnus Aggæi, & Zachariæ perhibetur, Hæc ibi. Hinc videtur nonnullis, vt Saliano in Annalibus Ecclesiasticis, qui hoc refert ad ann. mundi 3537. ortus ille titulus Psalmi 111. *Alleluia*, reuersionis siue, vt habet Augustinus, conuersionis Aggæi, & Zachariæ, quem Arnobius Esdræ tribuit, nec significat Epiphanius huius Psalmi, authores esse hos Prophetas, sed eos, illum magna cum deuotione in hac dedicatione Templi, aliquoties cecinisse, Certè credit Lorinus in eum locum Dauidem, in spiritu præuidisse, Aggæum & Zachariam, post Babylonicæ captiuitatis expletum tempus, ad populum reuersurum fuisse, atque illum admoniturum, quanta sit viri iusti ac timentis Deum fœlicitas etiam temporalis, vt hac doctrina exemploque permotus similem captiuitatem aut cladem vitaret. Cæterum libens hic cum Sanctio annoto, vbi vis prope, in omni fere regione, atque omnibus retro sæculis, magnas moles & basilicas siue in sacros, siue in prophanos vsus, ędificatas solemni ritu, & magnis plerumque sumptibus, dedicatas fuisse, cuius rei non pauca in sacris litteris extant exempla, in prophanis vero multo plura, de dedicatione, non solum inter prophanos seu Gentiles, sed etiā inter Hebræos vsitata, quæ nihil habet sacrum sed tantum est auspicatio, aut initium operis, ad quod destinatur locus, aut res cuius tunc primum libatur vsus, vt ab exemplis prophanis abstineam, illustris est locus Deuteronomii 20. vbi sic habetur, *Quis est qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam*? scilicet suam quoque domum dedicasse dicuntur Hebræi, cum in illa habitare incipiunt, & ipsa prima habitatio, dedicatio dicitur: Tum autem dedicatio sacra, siue consecratio fit, qualis est hæc, quæ instituitur à Iudæis, Templi recens instaurati, cum res aliqua ex profana fit sacra, seu cùm ex communi, ac vulgari vsu, ad sacrum traducitur, qua ratione lucus aut altaria aut Templa, aut alia quæuis loca, religioni, aut alicui sacro ministerio destinantur, in dedicatione illa sacra, siue consecratione, semper aliqua intercedit legitima & religiosa functio, quæ quoddam initium est, & auspicium operis illius, quod in illo loco sæpius, & ex instituto obeundum, propterea sequitur in Textu.

Aggæus & Zacharias cecinerunt Psalmum cuius titulus Alleluia reuersionis Aggæi & Zachariæ in consecratione ac dedicatione Templi.

XV. Vers. 17. *Et obtulerunt in dedicationem domus Dei vitulos centum &c.* Vt in hac instaurati Templi dedicatione factū legimus, sic olim aliàs, in quauis fere sacrorū dedicatione adhibitā esse symphoniam, & immolatas victimas, apud Iudæos ex multis scripturæ testimoniis, compertum est, 2 Machab. cap. 4. vers. 56. quando altare dedicatum est à Machabæis, oblatæ sunt victimæ, *cum lætitia magna* quæ sine cantu esse non solet; *Et fecerunt*, inquit scriptura, *dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta, cum lætitia, & sacrificium salutaris, & laudis*, vt inf. vers. 58. *Et facta est lætitia in populo magna valde.* Item cum dedicatum est à Salomone Templum 3. Reg. cap. 8. multæ oblatæ sunt victimæ, & in-

Apud Iudæos in quauis fere sacrorū dedicatione adhibita symphonia & immolata victima.

gens omnium ordinum lætitia, exorta est, sic enim de illa dedicatione vers. 65. & 66. *Fecit ergo Salomon in tempore illo festiuitatem celebrem, & omnis Israel cum eo, & in die octaua dimisit populos qui benedicentes Regi profecti sunt in Tabernacula sua lætantes &c.*

XVI. Vers. 18. *Et statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis, & Leuitas in vicibus suis, &c.* Sanè ordo poscebat, vt domo Dei ædificata, & sacro opere ad fastigium perducto, mox sacri ministri, id est Sacerdotes & Leuitæ qui in Templo ministrarent ordinarentur; Iam vero per id quod dicitur, Sacerdotes in ordinibus suis, & Leuitas in vicibus suis constitutos, vices hebdomadarum significantur, in quibus omnis cœtus vtriusque gradus, per 24. partes erat distributus, ita vt vnusquisque ordo, vice suæ hebdomadis, per octo dies scilicet, à Sabbato vsque ad Sabbatum, in Templo ministraret, & post 24. hebdomadas, à Templi liber officiis, curam propriæ rei ageret, vt verba dierum narrant. quod autem additur, *sicut scriptum est in libro Moysi*, non ad vices Leuitarum, aut ordines Sacerdotum, sed ad opera diuini ministerii, siue ad officia ipsa Sacerdotum & Leuitarum pertinet, de quibus habetur Leuitici 23. vices enim Leuitarum & ordines Sacerdotum, per sortes 24. non Moyses, sed Dauid Rex, cum Prophetis Sacerdotibus & Leuitis sui temporis descripsit, vt habetur 1. Paralip. capite 9. & cap. 23. 24. & deinceps, & eo modo quo tunc eorum ordines, ac vices sunt descriptæ, nunc quoque eodem ordine digesti, suum obire munus, & ordinem tenentur.

Ordines & vices Sacerdotum ac Leuitarũ per sortes 24. distributa olim a Dauide cum Prophetis, Sacerdotibus & Leuitis sui temporis.

Vers. 19. *Fecerunt autem filij Israël transmigrationis Pascha, quarta decima die mensis primi &c.* Post vnum alterumque, à Templi dedicatione, mensem accessit ad cumulum lætitiæ, Paschale tempus atque celebritas Azymorum, de qua hic Esdras, quid vero propriè Pascha esset, siue Phase, quoue tempore immolari, iuxta Legem deberet, fuse habes explicatum Exodi cap. 12. & Leuitici cap. 23. & Numer. cap. 28 ibidem etiam, quid Azymorum solemnitas exposceret declaratur. Vt in illis pertractandis immorari diutius hic non liceat ne alterius operis quam Esdræ expositionem consultò huc transferre videar, de septem diebus tamen celebritatis Azymorum infra nonnihil vers. 22. quantum aut occasio feret aut necessitas.

XVII.

XVIII. Vers. 20. *Purificati enim fuerant Sacerdotes & Leuitæ quasi vnus &c.* Scilicet, ad Pascha, rite ac legitime celebrandum, non minore cura, ac diligentia, sordibus se omnigenis expurgarant, quam si vnus aliquis duntaxat fuisset purificandus quia ad hoc sacrificium, nullo modo admittebantur immundi, vt constat ex Leuitici cap. 7. à versu 20 & 21 atque adeo de hoc Pascha, vt legitime comederent Iudæi, noluerunt ingredi Prætorium Pilati, ne ex gentium congressu aliquam labem contraherent quæ sanctis his carnibus vesci prohiberet Ioann. 18. vers. 28 Hinc subiungit sacer author, *omnes mundi ad immolandum Pascha, vniuersis filiis transmigrationis*, qui nimirum Hierosolymam confluxerant, vbi fas erat ex lege celebrari Pascha, an vero, ante hoc tẽpus celebrauerint filii transmigrationis, Pascha & Azyma, non constat, sed ex dicendi modo, quo Esdras vtitur, non obscure colligitur, nunc à Iudæis primum, post longum tempus, peractum esse Pascha, licet ante potuerint hoc festum celebrare legitime, cum essent in loco quẽ destinarat Dominus, & haberent altare, vbi sanctè & ritè immolari sacrificia poterant, quod vero ad hoc vsque tempus, hæc sacra distulerint, ea videtur esse causa, quia neque tempus videbatur omnino pacatum, neque dum locus aptus, & tantæ multitudinis capax, quæ ex omni loco, in ciuitatem desertam tunc, & exiguam conueniret, neque multitudo ipsa populi, omnino purificata ab illis sordibus, quas à gentium conuictu, & longa consuetudine contraxerant, ita Sanctius.

Ad comedendũ Pascha nõ admittebantur immundi.

XIX Vers. 21. *Et comederunt filij Israël qui reuersi fuerant de transmigratione, & omnes qui se separauerant a coinquinatione Gentium terræ ad eos, vt quærerent Dominum Deum Israel &c.* Hæc erat, non vulgaris causa lætitiæ, quod plerique, desertis Idolis, ad Deum facti proselyti conuerterentur, & cum iis qui origine Iudæi erant, ritus Hebraicos celebrarent, forte in iis erant etiam, qui tempore captiuitatis, ad vicinas Gentes peregrinati, sordibus Idolorũ, cum iis coinquinati fuerant; & ad Iudæorum reditum resipiscentes, ad eos sese aggregauerant. Igitur omnes, qui se separauerant, id est peregrini, siue proselyti. qui natura primum, & conditione Gentiles, in ritum Iudæorum

Comederunt etiam Pascha omnes qui se separauerant ante a Iudæis & ad eos postea

redierunt seu proselytis natura primū & conditione Gētiles seu Iudæi alias alicubi cū Gentilibus Idolorum cultu sordidati.

A conuersi fuerant, circumsione, & hostiis purificati comederunt Pascha, *quarta decima die mensis primi*, (vt dicitur superiori versu) iuxta præceptum quod habetur Exod. 12. atque ita omnibus immolatum est, Iudæis & Proselytis, omnes comederunt, non solum qui reuersi fuerant de captiuitate, sed & omnes (quæ & alia vocis huius peregrini interpretatio est) qui alicubi, vbi demum essent, antea constituti, separauerant se eo tempore ab eis, &c.

X X.

Vers. 22. *Et fecerunt solemnitatem Azymorum, septem diebus, in lætitia, quoniam lætificauerat eos Dominus &c.* De B huius solemnitatis inductæ causa, & ritu, in posterum seruando, sic habetur Exod. 12. vers. 15. *Septem diebus azyma comedetis, in die primo, qui scilicet idem est decimus quartus mensis non erit fermentum in domibus vestris, quicumque comederit fermentum peribit anima illa de Israel à primo die vsque ad septimum, qui idem est vigesimus primus eiusdem mensis, dies prima erit sancta atque solennis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent, & obseruabitis Azyma, in eadem enim ipsa die, educam exercitum vestrum* C *de terra Ægypti, & custodietis diem istum in generationes vestras, ritu perpetuo, primo mense quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma, vsque ad diem vicesimam primam eiusdem mensis ad vesperam*: Phase autem seu Pascha. eadem decima quarta die, siue prima azymorum, immolabatur ad vesperam, secundum legem, ita enim de Phase eodem capite vers. 5. *Erit Agnus absque macula, masculus Anniculus, iuxta quem ritum, tolletis & hædum, & seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel* D *ad vesperam.* Vbi notandum occurrit, præter Phase, seu Pascha, quod immolabatur prima die Azymorum varias quoque offerri solitas fuisse victimas toto septemdiali Azymorum spatio quod à præcipua ipsa quoque dicebantur Phase, seu Pascha, & totum Azymorū tēpus, Paschale etiā vulgo nuncupatum, quod autem Phase, seu

Solenitatis Azymorū causa & ritus ex lege lata Exod. 12.

Prima die Azymorū seu decima quarta die mensis Pascha seu phase immolari solitum.

A Pascha, aliæ dicantur victimæ, licet non sint agni, fidem facit, locus hic Deuteronomii cap. 16. *Immolabis Phase Domino Deo tuo, de ouibus, & bobus, in loco quē elegerit Dominus.* Et 2. Paralip. vers. 35. *Principes domus Dei dederunt Sacerdotibus, ad faciendum Pascha, Pecora, commixtim, duo millia sexcenta, & boues trecentos.* Cæterum, ne illud omittam, non erit inutile, hic obiter annotare, ad versum vsque 19. in quo cœptum est de Pascha, à capite quarto, versu octauo, hunc librum scriptum esse Chaldaicè, à versu vero 19. Hebraicum rediisse sermonem, ad cap. 7. B versum 12 & inde ad versum 17. rursus rediisse Chaldæum, id cum plerisque aliis, obseruauit etiam Sanctius.

X X I.

Vers. 23. *Et conuerterat cor Regis Assur ad eos &c.* Licet is quem textus innuit, Darius scilicet, vel Artaxerxes, nomine magis præcipuo, atque insigni, Rex Persarum vulgo diceretur, quia in Persidem translata erat Monarchia, tamen dicitur hic, Rex Assur, quia Regnum Assyriorum erat in eius potestatem ditionemque redactum, conuerterat igitur Dominus ad Iudæos cor Regis Assur, id est, Regis Persarum, Darii Hystaspis, cuius imperio pare- C bāt Assyrii & Babylonii, cōuerterat autem non solum vt liberos eos dimitterent, sed etiam, vt adiuuaret manus eorum, in opere domus Domini, Dei Israël: Hæc quæ superius explicata sunt, confirmat Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 4. his verbis, *Epulati sunt* inquit *per continuos dies septem nullis sumptibus, parcentes, holocaustomata etiam offerentes, & agentes gratias Deo qui eos tandem antiqua patria, & eius legibus, ac ritibus restituerit, deflexo ad benignitatem Persici Regis animo, atque ita, summa liberalitate, in re diuina vsi, incoluerunt Hierosolyma, instituta ea reipublica for-* D *ma, quæ per optimates administratur, Penes Pontifices enim, fuit summa autoritas, donec Assamonæorum Gens, mutato rerum statu, Regnum obtinuit*: Ita Iosephus quæ sic intelligenda sunt, quod alias annotauimus, vt se nihilominus Iudæi, seruos Regis Persarum, etiam coram Deo profiterentur, quamuis ab iis non seruilem in modum, sed humanissime tractarentur.

Dicitur hic Darius aut Artaxerxes Rex Assur, quia Regnum Assyriorū erat in potestatē Regum Persarum redactum.

ALLEGORIA CAPITIS SEXTI.

Obſeruatio myſtica in verſu 1. *Tunc Darius Rex Præcepit, &c.*

Quos Darius permittens opus Templi interruptum abſolui, myſticè ſignificet.

Vt per Cãbyſis opus Templi impedientem Reges aut Imperatores qui perſecuti ſunt Eccleſiam, ſic per Darium Templum edificari iubentem qui eam liberalitate ſua ornarunt myſticè repræſentantur.

1.

VÆ huic obſeruationi, initium ſeu aditum faciunt, ferè ex Gloſſa, ſic trãſfero, ſicut Artaxerxes, ſiue Cambyſes, Cyri filius, qui domum Dei, & ciuitatem ædificari vetat, capit. 2. ſignificat eos, qui conſtructioni Eccleſiæ ſanctæ, motis perſecutionibus olim contra dicebant inter quas Eccleſia, maximè Martyrii victoria floruit, ſic Darius, piam illorum Regum deuotionem, qui agnita fidei Chriſtianæ pietate, non modo non reſiſtere illi, ſed etiam ſuis decretis eam omni ope adiuuare contenderunt è quibus multi, interdictis perſecutionibus, ſeipſos cum ſubiectis populis, eiuſdem fidei ſacramentis conſecrari voluerunt; tales extitere ſuperioribus ſæculis poſt Nerones, Caligulas, Domitianos, Diocletianos, Maximinos, quos Eccleſiæ hoſtes fuiſſe crudeliſſimos & immanem Chriſtianorum carnificinam exercuiſſe nouimus, Cõſtantini, Theodoſii, Marciani, Iuſtiniani, Caroli Magni, Ludouici, Imperatores quibus bene conuenit, quod Darius adiungit, in decreto ſuo, de Templo reædificando verſ. 8. *Sed & à me præceptum eſt quid oporteat fieri à Præsbyteris Iudæorum illis, vt ædificetur domus Dei ſcilicet vt de Arca Regis*, id eſt, *de Tributis quæ dantur de regione trans flumen, ſtudioſè ſumptus dentur viris illis, ne impediatur opus.* Quis enim explicare valeat quantum Eccleſia liberalitate Regum adiuta ſit & locupletata; Quis neſcit opes illas ingentes, quibus circumfluit, totas quantæ, quantæ ſunt è Regum manibus, in ipſam transfuſas: quis illius totum veluti fulgorem ac ſplendorem externum, è diadematis & coronis Imperatorum vt iam

A olim, ſic etiamnum adhuc, radiare non intelligit. Quis Conſtantini, quis Caroli Magni, donationes ignorat. Quis de immenſis, ab Helena Pulcheria, Cunegunde, in Eccleſiam collotis muneribus non inaudiit, vt ſanè verum ſit, quod multis ante ſeculis Iſaias de ea prædixerat cap. 49. verſ. 24. *Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ*, quod à nonnullis etiam interpretibus ad literam, de Cyro, & Dario, qui Iudæos aluerunt, accipi video & cap. verſ. 16. *Suges lac Gentium, & mamilla Regum lactaberis*, ſiue vt 70. *Diuitias Regum comedes*, id eſt, Reges alent te, ô Eccleſia! bo- B niſque ſuis ditabunt, ſicut pater, & mater, alere ſolent, & educare ſuos infantes & filios, aut certè, quod putat ſanctus Cyrillus, ſic Reges, & terrarum Domini, Chriſtianos accipient, fouebuntque, aut propter ſtudium pietatis, aut quia illorum modeſtia, & ſanctitate capientur, vt apud eos, filiorum, aut alumnorum loco, ac numero habeantur; Et vero, licet Eccleſiæ, teneræ adhuc, & infanti, Reges & Principes, infenſi fuerint, poſtea tamen à tempore Conſtantini, ſic amplexi ſunt Chriſtianam Religionem, ſic ornarunt C muneribus, vt de nulla alia re laborare, aut cogitare, quidquam exiſtimari potuerint. Hinc nouam Eccleſiam, tanquam ſponſam, ſibi charisſimam, antiquus ille ſponſus, animo contemplans, in Cantico Canticorum cap. 8. verſ. 11. *Vir*, inquit, *affert pro fructu eius mille argenteos*, vbi Lyranus, viri nomine, intelligit Conſtantinum Imperatorem, qui pro Eccleſia propaganda, & vberi fructu eius colligendo, mille argenteos, hoc eſt, innumeras expenſas fecit. Alii Imperatores, pueri cenſeantur qui

Totus fere Eccleſiæ ſplendor externus à Regum & Imperatorum liberalitate profluxit.

Locus Canticorum de Conſtantini ſtudio in ornanda Eccleſia explicatur.

præ vno crepundio, mille aureos contemnebant, opes multas, pro emendis suis voluptatibus, effundebant;
11. Constantinus vir, qui non nisi magnis mercibus, magnum pretium appendit, ingentes thesauros, pro regni cœlestis thesauro suppeditabat liberaliter; sic, & antiquum illud quoque, Regii Psaltis vaticinium, reipsa completum est, Psalm. 67. *Rex virtutum dilecti dilecti & speciei domus diuidere spolia*, id est, vt hæc verba, longè obscurissima, ad rem nostram accommodatè interpretatur, author diu incognitus in Psalmos iam cognitus, Reges multi potentes, facti sunt dilecti Christi, qui est dilectus Patris, Rex virtutum, id est Reges virtutum, singulare pro plurali, vt alibi sæpius in Scriptura, *Reges potentes dilecti dilecti, & speciei domus diuidere spolia*. Nam, Reges conuersi, inquit idem author, ad ornamentum Ecclesiæ, magna dona contulerunt, vt patet, de Constantino, de Carolo Magno, & de aliis, quæ dona diuersis Officiis, & locis, distribuere, spectabat ad Ecclesiam Romanam, quæ est caput, & pulchritudo omnium Ecclesiarum, quid enim speciei domus, nisi Ecclesia Romana, ad quam scilicet, spectat diuidere, spolia id est dona Ecclesiæ collata: Hactenus ille, ad cuius mentem firmandam, sensumque altius stabiliendum, aliud nihil adiungo, quam quod plerique authores annotant, vt verè Regum mamilla, lactatam fuisse Ecclesiam, commonstrent, nimirum difficile esse percensere, quot à Carolo, Dagoberto, Ludouico, aliisque Regibus Francorum, ædificatæ & dotatæ fuerint Ecclesiæ; quot ab iis, Germaniæ ditiones, Monasteriis attributæ; Ex Epistolis diui Gregorii Papæ, pro explorato haberi, opima, illius ætate, fuisse Ecclesiæ Patrimonia, in Africa, Campania, Neapoli, Dalmatia, Gallia, Sicilia, aliisque Prouinciis, (vt Reges Hispaniæ, Alphonsum primum, Alphonsum Castum, Ramirum, & alios prætercam) alium Alphonsum Magnum, totum thesaurum paternum in Templa, & pauperes erogasse. In Hungaria, Stephanum, Regem, Ladislaum, & Ludouicum, ita liberales fuisse in Ecclesiam, vt scribat Bonfinius, tertiam Hungariæ partem, pertinere ad Sacerdotes; In Polonia, Casimirum magnum, duodecim Templa ædificasse, vt ait Cromerus, Monasteria sex, eaque dotasse. Idem fecisse in Lithuania, Ladislaum Iagellonem, multo etiam liberaliores fuisse, Bohemos, Danos, Noruuegos, Suecos, denique Reges ipsos Angliæ, totam olim Angliam, Romanæ Ecclesiæ tributariam fecisse:; Neque vero Henricus octauus, decem millia Templorum, & Monasteriorum, vno anno euertisset, nisi ipsius antecessores, suam in ipsis primùm erigendis, pietatem, futuris retro seculis commendassent: Plura, de hac re, qui volet, consulat Thomam Bozium, de notis Ecclesiæ Tom. 4. signo 87. & Mutium Iustinopolitanum, qui librum confecit, in quo omnia collegit, quæ à Principibus, in Ecclesiam collata fuisse munera, varii passim, variarum Historiarum scriptores retulerunt.

Locus obscurissimus Psal. 67. de virorum Principum liberalitate qui donis suis Ecclesiam auxerunt exponitur.

Compendiosa series præcipuorum Principũ qui in variis Regnis ac Prouinciis suam in locupletanda Ecclesia pietatem cõmendarũt

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis sexti.

Expositio Allegorica & moralis in hęc verba Verſ. 11.

A me ergo poſitum eſt decretum, vt omnis homo qui hanc mutauerit iuſsionem tollatur lignum de domo ipſius et configatur in eo, domus autem eius publicetur &c.

Quid ſignificet in ſenſu Myſtico *Tolli lignum de domo ipſius qui Darii iuſsionem mutare tentauerit, & configi in eo, et domum eius publicari.*

111. NEQVE contemnendus hic eſt aditus, quem mihi ad allegoriam inueſtigandam facit Beda qui poſtquam ex ipſo literali ſenſu annotauit Darium grauiſſima pœna puniri eum voluiſſe qui decretum ſuum de religioſa ac ſacra Templi fabrica abſoluenda infringere auderet, iactura videlicet, omnium ſuarum facultatum, atque etiam vitæ ſuæ diſpendio quam in ligno confixus diuturna perpeſſione duriſſimi cruciatus amitteret, ſubiungit ſpiritualem quoque huius loci intellectum obuium cuique ex eo ac manifeſtum eſſe, quod opera noſtra, lignis omnia comparantur, bona quidem fructiferis, praua autem ſterilibus atque incendio dignis, ita vt ex eius mente *Tollatur lignum de domo illius* qui ſacris ac Templi Religioni obſtiterit, qui decerto de holocauſtis Domino offerendis contradicere niſus fuerit, *& erigatur atque in eo ipſe configatur* cum opera eorum, qui paci & ornamento ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ repugnant, omnibus, manifeſtè, quam ſint inutilia, quam peruerſa, demonſtratur, & ipſi in eiſdem operibus, non gaudium ſibi vitæ, ſed mortis laqueum conquiſiſſe probantur, *Domus quoque talium publicetur*, id eſt, publico cenſui perſcribatur, cum corpora etiam eorum in quibus diutius in hac vita manſerunt, extremi iudicii tempore perpetuo punienda tormento, ſæuiſſimis exactoribus hoc eſt malignis ſpiritibus, in poteſtatem traduntur. Et

Tollitur myſticè lignum de domo eius qui Darii decreto de Templo ædificando non obtemperat inque configitur cum opus illius qui paci & ornamento Eccleſiæ obſiſtit, inutile & æterni iudicii cenſura dignum arguitur.

A certe nihil frequentius in Scriptura, quàm vt corpus noſtrum cum domo, cum carcere, cum Tabernaculo comparetur; vis domus Allegoriam. Audi Paulum 2. Corinth. cap. 5. verſ. *Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur quod ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam æternam in cœlis.* Vis corpus cum carcere compoſitum? Audi Dauidem Pſalmo 141. *Educ*, inquit, *de cuſtodia animam meam* ſcilicet anima eſt in corpore, dum hic ſpiramus & viuimus, ſic tanquam in carcere, ſuis conſtricta vinculis, ſuis
B compedibus irretita. Vis ſub ipſa imagine Tabernaculi adumbratum? Audi rurſum ex Paulo capite iam citato verſ. 4. *Nam & qui ſumus in hoc Tabernaculo ingemiſcimus grauati eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita.* Audi & Petrum 2. Canonic. capite 1. verſu 13. & 14 & expreſſius & illuſtrius per Tabernaculi vocem, corpus ſuum indicantem. *Iuſtum autem arbitror*, inquit, *quandiu ſum in hoc Tabernaculo, ſuſcitare vos in commotione, certus quod velox eſt depoſitio Tabernaculi mei ſecundum quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit*
C *mihi* Quid quod de Chriſto è cœlis in terram deſcendente ait S. Ioannes cap. 1. verſ. 14. *Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis*, Græce, ἐσκήνωσε, ideſt, Tabernaculum fixit in nobis cum corpus de corpore virgineo in ipſomet corpore aſſumpſit. Nimirum corpus inſtar Tabernaculi (vt rationem quoque ſimilitudinis non neſcias) pelle compingitur, neruis quaſi funibus tenditur

Sæpe in Scriptura corpus ſignificatur per Domũ, Carcerem, & Tabernaculum.

Explicatur ratio ſimilitudinis Tabernaculi cum corpore

ditur ossibus quasi palis solidatur, pedibus quasi clauis figitur, anima vero corpore quasi Tabernaculo vestitur & tegitur, per illud prospicit, audit, sentit, agit, operatur, donec post hanc vitam reformetur, perficiaturque; ac demum si merita hoc reposcunt æternæ fœlicitatis gloria cumuletur: quin & Seneca ipse, quod mireris Epist. 71. ex eo quod anima nostra in hac vita est in corpore tanquā in Tabernaculo, ad mores formandos instituendosque scitè illud deducit & sic ratiocinatur. *Vis*, inquit, *aduersus hoc corpus liber esse, tanquam migraturus habita, propone tibi quandoque hoc contubernio carendum, fortior eris, ad necessitatem exeūdi.* Vide ergo, mi Lector (vt

IV. Allegoriam nostram leuiter inspectantes aliquid etiam excolendis moribus idoneum attingamus) vide, inquam, ac prospice diligenter, ne carcer hic, ne hoc tabernaculum, ne domus hæc tua quam circumgestas, magno tuo cum dedecore & infamia aliquando publicetur, ac destruenda contrudatur de supremi atque æterni Regis imperio & iustissima voluntate, si iussis illius ac decretis non obtemperas: corpus hoc tuum, vt nosti, domus hæc tua carne mortali conuestita perpetuo olim splendori, atque ornamento gloriæ in cœlis excipiēdo, si bene vixeris, sin autem male, æternæ conflagrationi in inferis destinata est. Aduerte etiam atque etiam, ex qua materia, quo ex lapide, quibusue ex lignis domus hæc tua componatur, id est ex quibus operibus, bonis an malis vitæ tuæ quasi tela contexatur: *Ne quod in textu est tollatur lignum de domo tua in eoque configaris.* Si in re tanti momenti tamque operoso negotio incautior fueris, hoc est, ne si male egeris adsit illico peccatum in foribus tuis & opera tua infructuosa & inutilia appareant atque adeo combustioni & incendio idonea. Et vero quod supra obseruauimus, per ligna, arida præsertim & infructuosa, mala opera significari actionesque vitæ nostræ extremi iudicii examine & censura dignas (vt de aliis Scripturæ locis taceam) egregiè demonstrat insignis illa peroratio Diui Pauli 1. ad Corinthios, cap. 3. vers. 10. & sequentibus: *Secundum gratiam quæ data est mihi vt sapiens Architectus fundamentum posui, vnusquisque autem videat quomodo superædificet, fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter*

Diligenter prospiciendum ex qua materia domus nostra mystica componatur, id est, ex quibus operibus bonis an malis vita nostra contexatur.

A *id quod positum est, quod est Christus Iesus, si quis autem superædificet super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænū, stipulā vnius cuiusq; opus manifestū erit dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vnius cuiusq; opus quale sit ignis probabit*, vbi vides quæ cōmunis est omniū interpretū sententia per aurum, argentum, lapides pretiosos, virtutes & bona opera, per ligna, fœnum & stipulam, mala opera indicari, vnde D. Bernardus sermone quem ipse confecit de ligno, fœno, & stipula vti Tropologicè totum hunc locum pertractat. *Fundamentum*, B inquit, *Christus est, lignum fragile est, fænum molle, stipula leuis, lignum sunt qui fortiter incœperunt, sed fracti non renodantur, fænum sunt qui fugienda mollitie tepefacti, nec summitate digni, vt dicitur, labores arduos attingere volunt, stipula sunt qui leuitatis motibus exsufflati nunquam in eodem statu permanent.* Sic ille, & inferius ibidem. *Sunt & alii*, inquit, *qui ædificant super fundamentum hoc, aurum, argentum, & lapides pretiosos, qui vehementer incipiunt, vehementius proficiunt, vehementissime perficiunt, non attendentes quid caro possit, sed quid spiritus valet.* Magnum sane, vtro- C rumque discrimen quod ignis seu expiatorius & temporalis, seu æternus aliquando vt ait Paulus in die Domini reuelabit. Ex quo consequens est inuigilandum nobis esse studiose bonis operibus in dies cumulandis, hoc est, præparandæ materiæ ex qua domus nostra rite ac congrue construatur & ædificetur in cœlis ne si secus, à nobis fiat, remissique, ac negligentes in eo fuerimus, magno nostro malo, domus hæc nostra & Tabernaculum corporis nostri perpetuo tandem igne ardeat æternumque incendatur, tot enim in focum illum exitialem paratum diabolo & Angelis ligna congerimus D quot peccata committimus, vt iure peccatoribus obstinatis nec pœnitentibus exprobretur illud Isaiæ 50. vers. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis de manu mea factum est vobis, in doloribus dormietis.* Ecce vos, inquit accendentes ignem & accincti flammis, seu, vt alii vertunt constricti & colligati laqueis, flammarum scilicet siue vinculis igneis: quid enim aliud facit homo cum, peccat, & male operatur quam vt ignem æternum in seipso accendat

Per aurum argentum, lapides pretiosos, bona opera per lignum, fænum & stipulam mala significantur à D. Paulo 1. Corinth. 3.

Quot peccata committis, tot ligna in ignem seu Purgatorii seu inferni conicit peccator.

ac se laqueis ignis constringat, illis A puta quibus dæmones & damnati in inferno colligati detinentur, constringantur & comburantur, iuxta illud Iudæ in Epistola canonica vers. 6. *Angelos qui non obseruauerunt suum Principatum vinculis æternus sub caligine reseruauit.* Aut certe laqueos vocat fascicu-los laqueatos seu laqueis & vinculis constrictos: sic enim fasces & strues lignorum laqueo siue vinculo constringi ac colligari solent, quasi diceret impiis Deus per Prophetam, vos ô impii! aliud quidquam non facitis sceleribus vestris, quàm paratis assiduè & colligatis vobis fasces & strues lignorum quibus ipsimet in gehenna comburamini qui attendis ad hoc diuinæ vocis oraculum, expauesce.

TROPOLOGIA ET ALLEGORIA Capitis sexti.

Mysticum & morale in illud vers. 14. *Compleuerunt domum Dei vsque ad diem tertium mensis Adar qui est annus sextus Darij Regis.*

Et quid significet maius temporis spatium positum in secunda ædificatione Templi quam in prima.

CErtum est primum B Salomonis Templum secundo longè etiam angustius 7. annis perfectum esse, vt patet ex tertio Reg. 6. vers. 18. at vero secundum Templum Zorobabelis non nisi 46. annorum spatio perfectum est, vt vers. 20. Ioann. 2. habetur, quod quemadmodum intelligendum sit, cùm in ipsa textus expositione, tùm in peculiari annotatione monstrauimus, cum igitur discrimen temporis, altera in ædificatione positi, mysterio non careat & ad Allegoriam commodè traduci possit. In eam rem, sic mysticè Beda lib. 2. in Esdr. cap. 8. Notandum inquit, quod Salomon prius Templum, in pace sui regni permaxima, tempore breui, nullo contradicente perfecit, nunc autem destructum, propter peccata populi, filij transmigrationis, in magna cordis compunctione, labori longo insistentes. & sæpissime ab inimicis retardati, tandem diuinitus adiuti restaurarunt, facile namque est, conuersum quemque ad fidem, cognitionemque veritatis abrenunciare diabolo, & confiteri Deum viuum, sacramenta Christi percipere, hisque initiatum, in remissionem omnium peccatorum, Templum eius effici, atque acceptam vitæ innocentiam, comitante eius gratia seruare, sed multi laboris est, cum qui accepta fidei sacramenta peccando contemnit, pristinam recipere dignitatem, quia non huic facile emundatio, per aquam Baptismi, denuo dari potest. (Non facile, dixit, immo nec vllo penitus modo etiam dicere potuit) sed perpetratum scelus, longo pœnitentiæ labore, largis lachrymarum fluentis, districtiori C continentiæ sudore, eluendum est cuius emendatione, ipsa quoque consuetudo vitiorum, quasi inimica Samaritanorum turba, repugnat, tanto ad superandum difficilior, quanto diutius terram cordis virtute vacuam possidebat. Hactenus Beda. Et sanè Δύσκολον κρατῆσαι ἡ συνήθεια, aiebat ille difficile est consuetudinem vincere in quamcumque partem se cõtulerit, maximè si ad malum specie voluptatis illecta adhæserit. Eo spectat illud Apostoli Hebræorum 10. vers. 26. iuxta mentem D. Chrysostomi & aliorum, *Voluntariè peccantibus nobis post acc-*

Prima cõuersio hominis ad Deum comitante eius gratia facilis secunda post lõgam peccandi consuetudinẽ difficilis quod significatur per maius temporis spatium positũ in secunda ædificatione Templi quam in prima.

ptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, id est ægrè, & vix relinquitur hostia pro peccato, qua peccatum illud aliud expient,& destructam Dei domum, in se denuo excitent, item illud cap. 6. vers. 4. *Impossibile est*, id est, *valde difficile, eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt donum cæleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt etiam bonum Dei verbum, virtutésque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Nasci primum secundum Deum, atque ad virtutem informari bene etiam secundante cælo cum Deo esse tanti laboris non est, at vbi per peccatum quasi esse desieris, & ad nihilum redactus gratiam amissam iterum renasci per veram sinceramque pœnitentiam grandis operæ est, maioremque in homine curam ac sollicitudinem desiderat, longis sæpè itineribus eo reditur vnde facile & quasi puncto temporis ac momento deflectitur. Hinc disce, omne malum nascens facile opprimi, inueteratum fieri plerumque robustius, quod aiebat olim Tullius, Philipp. 5. *Facilius esse initium vitiorum prohibere, quam impetum regere*, teste Seneca Epistola 80. demum, instaurare collapsa, diformata restaurare, atque in pristinum splendorem restituere, longè difficillimum. *Difficilior in Ecclesiastica gubernatione est labor, vniuersa reficere, quam integra in suo statu custodire*, ait Iuo Carnotensis Epistola 70. ad Gaiter. Episcop. *Facilius possunt noua fundari, quam vetera renouari*, inquit Petrus Cluniacensis lib. 3. Epistola 23. Et sanè, semel lapsa religio, vt experti norunt, scripseruntque, authores non vulgaris notæ benè multi nunquam, aut vix, reparari potest, noua facilius à fundamentis conderetur. Hanc fuisse mentem Ioannis Gersonis Cancellarii Vniuersitatis Parisiensis, indicant eadem ipsius verba, ac planè gemina, cum superioribus, vbi differit de abstinentia, ab esu carnis, in ordine Carthusiensium, sed antiquior Gersone, sanctus Hildebertus Cœnomanensis Episcopus, gratulans Abbati qui Monasterio reformando operam dabat, Epistola 6 sic grauiter in rem edisserit, *Graue quidem est, inquit, in pugnam tyrones animare, grauius autem, reuocare fugientes, maiori eget studio, reddere, quam conseruare sanitatem, ita vix est, qui dubitet, hoc ordine facilius ignaros informari, quam reformari peruersos*, cuius axiomatis Ratio, à Petro Cluniacensi loco proxime citato, his verbis exponitur, *Quia, inquit, secundum B. Gregorium hominibus aliter institutis, durum valde videtur in mente veteri, noua meditari.* Hinc, Ennodius, Panegyrico ad Traianum, *Plus est occasum repellere quam dedisse principia &c.* Quare sic ad rem nostram apte concludes: quemadmodum, plus est Templum Hierosolymis collapsum instaurare, quam primum ædificare, ac quemadmodum plus in vno operæ est ac laboris quam in altero, pluresque annos in secundo quam in primo absoluendo consumi oportet, sic quoque in ipso mentis statu ac regno, secundi Templi mystici ædificatio, quæ semper prioris collapsi instauratio est, vt valido virtutum omnium fundamento innititur (vt ad fastigium perducatur) diuturniorem temporis moram, quam prima operis molitio semper exposcit. Ex quo fit, vt summo prorsus studio conniti nos oporteat, ne domum conscientiæ nostræ Deo addictam consecratamque vallis tentationum ventis, turbinibus, aut procellis succuti disturbarique sinamus nullis dæmonum aut cuiuscumque demum generis hostium incursibus dissipari dirui, deiici à virtutum culmine cum tam operosum ac difficile negotium sit illam vbi semel collapsa fuerit eam in formam ac speciem restituere atque instaurare ex qua primum exciderit. Quod si quadraginta omnino sex annos in sacro ac religioso Templi opere perficiendo absoluendoque cum omnibus suis appendicibus & ornamentis positos fuisse dici putas posse vt asserebant Iudæi Ioan. 2. & vero etiam hodie nonnulli authores existimant, contra quàm sentio, tùm huius temporis spatii in ædificatione positi sensum literalem & Historicum cum Beda proxime citato ad Allegoricum leui opera sic transferet. Ait siquidem Templum quod à Salomone ædificatum à Zorobabel Duce & Iesu sūmo Sacerdote reædificatū est multiplicem habuisse figuram seu variarum omnino rerum typum exhibuisse. Nam & vnamquamque animam designat electam quæ propter inhabitantem in se Christum, Christi domus ac Templum eius rectè vocatur, Ecclesiam item totam significat, seu militantem seu triumphantem, hoc

Facilius noua Religio conditur quam semel collapsa reparatur.

Templum reædificatū variarum rerum typus, Anima Ecclesia & Corporis Christi.

est congregationem omnium fidelium, & beatorum, cœtum omnium Angelorum scilicet & hominum, (quod iam supra sæpius indicauimus) tandem, & ipsum Domini Corpus adumbrat, quod ex Virgine natum, ac peccati omnis expers, ab impijs morti addictum, sed ab ipsomet die tertio resuscitatum est ad vitam, *Soluite Templum*, hoc aiebat Christus ad Iudæos, *& in tribus diebus excitabo illud*: Ille autem dicebat *de Templo Corporis sui*, Ioannis 2. versu 21. Cui specialiter aptatur illud in figura, quod Templum quadraginta sex annis ædificatum esse dicitur. Asserunt namque Physiologi eo numero seu eodem temporis spatio (si dies scilicet pro annis computas) corpus humanum in vtero à tempore conceptionis, vsque ad perfecta membrorum lineamenta crescendo peruenire. Sic igitur decebat omnimodò vt domus quæ Dominici figuram corporis erat exhibitura, eo annorum numero conderetur in Hierusalem quo dierum numero ipsum Domini Corpus in vtero Virginis sacrosanctæ perfectissimè formandum erat, quæ videlicet Virgo, veracissime Hierusalem, id est Ciuitas Regis magni; & visio pacis est cognominanda illius nimirum de qua dictum est, *Ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum*, Ephesiorum 2. Sed extrema hæc Allegoriæ pars (vt nihil dissimulem) magis placeret, si litteralis sensus in quo fundatur, firmioribus ipse niteretur fundamentis quod addit ibidem idem ipse author nempe, illud etiam quod de eodem Templo dicitur 3. Regum 6. *Ostium autem lateris medij in parte erat domus dextra, & per cochleam ascendebant in superius Cœnaculum, & à superiore in tertium*, Dominici quoque corporis figuram prætulisse, de quo Ioann. 19. scriptum est, *Vnus milit. m lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua*, disputare admodum nolim, tu lector expende. Ostium quippe lateris medii in parte domus dextræ fuisse hoc est ab Orientali angulo lateris meridiani in terra incœpisse, & per interiora eiusdem lateris occulto itinere, paulatim ad altiora cœnacula perduxisse mysticè censendum est, cum Dominus scilicet & Saluator noster, ianuam nobis salutis, in dextro latere sui corporis voluit aperire, per cuius Sacramenta abluti ac sanctificati in altiorem Regni Cœlestis aulam intrare possimus; quis enim non intelligit, ascendere nos per ostium lateris medii in superius cœnaculum, quando per aquam baptismatis & poculum Dominici Calicis consecrati, ab hac terrestri conuersatione, ad cœlestem animarum vitam peruenimus. Nec magis obscurum est, à superiore quoque seu medio cœnaculo nos in tertium siue supremum penetrare, cum beatitudinem animarum, etiam corporum immortalium perceptione cumulamus. Et hæc quoad Allegoriam de Templo & longiori mora temporis posita in secunda eius ædificatione quam in prima.

Ostium lateris medij quod in parte dextra Templi Salomonis fuit, rectè latus corporis Christi apertum significauit.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis sexti.

Mysticum & morale in illud Vers. 16. *Fecerunt autem filii Israel Sacerdotes & Leuitæ & reliqui filiorum transmigrationis dedicationem domus Dei in gaudio, & obtulerunt in dedicationem domus Dei vitulos centum et arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israel duodecim, &c.*

Quid in spirituali animarum dedicatione quæ mysticæ domus Dei sunt, fieri oporteat.

QVISSIMO iure profecto filii transmigrationis, & reduces è Babylone in Hierusalem Iudæi exultant ac triumphant gaudio quod ipsi & iugum captiuitatis abiicere, & domum Dei quæ funditùs destructa fuerat excitare tandem aliquando atque instaurare Deo bene fauente potuerint, hinc tanquam beneficii non immemores, & quasi Deo deuoti famuli, consecratique in perpetuum eius obsequium, plurimas in dedicationem Templi hostias offerunt, offerunt etiam, vt charitatis & fraternitatis amatores, victimas illi ipsi pro peccato totius Israel, hoc est, pro peccato expiando, non eorum tantummodo, qui præsentes tum adesse poterant, verum etiam illorum qui vel Babylone vel in aliis adhuc Prouinciis positi extra Iudæam inter hostes degebant, rogantes scilicet supplicantesque eis quoque diuinum numen fieri propitium cuius auxilio vel inter hostes à malis integri intactique seruarentur vel ab hostium manibus erepti ad antiquas diuque optatas patriæ sedes reuocarentur, sic ad planiorem intelligentiam referēdus hic paulum fuit literæ sensus & Allegorico qui proxime consequitur substernendus. Ergo vt è literali sensu ad sublimiorem hoc est mysticum & spiritualem eue-

A hamur. Memineris Lector (quod iam supra non semel indicauimus) reædificationem Templi, seu domus Dei, destructæ olim, atque incensæ à Chaldæis, factam à Iudæis post captiuitatem eorum qui à via veritatis quam paululum inire cœperant, peccando aberrauerunt, correctionem, emendationemque morum designare: certe D. Gregorius lib. 2. in Ezechielem Hom. 22. exponens illud Ezechiel. 40. vers. 47. *Et Altare ante faciem Templi*, per Templum ipsum & Altare Templi fidelem populum interpretatur, populum inquam fidelem, sed pœnitentem

B audi, *Quid est Templum*, inquit, *nisi fideis populus sicut per Paulum Apostolum dicitur Templum Dei sanctum quod estis vos. Et quid est Altare Dei nisi mens bona viuentium qui peccatorum suorum memores lachrymis se lauant, carnem per abstinentiam macerant rectè horū Altare quoq; dicitur ante faciem Templi, vbi ex mærore, compunctionis ignis ardet, & caro consumitur suis illis quas offerebant victimis, nunquid non tales quotidie in sancto hoc fideli populo quasi in Templi atrio videmus, nunquid non eorum vitam nobis ad exemplum propositam indesinenter aspicimus? cum multi in sancta*

C *Ecclesia conspectu sunt propositi, qui æterni iudicis memores semetip os quotidie Deo sacrificium in lamento compunctionis mactant.* Sic ille. Templum itaque collapsum olim illud quidem, sed recens instauratum atque in integrum

Templum olim collapsum & postea restitutum animam lapsam in peccatum quondam & postea pœnitentem mystice significat.

restitutum animæ pœnitentis vitam emendatiorem conuersionemque significat, atque adeo, aptissime dicitur instauratum huiusmodi Templum mysticum, *dedicari a Sacerdotibus & Leuitis & reliquis filiorum transmigrationis in gaudio*, vt in textu est, quia nimirum ad meliorem vitam conuersis illis qui peccauerunt ac vere pœnitentibus, magna excitatur in animis ciuium Hierusalem lætitia, ingens omnino, quod ait Christus ipse in Euangelio Luc. 15. *Gaudium est in cælo coram Angelis Dei.* Gaudium est Sacerdotibus, & Leuitis, hoc est, Doctoribus & Magistris, qui pro errantium salute laborauerunt, docendo scilicet, monendo, orando, cohortandoque. Gaudium est reliquis de populo, qui de Babylone, id est de confusione peccatorum ad virtutum arcam, terram vtique promissionis, mente, & opere, facto dictoque remigrarunt, sicque in summa. *Et Sacerdotes & Leuitæ & omnis populus in dedicatione restaurata domus Domini collætantur, seu faciunt dedicationem domus Dei in gaudio.* Quia consentaneum est, immo necesse, omnes Ordines Ecclesiæ reconciliari per pœnitentiam, his qui peccauerunt, congratulari & cum eis gaudere de recepta gratia & recuperata meliore ad æternam salutem fortuna. Hinc Leuitæ & Sacerdotes, hoc est Ecclesiæ Principes hostias, id est vota gratiarum & sacrificia laudis offerunt Deo propter eorumdem piam conuersionem & sanctam conuersationem quam alii æmulantur & imitari contendũt; nec solum Sacerdotes & Leuitæ cum reliqua plebe hostias in dedicationem domus Domini quam renouarunt, sed etiam *pro peccato totius Israel* offerre memorantur, quia nimirum sic oportet eorum quos videmus & quibuscum versamur bonis institutis ac moribus fauere, gratulari applaudere, sic pro illis supplicare ne excidant, vt etiam pro statu totius, quæ per vniuersum orbem dispersa est Ecclesia, simili cura Dominum precari meminerimus, & cum fidelibus quibusque vbi vbi sint adhuc peccantibus conciliare facilem ac propitium contendamus. Iam vt ad initium reflectamus orationem, quod ædificato Templo, dedicatio sequitur, eaque cum magno totius populi applausu & gaudio, illud etiam innuit, significatque non obscurè, ait Beda. *Quod speramus & futurum aliquando,*

De peccatorum pœnitentia & conuersione & militaris & triumphãs gaudet Ecclesia.

A *post hanc vitam expectamus*, scilicet extremam illam, sed fœlicem & æternam Ecclesiæ ipsius, ac proinde animorum nostrorum, dedicationem olim in cœlo, cum ingenti lætitia, & gaudio incredibili, instituendam, quæ cum suis perfecta numeris omnibus, atque absoluta erit, cum impleta in fine sæculi, electorum omnium summa, in cœlestium præmiorum possessionem pedem immittet, & simul corpore & animo, gloriosa immortalitate donabitur, vnde passim conficit D. Augustinus in suis illis quas de hac materia

B varias contexuit, seu concionibus, seu commentationibus dici proprie, nos tantum in hac vita, ædificare & construere domum nostram spiritualem, seu nosmetipsos ex multiplici virtutum, & bonorum operum connexione & iunctura, cum labore & ærumna, sed vbi perfectum ædificium est & tota bonorum operum, seu meritorum moles, tanquam fabrica, ad summum fastigium culmenque perducta, tum reuocari nos illico, atque hinc in aliam vitam trãsmigrare, vbi dedicatur domus nostra, cum exultatione & gloria. *Cum ædificamur*, inquit ille, serm. 15. de 17. IX.

C additis post sermones de Sanctis, *gemit ei humilitas nostra, cum autem dedicabimur cantabit ei gloria nostra, quia in ædificatione labor est in dedicatione lætitia, dum cæduntur de montibus lapides, & ligna de syluis, dum formantur, dolantur, coaptantur labor & cura est, cum autem perfecti ædificii dedicatio celebratur, gaudium & securitas laboribus curisque succedunt, sic etiam ædificatio spiritalis, cuius habitator Deus, non ad tempus sed in æternum erit, dum ex infideli vita homines segregantur ad fidem, dum quicquid non bonum atque peruersum est, amputatur & cæditur, dum fiunt aptæ, pacifica piaque iunctura, quantæ tenta-*

Ædificatur domus Dei in hac vita cum labore & ærumna in altera dedicatur cum gaudio & gloria.

D *tiones timentur, quantæ tribulationes sustinentur? cum vero aduenerit dies dedicationis domus æternæ, cum dicetur nobis. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi, quæ illa exultatio, quæ securitas erit? Cantabit claritas, nec compungetur infirmitas cum ingredietur perfectam & ornatam, veritate stabilitam, immortalitate vestitam æternus ipse habitator domum suam.* Sic Augustinus. Ex qua similitudine seu Allegoria, conuerso ad auditores sermone eleganter atq; eximie cõcludit *Acriter ergo deuotis ipsis facile domum Dei construadi amini, dola-*

mini, in laboribus, in necessitatibus, in vigiliis, & negotiis, ad omne opus bonum paramini, vt in æterna vita, velut compage, in societate Angelorum requiescere mereamini. Sic vt vides, domus Dei, si volumus, nos ipsi sumus, nos in hoc sæculo ædificamur in fine sæculi dedicamur. Ædificium, immo ædificatio habet laborem, dedicatio exultationem, vt ait idem ipse Augustinus Sermone 26. de tempore. Quanquam & si eundem audimus Sermone toto præcedenti 255. Spiritualem quoque in hac vita animarum nostrarum quæ Templa Dei sunt dedicationem seu consecrationem non inconcinne celebramus. Cum ita cor nostrum studemus bonis semper cogitationibus occupare, & corpora nostra ab omni sorde luxuriæ munda, vel casta iugiter custodire, vt Deum in nobis delectet habitare, cum in Templo nostro vt olim in Salomonico duo Altaria constituuntur, exterius vnum, alterum interius, sic & in vtroque iugiter Deo sacrificatur, id est cum illud omne quod à nobis suscipitur. & quodcumque facimus siue interius siue exterius ad gloriam Dei facimus, cum in Altari cordis nostri ignis charitatis semper incenditur, cum in eo nisi quod Deo placitum est, operamur: addam ego cum in eo, studium diuini amoris & syncerum Deo in omnibus placendi, obsequendique voluntatem, quotidie ac momentis pœne singulis renouamus. Festum enim dedicationis Templi apud Iudæos festum Encæniorum erat vt habetur in Euangelio, id est festum nouorum seu renouationis. Atque ita authore Augustino tunc ordinem legitimum consecrationis & dedicationis Templi aut Altaris, cum gaudio celebramus, cum altaria seu Templa cordis & corporis nostri munda & pura in conspectu diuinæ Maiestatis offerimus.

Quomodo etiam in hac vita dedicatio Templi mystice celebretur.

X. Accedit ad diuum Augustinum sanctus Bernardus Sermone primo in dedicatione Ecclesiæ, vbi postquam animaduertit, Altaria de more communi in Ecclesiis. & Ecclesias quoque seu Basilicas ipsas, & Templa materialia, apud Christianos, certis quibusdam cæremoniis dedicari consecrarique, statim ex eo consequens esse vult vt in animis nostris eum Deo consecrentur quod in Templis fit visibiliter, inuisibiliter impleatur. Audi, & quam

A recte in eam rem philosophatur, attende, *Quando*, inquit, *domus ista per manus Pontificum dedicata est Domino, propter nos sine dubio factum est. In nobis proinde spiritualiter impleri necesse quæ in parietibus visibiliter præcesserunt, sed quæ tandem? sic pergit. Et si vultis scire hæc, sunt aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio, benedictio. Hæc vtique in hac visibili domo fecere Pontifices; hæc & Christus assistens Pontifex futurorum bonorum inuisibiliter quotidie operatur in nobis. Primo siquidem aspergit nos hyssopo, vt mundemur, lauemur, dealbemur, lauat nos in confes-*

Quæ in dedicatione Ecclesiarũ fiunt à Pontificibus visibiliter imple ri debent in animis nostris cum Deo dedicantur.

B *sione, lauat nos lachrymarum imbre, lauat sudore pœnitentiæ, magis autem lauat nos aqua illa pretiosa quæ de fonte pietatis*, id est, *latere eius emanauit. Aspergit nos hyssopo quæ humilis herba est, & pectoris purgatiua, aqua sapientiæ salutaris quæ est timor Domini, initium sapientiæ & fons vitæ etiam condimentum salis admiscens, ne sit insipidus timor siue spe, siue deuotione.* Deinde vt cætera quæ in eodem prolixiora sunt in pauca contraham inscriptionem fieri solitam in consecratione, refert ad id quod Deus inscribit legem suam in tabulis cordis no-

C stri, nec lapideum illud esse patitur, nec durum nec obstinatum, sed carneum, sed mansuetum, sed tractabile, sed deuotum, quod quia sine vnctione spiritus fieri non potest, propterea eam sequi & vnctione visibili designari. Necesse siquidem esse vt vnctio spiritualis gratiæ adiuuet infirmitatem nostram obseruationis legum & multi auidæ pœnitentiæ vincas leniendo quippe nec sine Cruce sequi Christum, nec sine vnctione spiritus asperitatem Crucis ferre quenquam posse. At postquam vnctio gra-

D tiæ huius præcesserit, iam lucernam suam Christum non ponere sub modio, sed super candelabrum, tempusque esse vt luceat lux nostra coram hominibus. & videant opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum qui in cœlis est, sic in quatuor præmissis, aspersione, inscriptione, inunctione, illuminatione, merita constare, in benedictione quæ vltimo loco est præmia consistere. Nempe in ea, seu in eo quod per benedictionem designatur, totam complectur in gratiam sanctificationis ac diuinæ consecrationis quando iam in domum transibimus non manufactam

Explicantur mysticè & spiritualiter quinque cæremoniæ in dedicatione Téplorũ adhiberi solitæ, aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio, & benedictio.

æternam in Cœlis, in domum illam quæ construitur viuis ex lapidibus, Angelis scilicet & hominibus vbi simul ædificatio & dedicatio ipsa complebitur.

XI. *Professio solemnis vitæ Religiosæ præcipere quædam est dedicatio.* Addo cum res quæuis eo præsertim nomine Deo dedicari consecrarique censeatur, quod à prophano ac sæculari vsu abduci solet, & ad sacrum, religiosa cæremonia, transferri, potiori quodam iure censendos in Ecclesia dedicationem sui facere & celebrare, qui Religiosæ vitæ institutum capessentes, mundo renuntiant, & per publicam & solemnem Votorum professionem addictos, se Deo in perpetuum, mancipatosque volunt. Illi quippe sunt veri Nazaræi, verè sancti Domino, verè consecrati, verè in militiam Christi duplici nomine ascripti, quam vt fortius generosiusque exerceant, vt Christo ipsi & soli, tanquam duci suo militent, nec sæculo, nec sæcularibus negotiis implicare se vnquam statuant. Nec alia profectò de causa iam à nobis proximè citatus diuus Bernardus sic Clareuallenses suos alloquitur cum de ipsa quoque dedicationis Ecclesiæ celebritate agit, *Vestra est, fratres charissimi, vestra est hodierna festiuitas, vos dedicati estis Domino vos, elegit & assumpsit in proprios, Tibi inquit Propheta derelictus est pauper, orphano tu eis adiutor quam bene commutastis dilectissimi quidquid habere potuistis in sæculo, quando nunc reliquendo ea, proprii esse meruistis authoris sæculi, & eum habere propriam possessionem qui sine dubio, portio & hæreditas est suorum*, & post pauca. *Videte ergo num dignum sit vt festum agamus diem quo nos assumpsit in proprios, & inuestiuit se per ministeriales & Vicarios suos.* Hactenus diuus Bernardus. Ex quo licet hanc mysticam expositionem absoluere, sicque omnes, quocumque demum in statu sint, siue seculares, siue regulares, affari verbis pœne Augustini loco supra citato. Nos quiqui sumus ita agere & viuere studeamus vt semper dedicationis festiuitatem celebrare possimus, & quomodo in Templi vel Altaris consecratione gaudere solemus, immo vt Iudæi reduces è Babylone in Hierusalem in dedicatione Templi recens instaurati exultent gaudio ac tripudiant, ita nos inuisibiliter de corporis & animi nostri puritate, Deo debita, (quæ vera est vtriusque consecratio) spirituale gaudium habere mereamur.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis sexti.

Mysticum & morale in illud Vers. 20. *Purificati enim fuerunt Sacerdotes & Leuitæ quasi vnus, omnes mundi ad immolandum Pascha.*

Nouæ legis mysteria in spiritu charitatis suscipienda, & ab animis participantium Eucharistiam, excutiendum odium omne, erga proximos, omnem simultatis speciem expungendam.

E mysterio vacare quis censeat *quod purificati dicantur Sacerdotes & Leuitæ, quasi vnus, omnes mundi ad immolandum Pascha.* Hic aduerte, qui diuina beneficia petituri, & accepturi sunt, prius debere in vnitatem spiritus congregari, ita filii Israel de Babylone regressi, antequam Pascha celebrarent, in mutuam charitatem coierunt, quasi vnus, omnes mundi, sua credo illa concordia, & munditia, mysticè signifi-

significabant, quanta concordia, & A
munditia ad verum Agnum Paschalem, Christum Dominum, immolandum, ac suscipiendum requiratur: Sic etiam, antequam liber diuinæ legis, eidem populo de Babylonica captiuitate liberato legeretur, 2. Esdræ 8. vers. 1. *Congregatus est*, inquit textus, *omnis populus quasi vir vnus*; Vbi Venerabilis Beda, quod & eo loco diligentius expendemus; Notanda, inquit, deuotio populi & concordia, quasi vir vnus eadem fide & deuotione, ad templum Dei cucurrerunt, & quasi non posset diuina lex, nisi in populum charitate vnum, atque inter sese diuini amoris vinculis constrictum promulgari, &c. addo ego nunc nec diuinæ legis mysteria commodè percipi, nec mysteria ipsa, ac sacramenta à Christianis, sanctè & religiosè vsurpari vnquam posse, nisi charitatis vinculo, inter sese constringantur. Quid porrò in eam sententiam, magis eximium, quam quod vt Ecclesia perfectius instrueretur ab ipso Spiritu sancto, tanquam legis gratiæ doctore atque institutore, à quo scilicet altius in animis exprimeretur ipsa lex, prius Ecclesiam omnem, aut certè magnam partem, vno in loco congregari oportuit, prius fideles, ad excipiendam sancti Spiritus lucem, solito vberiorem, & signo visibili radiantem, fideles inquam omnes ad diuinum illud donum capessendum destinatos, fuit necesse, vnum esse spiritu, iunctisque animis, vnum studere, vnum ardere, atque ambire omnes, vnum votis omnibus ac studiis efflagitare: *Cum complerentur dies Pentecostes erant omnes pariter in eodem loco* non in eodem modo loco cœnaculi, sed etiam quod obseruari par est, *pariter in eodem loco*, ὁμοθυμαδὸν, Græcè, id est vnanimiter, idem sapientes, idem sentientes, idem expectantes, vnanimis enim concordia, consensio, & oratio, elicuit ad se Spiritum sanctum, qui est amor increatus, Patris ac Filii verus, ac vinculum, ideoque amator concordiæ.

Magna concordia & munditia ad verum Agnũ Paschalem & suscipiendum & immolandum.

Vt fideles à Spiritu sancto instruerentur per visibilem eius missionem prius necesse fuit illos vno in loco congregari, & omnes vnũ esse in spiritu.

XIII. Iam verò quam populum Christianum vnum esse deceat, ac verò oporteat, id est, corde vno, & anima vna, vt rite disponatur ad verum Agnum immolandum, edendumque, qui typicè olim, per Agnum Paschalem antiquæ legis adumbratus est, Sacramenti ipsius iam in Ecclesia omnium augustissimi, & sanctissimi propria illa vox, & appellatio, satis indicat, quà communio dicitur, seu Sacramentum communionis, vnionis scilicet, siue mauis, vnitatis tessera, inter fideles, & pacis Sacramentum; hinc illud tam seuerè cautum, à Christo, vt si quis à proximo sciunctus sit odio, aut praua animi affectione, minusque cum eo vnus sit, quam oporteat, ad altare ne accedat, sacrificaturus, néve ei munus suum offerre præsumat, sic enim ille Matthæi 5. vers. 24. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet*
B *aliquid aduersum te, relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*, quod quidem non tam consilium quàm præceptum est, quicquid contra sentiat Abulensis, Charitas enim, æquitas, Religio, ac demum, Deus ipse exigit, vt offendens, eum offenso, se statim reconciliet, etiam ante sacrificium, intellige quantum fieri potest, si videlicet locus, tempus & prudentiæ ratio id permittat, alioquin non pedibus eundum, sed affectu, scilicet in corde remittendo, & affectu, id est, pro iniuria, proximo satisfaciendo,
C si commodum est, aut saltem firmum læso satisfaciendi propositum, suscipiendo; primò, quia reconciliatio est præcepti, sacrificium verò consilii, deinde quia sacrificium altaris, pacis est symbolum, & publica veluti vnionis & concordiæ contestatio, quare insulsè omnino, offeres Deo symbolum pacis, nisi prius, cum proximo, qui à te offensus sit, in amicitiam redieris, téque ipsi reconciliaueris, & pacem ab eo acceperis, & sanè præterquam quod tamdiu minus nobis benè est cum Deo, quamdiu à proximo diffidemus, ma-
D netque tantum nobis offensus, quantùm ipsi in proximi offensa perseueramus, quis nescit eum plus multo diligere vnionem, & concordiam fidelium, quasi Ecclesiæ suæ ciuium, immo fratrum, quàm munera quantumuis pretiosa, magisque per eam, diuinam ipsius maiestatem honorari? Audi Tertullianum, id fortiter & acutè perstringentem, immo intonantem, vt vnicuique liquidum sit, quemadmodum non placeat modo, verùm etiam summo Deo displiceat,

De reconciliatione facienda cum proximo offenso ante sacrificium non tam consilium quam præceptum est. Matth. 5.

discordium, & dissidentium Christianorum sacrificium. *Memoria præceptorum viam sternet orationibus ad cælum, quorum præcipuum est ne prius ascendamus ad Dei altare, quam si quid discordiæ, vel offensæ, cum fratribus contraxerimus, resoluamus. Quid enim est*, inquit, *ad pacem accedere sine pace? ad remissionem debitorum sine retentione? quomodo placabis patrem, iratus in fratrem? Nam & Ioseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem, & ne*, inquit, *irascamini in via*, Genes. 46. versu vigesimo quarto, *quasi diceret, si Ioseph patrem ad se euocaturus prius fratrum animos inter se conciliauit, veritas, scilicet ne Iacob prudens pater, inter discordes fratres venire recusaret, quo pacto Christus Dominus, flecti se ac placari à discordibus fratribus patietur?* Sic Tertullianus, expendens locum Matthæi suprà citatum *si offers munus tuum ad a...* lib de Oratio. capite decimo. Est ergo hoc præceptum, quod nuper etiam fusè ac disertè monstrauit noster Cornelius a Lapide, in Euangelium Matthæi, legis & iuris naturæ, vel potius supernaturale & connaturale gratiæ; Hic enim est ordo virtutum, inquit, vt reconciliatio, pax, & vnio, præcedat religionem, actumque sacrificii, ad eumque sit dispositio, quo fit, vt hoc præcepto, tenerentur etiam Iudæi in lege veteri, à Christo tamen in Euangelio, arctius firmatum & sancitum est, tùm quia per Incarnationem Verbi, ipse nos sibi, & ad inuicem arctissime vniuit, maior autem per Christum vnio, maiorem poscit charitatem, & vnionem fidelium; vnde Christus ipse nouam veluti sanctionem constituens, Ioan. 13. vers. 24. *Nouum*, inquit, *mandatum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*, tùm quia sacrificium nostrum Eucharistiæ, iam sanctius est, vtpotè synaxis, & communio corporis, quod idem numero, omnes participamus, & quo ipsi Christo, & nobis mutuo, summè vnimur; hinc dicitur communio, id est, communis omnium vnio, sic igitur in re præsenti ratiocinandum est, cum Eucharistia sit mutuæ vnionis, & pacis, cum omnibus sui generis solemnis & publica professio, profectò necesse est, vt omnis cesset discordia, & offen-

Hoc præceptũ quasi connaturale est gratiæ.

Etsi ea lege tenerentur etiam Iudæi in veteri Testamento tamen arctius firmata est, & sancita à Christo in Euangelio.

XIV.

A dentes, eis quos offenderunt se reconcilient, ante hanc sacram synaxim, & communionem, ne scilicet mendaces inueniantur, & eorum falsa ementitaque sit vnionis tessera ac symbolum pacis: Mentitur, si quidem, reipsa, qui Sacramentum vnionis, suscipiens, non vnionem, cum proximo; sed simultates & inimicitias, infixas gerit in animo, vnde quicquid demum Deo offerat, gratum illi, atque acceptum esse non potest, in quam sententiam præclarè Augustinus sermone 16. cùm ait, *Te* B *quærit Dominus magis, quam munus tuum, & tu non es munus Dei, plus quærit Christus quem redemit sanguine suo, quam quod tu inuenisti in horreo tuo*; licet autem præceptum hoc de relinquendo munere ad altare, & priusquam offeras, proximo adeundo; quo cum reconcilieris, si à te offensus sit, intelligant nonnulli, è sanctis Patribus, vt Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus, tam de offenso quàm de offendente, siue iure, siue iniuria, quasi velit Christus, vt non tantum qui læsit, sed quæ læsus est adeat eum, à quo læsus C sit, & iniuriam acceperit, eique se reconciliet ante sacrificium, certum tamen est, in tali circunstantia, non esse præceptum, sed consilium duntaxat; quod recentiores scripturæ interpretes, obseruarunt, & passim Theologi omnes consentiunt: Certè sanctus Ioannes Eleemosynatius, Patriarcha Alexandrinus, vt Christi consilium, ad litteram obseruaret, cum iam missam celebrans, recordatus esset clerici cuiusdam, qui odium contra se conceperat, licet ab eo offensus, prior tamen ab eo veniam petiit, & illi D reconciliatus, cum eodem hilaris & gaudens, ad altare rediit, sacrificiumque perfecit, dicens cum fiducia Deo, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: Ita narrat Leontius, in eius vita, capite decimo tertio & decimo quarto, vbi subdit, idem Leontius, *Deserit quidam sanctorum Patrum, dixerunt, Angelorum quidem est nullatenus litigare, sed in omnimoda & perpetua pace consistere, hominum vero est altercari quidem, sed statim reconciliari, dæmonum autem est, totum diem litigare, & totum dicm.*

Mentitur qui sacram adit synaxim nec ante cum inimico reconciliatur, aut cum eo quem offenderis.

Quod dicit Christus de relinquendo munere ante altare & adeundo proximo qui cum reconciliatus si ad offensum referatur consilij tantum est non præcepti.

transire irreconciliatos. Cuin, & addit quoque, idem author, cap. 16. ab eodem, de quo supra, sancto Ioanne, Missam celebrante, Damianum Diaconum, cum vellet communicare, repulsum fuisse, hac voce; *Vade prius reconciliari fratri tuo;* qui spopondit hoc facere, & tunc de sacris mysteriis dedit ei. Eo referri à plerisque video, pridem illud in more positum, institutoque veteris Ecclesiæ, vt ante sacram communionem, & participationem Eucharistiæ, Christiani darent sibi mutuo osculum sanctum, quasi pacis signum, vt reconciliationis, siue vnionis, castissimum Symbolum, cuius loco iam ex communi vsu, & consuetudine vulgata vbique ac recepta tabella quam vocant pacis, populo traditur osculanda; item, quod in antiqua etiam Ecclesia, obseruari solitum legimus, in constitutionibus Apostolicis Clementis Papæ, nimirum, vt cum publici conuentus fiebant in Ecclesiam, Diaconus diceret accedentibus, contenta voce. *Ne quis contra quenquam, ne quis in hypocrisi* omnibus

XV.

Osculum sanctum olim in vsu Ecclesiæ inter fideles ante Communionem signum erat pacis & vnionis inter illos.

A pacem mutuam seruandam esse insinuans; quidni etiam & eodem spectasse censendi sint, sancti Patres, in Concil. 4. Carthaginensi, congregati, cum statuerunt Canone 93. *vt oblationes dissidentium fratrum, neque in sacrario, neque in Gazophylacio recipiantur,* memores scilicet illius præcepti Christi Domini, *si offers munus tuum ad Altare & recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, vade prius reconciliari fratri tuo & tunc offeres munus tuum? Qua in re pensandum est* ait S. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 60. *cum omnis culpa,*
B *munere soluatur, quam grauis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur, debemus itaque, ad proximum, quamuis longe positum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum, ac beneuolentia placare, vt scilicet conditor noster; dum tale placitum mentis nostræ aspexerit à peccato nos soluat, qui munus pro culpa sumit.* Et hæc dicta sint ex occasione Iudæorum, qui purificati sunt quasi vnus, mundi omnes, ad immolandum Pascha.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ANDEM sub nouo Artaxerxis Longimani Imperio Esdras Sacerdos, impetrata primum à Rege dimissione, anno regni illius septimo, ascendit è Babylone in Hierusalem, cum magno è Gentilibus suis comitatu, eo præsertim consilio; vt si minus vrbem dirutam, certè collapsam sacrorum disciplinam restituat, qua longo exilio, & familiari cum Babyloniis consuetudine magna ex parte exoleuerat quin & eidem, Rex, animo lubenti atque hilari, quidquid, ad rem sacram, inter suos religiosè constituendam, quidquid ad Templi ornatum, sacrificiorumque honestum, & frequentem vsum, opus esset, à Regio fisco, prolixè ac liberaliter exhiberi iubet, idque authoritate publica, & Regia sanctione confirmat, ac quemadmodum hoc illo Edicto, ne quid Sacerdotibus ad sacrificale ministerium desit, impensè curat, sic etiam, ne quod illis vectigal, aut quoduis aliud onus, aut tributum, à Regiis fisci Præfectis, imponatur, studiosè interdicit, nec modo Leuiticum, ac Sacerdotalem ordinem, ab omni vectigali, atque onere vendicat, sed etiam multis ornatum priuilegiis, à iudiciaria Chaldæorum eximit potestate, ne quid, ab ignaris Iudaicæ Religionis, aut etiam à maleuolis, aut inuidis, indignum aliquid & iniquum patiantur, quod vnius Dei, in gentem suam, propensioris, beneficium cum recognoscit Esdras, totum se in eius laudationem effundit, ac demum ad ineundam profectionem semetipse quoque cum sociis accingit.

CAPVT SEPTIMVM Esdræ.

1. POST hæc autem verba in regno Artaxerxis Regis Persarum; Esdras filius Saraiæ, filij Azariæ, filij Helciæ.

2. Filij Sellum, filij Sadoc, filij Achitob.

3. Filii Amariæ, filii Azariæ, filii Maraioth.

4. Filii Zarahiæ, filii Ozi, fili Bocci.

5. Filii Abisue, filii Phinees, filii Eleazar, filii Aaron Sacerdotis ab initio.

6. Ipse Esdras ascendit de Babylone, & ipse scriba velox in lege

Moysi, quam Dominus Deus dedit Israël, & dedit ei Rex secundum manum Domini Dei eius super eum, omnem petitionem eius.

7. Et ascenderunt de filiis Israël, & de filiis Sacerdotum, & de filiis Leuitarum, & de Cantoribus & de Ianitoribus & de Nathinæis in Hierusalem anno septimo Artaxerxis Regis.

8. Et venerunt in Hierusalem mense quinto, ipse est annus septimus Regis.

9. Quia in primo die mensis primi, cœpit ascendere de Babylone, & in primo die mensis quinti venit in Hierusalem iuxta manum Dei sui bonam super se.

10. Esdras enim parauit cor suum, vt inuestigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Israel præceptum & iudicium.

11. Hoc est autem exemplar Epistolæ Edicti, quod dedit Artaxerxes Esdræ sacerdoti, scribæ erudito in sermonibus & præceptis Domini, & cæremoniis eius in Israel.

12. Artaxerxes Rex Regum Esdræ Sacerdoti, Scribæ Legis Dei Cœli doctissimo salutem.

13. A me decretum est vt cuicumque placuerit in regno meo de populo Israel, & de Sacerdotibus eius, & de Leuitis, ire in Hierusalem tecum vadat.

14. A facie enim Regis & septem Consiliatorum eius missus es, vt visites Iudæam & Hierusalem, in Lege Dei tui, quæ est in manu tua.

15. Et vt feras argentum & aurum, quod Rex & Consiliatores eius, sponte obtulerunt Deo Israel, cuius in Hierusalem Tabernaculum est.

16. Et omne argentum & aurum quodcumque inueneris in vniuersa Prouincia Babylonis, & populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus quæ sponte obtulerint domui Dei sui, quæ est in Hierusalem.

17. Liberè accipe & studiosè eme de hac pecunia, vitulos, arietes, agnos, & sacrificia & libamina eorum, & offer ea super Altare Templi Dei vestri, quod est in Hierusalem.

18. Sed & si quid tibi & fratribus placuerit, de reliquo argento & auro vt faciatis, iuxta voluntatem Dei vestri facite.

19. Vasa quoque quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Hierusalem.

20. Sed & cætera, quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse est vt expendas, dabitur de thesauro, & de fisco Regis.

21. Et à me. Ego Artaxerxes Rex statui atque decreui omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen vt quodcunque petierit à vobis Esdras Sacerdos Scriba Legis Dei Cœli absque mora detis.

22. Vsque ad argenti talenta centum, & vsque ad frumenti coros centum, & vsque ad batos olei centum, sal vero absque mensura.

23. Omne quod ad ritum Dei Cœli pertinet tribuatur diligenter in domo Dei Cœli: ne fortè irascatur contra Regnum Regis, & filiorum eius.

24. Vobis quoque notum facimus, de vniuersis Sacerdotibus & Leuitis, & Cantoribus & Ianitoribus, Nathinæis, & Ministris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, annonas non habea-

tis potestatem imponendi super eos.

25 Tu autem Esdra secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue Iudices & Præsides, vt iudicent omni populo qui est trans flumen, hi videlicet qui nouerunt Legem Dei tui, sed & imperitos docete liberè.

26. Et omnis qui non fecerit Legem Dei tui, & Legem Regis diligẽter, iudicium erit de eo siue in mortem, siue in exilium, siue in condemnationem substantiæ eius, vel certè in carcerem.

27. Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum qui dedit hoc in corde Regis, vt glorificaret domum Domini, quæ est in Hierusalem.

28. Et in me inclinauit misericordiam suam coram Rege, & Consiliatoribus eius, & vniuersis Principibus Regis potentibus: & ego confortatus manu Domini Dei mei quæ erat in me, congregaui de Israel Principes qui ascenderent mecum.

EXPOSITIO LITERALIS.

v.1. *OST hæc autem verba in regno Artaxerxis Regis Persarum &c.*

I. In hac, quæ de Esdra Sacerdote, primum è Babylone in Iudæam redeunte, texitur Historia, hoc capite, cum mentio fiat Artaxerxis Regis Persarum cuius concessione, in patrium solum remigrauit, atque ex Hebræorũ, aliorumq. sensu, omnes Reges Persarum, vocarentur Artaxerxes, dubiũ esse potest, quis ex omnibus his fuerit Artaxerxes & quo peculiari nomine insignitus. Cõmunissima tamen sententia antiquorum & recentiorum est, Artaxerxem, esse Longimanum, à quo Esdras missus sit Hierosolymam, nam Eusebius in anno sexto Artaxerxis, huius; *Esdras*, inquit, *sacerdos, apud Hebræos, insignis cognoscitur, cuius ætate, Pontifex maximus habitus est Eliezer, filius Ioachim, filij Iesu, filij Iosedech. fuit autem Esdras eruditissimus, Legis diuinæ & clarus omnium Iudæorum magister, qui de captiuitate regre si fuerant in Iudæam.* Ita Eusebius, idem sentit. Iulius Africanus, apud S. Hieronym. in cap. 9 Danielis, & Theodoretus in Ezechielem sectione secunda, & in Danielem oratione nona, è recentioribus Tornielus anno sextæ ætatis 149. Gordonus, Samerius, in suis Chronologiis, Pererius, in Danielem, non vno in loco, lib. 13. in indice Regum Persarum, & lib 11. quæst. A 4. quam sententiam, ait plurimis grauissimisque viris placuisse. Scio quidem quem hoc loco Esdras, Artaxerxem: & Regem Persarum vocat, & in suo lib. Nehemias, quem Xerxis filium, & successorem, tanti omnes & ad aliorum Regum differentiam, Græci, Μακρόχειρ, Latinæ Longimanum dixere, à Iosepho lib. 11. Antiq. cap. 5 dici, existimarique, Xerxem ipsum, Darij Histaspis successorem, sed non animaduertit, vt de diuersis, vtriusque moribus, & beneuolentia, in Iudæos, nihil dicam, Xerxem duos & viginti annos ad summum regnasse, cum trigesimum secundum Artaxerxis, apud Nehemiam legamus 2. Esd 5. vers. 14.

Persarum Rex sub quo rediit Esdras è Babylone in Hierusalem fuit Artaxerxes Longimanus ex communi fere omnium sententia.

Erat Iosephus qui pro Artaxerxe Xerxem Darij Histaspis filium suppone, vt qui eum Darium ipsum fuisse existimant.

B Qui Darium Histaspidem fuisse putant, aut eum cum Artaxerxe Longimano confundunt, vt Vatablus hic, & cum secutus Emmanuel Sa, non leuius errant, vt videre est, apud Salianum, ad annum mundi 3595. num. 2. est igitur is Artaxerxes, sub quo Esdras remigrauit, dictus cognomento Longimanus, Darij nepos, à quo postea facultatem etiam in patriam redeundi Nehemias obtinuit. Hic enim in Iudæorum Gentem, non male affectus fuit. & qua facilitate Esdræ concessit vt patriam reuiseret, eamque antiquis & religiosis moribus informaret, eadem lib. 2. cap. 2. facultatem dedit Nehemiæ, vt collapsam ciuitatem restitueret, quod sane, multo est magis verisimile, si quod plerique existimant, Assuerus hic fuit, in sacra III.

Scriptura nominatissimus, huicque nupsit Esther, quo tempore, florere apud Babylonios, & Persas, cœpit res Iudaica.

III. *Esdras filius Saraiæ filij Azariæ, &c.* Genus hic studiosè recenset Esdras, & à vers. 1. ad 5. Maiorum suorum seriem pertexit, vsque ad Aaronem, primum Pontificem, enumeratis sedecim progenitoribus suis, quibus addendi sunt, sex, qui enumerantur 1. Paral. cap. 6. vers. 4. nimirum Amarias, Achitob, Sadoch, Achimaas, Azarias, Ioannam; notandum etiam est ex quorundam sententia alios immediatos inter Esdram & Saraiam, qui fuit pater Iosedech, fuisse prætermissos cum autem dicitur, hoc loco, Esdras filius esse Saraiæ (& vbique passim) satis ostenditur ante transmigrationem Babylonis, sub Sedecia natus. quando quidem, in illius transmigrationis initio, Saraias, eius pater, interfectus est, vt constat ex lib. 4. Reg cap. 25. vnde hoc tempore Esdram ætate valde fuisse progressum oportuit, de qua re fusiùs alibi diximus.

Proditur ex hoc loco Esdras natus ante transmigrationem Babylonis cum pater eius Saraias interfectus sit in ipsomet transmigrationis initio.

IV. Vers. 6. *Ipse Esdras ascendit de Babylone, &c.* Sanè ex hoc loco quidquid nonnulli secus sentiant, non leue ducitur argumentum, Esdram prima profectione de qua cap. 2. cum Zorobabele & Iesu filio Iosedech in Hierusalem non venisse, cum de illo hactenus nihil auditum sit, nec facilè intelligi possit, quemadmodum, si venerit, nomen tanti viri, tantæque apud suos authoritatis, tam alto premi silentio potuerit, nimirum, opportuniori tempori, ad res Iudæorum Babylone apud Regem, melius, & commodius procurandas, seruabatur, vt infra videbimus, erant enim, vt apparet, hoc tempore Esdras & Artaxerxes, in Babylone, vnde, Esdram ascendisse dicitur, licet quidam existiment, inter Medos, non paucos dies exulasse,

Non videtur Esdras in prima profectione venisse cũ Zorobabel & Iesu à Babylone in Hierusalem.

V. quod autem subiungitur de Esdra, *Et ipse scriba velox in lege Moysi &c.* id est, Doctor, & enarrator legisperitissimus, & exercitatissimus, quod scribarum siue legisperitorum sopharim Hebraicè erat officium, in populo Iudaico. vnde qui Matthæi 22 & Luc. 10. legisperitus Marc. 12. scriba vocatur, quanquam sunt, qui istud eò referunt, quod Esdras, legem Moysi, & reliquos veteris scripturæ libros, à Chaldæis concrematos restituerit, & nouis scilicet characteribus, Hebraicis

Scriba velox Esdras siue Doctor ac enarrator legisperitissimus, quod scribarum seu legisperitorum fuit officium apud Iudæos.

A inuentis, quibus modo vtimur, &c. sic Lyranus, post Bedam, cuius hæc verba sunt in Glossa, quæ visum est huc, opportunum referre, quia variam eruditionem, & rerum multarum cognitionem non iniucundam subministrant, *Scriba velox in lege Moysi appellatur Esdras*, quia scilicet Esdras, legem Moysi, quæ consumpta erat reperit, & etiam, vt communis maiorum fama est, omnem scripturæ sacræ seriem, quam ignis absumpserat, prout videbatur legentibus sufficere, scripsit; nonnulla, vt referunt, quæ opportuna putabat adiecit, de quibus est illud B Deuteronomij 34. *Non surrexit Propheta in Israel sicut Moyses &c.* quæ verba dicere non potuit, nisi qui diu post Moysem vixit, & in libro Samuelis: *Olim in Israel sic loquebatur vnusquisque, vadens consulere Deum, venite & eamus ad videntem qui enim hodie Propheta dicitur, olim vocabatur videns*, nonnulla autem integra volumina, quæ quondam in populo Israel habebantur, intacta reliquit, ideo, eorum nihil aliud quam nominis memoria habetur, vt est illud, in libro Numerorum cap. 21. *Vnde dicitur in libro bellorum Domini*; Et in Iosue, *Nonne* C *hoc scriptum est in libro Iustorum*: In Regum quoque, & Paralipomenon voluminibus, memorantur libri historici, Prophetarum Ahiæ, Silonitis, & Saraiæ, Addo & Nathan, Esdræ quoque, & Iesu filij Anani, & qui librum Regum Israel scripsisse dicuntur & multa alia, quorum hodie nulla reperiuntur vestigia; ferunt quoque pro certo Hebræi, Esdram, nouas literas excogitasse, & adinuenisse easque leuiores sub nominibus earum, quas ante habuerant, quibus velocissimè tantam librorum copiam, quæ consumpta D erat, reficeret ideoque non solum scribam, sed etiam velocem nominari.

A plerisque Esdras scriba velox dictus censetur quod omnem sacrã Scripturã quã ignis Chaldæorum absumpserat rescripserit & restaurarit.

VI. Priores autem literas, remansisse apud Samaritas, quibus illos quinque libros Moysi, quos solos illi scripturam sacram nominant, scribere solebant. Quæ etsi vera sunt, vt & alia quæ iam alibi enarrauimus, tamen ad sensum literæ, propius, & facilius, dicitur Esdras scriba quidem, quia doctus & diuinæ legis peritus, velox autem, quod acutum & acre haberet ingenium, & ex illo acri ingenio, & ex assiduo legum, & ceremoniarum studio, id esset consecutus, vt ad interrogata posset subito respondere, neque vnquam

Esdras dicitur scriba velox maxime quod acuto & acri esset ingenio, & ex eo ingenio & assiduo legum studio ad quæsita facile ac subito posset respondere.

hæreret diu, in meditanda responsione, vnde merito, *Mahir*, dicitur, id est festiuus & properans, quia quid cuique respondendum foret, illico occurrebat, hinc etiam idem ipse qui hic *scriba velox appellatur*, lib.3.cap.8. Vbi hæc eadem, & iisdem propè verbis, narratur Historia, *scriba vocatur ingeniosus*, & vt ex recentioribus aliqui, hoc loco, vbi vulgatus interpres, velox posuit, reddunt, *Promptus in lege Moysi*. & statim vers.11. vocatur, scriba eruditus in sermonibus, & præceptis Domini, & ceremoniis eius in Israel.

VII. *Et dedit ei Rex, secundum manum Domini Dei eius super eum, omnem petitionem eius, &c.* Dicitur Rex Artaxerxes dedisse Esdræ omnem petitionem eius, *Secundum manum Domini Dei eius super eum*; id est, iuxta diuinam inspirationem ei factam, siue iuxta illa, quæ Deus, ipsius menti, propitius, inspirarat. manus enim Domini tunc super aliquem fieri dicitur, quando Deus illi aliquid inspirat, aut reuelat, quod solemne est in Prophetis super quos passim dicitur facta manus Dei, quæ aut mentem illustrat nouarum rerum cognitione, aut ad opus aliquod voluntatem impellit. Etsi igitur, quid Esdras petierit ab Artaxerxe non habemus in literis clare expressum, id tamen scimus illum apud Regem, ea valuisse gratia, & authoritate, vt nunquam earum rerum, quarum desiderio teneretur, quasque ab ipso precibus efflagitaret, repulsam pateretur: certè vt ex consequentibus satis constat, fuit ei propositum, Hierosolymam, cum sociis, præsertim Leuitis, & cultui templi destinatis proficisci, & ibi docere populum, Dei legem, & restaurare quæ, vel in moribus, vel in Dei cultu deprauata erant, vt vers.10. indicatur, sed & penuriam Sacerdotum & Leuitarum, ex Regis liberalitate subleuare, vt Regiæ literæ quæ mox subduntur apertè significant; Quæri hic potest, quî factum sit quidue contigerit, vt Rex tam propensum erga Esdram sese exhibuerit. Iosephus lib 11. antiqu. cap. 5. significat, eum legum suarum peritia, & sanctitatis opinione, in magna apud suos gloria fuisse, sicque in Regis amicitiam peruenisse, idque satis consentaneum est textui 7). Torniell in anno 149. sextæ ætatis satis probabiliter putat Esdram animo prophetico ei prædixisse, prosperum rerum suarum successum,

Manus Domini tunc fieri dicitur super aliquẽ cum aliquid illi inspirat aut reuelat.

Cur Rex eam propensus fuerit erga Esdram.

A si verum Deum cæli coleret, & ab eo imploraret opem exemplo Cyri & Darii Hist[oriis] ip[s]ius aui sui: cum ergo is proximo anno rem in Ægypto contra Græcos & Ægyptios, prosperè gessisset, Prophetam veridicum, & Deum eius honorare cœpit, & facilem se eius postulatis præbere & regia munera in Dei cultum Hierosolymam destinare.

Vers. 7. *Et ascenderunt de filiis Israel, &c.* Prolepsis est, siue anticipatio rerum, postea narrandarum, vt notat Glossa interlinearis nam in sequentibus, quomodo venerint, & exercitum congregauerint plenius scribitur, sed B nec obseruatio Bedæ in hunc locum contemnenda scilicet cap. 1 huius libri scriptum esse ex concessione Cyri, ascendisse de Babylone, Zorobabel & Iosue, & de filiis Iuda & Beniamin cum Sacerdotibus & Leuitis, omnes, quorum suscitauit Deus spiritum, ibique addit, fuisse illos de captiuitate quam transtulit Nabuchodonosor in Babylonem. Hic autem sub Esdra duce, nullam Iudæ & Beniamin, vel Nabuchodonosor, sed tantum filiorum Israël & Sacerdotum, & Leuitarum, qui cum illo ascenderunt fieri mentionem, vnde videri illos quidem primo C capite recensitos, de Iuda & Beniamin fuisse, quos Nabuchodonosor capti uos fecerat; Hos autem, de decem tribubus fuisse, qui specialiter post diuisionem, Israël vocabantur, siue filii Israël, vt est in textu, quos Assyriorum Reges, longè ante captiuauerant, & vltra montes Medorum habitare coëgerant: tunc ergo, hoc est sub Cyro, duas tribus, maxima ex parte rediisse vult, & templum graui labore restaurasse, decem autem tribus, quæ minorem religionis curam habebant, quia destructo Chaldæorum imperio, libere sub Regibus Persarum viuebant, cum templum tandem ædificatum, D post multos annos, & compressam Samaritanorum inuidiam, audiitione cõperissent, aliquos ex iis rediisse, plures tamen ibidem resedisse, quorum progenies, vsque hodie, in eisdem partibus detinetur, & seruire Persarum genti perhibetur, hæc ferè Beda, quanquã de hac illius obseruatione, vt dicam ingenuè quid sentiam, cum sæpius postea, etiam hoc eodem capite, inferius, in decreto Artaxerxis, & adhuc euidentius cap. 9 in separatione populi ab alienigenis, nomen filiorum Israël pro tota Iudæorũ gente, id est, pro cunctis tribubus,

VIII.

Videtur nonnullis Esdram reduxisse in Hierusalem hac secunda profectione eos præsertim Iudæos qui erant de decem tribubus, sed non satis solido fundamento.

tribubus, mixtim confusis sumatur, videtur sanè solidæ fidei esse admodum nihil, cui certo asseueretur, adductos ab Esdra de Babylone, sub Artaxerxe, ex decem tribubus ita fuisse, vt nulli, aut non æquè multi, de tribu Iuda, aut Beniamin, fuerint, cum præsertim etiã post reædificatam & in integrum restitutam ciuitatem Hierusalem, non pauci de illis duabus tribubus, à Nabuchodonosore in captiuitatem abductis, volentes, libenterque, in Babylonia remanserint. Quidquid sit, cum id vnum præcipuè Esdras moliretur, vt rem sacram constitueret, & morum sanctitatem in populum aut induceret, aut promoueret, ex tota Israelitarum gente, eos præsertim socios asciuit, quorum opera potissimum, in sacrorum ministerio versabatur; hinc speciatim in textu nominantur, Sacerdotum & Leuitarum filii, Cantores, Ianitores, Nathinei qui templo suo quique in ordine assiduam operam dare consueuerant.

IX.

Quatuor menses positi in hac secunda profectione Hierosolymitana.

Vers. 8. *Et venerunt in Hierusalem mense quinto, &c.* Is mensis vocatur apud Iudæos, Ab, qui Iulio respondet, sic in tota hac profectione Hierosolymitana, quatuor admodũ menses consumpti sunt. Neque vero cum ingens esset hominũ multitudo, & necessarius foret magnus rerũ apparatus, cõmodè potuit reditus is breuioribus itineribus absolui, dicuntur enim egressi Iudæi die primo mẽsis, id est, Nisan, qui Martio nostro respondet, & in primo die mensis quinti, qui Iulius noster est, peruenisse in Hierusalem, sine vlla quantũ apparet offensione, quia Dei manus illi auxiliaris & propitia fuit, vt sequens versus 9. indicat, *Quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, & in primo die mensis quinti, venit in Hierusalem, iuxta manum Dei sui bonam super se*, per manum igitur Dei bonam super Esdram, continuatam propitii numinis gratiam, & diuinam protectionem intellige, qua prosperè cœpta perficeret; cadit porrò is Iudæorum reditus, in annum septimum Regis Artaxerxis, qui fuit idem sextæ ætatis, atque adeo imperij Persici 80 & mundi conditi 3596. & ante Christum 4 7. iuxta Saliani Chronologiam.

In quotum annum & Persici imperij & mundi cõditi ceciderit hec Esdræ profectio.

X.

Vers. 10. *Esdras enim parauit cor suum vt inuestigaret legem Domini, & faceret & doceret in Israel præceptum & Iudiciũ, &c.* Magna virtus hominis, parare cor suum, ad obsequium diuinæ voluntatis, & dicere posse, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, vt bellè ad mores annotauit, hic Glossa, &c. & sanè, ex hoc textu, vbi status animi, ingeniumque Esdræ repræsentatur, duo sapienter colligit Sanctius, primum est, quid spectaret, aut solum, aut præcipuè Esdras, cum de reditu in patriam cogitauit, nempe vt doceret populum, passimque omnibus indicaret, quid ab illis lex & religiosa consuetudo requireret; alterum, cur Esdræ omnia à Deo, & à Rege, secunda prouenerint, quia videlicet id vnum agebat, moliebaturque, vt Dei causam, quam fieri posset, maximè promoueret, & populum edoceret, quomodo seruaret legem, & ad illius imperium solum se accommodaret, atque astringeret, nimirum qui nõ tam sua quærunt quàm quæ Domini sunt, paratam sibi habent, & promptam diuinam manum atque opitulationem.

Ideo Esdræ, omnia à Deo, & à Rege secunda prouenerunt quia Dei causam promouere satagebat.

XI.

Vers. 11. *Hoc est autem exemplar quod dedit Artaxerxes, &c.* Sequitur edictum, pro causa Iudæorum, in quo, verbis sanè magnificis commendatur Esdræ sapientia, vtpote qui ab Artaxerxe, *Eruditus in sermonibus, & præceptis Domini nuncupatur*, ex quo tanti sacerdotis præconio, satis intelligitur, cur suprà dicatur *scriba velox*, neque enim id significat, eum amanuensem tantũ fuisse, seu notarium, siue scribam, in illa etiam magna Synagoga, seu magno olim Iudæorum coacto Concilio, vt est apud Genebrardum, pro emendandis libris sacris eorumque constituendo canone, iuxta præscriptum Cabalæ, sed ad reliquam sapientiam & eruditionem, etiam expeditam scribendi docendique promptitudinẽ adiecisse.

XII.

Cur Rex Regum vocetur Artaxerxes.

Vers. 12. *Artaxerxes Rex Regum, &c.* Quia scilicet plures Reges habebat sub se dicitur Rex Regũ & in hoc apparet, Esdram in Hierusalẽ delegantis authoritas, vel certe Rex Regum quasi inter Reges maximus, nam vt ferunt Historici apud Persas, qui dominabatur, vulgò Rex magnus, μέγας βασιλεὺς, vocabatur, jam quod ab Artaxerxe dicitur, Esdras hoc eodẽ versu, scriba doctissimus, vt proximè superiori versu 11. eruditus, id à nonnullis eo refertur, denuo, quod ad Regem fama peruenerit, diuinæ virtutis, qua ille, incensam à Chaldæis legem, eisdem quibus prius, propriis sermonibus, quamuis alio litterarum charactere renouauerat, sed quia id iam sæpius à nobis annotatũ est,

hæreret diu, in meditanda responsione, vnde merito, *Mahir*, dicitur, id est festiuus & properans, quia quid cuique respondendum foret, illico occurrebat, hinc etiam idem ipse qui hic *scriba velox appellatur*, lib.3.cap.8. Vbi hæc eadem, & iisdem propè verbis, narratur Historia, *scriba vocatur ingeniosus*, & vt ex recentioribus aliqui, hoc loco, vbi vulgatus interpres, velox posuit, reddunt, *Promptus in lege Moysi*, & statim vers.11. vocatur, scriba eruditus in sermonibus, & præceptis Domini, & ceremoniis eius in Israel.

VII.

Et dedit ei Rex, secundum manum Domini Dei eius super eum, omnem petitionem eius, &c. Dicitur Rex Artaxerxes dedisse Esdræ omnem petitionem eius, *Secundùm manum Domini Dei eius super eum*; id est, iuxta diuinam inspirationem ei factam, siue iuxta illa, quæ Deus, ipsius menti, propitius, inspirarat. manus enim Domini tunc super aliquem fieri dicitur, quando Deus illi aliquid inspirat, aut reuelat, quod solemne est in Prophetis super quos passim dicitur facta manus Dei, quæ aut mentem illustrat nouarum rerum cognitione, aut ad opus aliquod voluntatem impellit. Etsi igitur, quid Esdras petierit ab Artaxerxe non habemus in literis clare expressum, id tamen scimus illum apud Regem, ea valuisse gratia, & authoritate, vt nunquam earum rerum, quarum desiderio teneretur, quasque ab ipso precibus efflagitaret, repulsam pateretur: certè vt ex consequentibus satis constat, fuit ei propositum, Hierosolymam, cum sociis, præsertim Leuitis, & cultui templi destinatis proficisci, & ibi docere populum, Dei legem, & restaurare quæ, vel in moribus, vel in Dei cultu deprauata erant, vt vers.10. indicatur, sed & penuriam Sacerdotum & Leuitarum, ex Regis liberalitate subleuare, vt Regiæ literæ quæ mox subduntur apertè significant; Quæri hic potest, qui factum sit quidue contigerit, vt Rex tam propensum erga Esdram sese exhibuerit. Iosephus lib. 11. antiqu. cap. 5. significat, eum legum suarum peritia, & sanctitatis opinione, in magna apud suos gloria fuisse, sicque in Regis amicitiam peruenisse, idque satis consentaneum est textui 7). Torniell. in anno 149. sextæ ætatis satis probabiliter putat, Esdram animo prophetico ei prædixisse, prosperum rerum suarum successum, si verum Deum cæli coleret, & ab eo imploraret opem exemplo Cyri & Darii Hist. aspis aui sui; cum ergo is proximo anno rem in Ægypto contra Græcos & Ægyptios, prosperè gessisset, Prophetam veridicum, & Deum eius honorare cœpit, & facilem se eius postulatis præbere & regia munera in Dei cultum Hierosolymam destinare.

Manus Domini tunc fieri dicitur super aliquē cum aliquid illi inspirat aut reuelat.

Cur Rex tam propensus fuerit erga Esdram.

VIII.

Vers. 7. *Et ascenderunt de filiis Israël, &c.* Prolepsis est, siue anticipatio rerum, postea narrandarum, vt notat Glossa interlinearis nam in sequentibus, quomodo venerint, & exercitum congregauerint plenius scribitur, sed nec obseruatio Bedæ in hunc locum contemnenda, scilicet cap. 1 huius libri scriptum esse ex concessione Cyri, ascendisse de Babylone, Zorobabel & Iosue, & de filiis Iuda & Beniamin cum Sacerdotibus & Leuitis, omnes, quorum suscitauit Deus spiritum, ibique addit, fuisse illos de captiuitate quam transtulit Nabuchodonosor in Babylonem Hic autem sub Esdra duce, nullam Iudæ & Beniamin, vel Nabuchodonosor, sed tantum filiorum Israël & Sacerdotum, & Leuitarum, qui cum illo ascenderunt fieri mentionem, vnde videri illos quidem primo capite recensitos, de Iuda & Beniamin fuisse, quos Nabuchodonosor captiuos fecerat; Hos autem, de decem tribubus fuisse, qui specialiter post diuisionem, Israël vocabantur, siue filii Israël, vt est in textu, quos Assyriorum Reges, longè ante captiuauerant, & vltra montes Medorum habitare coëgerant: tunc ergo, hoc est sub Cyro, duas tribus, maxima ex parte rediisse vult, & templum graui labore restaurasse, decem autem tribus, quæ minorem religionis curam habebant, quia destructo Chaldæorum imperio, liberè sub Regibus Persarum viuebant, cum templum tandem ædificatum, post multos annos, & compressam Samaritanorum inuidiam, auditione cóperissent, aliquos ex iis rediisse, plures tamen ibidem resedisse, quorum progenies, vsque hodie, in eisdem partibus detinetur, & seruire Persarum genti perhibetur, hæc ferè Beda, quanquã de hac illius obseruatione, vt dicam ingenuè quid sentiam, cum sępius postea, etiam hoc eodem capite, inferius, in decreto Artaxerxis, & adhuc euidentius cap. 9 in separatione populi ab alienigenis, nomen filiorum Israël pro tota Iudæorũ gente, id est, pro cunctis tribubus,

Videtur nonnullis Esdram reduxisse in Hierusalem hac secunda profectione eos præsertim Iudæos qui erant de decem tribubus, sed non satis solido fundamento.

tribubus, mixtim confusis sumatur, videtur sanè solidæ fidei esse admodum nihil, cui certo asseueretur, adductos ab Esdra de Babylone, sub Artaxerxe, ex decem tribubus ita fuisse, vt nulli, aut non æquè multi, de tribu Iuda, aut Beniamin fuerint, cum præsertim etiã post reædificatam & in integrum restitutam ciuitatem Hierusalem, non pauci de illis duabus tribubus, à Nabuchodonosore in captiuitatem abductis, volentes, libenterque, in Babylonia remanserint. Quidquid sit, cum id vnum præcipuè Esdras moliretur, vt rem sacram constitueret, & morum sanctitatem in populum aut induceret, aut promoueret, ex tota Israelitarum gente, eos præsertim socios asciuit, quorum opera potissimum, in sacrorum ministerio versabatur; hinc speciatim in textu nominantur, Sacerdotum & Leuitarum filii, Cantores, Ianitores, Nathinei qui templo suo quique in ordine assiduam operam dare consueuerant.

Vers. 8. *Et venerunt in Hierusalem mense quinto, &c.* Is mensis vocatur apud Iudæos, Ab, qui Iulio respondet, sic in tota hac profectione Hierosolymitana, quatuor admodũ menses consumpti sunt. Neque vero cum ingens esset hominũ multitudo, & necessarius foret magnus rerũ apparatus, cõmodè potuit reditus is breuioribus itineribus absolui, dicuntur enim egressi Iudæi die primo mẽsis, id est, Nisan, qui Martio nostro respondet, & in primo die mensis quinti, qui Iulius noster est, peruenisse in Hierusalem, sine vlla quantũ apparet offensione, quia Dei manus illi auxiliaris & propitia fuit, vt sequens versus 9. indicat, *Quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, & in primo die mensis quinti, venit in Hierusalem, iuxta manum Dei sui bonam super se*, per manum igitur Dei bonam super Esdram, continuatam propitii numinis gratiam, & diuinam protectionem intellige, qua prosperè cœpta perficeret; cadit porrò is Iudæorum reditus, in annum septimum Regis Artaxerxis, qui fuit idem sextæ ætatis, atque adeo imperij Persici 80 & mundi conditi 3596. & ante Christum 4 7. iuxta Saliani Chronologiam.

IX. Quatuor menses positi in hac secunda profectione Hierosolymitana.

In quotum annum & Persici imperij & mundi conditi ceciderit hæc Esdræ profectio.

X. Vers. 10. *Esdras enim parauit cor suum vt inuestigaret legem Domini, & faceret & doceret in Israel præceptum & iudiciũ, &c.* Magna virtus hominis, parare cor suum, ad obsequium diuinæ voluntatis, & dicere posse, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, vt bellè ad mores annotauit, hic Glossa, &c. & sanè, ex hoc textu, vbi status animi, ingeniumque Esdræ repræsentatur, duo sapienter colligit Sanctius, primum est, quid spectaret, aut solum, aut præcipuè Esdras, cum de reditu in patriam cogitauit, nempe vt doceret populum, passimque omnibus indicaret, quid ab illis lex & religiosa consuetudo requireret; alterum, cur Esdræ omnia à Deo, & à Rege, secunda prouenerint, quia videlicet id vnum agebat, moliebaturque, vt Dei causam, quam fieri posset, maximè promoueret, & populum edoceret, quomodo seruaret legem, & ad illius imperium solum se accommodaret, atque astringeret, nimirum qui nõ tam sua quærunt quàm quæ Domini sunt, paratam sibi habent, & promptam diuinam manum atque opitulationem.

Ideo Esdræ omnia à Deo, & a Rege secunda prouenerunt quia Dei causam promouere satagebat.

Vers. 11. *Hoc est autem exemplar quod dedit Artaxerxes, &c.* Sequitur edictum, pro causa Iudæorum, in quo, verbis sane magnificis commendatur Esdræ sapientia, vtpote qui ab Artaxerxe, *Eruditus in sermonibus, & præceptis Domini nuncupatur*, ex quo tanti sacerdotis præconio, satis intelligitur, cur suprà dicatur *scriba velox*, neque enim id significat, eum amanuensem tantũ fuisse, seu notarium, siue scribam, in illa etiam magna Synagoga, seu magno olim Iudæorum coacto Concilio, vt est apud Genebrardum, pro emendandis libris sacris eorumque constituendo canone, iuxta præscriptum Cabalæ, sed ad reliquam sapientiam & eruditionem, etiam expeditam scribendi docendique promptitudinẽ adiecisse. XI.

Vers. 12. *Artaxerxes Rex Regum, &c.* Quia scilicet plures Reges habebat sub se dicitur Rex Regũ & in hoc apparet, Esdram in Hierusalẽ delegantis authoritas, vel certe Rex Regum quasi inter Reges maximus, nam vt ferunt Historici apud Persas, qui dominabatur, vulgò Rex magnus, μέγας βασιλεύς, vocabatur, jam quod ab Artaxerxe dicitur, Esdras hoc eodẽ versu, scriba doctissimus, vt proximè superiori versu 11. eruditus, id à nonnullis eo refertur, denuo, quod ad Regem fama peruenerit, diuinæ virtutis, qua ille, incensam à Chaldæis legem, eisdem quibus prius, propriis sermonibus, quamuis alio litterarum charactere renouauerat, sed quia id iam sæpius à nobis annotatũ est,

XII. Cur Rex Regum vocetur Artaxerxe.

in eo hærere non vacat. Porrò, hoc Regis Artaxerxis edicto, facultas conceditur Iudæis, ex quocumque illi ordine fuerint, siue Sacerdotali ac Leuitico, siue laico ac profano, remigrandi simul, cum Esdra in Hierusalem; Sic enim sequens versus 13 apertè indicat, *A me decretum est, vt cuicumque placuerit in regno meo, de populo Israel, & de Sacerdotibus eius, & de Leuitis, ire in Hierusalem, tecum vadat*, quod sua suorumque consiliariorum authoritate, princeps voluit confirmari.

XIII. Vers. 14. *A facie enim Regis & septem Consiliatorum eius missus es, &c.* Hi septē Consiliarii Regii, quorum nomine, secundùm Regem, constituitur hoc decretum, videntur esse illi iidem duces Persarum, atque Medorum, qui cap. 1. libri Esther, vers. 14. & 21. memorantur, qui videbant faciem Regis, & primi post eū, residere soliti erant, & ex quorum consilio, causas grauissimas diiudicabat, ex quo etiam non leuis coniectura duci potest, eundem esse Artaxerxem, Estheris & Esdræ, quod authores valde boni, iique non pauci opinantur. Certè Iosephus lib. 11. antiq. cap. 6. cum de causa Vasthi Reginæ, septem virorum iudicio permissa loquitur, sic ait, *Dimisso conuiuio, Rex, septem viros illos, penes quos, apud Persas, legum est interpretatio, conuocat, & apud eos, vxorem contumaciæ ream peragit, iubetque, quid sit iuris proferre sententiam*, quod scriptura ipsa apertissimè docet; cum enim Assuerus grauiter ferret, nimis liberum ac contumax responsum, *Interrogauit sapientes*, ait sacer Textus, *qui ex more regio, ei semper aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges, ac iura maiorum*. Itaque, vt benè animaduertit Sanctius, sicut vbique ferè, apud varias gentes, Senatus, aut consilium, seu concilium est, quod certo Patrum, aut Consiliatorum numero constat, vt apud Hebræos, virorum septuaginta, de quibus Num. 1. cap. 15. vt apud Romanos varii fuerunt hominum conuentus, qui de variis caussis iudicarent, aut res curarent publicas, qui à consiliariorum numero nomen acceperunt, vnde vocati sunt Triumuiri, Decemuiri, Centumuiri, sic etiā apud Persas concilium fuit septem virorum, qui assidui erant Regi, & quorum ea erat authoritas, à republica, vt Regiis decretis, ab illorum approbatione, aliquid momenti accederet; quod autem ad Esdram dicitur, *Missus es vt visi-*

Septem hi consiliarij erant qui primi post Regem sedebant & ex quorum consilio causas grauissimas Rex diiudicabat.

Septem consiliarij Regū Persarum referebant Senatum, seu Concilium quod apud alias gentes à vario Consiliariorum numero varie nominatur.

XIV.

A *tes Iudæam in lege Dei tui, &c.* id est, curaturus vt lex Dei seruetur, sic nonnulli, & satis commodè, quod subiungitur, *Quam habes in manu tua, &c.* id est, quam habes in promptu, vt patet ex prædictis, vel in manu, id est in ore tuo, in locutione tua. Sed nescio quid longè subtilius hic indagat, in Glossa ordinaria, Beda, cum ait, mirum esse, in epistola Artaxerxis verbum inueniri, quo Prophetæ vti solent, cum dicit legem Dei esse in manu serui illius, scriptum est enim, *Factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ*, & *Do-* B *minus fecit quod locutus est in manu serui sui Heliæ*, & *testificatus est Dominus, in Iuda per manum omnium Prophetarum*; quia scilicet Prophetæ, non minus operando, quam loquendo, quæ Dei sunt, prædicabant; ac verè id quidem, si rem ipsam spectes, nec Esdram Prophetā fuisse ambigo, nec inficias iuerim legē Dei, in eius manu, id est opere fuisse, ac diuini verbi præconem, non solum in lingua, vt notat hic Glossa interlinearis extitisse; contendo tamen, ex communi eruditorū scripturæ interpretum sententia, ad literam, *Manum*, C in scriptura dici prophetiam, nec solū prophetiam, sed etiam omnē locutionem præsertim qua aliquid præcipitur, quia sicut manus mouet, ita locutio præcipiēs: hanc manus interpretationem, præter cæteros, insigniter probat, Ribera in Aggæū, cap. 1 expēdens hæc verba, *In manu Aggæi*, multis ad id adductis ex Regū historia, libris Prophetarū, imò & Esdræ ipsius testimoniis.

Manus in Scriptura sæpe sumitur pro prophetia, & pro quauis locutione, sed ea præsertim qua aliquid præcipitur.

Vers. 15. *Et vt feras argentum & aurum, quod Rex & Consiliatores eius, spōte obtulerunt Deo Israël, cuius in Hierusalē Tabernaculum, &c.* Notanda fides, & XV. sapientia Regis, ait Glossa & consiliatorum eius, qui dona sua aurum scilicet & argentum ad ornatum templi D designata, magis per illum, qui legem Dei in manu habebat, id est, opere complebat, offerenda esse intellexerunt. Addo, licet etiam Esdras, tantam apud populares suos, exterosque, probitatis suæ opinionem, minus concitasset; nihil satius fuisse, nec facilius Regi in mentem venisse, quam vt potius sacerdoti, tantum onus, quod præsertim, ad res sacras pertineret, quam de populo cuiuis alteri committeretur.

Vers. 16. *Et omne argentum & aurum quodcumque inueneris in vniuersa prouincia Babylonis, &c.* Argentum &

aurum hic intellige, quod Chaldæi Iudæorum amici, & in eorum legem, aut nationem benè affecti, Deo dicare voluerint; Hæc enim de populo Babylonico seorsim, à populo Iudaïco, intelligenda esse, apertè docet textus Græcus, qui distinguit aurum, in regione Babylonica dicatum Domino, ab eo, quod est donatum ab ipsa gente, in templum Domini Dei eorum, & apertius etiam in Hebræo, sicut in Latino, distinguitur aurum Prouinciæ Babylonis, ab eo quòd populus scilicet Iudaïcus, spontè obtulerit, & ab eo quòd Sacerdotes ipsi dare voluerint, vnde sequitur in textu, *Et populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus quæ spontè obtulerint domui Dei sui quæ est in Ierusalem*; vnde non immeritò improbandus est, castigandusque Iosephus ex Saliani calculo, qui Chaldæorum liberalitatem in Iudæos, ad quam non solum, priuata amicitia, ac deuotio, sed Regis etiam, atque septem principium exemplum incitabat eos, ignorantia magis, quam superba voluntate repudiauit, & Babylonicam largitatem ad solos Iudæos restrinxit.

Hic largitas Babyloniorum ac liberalitas erga templum Hierosolymitanum indicatur.

Malè Iosephus Chaldæorũ liberalitatẽ in templi ornatũ ad solos Iudæos restrinxit.

XVII. Vers. 17. *Liberè & studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & sacrificia, & libamina eorum, & offer ea super altare Templi Dei vestri, quod est in Hierusalem, &c.* Pecunia ab Artaxerxe data, expendi debebat in coemptione eorum quæ necessaria erant, ad sacrificia facienda, & libamina; sacrificia quidem fiebant, de animalibus, vel aridis, vnde mentio fit, vitulorum, arietum, agnorum, libamina verò fiebant de liquidis, scilicet vino & oleo.

Sacrificia fiebant de animalibus, vel aridis, libamina de liquidis.

Vers. 18. *Sed & si quid tibi, & fratribus tuis placuerit de reliquo argento & auro, vt faciatis iuxta voluntatem*
XVIII. *Dei vestri facite, &c.* Sanè, egregium est, & illustre hoc indicium beneuolentiæ, & fiduciæ Regis in Esdram, quem vult, pro sua prudentia, cum in rem præsentem venerit, pecunias expendere, addit autem nominatim versu proximè sequenti 19. *De vasis vtique aureis & argenteis*; nam ænea, & alterius metalli, quæ magni futura erant ponderis, satius erat Hierosolymis conflare, quàm tam longinquo itinere circumferre, *Vasa quoque*, inquit, *quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Hierusalem.*

Vers. 20. *Sed & cætera quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse, vt expendas, dabitur de thesauro, & fisco Regis, &c.* Ad præsentem largitionem, quæ sine dubio maxima fuit, licet æstimata non sit, addit & alteram Artaxerxes, de thesauris suis, seu de ære suo ac pecuniis, quæ in regionibus Iudæorum erant, eo fortè consilio, vt & labori Esdræ, & securitati pecuniæ consuleretur; in his autem quæ de thesauro Regis, faciendæ sunt expensis, non solum sacrificia, & sarta tecta templi, sed & victus sacerdotum, comprehenduntur, vt patet ex sequentibus. Cæterùm quod dicitur coniunctim, *Dabitur de thesauro & fisco Regis*, id est, de pecunia iam collecta, & colligenda, à populo habitante trans flumen, per ministros Regis ad hoc statutos, quibus Rex præcepit, vt talia expedirent Esdræ Sacerdoti & in manus darent, vnde subditur, *Decreui omnibus custodibus arcæ publicæ qui sunt trans flumen, vt quodcumque petierit à vobis Esdras sacerdos, scriba legis Dei cæli, absque mora detis.* XX.

Vers. 21. *Et a me, ego Artaxerxes Rex statui, &c.* Hæc verba, quæ huius versus initium faciunt, aut finem præcedentis, difficilem nonnihil habent explicatum, *& a me, &c.* in Græco, & in Chaldæo, hinc incipit, versus hic 21. quasi diceret, *à me*, id est, ex mea sententia, nullo suggerente, *statui hoc, &c.* & certè hæc verba, ægrè cum superioribus cohærent; si tamen, vt iacent in textu, coniungenda sunt, sic fortè intelligi possint, *& a me*, id est, à me imperante, volente, statuente, authoritate Regis vtente, vt in re omnium grauissima, manasse decretum hoc intelligant vniuersi. XXI.

Vers. 22. *Vsque ad argenti talenta centum, & vsque ad frumenti coros centum, & vsque ad vini batos centum, & vsque ad batos olei centum, &c.* Quod ad pondera & mensuras spectat, argenti, frumentiue, a custodibus arcæ publicæ trans flumen, id est in Iudæa, vel circa Iudæam commorantibus, tradendi Esdræ Sacerdoti, ex mandato Artaxerxis, Talenti, Cori, & Bati mentio fit, in textu, talentum autem triplicis mensuræ traditur, minimum, librarum 50. medium librarum 62 summum librarum 120. Corus, Hebraïcè, Chomer, continet 30. modios, vt etiã Hieronymo placet, qui ad cap. 45. Ezech. & Leuit. cap. 27. & Isa. 5. pro coro, vertit modios triginta, & est tertia pars, oneris vnius Cameli, ait Lyranus, XXII.

Quid talentũ, quid Corus, quid Batus, quorũ mentio fit in edicto Artaxerxis.

alij dicunt, Corum, tantum capere, quantum camelus, alij quantum asinus portare potest, vnde existimant, asinum Hebraïce dici, Chamor, quia illi, Chomer vnus, id est, Corus vnus, pondus est. Batus, Hebræis, Baath, & alio nomine, ephi dicitur, vel epha, eo discrimine vt ephi, mensura sit frugum, vel rerum aridarum, ideo tres duntaxat modios continet, secundùm Isidorum 15. etymologiæ, est mensura continens 50. sextarios Hebraicos, & ab aliis creditur septuaginta duobus constare sextariis, sed vereor hic dicere quod fatetur, atque admittit vltro Lyranus, in lib 3. Reg. cap. 7. de quantitate mensurarum Hebraïcarum, vix cuiquam, quidquam constare certo, nec vero etiam habere nos posse de re tam obscura, aliquam determinatam certitudinem, idque ob miram varietatem, quæ in mensuris contingere potest, vt quotidie animaduertimus, non solum in diuersis regionibus, sed etiam in vrbibus satis propinquis, & in eadem regione, eodemque in loco secundùm temporum diuersitatem; Cæterùm cum ex scriptura certo non constet, an Artaxerxes, Regij fisci præfectis edixerit, vt semel tantum, an vero singulis annis, certam illam frumenti, vini, & olei mensuram, Iudæis elargirentur, hæc singulis annis à Rege impendi iussa, veri propius singulis esse videtur, siquidem, pro Regia liberalitate, & potentia, addo etiam, pro tanto in Iudæos studio, tamque propensa voluntate, satis exiguum esse, & tanti Regis nomine, quodammodo indecorum, centum tantum argenti talenta, centum frumenti coros, totidemque vini batos, atque olei, semel duntaxat impertiri.

Verisimilius tradi iussum quotannis à Regij fisci præfectis quod in edicto Regis continetur.

XXIII. *Sal verò absque mensura, &c.* Absque mensura, sal Iudæis subministrari, Rex imperat, quia in omni sacrificio ponebatur sal, ex præcepto legis, &c. Sic enim Leuitici cap. 2. vers. 13 *Quidquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis sui, de sacrificio tuo, in omni oblatione tua offeres sal.* Cur autem Deus hoc iusserit, aut quid eo significetur, non literam, illud quidem, sed Allegoriam spectat, cum igitur Artaxerxes certã (vt superius animaduertimus) aliarum rerum, quæ in sacrificiis offeruntur, mensuram assignauerit, salis tamen, nullam voluit definitam esse mensuram, quia scilicet multum, in re sacrificali salis consumi, cùm apud Hebræos, tùm fortè etiam apud exteras gentes non nescius, noluit, ne vnquam cessarent sacrificia, aut minus religiosè fierent, salis copiam, ad certam mensuram restringere, nec certo aliquo modo definire, aut certè modũ, ideo in sale nullum voluit quia minoris esset pretii, vtpotè cuius propè Hierusalem, ingens esset copia, cum non longè abesset mare salsissimum, aut vallis salinarum.

In omni sacrificio sal offerebatur ex lege.

Magna salis copia propè Hierusalem.

Vers. 23. *Omne quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter, ne fortè irascatur contra regnum Regis, & filiorum eius, &c.* Nouerat scilicet, Rex sapientissimus, vniuersam, quanta quãta esset, regni sui potentiam, à voluntate & potentia Dei pendere, quo fit, vt prudenter vereatur, ne si qua in re officio suo defuerit, minus liberaliter cum Iudæis agendo, sibi suisque fiat subiratior; certè, ex hoc loco, manifestum est, eiusmodi Dei manum siue illustrationem factam esse, super Regem, quæ illum docuerit, facturum se aliquid eximium, & regia authoritate dignum, si Esdram, aliosque captiuos, in patriam remitteret, & templum regia magnificentia ornaret, idque sibi, ac toti regno, vsui magno futurum, nam cum ait, *Quod ad ritum Dei cæli pertinet tribuatur diligenter, ne irascatur, &c.* Satis indicat nouisse se Dei quem venerabantur Iudæi, maiestatem, & potentiam, & quemadmodum in sua ipsius esset potestate, præstare cuilibet felicitatem, & regnum, & eadem auferre cum liberet, quare censuit elaborandum esse, vt illum semper pacatum haberet, atque propitium, sic nempe suæ ac filiorum suorum saluti, & regno, abunde prouideri; & sanè, idem ipsum, senserat Darius, vt constat ex superiori cap. 6. vers. 28. cum munera non exigua, pro templi ornatu & victimarum sumptibus, elargitus, à sacerdotibus efflagitarit, *Vt offerant oblationes Deo cæli, orentque pro vita Regis, & filiorum eius:* Porrò cum in hoc sacro textu quem exponimus, fiat tantum mentio Regis Artaxerxis, & filiorum eius, in 3 Esdræ cap 8. additur, *Et fratrum & filiorum eius*, quod quidam sic interpretantur, vt nomine Regis intelligatur, Xerxes, quasi tunc adhuc viueret, nomine autem filij, Artaxerxes, qui aliquot annis cum Patre regnauit, denique nomine filiorum intelligantur reliqui filii Regis, fratres Artaxerxis, verum hæc sententia, quod

XXIV.

Agnouit Artaxerxes Dei quem colebant Iudæi maiestatem & potentiam & ab eo regni sui felicitatem pendere iudicauit.

XXV.

obseruauit Salianus, parum firma est, A vt nihil dicatur de violenta locutione, & fundamento apocrypho: quî enim probari potest, Artaxerxem simul cum Xerxe regnasse, cum id narrationi Thucydidis, aut Herodoti, Diodori, aut Plutarchi, aut cuiusuis alterius antiqui authoris minimè consentaneum sit, & quamuis detur Darium proficiscentem in bellum, regni successorem designasse Xerxem, iuxta Persarum institutum, vt scribit Herodotus, initio lib. 7. non tamen consequens est, vt cum Patre regnauerit, qui tantum regni successor designabatur, & quamuis B vltro etiam concedamus regni successorem simul cum Rege regnasse, quo iure volunt, aut quo tandem pacto conficiunt, Artaxerxem regnasse viuo patre, cum eius frater primogenitus, Darius qui occisus est eum patre, adhuc viueret? immo & vxorem iam, viuo patre duxisset? quid causæ fingi, aut excogitari potest, cur Xerxes, repudiato suo primogenito, secundo genitum regnare iusserit? nomine ergo Regis, solus Artaxerxes intelligendus est, nomine autem filiorum eius, Xerxes secudus, Isogæus, Darius, &c.

Sub nomine Regis & filiorum eius intelligēdi Artaxerxes solus, cum filijs Xerxe secundo, Isogæo, & Dario, &c.

Vers. 24. *Vobis quoque notum facimus de vniuersis Sacerdotibus, & Leuitis, & Cantoribus, & Ianitoribus, & Nathinæis, & Ministris domus eius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis facultatem imponendi super eos, &c.* Tertia demum hæc est largitio immunitatis tributorum pro iis omnibus, qui templo ministrarent, quorum erant permulta millia. Illud verò minimè prætermittendum, hoc loco, quod intellexerit hic princeps, naturæ lumine Deum in suis ministris, hac liberalitate honorandum esse, quam immunitatem Ioseph, in Ægyptiorum fame, Sacerdotibus, quantumuis impiis, eorumque D terris vltrò concessit, Genes. 47 vers. 22. & 26. illis siquidem data sunt, ex horreo publico cibaria. & eorum hæreditas ab omni tributo, atque onere, immunis declarata, *Emit Ioseph*, inquit Scriptura, *omnem terram Ægypti, &c. subiecitque eam Pharaoni, &c. præter terram sacerdotalem, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas*; & infrà post paulò, *Ex eo tempore vsque in præsentem diem in vniuersa terra Ægypti Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit*, quod licet à Iosephi Patriarchæ ætate, cœpisse videatur, ad suum tamen vsque sæculum perstitisse, tradunt Herodotus, & Diodorus Siculus, sic enim Herodotus lib. 2. *Ægyptiorum Sacerdotes non exiguis afficiuntur commodis, nam neque aliquid à re domestica conterunt, neque erogant, sed singulis eorum quotidie, cibi sacri præsto sunt, & carnes bubulæ, & anserinæ, satis abundeque suppeditantur, vinum quoque vineale traditur*: Idem penè Diodorus lib. item 2. Biblioth. vt sanè mirum non sit, temporibus Christianorum principum, tot priuilegiis Ecclesias, & clerum vniuersum fuisse decoratum, quæ qui violant, vltro sibi diuinam irā accersunt, & Niniuitarum, ac Reginæ Austri iudicium, & condemnationem, cum inter paganos atque infideles, ipsa dictante natura, Reges ipsi non admodum exculti, neque parum auari, aut rerum suarum retinentes, abstinendum ab iis esse censuerint.

XXVI.

Artaxerxes naturæ lumine intellexit Sacerdotes & Templi Dei ministros donādos immunitate à tributis & vectigalibus.

Immunitas Sacerdotum ab Ægyptiorum moribus repetita.

Vers. 25. *Tu autem Esdra secundùm sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue Iudices & Præsides, vt iudicent omni populo qui est trans flumen, his videlicet qui nouerunt legem Dei tui, &c.* Reliqua hæc est potestas Esdræ concessa, constituendi Iudices & Præsides ad dirimendas populi Iudaïci controuersias, per Syriam & Phœniciam, ait Iosephus & Sept. multoque magis in terra, quam ipsi quasi proprio iure possidebant, cōstituendi etiam Doctores, ad eundem populum in diuinarum rerum notitia, instruendum, quę quidem omnia etiam pœna transgressoribus proposita, valide stabiliuntur, versu proximè sequenti. Permittit igitur Esdræ Artaxerxes, secundùm sapientiam Dei, quę est in manu eius, id est secundùm scientiam, quam velut in manibus habet inscriptam, quæque semper ante oculos eius obuersatur, & suis temporibus occurrit, etiam non vocata, vt trans flumen iudicet, & ex suo genere, quos velit, constituat, qui contribulium suorum, causas cognoscant, & illas patrio & legitimo iure disceptent.

XXVII.

Sed & imperitos docete liberè, &c. Scilicet in exteras gentes, aliosque à Iudæis, qui aliena colunt tecta, id Esdræ liberum esse, vult princeps, vt illos doceat, & bonis excolat disciplinis, qua etiam sanctione, videtur id permittere, vt quoscumque demū velit, vera vnius Dei religione, & Iudaïcis legibus im-

XXVIII.

buat, & quod aiunt, è gentilibus, proselytos faciat, sic enim interpretari commodè possumus hæc verba, *Sed & imperitos docete liberè*; nempe quod libuerit; quasi neque personas, neque doctrinam, aut docendi modum definiat Esdræ Artaxerxes, sed quod ad eam rem spectat, omnia illi libera, atque integra relinquat, & quocumque velit modo, diuinam legem trans flumen in vulgus aperiat. Ex hoc loco, opinatur Sãctius, sumpsisse Epiphanium in Hæresi 8. sub finem, missum esse Esdram, vt eos qui ex gentibus Samariam incolebant, quosque leones lacerabant, quia legitima ignorabant Dei terræ (vt recensetur lib. 4. Reg. cap. 17.) Dei legem doceret, & leonum sedaret rabiem, tantæque hominum stragi medicinam aliquam adhiberet; sed eruditè idem ipse aduertit, ab Epiphanio multa eo loco dici, quæ cum citata Regum Historia, omnino non consentiant, nam Sacerdos ille, qui missus dicitur non est missus à Nabuchodonosor, sed à Salmanazar, non à Babylone, sed ab Assyria, neque eo tempore natus erat Esdras, quo fit, vt qui Sacerdos ab Assyria in Samariam missus est, si Esdras fuit, eoque nomine vocabatur, alium eiusdem nominis à nostro fuisse oportuerit.

Esdras non est missus vt eos qui ex gẽtibus Samariam incolebant, quosque leones lacerabant, ob Iudaicæ religionis ignorantiã tempore Salmanazar Assyriorum Regis, Dei legem doceret, vt putauit Epiphanius.

Vers. 26. *Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, iudicium erit de eo siue in mortem, siue in exilium, siue in condemnationem substantiæ eius, siue in carcerem, &c.* Sic
XXIX. potestatem facit euehendi legem Dei, & iudices in ea prouincia constituendi, vt qui constituti fuerint, ipsi iudicent & puniant, siue morte, siue exilio, legis violatores. Scio tamen à Lyrano, hæc verba, *Qui non fecerit legem Dei, &c.* restringi ad Iudæos, qui illa lege tenebantur, quæ autem subiunguntur, *& legem Regis*, id est mandatum eius, quod habebat vim legis, peræquè ad gentiles & Iudæos referri, quia scilicet erant vtrique Regi subiecti. Ab Artaxerxe igitur permissum est, vt de eorum capite, quocumque modo, statuant iudices, è Iudæis selecti, puniantque pro scelerum grauitate, ac natura, siue vinculis siue pecuniarum mulcta, siue exilio, aut etiam morte. Hæc porrò quatuor genera pœnarum, media parte diminuit Iosephus, & totum hunc locum auxit è suo, sic enim ille, *Quisquis*, inquit, *legem Dei, vel legem Regiam violauerit, mulctetur pecuniis, aut etiam damnetur capite*; vtpotè qui non per ignorantiam, sed per contumaciam, peccauerit, retulit scilicet hæc Iosephus ad id quod iussum erat vt populus, imperitus liberè doceretur, ne scilicet sese ignorantia excusaret.

Vers. 27. *Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde Regis, vt glorificaret domum Domini quæ est in Hierusalem, &c.* Hinc recurrit XXX.
lingua Hebraica, de quo antea monuimus, & consequenter ad prædicta, versu superiori Esdras Sacerdos, accepta Regis epistola confestim, in Dei laudes prorumpit, solemni gratiarum actione, quam ab his verbis auspicatur, *Benedictus Deus, &c.* Neque dubitandum, vt ait hic Glossa interlinearis, dicta Regis sancta fuisse & mystica, quæ Propheta ei diuinitus inspirata confirmat, & à quo etiam domum Dei glorificatam manifestat, sed vt aduertẽdum hoc loco, in aliquibus libris præmitti huic gratiarum actioni, hæc verba, *Et dixit Esdras scriba*, quæ tamen, vt benè notauit Lyranus, non sunt in Hebræo, nec sunt de textu, sed subintelliguntur, vnde factum est vt aliqui Doctores, ea suis in libris apposuerint per modum glossæ, & postea textui inserta fuerint, sicut & in pluribus aliis locis, simile quiddam contigisse, plerique obseruant interpretes.

Vers. 28. *Et in me inclinauit misericordiam suam, coram Rege, & consiliatoribus eius, & vniuersis principibus Regis potentibus, &c.* Hinc videas quam verum sit illud diuini spiritus oraculum XXXI.
Prouerb. 21. vers. 1. *Cor Regis in manu Dei, & quocumque voluerit inclinabit illud*, sanè vnius hominis inclinare voluntatem, qui summo cum imperio ac potestate sit, perarduum ac difficilè est, nec nisi raro admodum id assequitur hominum industria, & gratia, at principum multorum eorumque, qui præ cæteris consilio valent, ac prudentia animos inflectere, & vnde ac quo velis deducere; immo & quod altè prius in illorum mentibus insederat, penitus euellere, diuinæ vnius potestatis opus, ac negotium est, hoc verò ipsum est quod agnoscit hic Esdras, & pro tanto beneficio gratias se diuino numini rependere solemni ac publica voce profitetur.

Vnius Dei est Regem ac Principem voluntates quo velit flectere vnde velit deducere.

Et ego confortatus manu Domini Dei mei quæ erat in me, congregaui de Israël principes, qui ascenderant mecum, &c. His XXXII.
igitur quæ superius narrata sunt, cum

Regé transactis, spiritu diuino confortatus Esdras, congregauit de Israël principes, qui venirent secum: scribit Iosephus misisse eum, exemplum literarum Regiarum, in Mediam, aut Persidem potius, vbi cognita Regis erga Deum pietate, & erga Esdram beneA uolentia, *Omnes vehementer, inquit, sunt lætati, multi verè ex eis assumptis suis facultatibus, Babylonem venerunt, cupientes reuerti Hierosolyma, reliqua Israelitarum multitudo assuetum iam domicilium noluit relinquere, aut alia ex causa remanserunt.*

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA
Capitis septimi.

Expositio Allegorica in hæc verba vers. 1. *Posthac autem in Regno Artaxerxis Regis Persarum, Esdras ascendit de Babylone, & ipse scriba velox in lege Moysi, &c.* Quid Esdras reducens populum Israëliticum è Babylone in Hierusalem mysticè significet.

1.

ON video diu nobis laborandum esse in perquirendo, inueniendoque Esdra mystico: quod enim à nobis iam olim de Zorobabel duce, & Iesu summo sacerdote, in primis dissertationibus dictum est, idipsum pari iure de Esdra dicendum videtur; & sicut ex S. Cyrillo Alexand. D. Hieronymo, Beda, & aliis, Zorobabel & Iesu Dominum Saluatorem designant, qui captiuitatem generis humani sua gratia relaxat, suamque in nobis domum ipse, nos sanctificando ac possidendo ædificat, sic & Esdras Sacerdos, eo tantum discrimine, quòd cum Esdras *scriba* etiam dicatur, *Velox in lege Moysi, quam dedit Dominus Deus Israel*, eundem quoque Dominum qui vt est Matth. 5. *Non venit soluere legem sed adimplere*, non obscurè demonstrat; nam in typo ipso ac figura, ob id scriba legis Dei, siue scriba velox in lege Moysi rectè potuit appellari, quia ipse Moysi legem per Angelum dedit, ipse Prophetas sanctos, per gratiam sui spiritus docuit omnem veritatem, ipse omnium mentes electorum, mox vt suo amore tetigerit, ad intelligendam faciendamque Dei Patris voluntatem accendit: Vnde per os Prophetæ Hieremiæ cap. 31. gratiam noui Testamenti futuris posteà fidelibus populis quondam promittens aiebat, *Et hoc testa-*B *mentum quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas*, Et sanè legem etiam extinctam planè, atque abolitã in nobis, ab æstuanti mole vitiorum, sic tanquam à Chaldæorum flammis atque incendio, rescribit ipse ac resculpit quodãmodo in affectibus nostris digito suo, id est, Spiritu suo sancto, & diuina eius operante virtute; Audi, quã pulchrè huius diuini scribæ meminerit Regius Propheta cũ ait, Ps. 44. *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis*, lingua quippe Prophetæ, calamus erat scribæ velocis, quia quæ Dominus illum, sine vlla mora temporis, intus illustrando docuit, hæc ipse per officium linguæ, foC ris hominibus temporaliter declarauit, qui & ipso quoque nomine Esdræ, qui interpretatur adiutor, manifestè significari videtur. Ipse enim est per quem solum populus fidelium à tribulationibus liberari, & quasi de Babylonica captiuitate ad libertatem Hierosolymorum, de confusione vitiorum ad pacem serenitatemque virtutum proficientibus meritorum gradibus solet introduci, vt merito nobis passim illud in aures occinat, *Sine me nihil potestis facere*; Esdras igitur hoc est, Adiutor atque auxiliator noster Dominus ipse est, *Salus quippe iustorum à Domino*, ait Propheta, *& auxilium eorum in tempore tribulationis*; Et in secundo ἀναβαθμῶν, hoc est ascensuum,

Esdras educens Iudæos e Babylone, dictusque Scriba velox in lege Moysi, aptè Assertorem generis humani Christũ designat qui non venit soluere legem sed adimplere.

Esdras Adiutorẽ significat cuius nominis ratio belle in Christum quadrat.

seu graduum Psalmo qui Psalm.120.est exclamat cunctis ad summa tendentibus quo duce tendere ac peruenire debeant apertè insinuat, his verbis, *Auxilium meum à Domino qui fecit cælum & terram*: Vis eundem ipsum
II. Christum Dominum de prædicandi, iuuandi, consolandi, asserendique in libertatem iniuncto sibi munere loquentem audire Isaiæ voce c.61. *Spiritus Domini*, inquit, *super me eo quòd vnxerit me Dominus, ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino, vt consolarer omnes lugentes*, quibus verbis etsi de captiuitate animorum sub potestate dæmonis, & peccati, ex qua erui illos tandem per Christum venturum, ac liberari oportebat ad literam agatur, volunt tamen omnes boni interpretes, alludi etiam ad libertatem è captiuitate Babylonica datam à Cyro, quæ typus erat libertatis spiritualis à Christo aliquando concedendæ; imo sanctus Thomas & Hugo ad literam hæc de Cyro accipiũt, sed clarè Christum non alium loquuntur vt ex consequentibus patet: Sic, vt vides, asserit ille ipse vnctum se Spiritu sancto, vt consoletur, & liberet afflictos, & lugentes in Sion. Cum autem Spiritus sanctus vngit, docet quem vngit, *Vnctio eius docet vos de omnibus*, 1. Ioan. 2. & cum vngit & docet, excellenti modo ea quoque scribit in cordibus properate ac festinanter, de quibus vnumquemque efficaciter edoceri vult: Sic Spiritus sanctus in Christo, sic Christus in Spiritu sancto Esdram egit olim, agitque quotidie, hoc est scribam velocem in lege Domini, eam scribendo imprimendoque altius in mentibus nostris: Vnde D. Augustinus in primam epistolam Ioannis exponens illud, *Vnctio docet vos de omnibus*, postquam dixit, *Quantum ad me pertinet, omnibus locutus sum; sed quibus vnctio illa intus loquitur, quos Spiritus sanctus intus non docet, indocti redeunt*: post pauca concludit, *Christus sit in corde, vnctio ipsius sit in corde ne sit in solitudine cor sitiens & non habens fontes quibus irrigetur, interior Magister est qui docet, Christus docet, inspiratio eius docet, vbi illius inspiratio, & illius vnctio non est forinsecus inaniter perstrepunt verba.* Iam vero quòd hoc loco addit Beda, Esdram
III. pariter, in reliquis suis actionibus,

Nisi Christus & eius vnctio intus hominem doceat, frustrà exterius docetur.

A Christi Domini figuram gessisse, videlicet, cum & ipse, partem populi non minimã de captiuitate Hierosolymam reduxit, cum simul & pecuniam, & vasa Deo sacrata, in ornatum templi aduexit, cum eundem populum, ab vxoribus alienigenis Pontificali authoritate purgauit lectori paulum erudito, & vtriusque facta illustriora alia cum aliis componenti satis manifestum est; illa siquidem quæ hic ab Esdra sacerdote gesta commemorãtur, quid in Ecclesia sancta gestum olim à Christo vel gerendum sit, cuiuis facilè insinuant; Atque vt pauca de iis tantum delibem
B quæ in textu, versibus aliquot comprehenduntur; quod ascendere dicuntur cum Esdra, *De filiis Israel, & de filiis Sacerdotum ac Leuitarum*, significat (inquit citatus Author) iam Redemptoris nostri dispensationem, qua in carne apparens, confusionem mundi huius, liber ipse à confusione vitiorum intrauit, vt nos secum rediens ab omni confusione liberatos in Hierusalem cœlestem, id est in tranquillitatem supernæ pacis induceret, cuius videlicet pacis sempiternæ, in præsenti Ecclesia pignus accepimus, dicente Domino Ioan.14. *Pacem relinquo vobis, pacem*
C *meam do vobis*, id est, temporalem in terra peregrinantibus relinquo, perpetuam, ad cœlestem patriam peruenientibus concedo; Deinde, quod infra subiungitur, *Esdras parauit cor suũ vt inuestigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Israel præceptum & iudicium*, quam aptè in eum cadit, de quo dictum est Psalm.79. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei posui*; qui non solum sine peccato fuit, verũ etiam cum plenus esset gratiæ & veritatis, nulla sibi
D repugnante lege peccati, legem Dei absque omni, siue mentis, siue carnis contradictione seruauit, quam benè dicitur is sub typo, ac sua velut in imagine, inuestigasse legem Dei, qui abiectis Pharisæorum traditionibus veram Dei legem, vbi verè intelligenda erat, exposuit, qui decreta Euangelij quæ ipse attulit mundo magis perfecta, magis Deo Patri accepta, quam quæ Moses præmiserat, ostendit Matthæi 5. *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis: Odio habebis inimicum tuum; Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Postremo quam commodè dicitur is, sub eadem Esdræ figura, *Parasse cor suum, vt faceret,*

faceret & doceret in Israel præceptum & iudicium, id est, sic animo constitutum fuisse, vt ipse prius legem faciendo impleret, quàm ad alios docendos os suum aperiret; de cuius vita summatim, deque ipsis vitæ eius initiis sic scriptura sermonem instituit, *cœpit Iesus facere & docere*. Et Hebr. 1. primum fecit, vt postmodum doceret, ac totos triginta annos facit, vt tres duntaxat Doctorē ageret, exemplo prius quam verbo animos ad se alliciens, & cum Doctoris ac Magistri partes sustinuit, fecit illud quidem, & docuit, *Sicut potestatem habens non sicut Scribæ & Pharisæi*, Matth. 7. quam sanè potestatem in opere & sermone exercebat, ac prius in opere quā in sermone, quia scilicet potentior est vox operis quam oris, vt aiebat ille ex quo factum est, vt reapse, *Vir Propheta potens in opere & sermone coram Deo & omni populo*, à discipulis proficiscentibus in Emaus diceretur, Luc. 24. vers. 19. Sic, vt vides, quam optimè Esdras moribus suis ac vitæ instituto Christi figuram exhibuit. Nos, quid ex vltimo hoc textu ad mores deducendum sit infrà pluribus aperiemus.

TROPOLOGIA
Capitis septimi.

Morale in illud vers. 9. *Venit Esdras in Hierusalem iuxta manum Dei sui bonam super se, &c.*

Qui Dei gloriam quærunt paratúm habere ab eo patrocinium.



ORALIS huiusce annotationis in ipsa literali textus explanatione semina iecimus, cum in Esdræ exemplo obseruauimus qui non tam sua quærit, quàm quæ Domini sunt, paratam ferè sibi habere, & promptam diuinam opem. Enimuerò, suos Deus non deserit, sed eos curat fouetque studiosissimè, quin & illorum causa grauia subinde hinc & illinc summouet impedimenta, quæ gigantum frangerent vires, & illorum conatus audaciamque retardarent; hinc infirmiores quoque, & minus in speciem, ab humanis præsidiis parati, si seipsis vacui, & Deo pleni, quidquam moliuntur, si Dei ipsius nomine, operis quidpiam aggrediuntur, re magis, quam verbo significant, quā nihil sit, quod non queunt, quam verè omnia possunt, in eo qui ipsos confortat, vt cum Apostolo loquar; hinc viri, qui spiritus, vt sic dicam, conceperunt Apostolicos, qui causam Dei agunt, & ipsius gloriæ, & proximorum vtilitati seruiunt, stant in arduis quibusque ac difficillimis iis, neque horrent obuia quæque pericula, neque à marinis monstris, aut tempestatibus prohibentur, quo minus in mare si necesse est se dedant intrepidi, quippe quibus suorum consiliorum conscientia, fortitudinem præbet; & audaciam. Sic enim reputant, se suas res non agere, & cum, nisi Deo inspirante, magnis se vnquam periculosisque negotiis, non interserant, immisceantur, satis intelligunt, suis intentum numen esse, atque inuigilare laboribus, prorsusque in animum inducunt, nunquam futuros, omnino irritos illorum conatus, quo nisi Deo volente, atque vrgente cœlo, grauiora negotio non modo non suscipiunt, sed nec etiam operis sui minimum quicquam aggrediuntur. Nimirum si suas ipsorum res agerent, si sua duntaxat negotia procurarent, esset quod sibimetipsis, atque imbecillitati suæ diffiderent: Cum autem pro Deo laborant, rerumque ipsius satagunt, sciunt quoque, diuinæ ipsius prouidentiæ incumbere, obices omnes perfringere, & quæ sese obiiciunt pertractandis negotiis, difficultates complanare, vt mirentur nonnunquā,

qui se ei committunt, tam subito illos, A quasi montes quosdam, in planum deduci, ac veluti colliquescere; & euanescere. Nosti id Lector, ac vero etiam opinor in pernoctandis meditandisue sacri Euangelii mysteriis sæpius obseruasti, statim atque se ad pietatis officia accingunt, piæ illæ fœminæ sepulchrum Christi cogitâtes, Marc. 16. quam difficultatem animo præceperât, aientes inter sese, *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti*, dum iter ipsi arripiunt, iam tum diuino consilio sublatum agnoscunt, *Et respicientes viderunt reuolutum lapidem*. Illustris est in eam rem atque annotatione dignus B locus Zachariæ cap. 4. vers. 7. vbi sub typo montis excelsi, atque ardui, ad omnes æmulos, & potentiores Iudæorum aduersarios qui volebant, aut certè facile poterant impedire, fabricam templi, sic loquitur Propheta, *Quis tu mons magne, coram Zorobabel? in planum, & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius*: Quibus verbis, vt liquet, mons stans coram Zorobabel, & templi fabricam impedire præsumens, in planum reducendus prædicitur, vt reipsa contigit, quia multis licet obstantibus, ac diu etiam contra nitentibus, tamen opus inchoatum C ad culmen vsque tandem perductum est à Zorobabele; vnde v. 9. additur, *Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam*: Sed quis iste tandê mons magnus, aut quo nomine potissimû designãdus? Vt maiorem huic vaticinio Zachariæ lucem afferam. Scio quidem Paulum de Palatio per montem istum, intelligere aceruum lapidum, qui instar môtis congesti reliqui supererat, ex ruina templi, *In loco, inquit, vbi templum erat ædificandum mons erat qui ex ruinis Hierosolymæ à Nabuchodonozore vastatæ sibi aggestus erat. Erat vero mons ille magnus,* D *hostibus scilicet Iudæorum, sic procurantibus, ne sibi templum posset readificari: Cum ergo mons ille magno esset impedimento ad templum ædificandum videt Propheta, montem, dicens, quis tu es, vt templum impedias? In planum reduceris, iussu Zorobabelis*, sic ille. Sed communis opinio est D. Hieronymi, Remigii, Hugonis, Dionysii, & passim Hebræorum, per montem istum magnum, intelligi Satanam, qui sicut aduersatus fuerat Iesu Pontifici, sic extollit se quoque contra Zorobabelem, vt identidê sæuiens, opus valeat, si non omnino impedire, saltem ad tempus retardare.

Difficultates quæ se offerunt in tractandis negotiis quæ Dei causa suscipiuntur ferè à Deo remoueri solent. V.

Locus Zachariæ explicatur ad conseruandum quàm solemne sit Deo omnia impedimẽta ab eis remouere qui negotia eius causa suscipiunt.

Ego ad illorum sensum, alium etiam magis literalem, vti quidem existimo, potium adiungere, de regno Persarum, & Chaldæorum, instar montis sese Iudæorum conatibus, templum ædificare statuentibus opponente, quod tamê planitiei erat exæquandum, ac proinde incœptæ fabricæ minus obstiturũ. Scitum enim est, ex Esdræ nostri historia, Reges aliquos, & Monarchas Persidis præsertim Cambysem & Magos, à primis consiliariis, persuasos, quos Samaritæ, aliique Iudæorum hostes, donis & largitionibus corruperant, templi instaurationem impedisse, atque ita censent, Albert. Theodoretus, Isidorus Clarius, immo & Chaldæus, qui sic vertit, *Quid tu reputaris regnum stolidum coram Zorobabele; Nonne quasi planities, aut quasi vallis?* ait ergo Zacharias, Quis tu mons magne, coram Zorobabel? in planum; quasi dicat, quid sunt Monarchæ Persidis, qui videntur esse montes excelsi, vt se tibi ô Zorobabel, opponant, in fabrica templi? ecce ego eos in planitiem deducam, id est humiliabo, coram te, atque in oculis tuis illos, quasi in vallem deducam, tùm quia faciã, vt tu eis in hoc opere emineas, & superes quasi mons excelsus, tùm quia cor eorum plectam, & mitigabo, vt ipsi velut valles facilem tibi aditum, & transitum præbeant, vt se tibi quodammodo subiiciant, votis tuis annuendo, templumque instaurari permittant, *Cor enim Regis in manu Dei, & quocumque voluerit inclinabit illud*, Prou. 21. vnde & Theodoretus, sic explicat, quasi diceret, sermone ad obnitentes ipsos conuerso, *Et si multis cum summa rabie Zorobabel impedire conemini, vestras spes vanas ostendam, cum enim omni gratia compleui, & redundantibus bonis cumulaui, & firmum tanquam lapidem constitui; vobis autem perniciem comparabo, vt id quod abest viribus humanis, sarciatur & compensetur à superna benignitate*; Hactenus Theodoretus. Verùm ne in singulis hæream, quiqui sint illi; sub montis inuolucro, à Zacharia potissimum designati, Iudæorum hostes, & aduersarii, in opere Dei moliendo, vniuersim cõtra montes istos, atq; editas terræ moles in cœlum insurgentes, sic etiamnum adhuc possunt contorqueri, hæc Prophetæ verba; *Quis tu mons magne coram Zorobabel*; quasi diceretur, Quis tu tandê es homuncio, homo puluis, homo vermicule, quisquis

sis, quisnam tamen es, aut quem te esse existimas, qui montis instar, intumescis, & sanè si coram hominibus solummodo, & contra opus merè humanum, aut humani tantum consilii erigeris, toleranda quoquo modo esset tua ista stoliditas, at cum videri etiam ipse vis, mons magnus, coram Zorobabele, opus Dei, atque adeo munus sibi à præpotente Deo impositum exequente, non vides quam te diuino ipse numini intolerandum exhibeas? Quis tu mons magne? in planum, in planum descende, complanare, nec te eo vsque efferas, vt seruos Dei operibus, ac negotiis Domini sui exequendis intentos, atque incubantes totos, remorari vnquam, aut certè in perpetuum inhibere posse confidas? Hæc Zachariæ mens, quæ quantum ad institutum dissertationem faciat, nemo non intelligit.

VI. Et verò Iudæi illi ipsi reduces è Babylone, in Iudæam, vix ad opus Domini se accinxerunt, vix templi fundamenta posuerunt, cum è cœlo bona omnia vbertim in illos influunt, vt vel ex eo bonam Dei manum super se possint agnoscere. Audi Aggæum ca. 2. *A die vigesima & quarta noni mensis, à die qua fundamenta iacta sunt Templi Domini, Ponite super cor vestrum; Numquid iam semen in germine est; & adhuc in vinea, & ficus; & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit; Ex die ista benedicam;* Ergo ne concidat animus cuiusquam, ne quis vnquam terreatur, aut vllum pusillioris ingenii exhibeat argumentum, cum opus aliquod Dei, ipsius vnius causa moliendum aggreditur, præsto semper est auxiliaris eius manus, quæ vt ad magna quæque compellit interdum, atque incitat, sic quos compulerit, ad ea perficienda quæ cœperint, aut animo destinarint perficere quoque ipse, confirmare, ac solidare consueuit. Vis exemplis testatissimum illud faciam? reuoca in memoriam, ex sacris paginis, quicquid iam à primis temporibus gestum est illustrius, Pone tibi ob oculos, Mosem, Gedeonem, Samsonem, Dauidem, Iudam Machabæum, aliosque sexcentos, & vide tecum ipse, quam præsentem, quam secundam vbique diuini numinis opem persenserunt, cum prælia Domini præliati sunt, illorum vel qui secuti sunt vel etiam antecesserunt facta præclarè, animo & cogitatione reuolue, perlustra ætates omnes, percurre singulorum tempora, comperies illicò, quotquot superioribus seculis extiterunt, si quando grande aliquod facinus, & heroïcum, quod aiunt, opus, aggressi sunt, vnius Dei nomine, vnamque ipsius gloriam spectantes, vbicumque ac semper ferè, bonam Dei manum super se, & inuenisse, & expertos esse vniuersos.

Vbertas & rerum omnium copia in Iudæos manauit statim atque opus Dei in fabrica templi aggredi cœperunt.

VII. Grande opus profectò, spissum facinus, & arduum, olim Moysi, qui toti populo Israelitico præficitur Exodi 3. & 4. cumque iubetur, ex Ægypto, & Pharaonis tyrannide, in desertum adducere, Pharaonem ipsum conuenire, & eundem vel inuitum, ac reluctantem, modis omnibus ad populi dimissionem compellere. Operosum sanè negotium, difficilis prouincia, hominis vulgaris alioqui, atque ignoti humeris imposita, operosum inquam, ac difficilè negotium, quod potentiorum hominum vires exhauriat, quod excelsiora ac fortiora ingenia reformidant, aggreditur tamen, ac pertentat, Deo duce, iubente etiam, ac vehementius vrgente numine. Quid ille? annon primo velut ingressu in aulam Pharaonis inuenit, & experitur bonam Dei manum super se? annon se constitutum adeo, Deum Pharaonis ostendit, non statim omnipotentis manum, in auxilium aduocat, ac quodammodo se omnipotentem esse commonstrat? Ita sanè, in signis, & portentis, in brachio forti, & extento, oppressum Ægyptiaca seruitute populum; sed abeuntes persequitur Pharao, quid Moses interim? annon per iniuium mare, viam sibi populoque sternit; non aquas diuidit, per quas salui & sospites Hebræi transeunt, Ægyptii miserè pereunt, & suffocantur.

Qui Dei causa laborant expertis bonam eius manum super se promptumque auxilium exemplis monstratur ex sacra historia depromptis.

VIII. De Gedeone quid dicam, grande opus Gedeoni, difficile omnino negotium, homini minus in belliis exercitato homini infimæ conditionis, ac non tantum rusticanis operibus intento, populum Dei à Madianitis liberare in trecentis viris, cum trecentis duntaxat militibus se committere certamini, aduersus numerosum hostem, iuit tamen Deo imperante, eiusque fretus auxilio, Iudic. 7. vers. 9. Quid tum postea? Tradidit Dominus in manus eius Madian, & omnia castra eius, quia scilicet in hoc opere, quod Dei causa suscipiebat, inuenit bonam Dei manum super se. Quam bellè propterea in-

structa acie, cum personaret tuba in manu eius, iussit milites per castrorum circuitum clangere, & conclamare, *Domino & Gedeoni*, seu vt est vers. 20. *Gladius Domini & Gedeonis*, id est, vt exponit, Chaldæus, Gladius à facie Domini procedit, & victoria per Gedeonis manus est, nisi mauis, cum Augustino, quæst. 40. hoc significasse, quod gladius id erat operaturus, quod Domino placeret, & Gedeoni. De Samsone vis dicam nonnihil? quid non molitus est? quid non aggressus? quid intentatum reliquit aduersus Philisthæos, cum *cœpit spiritus Domini esse cum eo, in castris Domini*, vt scriptura loquitur Iud. 13. vers. 25. cum mansit, vt vertit Chaldæus, super eum spiritus fortitudinis à conspectu Domini, ad roborandum eum, cum egregia, atque supra humanum modum, perfectæ virtutis stupenda facinora effecit, ait Diu. Ambrosius, epistola 70. cuius potentissima fortitudo in eo erat, quod vt scriptura dicit, *Incedebat cum illo Spiritus Domini*, ait D. Augustinus ser. 107. de tempore. De Dauide, quam insigne illud quod huc pertinet, cum ad Goliath superbè iactantem sese, & vultu minaci, atque horrenda extrema omnia, aduersus eum parantem, sic loquitur 1. Reg. 18. vers. 45. *Tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo, & ego venio ad te, in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti, & dabit te Dominus in manu mea*. Certè grande opus erat & periculosæ plenum aleæ, procerum, atque immanem Gigantem Goliath, molem illam, ac turrim veluti carneum, tam stupendam toti populo Dei, immo Deo ipsi hominibusque insultantem, debellare, deiicere, deturbare, diruere, homini præsertim, adhuc adolescenti, & inermi; sed tamen, quid mirum? Si iuuenis etiam, atque inermis, Deo armatus, pro populo Domini decertaturus, Goliath aggrediens in nomine Domini, ait ipse, non magis quam quod reipsa perfecit, *Hodie dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philisthiim, hodie, volatilibus cæli, & bestiis terræ, vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israel, & nouerit vniuersa Ecclesia, quia non in gladio, nec in hasta, saluet Dominus, ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras*. Iudæ verò Machabæi, tam

Explicatio horum verborum Iudic. 7. Gladius Domini & Gedeonis.

IX.

A frequentes, tam difficiles, ac periculosæ congressiones cum hoste, eoque numerosissimo, fortissimo, ac potentissimo, eiusdem ipsius tam numerosæ, tamque insignes victoriæ cuius aures non peruasere? *Dilatauit gloriam populo suo*, inquit Scriptura 1. Machab. 3. *& induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua in prælio, & protegebat castra gladio suo; similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione; & persecutus est iniquos perscrutans eos, & qui conturbabant populum suum, eos succendit flam-*
B *mis, & repulsi sunt inimici eius præ timore eius, & omnes operarij iniquitatis conturbati sunt. & directa est salus in manu eius*. Sed quo tempore? cum in speciem, atque ex communi omnium sensu desperata esset Iudæorū salus, cum res populi omnis accisæ pœne & profligatæ essēt, *Exacerbabat Reges multos*, pergit sacer author, *& lætificabat Iacob in operibus suis, & in seculum memoria eius in benedictione, & perambulabat ciuitates Iuda, & perdidit impios ex eis, & auertit iram ab Israel; & nominatus est vsque ad nouissimum terræ*. Sed quid ita? vnde, & quorsum, aut quo tandem,
C referri debet, in opere tam difficili, atque arduo successus tam felix atque eximius? Nimirum æmulabatur legem Domini, zelo gloriæ eius æstuabat, paterna Matathiæ morientis voce olim confirmatus, diuini numinis gratia, ac protectione confortatus, cum bellum agebat populi Dei, Dei quoque ipsius causam suscipere censebatur. Quid porrò magis, è re Dei est, quàm vt suos quid suos dico, quàm vt se suaque, aduersus obnitentes quosque, per miraculum etiam, si necesse est tueatur? Hinc Machabæi deinceps in signis suis militaribus, non magis
D quam in pectoribus inscriptum insculptumque gerebant illud cantici Moysis Exod. 15. *Camocha, Baelim, Adonai, Quis similis tui in fortibus Domine*, quæ quidem verba, per initiales tantum literas, vt in signis expressa erant. *Machabai* exhibebant, vnde Machabæorum nomen, nonnulli deductum volunt, & quoniam infirma mundi non raro elegit Deus, vt confunderet fortia. A virorum exemplis, ad fœminarum quoque exempla porrò etiam si lubet progrediamur. Age verò Iudithæ quam audax facinus, Holophernem, populi Dei hostem, in tentoriis suis opprimere meditantis? Estheris

Gestabant Machabæi inscriptum in signis suis militibus, Quis similis tui in fortibus Domine.

X.

Reginæ; quam audax, quam virile, quam supra sexus vires, atque ingenitam indolem, Regem Assuerum, contra imperij sui legem, publicamque sanctionem, adire cogitantis? Num hæc Assuerum placatiorem, num illa Holofernem emollitum & blandiorem inuenit, vtraque propitio, & secundante, si vnquam numine, atque opitulante cœlo? Quid ita, quia scilicet vtraque, & hæc & illa, fixis intentisque animis in opere, quod moliebantur longè difficillimo, in vnum diuini numinis cultum, & obsequium, tanquam in scopum collineabant. Audi vtriusque vocem, & mentem, ac de Iudith primum, sic accipe, *Et petiit dum introiret*, ad Holophernē puta, *vt daretur ei copia nocte, & ante lucem, egrediendi foras, ad orationem, & deprecandi Dominum*, Iudith cap. 12. vers. 5. vnde additur, vers. 6. 7. 8. & 9. *Et præcepit cubiculariis suis vt sicut placeret illi, exiret, & introiret ad adorandum Deum suum, per triduum, & exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat se in fonte aquæ, & ascendebat, & adorabat Dominum Deum Israel, vt dirigeret viam eius, ad liberationem populi sui; & introiens manè manebat in tabernaculo, vsque dum aciperet escam suam in vesperè.* En quam in arcem ascendit Iuditha, in orationem scilicet, vt rei suæ gerendæ fortiter, cum Deo consilium ineat & occasionis quam commodissimæ captandæ, rationem intelligat. Quid mirum si postea, quod Ozias Sacerdos, votis omnibus expetebat cap. 10. vers. 7. Consilium eius, virtute sua, Deus ita corroborauerit, vt super eam gloriata sit Hierusalem, ipsiusque nomen in numero iustorum & sanctorum fuerit recensitum. Idem quod Iudithæ, Esthetis & fuit in re non omnino dissimili institutum, quod ab vna, hoc & ab altera factum opportunè deprehendes. Recole sacram Historiam Esther, cap. 14. statim vers. 1. & sequentibus. *Esther Regina confugit ad Dominum pauens periculum, quod imminebat, deinde cultu ad luctum composito, deprecabatur Dominum dicens, Domine mi, qui Rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te, nullus est auxiliator alius, periculum meum in manibus meis est*, quia scilicet mors supplicii loco, per legem indicta erat ei, qui ad Regem, non vocatus accederet: vnde ait vers. 12. *Da mihi fiduciam Domine Rex Deorum & vniuersæ potestatis, tribue sermonem compositum in ore meo, & in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri; tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, & quod nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, vsque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham.* Vide, quam vnam vnius Dei gloriam, præ sua, immo præ cæteris omnibus bonis spectabat ardebatque vehementer? Vide, quam in vno diuini numinis auxilio, spes omnes suas fixas, ac collocatas habebat, iam vero refer oculos ad ea quæ consecuta sunt, & tecum ipse differe, quid mirum, si postea, quod cap. 15. vers. 2. narratur. *Cum Assuerus, vidisset Estherem Reginam stantem placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu*, in signū beneuolētiæ scilicet, quę ad eam Rex, dixit: *Quid vis Esther Regina, quæ est petitio tua, etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, dabitur tibi*, quid mirum in quam si momento, tanta, illius ad Regem ingressu, facta rerum est conuersio, & omnes Iudaici nominis hostes compressi sint, & populus vniuersus ab Amani insidiis, immo atroci odio, ac furore, in perpetuum liberatus? Sic de diuino auxilio, certi quodammodo, ac securi sunt, qui Dei opus ac negotium moliuntur, sic genus omne præsidij à superis, sic Cœli rorem ac benedictionem facilè ad se aduocant, qui Dei gloriam, tanquam finem in quem intendant in actionibus suis, habent in animo suo constanter propositam. Contra Deo tam solemne est, ab iis substrahere auxiliatem manum suam nec larga, aut liberali manu, in eos diuinæ suæ prouidentiæ opes effundere, qui nominis sui gloriæ, honorique procurando non student: Hinc illud Matathiæ cap. 2. 25. *Si nolueritis audire, & ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris.* Quare quod à re nostra est, atque vt benè nobis sit, eo quantum per humanæ imbecillitatis vires licebit, spectemus vt omnia omnino opera, consilia, cogitata, in Deum dirigātur, vt Cœlo laboremus, vt quicquid demum facimus, aut animo meditamur, in nomine Dei fit, & quod diserte perscribit Apostolus ad gloriam Dei faciamus.

Deus ab iis qui procurādo diuinæ gloriæ non studēt substrahere solet auxiliarem suam manum.

TROPOLOGIA CAPITIS SEPTIMI.

Morale in illud verſ. 10. *Eſdras parauit cor ſuum vt inueſtigaret Legem Domini & faceret & doceret in Iſraël præceptum & iudicium, &c.*

Boni doctoris eſſe munus, prius facere quam docere & bonis operibus atque exemplis doctrinæ ſuæ fidem conciliare.

XI.

HOC tam inſigni doctoris munere, feliciter perfunctus eſt Eſdras, (vt ipſa teſtatur litera) prius enim parat cor ſuũ, vt inueſtiget Legem Domini, deinde vt faciat, & opere quod nouit expleat, & exequatur, & tandem vt doceat populum in Iſraël, præcepta, & iudicia Domini. In quem locum vt breuiter ſic ad mores percommodè Lyranus, hic eſt, inquit, debitus proceſſus doctoris, ſicut *cœpit Ieſus, facere & docere*. Nec longè ab eo Beda, cum ait, Eſdras parauit cor ſuum, vt inueſtigaret Legem Domini, id eſt, vt ipſe prior hanc faciendo impleret, & ſic ad alios docendos os aperiret. Hoc eſt, quod ait Pſaltes Regius, Pſal. 67. *Dare voci, vocem virtutis*, ita alios docere, vt teipſum doceas, vt interpretatur D. Bernardus, Epiſtola 201. & Serm. 59. in Cantica: Hoc ipſum eſt, ſi D. Gregorium & Theophylactum audimus, quod fecit vt Chriſtus docuerit, *Tanquam poteſtatem habens non ſicut Scribæ & Phariſæi*, *Matth.* 7. Vetus etiam illud eſt, & in myſticorum ſermonibus vulgare, nihil docuiſſe Chriſtum, quod non idem fecerit, & faciendo etiam docuiſſe, & omnem eius actionem noſtram fuiſſe inſtructionem, quin ſi verba illa, *docere & facere*, aut rem ipſam potius, verbis ſignificatam preſſius, ac diſtinctius accipias, vt prius longe, ſic multo plus illum feciſſe quam docuiſſe comperies, cum vix trienniium docuerit; vt iam paulò ante ſignificaui, nec niſi iam trigenarius docere inceperit, vel etiam, vt volunt qui à baptiſmo annum expectaſſe docent, iam agens

Dare voci vocem virtutis, *Pſal.* 67. *eſt ita alios docere vt teipſum doceas.*

A trigeſimum primum annum. De eo quicquid demum ſit, id ni aſſequeris, vt agendo doceas, & docendo agas, nugas agis; hiſtrionis aut hypocritæ, non veri monum doctoris eſt, docere & dicere ſolum, & non facere, alios docendo ad bonum impellere, nec exemplo, præcepta præire, aut ſaltem ſequi, hoc eſt, vt Tertulliani voce vtar, *Minus veritatem tractare*. Phariſæis, hanc notam, Chriſtus impingit, *quod dicant, & non faciant*, Matth. 23. verſ. 3. contra quàm ſe gerunt atque ipſo viuendi inſtituto, oſtentare ſolent. Vere Chriſti diſcipuli, *imitatores mei eſtote*, inquit Apoſtolus, *ſicut & ego Chriſti*, C 1. Corinth. 11. verſ. 1. docuerat ille, quidem, ſed faciebat item, qui ſuos ita affatur auditores: & Philipp. 3. verſ. 9. *Imitatores mei eſtote fratres & obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram*, quos formare ac veluti in Chriſto effingere ſatagit, iis vitæ ſuæ formam ſubminiſtrat. Ideam ſe atque exemplar virtutis, quod imitentur, ac repræſentent, ſuis exhibet, quam aptè ad boni doctoris munus ritè exequendum & partes eius omnes cumulatè implendas. *Fiducialiter ſequor te Domine quocumque & ſecure incedo viam mandatorum tuorum, ſciens quod per eam præceſſeris*, ait D. Bernardus Sermone de ſancto Benedicto: de D ſancto Baſilio, tradit D. Gregorius, in eius laudem, nihil præcepiſſe ſuis, quod non faceret prior, [illegible] *tonitru*, inquit, *erat eius oratio*, vita fulgur & coruſcatio, tonabat ore, voce fulminabat, ſed quod magis in doctore eximium, opere fulgurabat; idem traditur à D. Bernardo de ſancta Malachia Hiberniæ Epiſcopo, *Huius vita, ſermo erat ſulcitium*, & à

Oſtēdit D. Paulus auditoribus ſuis ſe verum eſſe doctorem ac Chriſti diſcipulū vt qui exēplo & verbo doceat.

D. Baſilij oratio Tonitru vita fulgur.

nonnullis de S. Dionysio scribitur, *Moribus docebat plusquam sermonibus.* S. Augustinus, de matre sua S. Monica sermonem instituens, in confessionibus suis, *Præcepta*, inquit, *vitæ quæ in animo plantauerat verbo, rigabat lachrymis, alebat exemplis.* Bonum eloqui atque ipsum quod dicis operari hoc est psallere Deo, si rite hanc Dauidis vocem intelligis Psal. 100. vers. 2. *Psallam & intelligam in via immaculata*, psallere enim non solum est voce, verum etiam adhibito ad vocem Psalterio laudes Dei personare; mutuum esse debet linguæ cum manu, & manus cum lingua commercium, opera verbis associanda, *Psallam*, id est, *cum hilaritate bene operabor*, ait disertis verbis incognitus in Psalmos. Nempè D. Augustino interprete, psallere operari est, sic enim ille; *Psalle*, inquit, id est *operare*; & sanè de Dauide, cum locum supradictum expendit, D. Chrysostomus hæc habet, *Psallebat porro cum nulla criminis labe ipsius conscientiam lancinante facta sua enumeraret*, & Cassiodorus, *Domino psallit, qui bonis factis suis, eum placare contendit est enim suauissima virtus harmonia, quando vox cognoscitur operibus consonare: Nam si hæ duæ res discrepabili sibi varietate dissentiant, nequaquam possunt psalmodia temperatam efficere cantilenam.* Hæc Cassiodorus, ad quem Maximum quoque Tyrium adiungo, qui dissertatione 15. cui titulus, *Solos sermones qui operibus respondent esse optimos*: inter cætera ait, sicut autem in concentu musico, si vel minimum prætermittis iota, soluitur cantus ratio, sic in hoc vitæ concentu, nisi planè inconcinnum esse velis, & inutilem, necesse est verbis, actiones ipsas respondere; & quidem, meo iudicio, præclarè, qui enim amabo, illius verbis fides adhibeatur, qui opera verbis dissentanea efficere deprehenditur? certè ob hanc rationem, caput & manus sponsi, eiusdem materiæ, & coloris esse, aurea scilicet Cantic. 5. vers. 11. & vers. 14. à nonnullis est annotatum. *Caput eius aurum optimum, manus eius tornatiles aureæ*; qua velut imagine, ad viuum exprimitur, quod monet Seneca Epistola 20. *Hoc exigere Philosophiam, vt ad legem suam quisque viuat, nec orationi vita dissentiat, vt ipsa inter se vita, vnius sine actionis dissensione coloru sit.* Quis credat, Isaiam Prophetam, de industria ab ipso prædicandi, docendique munere, olim abstinuisse, donec ignito calculo, polluta eius labia ab Angelo repurgarentur Isa. cap. 6. nimirum id factum est vt orationi dicentis vita consentiret, & eiusdem vtraque, vita scilicet & oratio, vt sic dicam, coloris esset, sic annotat Philippus Abbas libro de silentio Clericorum cap. 76. cum ait de Isaia, *Os eius siue labia tangit ignito calculo & emundat, vt deinceps loquentem quæ bona sunt, & vita assimilis non confundat, nec retundat contumeliosa auditorum obiectio.* Vis principis imperantis hortantisue, vis veri doctoris, ac magistri numeros omnes absoluere, molire primum ipse, ac perficere contende, quæ aliis præscribis, atque imperas, *Primus iussa subi, tunc obseruantior æqui, fit populus nec ferre vetat cum viderit ipsum authorem parere sibi*, aiebat Poëta nescio quis, credo Claudianus de Consulatu Honorij. *Sit rector operatione præcipuus*, ait D. Gregorius in Pastorali, *vt vitæ viam subditis viuendo denunciet, & Grex qui Pastoris vocem, moresque sequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur; qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare; illa vox namque libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita cōmendat, quia dum quid loquendo imperat, ostendēdo adiuuat vt fiat.*

XII. *Bonū eloqui & operari, hoc est propriè Psallere Deo, ex SS. Patrū expositione.*

Caput & manus spōsi in Cantic. eiusdem materiæ & coloris quia opera verbis consentanea esse oportet.

XIII. Nihil notius, quam quod Apostoli, & primi orbis terrarum Magistri, cum luce componuntur, in Euangelio Matth. 5. vers. 13. dicente Christo, *Vos estis lux mundi*, quod ad doctrinam & sapientiam referunt boni auctores vnde postea subiungitur, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est*, quasi diceretur; Is modus lucendi, siue monendi docendiue, à vobis omnino seruari debet, vt homines quos docueritis, non prius aures ad audiendum arrigant, quam bona opera vestra, quæ eos acrius pungant, viderint; quæ obseruatio est auctoris imperfecti in Matth. Hom. 10. cum ait, *Sic luceat lux vestra*, id est, *sic illuminate, sic docete, non vt verba vestra tantūmodo audiant homines, sed & opera vestra bona videant*, vt quos illuminaueritis per verbum, quasi lux, condiatis per exempla operum vestrorum, quasi sales, *Vos enim*, inquit, *ibidem Christus estis sal terræ*, quoniam *qui docet & facit quod docet, vere ille docet, qui autem non facit quod docet non*

Lux & Sal vocantur Apostoli

Propter sanam illorum doctrinam & bona exempla.

alium docet, sed seipsum cõdemnat. Hinc A querela illa D. Chrysostomi aduersus malos Doctores, & Sacerdotes praue super cathedrã sedentes, vere aurea ac digna ore Chrysost. Hom. in Matth. 23. *Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes, multi in nomine, & pauci in opere; videte ergo quomodo sedeatis super cathedrã, quia cathedra non facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum: qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa; qui male sederit, iniuriam facit cathedræ, in iudicio enim sedes, si bene vixeris, & bene docueris, omnium iudex eris, si autem bene docueris, & male vixeris, tui solius; nam bene viuendo & bene docendo populum instruis quomodo viuere debeat, bene autem docendo & male viuendo, Deum instruis, quomodo debeat te condemnare.* Faciũt aliqui non docẽt, & illorum est, vt cum Hieronymo loquar sancta rusticitas, alij non faciunt, sed docent, & isti iniqui sunt, nonnulli neutrum faciunt, nec docent nec agunt, & hi & iniqui, & inutiles sunt; Quidã vtrumque præstant, & docent & faciunt; illi vero sunt verè laudabiles; Nempe *qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno Cœlorum*, ait Christus Matth. 5. hoc est, *esse ducem consilio, militem exemplo*, quod de Traiano olim iactabat; Pacatus in Panegyrico seu quod de Mithridate, Velleius Paterculus, *Consiliis ducem, militem manu*, qui secus facit, hoc est qui docet, nec facto ipso, atque opere explendo doctinam suam probat, qui docet, & non facit, is rectè à Nazianzeno, *Trahere vna manu, altera repellere perhibetur*, Tritum est illud Senecæ, Epistola 108. *longum iter est ad virtutem per præcepta, breue & efficax per exempla*, qui cum mirè consentiunt, altera D. Leonis verba, de eodem argumento, Sermone de sancto Laurentio, *Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad suadendum, validiora tamen sunt exempla, quam verba, & plenius est opere docere quam voce.* Ac vero teste etiam D. Chrysostomo Hom. 13 in cap. 3. Ioan. Gentiles, atque à vera religione extorres, non tam signis ac miraculis, ad fidem adducuntur, quam eorum à quibus erudiuntur probitate morum, ac vitæ sanctitudine, quam nihil æque ac dilectio conspicuam facit, atque commendat: nempè qui miracula faciunt nonnunquam illis suspecti sunt, quasi deceptores, & præstigiatorum architecti; at vitæ puritas, vbi in illorum oculos incurrit, nihil nisi bonum arguit, & in causa fidei, bonum vbique, & apud omnes affert præiudicium, & certè ius quodammodo naturæ est, oculis potius, quam auribus credere.

XIV. Gentiles magis adducuntur ad fidem eorum à quibus docentur vitæ ac morũ sanctitudine quam signis & miraculis.

Qui bona tantum dicerent, & facere omitterent, Diogenes apud Laertium lib. 6. asserebat citharæ similes, quæ optime sonaret, audiret nihil, *non te pudet*, aiebat idem, stolido cuidam, aptanti, concinnantique psalterium suum, *sonos aptare ligno, cum ad vitam mores non componas*; hoc vitio labo- B rantem Imperatorem nomine Pertinacem, scribit Capitolinus, cognominatum, χρηστολόγον, quod bene loqueretur, male ageret: *Opus, est imago virtutis, sermo autem imaginis adumbratio est, in adumbratione vero, nullus character, sed solum est characteris & figuræ commentum*, ait S. Ephrem Syrus de perfectione Monachorum; qui & alibi sermonem otiosum esse dicit, qui de bono instituitur & opere non expletur. *Quis est ergo sermo otiosus*, inquit, *qui in solo habitu versatur, qui post boni cognitionem in malis persistit, qui quæ bona sunt, docet, & opere non* C *perficit*, sic ille, in tractatu, quem confessionem & sui ipsius reprehensionem appellat. Et quoniam magna est docentis, cum medentis officio, & munere simili udo, illud adiungam, qui docet agit medicum, qui non facit quod docet, æger est animo, at Medicus æger, ægro commodè mederi non potest, iuxta illud, *Medice cura te ipsum*; certè Hipocrates in Medico, seu in opere, cui titulus est, *Medicus*, librum sic exorditur, *Hic liber, medici gubernatio est*, & præceptum, quomodo institui oporteat, Medici equidem gubernationem esse putamus vt curet D qui bono colore, & bona, & carnosa corporis habitudine præditus est, secundum existentem in ipso naturam. Vulgus enim existimat, eos qui non sic bene dispositum corpus habent, neque aliis bene prospicere posse. Nec minus verè quam scitè à Rabbinis hoc est Hebræorum Magistris quibusdam, in Tractatu Sanedrim cap. 17. dictum est, qui sacras literas legit, neque quod legit ad actionem confert, similis ei est qui crebro seminat, metit nunquam, item mulieri quæ parit sæpè, sed natos illico sepelit, demum cantori, qui diem totum canit, neque postea quicquam habet. Alias super eadem re compa-

Pertinax Imperator nominatus χρηστολόγος quod bene loqueretur male ageret.

XV. Qui docet cum Medicum agat, si æger ipse est animo ægro mederi commodè non potest.

Quibus similes di-

cantur à variis authoribus qui docent & non faciunt.

comparationes instituit D. Macarius Heremita Ægyptius hom 17. quas nec iniucundum fortè nec inutile erit hic attexere, *Perinde*, inquit, *ac si quis vilibus indutus vestimentis per visum seipsum conspiciat diuitem, surgens à somno rursum se pauperem, ac nudum videat, sic quoque, qui sermonem spiritualem loquuntur, conuenienter loqui videntur, si vero careant verborum effectu, cum quodam gestu, facultate, ac certitudine fidei, in mente firmato, in nuda quadam opinione consistunt.* Quę sequitur similitudo, horroris nescio quid legentibus incutit; *aut veluti fœmina, holosericorum, Margaritarum cultu exornata, prostat in lupanari, sic quoque cor eiusmodi hominum, lupanar quoddam est, ipsorum immundorum spirituum, ac volunt habere sermones de iustitia, ne quidem ad opera eius inclinantes: in opere & virtute est regnum Dei non in sermone*, vt loquitur Apostolus 1. Cor. 4. Pergit deinde idem Author, post pauca, extrema hac duplici similitudine, rem totam illustrãs, *Qui gestu non præcepto verba spiritualia proferunt, non absimiles sunt ei, qui maximo æstu premente, desertum agrum perambulat, & sitibundus, depingit sibi fontem emittentem aquam, adumbrans seipsum bibentem, cum tamen labia eius, ac lingua exarescunt præ siti, qua tenetur, aut si quis disserat de mellis suauitate, & vim dulcedinis eius, eo quòd non degustarit, ignoret, sic se habent qui de perfectione, exultatione, aut affectuum vacuitate, sermonem suscipiunt, cum vi ac certitudine fidei careant, certè non omnia, vt loquuntur, sic se habent: Cum enim talis meruerit aliquando, vt paulatim ad opus quoddam complendum progressus reperiatur, secum ipse diiudicabit, non quemadmodum arbitrabar, sic reperi, aliter enim loquebar, aliter spiritus operabatur.* Hactenus ille, in quibus non imprudenter agere videbimur, si consistimus. Studendum igitur nobis, est impensè, nobis inquam qui alios ex munere, atque instituto, virtutem docemus, & ad præclara quæque instituimus, vt Christi more doceamus, vt eum docentem & manu, & lingua, & moribus, & doctrina, referamus, vt qualem se tota vita exhibuit, opere & sermone, ipsi quoque potentes simus. Ne scilicet, quod ait Tertullianus, lib. de pœnitentia cap. 1. *Dicta factis deficientibus erubescant*, ne si docuerimus, & non fecerimus, minimi vocemur in regno cœlorum, id est nulli simus, & nullo in numero apud Deum; néue tandem aliquando, post longas dissertationes in aliorum salutem institutas, expleto per multos annos, dicendi, hortandi, monendi, concionandique munere, voce duntaxat, non opere nobis aditum in cœlum aut petentibus, aut optantibus, Christus ipse, formidandum illud occinat, *Nescio vos, discedite à me operarij iniquitatis.*

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis septimi.

Morale & mysticum, *De Sale absque mensura Iudæis tradito.* vers. 22.

Necessitatem discretionis & prudentiæ in operibus exequendis indicante.

XVI. Quid per salem in omnibus sacrificijs & oblationibus adhiberi solitum mysticè significetur expenditur & ad virtutem prudentiæ & discretionis refertur.

VM in sale Iudæis tradendo, certum aliquem modum, aut mensuram, definire noluerit Artaxerxes, ne vnquam cessarent sacrificia, aut minus religiosè fierent. Quod scilicet in re sacrificali, multum salis insumi solere, non ignoraret, vt in litera diximus; Nunc quid causæ fuerit, cur Deus in quibuslibet sacrificiis, vt oblationibus, salem sibi admisceri voluit, quidue in eo mysticum lateat, opportunum est indagare. Quidam in sale, prudentiam signi-

ficari credunt, quæ si in sacrificiis desit, futura diuino numini minus grata existimant. Eo spectat illud Bernardi serm. 49. in Cant. *Discretio est moderatrix & auriga virtutum, affectuum ordinatrix, & doctrix morum, omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem, & perpetuitatem, Tolle hanc, virtus vitium erit.* Et quidem videtur illud Christus insinuasse Marci cap. 9. vers. 48. *Omnis*, inquit, *igne salietur, & omnis victima sale salietur*, quo loco in sale plerique interpretes sapientiam intelligunt, inter quos censentur Theodoretus, Rupertus, Beda, &c. certè sanctus Cyrillus de adoratione lib. 15. non procul à principio, hoc apertè docuit. *Oblationibus*, inquit, *inspergitur sal. Oportet quidem nos mea sententia, sapienter prudenterque sacrificare, ita vt ad omne opus bonum, optime parati simus, nam illi mores ingrati & insulsi minimè his conueniunt, qui pietatem colere instituerunt, &c.* Alii in sacrificiis, id est, in bono, seu in bonis studiosisque actionibus, constantiam, firmitatemque mētis, ad mixtionem salis adumbrari existimant; quia scilicet, ea est natura salis vt res alioqui fluxas, & corruptioni, tabive obnoxias, conseruet, faciatque esse diuturnas. Sic Philo, de Victimis, paulò post medium. *Omnibus*, inquit, *oblationibus salem adhibebitis, quo significatur æterna durabilitas, sal enim conseruator est corporum, secundo post animam ordine, nam sicut anima causa est incorruptionis corporum, sic sal quam diutißime tuetur ea, redditque quodammodo immortalia*: Quid si, nec fortè quidquam aliud Christus, apud Marcum loco supra citato voluit, cum igne saliendum esse dixit victimam & sale, quàm in igne, id est, in mortificatione, & cruce, retinendam esse constantiam, &c. Quia ergo prudentiæ, quæ veræ prudentiæ nomen meretur, nullus est modus, & sacrificii veri, ac mortificationis in igne significatæ, nullus debet esse finis, ideo etiam iubetur, ne sit vlla salis mensura descripta, ac definita, quæ sacrificiorum indicat integram, incorruptamque materiam, & illorum alacrem continentemque vsum significat. Certum quidem est apud Philosophos, cum prudentia cæteræque virtutes intellectuales sine medio sint, vt aiunt, neminem peccare per excessum prudentiæ, atque ita sine modo ac mēsura virtutem illam esse comparandam: sale etiam cibi vulgares condiuntur, natura sua per boni, atque esculenta plurima; ita bona ipsa quæ geruntur, virtutes ipsæ, atque actiones studiosæ, nisi sale sapientiæ, discretionis ac prudentiæ, condiantur, quis dubitet, fore vt grato sapore destituantur, meritique, apud Deum expertes sint? *Bonus cibus, obedientia*, vt optimè notat D. Bernard. sermone de obedientia, patientia & sapientia, de qua nimirum & ipse Dominus ait, Ioan. 4. *Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei*; Et Propheta Psalm. 127 *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Bonus cibus patientia pauperum quæ non peribit in finem, panis lachrymarum, panis doloris, verumtamen vtrique necessarium est condimentum, sine quo vterque insipidus, non modo non reficiat, sed gustatus afferat mortem. Pernicißimus equidem cibus vterque, & nisi aliquod tertium saporabile apponatur, vtique mors in olla: Quid vero tam saporabile quam sapientia, &c.* Sal est quod nulli sacrificio deesse iubetur, Leuitici 2. inde est quod insulsos homines dicimus quos intelligi volumus minimè sapientes. Et Dominus sal in nobis habere præcipit. Marc. 9. *Habete sal in vobis*, Apostolus quoque Coloss. 4. omnem nostrum sermonem sale monet esse conditum, quod rectè ad prudentiam transfert Diuus Basilius, in constitutionibus Monasticis, capite 15. cum ait, *In omni quæ suscipitur actione antecedere prudentia debet, nam prudentia remota nihil cuiuscumque generis est, quod licet bonum videatur, non in vitium recidat; si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione, fiat: ratio vero, & prudentia, vbi rebus bonis idoneum tempus, ac modum definiunt mirabile est, quantus ex earum vsu, cum in dantes, cum in accipientes, fructus redundet. Beatus vir qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia*, ait Sapiens Prouerbiorum tertio, *quia melior est acquisitio eius negotiatione argenti & auri, lignum vitæ est iis qui apprehenderint eam. Melior est cunctis opibus, &c.* Vani sunt homines in quibus non est prudentia, si quidem hæc virtus, ait Laurentius Iustinianus, tractatu de ligno vitæ cap. 3. *Magistratum habet cæterarum virtutum, non solum virtus est, sed virtutum moderatrix, ordinatrix affectuum, & doctrix morum,*

Sal item in sacrificiis constantiam firmitatemque animi in bonis ac studiosis actionibus adumbrat.

Necessitas prudentiæ indicatur ex similitudine salis ad condiendos cibos necessarij.

XVII.

quæ fixo gradu possessorem suum ducit ad Dominum; nulla enim virtus perfici potest sine discretione, tolle hanc, quod iam supra aiebat Bernardus, & virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis, in perturbationem magis conuertetur, exterminiumque naturæ: sine hac virtute quasi de lumine ad tenebras currimus, sicut qui importune radios solis aspicit, tenebrescit, & inde nihil videre compellitur, vnde amplius cernere conatur; sic dum nosmetipsos plus iusto discutimus, de ipso discretionis studio indiscretius erramus, quia plerumque virtus, cum indiscretè tenetur, amittitur, & quo plus se nolle contendit, eo sine prudentia moderamine deterius in præceps ruit, &c. Hactenus Laurentius Iustinianus qui & eodem tractatu capite 4. eandem virtutem definit, & illius multiplices effectus egregiè percenset, quos huc etiam inferre non pigebit: Discretio, inquit, siue prudentia, est in diiudicandis rerum causis actibusque virtutum prouida humanarum mentium ratio, & moderatrix, ipsius est ostendere, quid, quando, & quomodo sit agendum; vnde qui prudenter accedit ad rem agendam, necesse est vt caueat, ne id solummodo consideret, vt illa res honesta sit, sed etiam vt habeat efficiendi facultatem: in quo ipso considerandum est, ne aut temerè despiciat periculum, aut nimis confidat de se, propter cupiditatem: intuendum est quoque, ne plus debito capiatur, & proiiciendum sit onus, ne sub ipso in via contingat deficere. In omnibus ergo negotiis, priusquam egrediatur ad opus, adhibenda est discretio; cunctam enim disciplinam regularis ordinis moderatur æqualitas discretionis, & prudentiæ; ne nimia remissio nutritiua sit criminum, vel impia discretio parricida sit virtutum. Ipsius quoque prudentiæ est prouidere, vt opera nostra grata sint Deo, nobis vtilia, & proximo fructuosa; quod tunc fit cum non excedit terminos. Propterea, ô prudentiæ amator stude, ne tua prudentia terminos suos excedat, vt non callidus inuestigator latentium, & scrutator qualiumcumque noxarum ostendaris, alioquin monstraberis digito, fastu plenus, versipellis, & simplicitatis inimicus, commendatorque culparum, & postremo vno nomine à cunctis malus homo vocaberis; sic ille, ex quo manifestè licet concludere, sale admodum nobis opus esse in omnibus, sine sale vita humana nequit consistere; vnde vetus illa vox, *Corporibus nihil vtilius est sale & sole*; Et illud, *Sal est vita artificialis carnium & sanguinum*, quæ quidem à vita corporis, ad vitam spiritus mysticè transferendæ sunt. *Habete Sal in vobis*, aiebat Christus ad Apostolos, *item vos estis sal terræ*, Matth. 5. *Quicquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo.* Vt ferebat antiqua lex, Leuit. 2. vers. 13. id est, vt iam summatim omnia complectar, in omni sacrificio omnique opere, etiam pœnitentiæ, & mortificationis, quod ad Dei obsequium fit, adhibendus est sapientiæ, prudentiæ & discretionis modus. Hinc Apostolus Romanorum 12. vers. 1. monet vt rationabile sit obsequium nostrum, *Obsecro vos*, inquit, *vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*: Et sanè, vt loco iam proximè citato addit Laurentius Iustinianus, Prudentiæ quoque est moderari feruorem præcipitantem: nam virtus discretionis, inquit, absque feruore charitatis iacet, & feruor vehemens sine prudentiæ temperamento præcipitat, ideo laudabilis est cui neutrum deest, quatenus feruor discretionem erigat, & prudentia feruorem regat. Quare si Deo in omnibus placere, si labores manuum nostrarum manducare, si fructum ex operibus nostris percipere, ac demum vtiliter, quoad æternæ vitæ meritum, totam vitam transigere decernimus, enitendum est, vt omnis nostra actio, mystico sale, semper condiatur, id est, vt sapientiæ ac prudentiæ Christianæ, quasi normæ respondeat, illique per omnia conformetur.

Prudentiæ & discretionis munus & officium.

XVIII.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ANDEM omnibus ritè comparatis ad profectionem, die primo primi mensis anni sacri indictam, Israeliticas turmas, quæ Babylonem conuenerant, & quarum hic census initur, cœpto iam itinere, primùm omnes in vnum cogit Esdras, ac congregat, ad fluuium qui decurrit ad Ahaua; ibi populo ieiunium indicit, iubetque, vti votis ac precibus diuinam inflectant misericordiam, & fœlicem in Iudæam reditum exorent; vasa omnia, & alia auri, argentique pondera, quorumdam Sacerdotum ac Leuitarum fidei committit, qui illa, statim atque ventum fuerit Hierosolymam, annumerent, appendantque sacrorum præfectis, & templi custodibus; inde digressi, reliquum iter prosperè ac feliciter conficiunt: Demùm vbi Iudæam attingunt, tùm vero, copiosæ ac pingues, à reducibus offerantur victimæ; hinc Regium edictum de templo exædificando, satrapis, confestim ac ducibus, qui erant trans flumen, ab Esdra redditum, & domus Dei, resque adeo Judæorum vniuersa postmodum minimo tempore, non parum promota.

CAPVT OCTAVVM Esdræ.

1. I sunt ergo Principes familiarum & genealogia eorum qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis Regis de Babylone.

2. De filiis Phineës, Gersom, de filiis Ithamar Daniel, de filiis Dauid Hattus.

3. De filiis Secheniæ, filii Pharos, Zacharias, & cum eo numerati sunt viri centum quinquaginta.

4. De filiis Phahath Moab, Elioanai, filius Zarche, & cum eo ducenti viri.

5. De filiis Secheniæ, filius Ezechiel, & cum eo trecenti viri.

6. De filiis Adan, Abad filius Ionathan, & cum eo quinquaginta viri.

7. De filiis Alam, Isaias filius Athatiæ, & cum eo septuaginta viri.

8. De filiis Saphatiæ, Zebedia filius Michael, & cum eo octoginta viri.

9. De filiis Ioab, Obedia filius Iahiel, & cum eo ducenti decem & octo viri.
10. De filiis Selomith, filius Iosphiæ, & cum eo centum sexaginta viri.
11. De filiis Bebai, Zacharias filius Bebai, & cum eo viginti octo viri.
12. De filiis Azgad, Iohanan filius Eccetan, & cum eo centum & decem viri.
13. De filiis Adonicam qui erant nouissimi, & hæc nomina eorum: Elipheleth, & Iehiel, & Samaias, & cum eis sexaginta viri.
14. De filiis Begui, Vthai & Zachur, & cum eis septuaginta viri.
15. Congregaui autem eos ad fluuium, qui decurrit ad Ahaua, & mansimus ibi tribus diebus, quæsiuique in populo & in Sacerdotibus de filiis Leui, & non inueni ibi.
16. Itaque misi Eliezer, & Ariel, & Semeiam & Elnathan, & Iarib, & alterum Elnathan, & Nathan & Zachariam, & Mosollam, Principes, & Iolarib, & Elnatham sapientes.
17. Et misi eos ad Eddo qui est primus in Chasphiæ loco, & posui in ore eorum verba, quæ loquerentur ad Eddo, & fratres eius Nathinæos, in loco Chasphiæ, vt adducerent nobis ministros domus Dei nostri.
18. Et adduxerunt nobis, per manum Dei nostri bonam super nos, virum doctissimum de filiis Moholi filij Leui, filij Israël & Sarabiam, & filios eius, & fratres eius decem & octo.
19. Et Hasabiam, & cum eo Isaiam de filiis Merari fratresque eius, & filios eius viginti,
20. Et de Nathinæis quos dederat Dauid, & Principes ad ministeria Leuitarum, Nathinæos ducentos viginti, omnes hi suis nominibus vocabantur.
21. Et prædicaui ibi ieiunium, iuxta fluuium Ahaua, vt affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis & filiis nostris, vniuersæque substantiæ nostræ.
22. Erubui enim petere à Rege auxilium & equites, qui defenderent nos ab inimico in via, quia dixeramus Regi; manus Dei nostri est super omnes qui quærunt eum in bonitate, & imperium eius & fortitudo eius, & furor super omnes qui derelinquunt eum.
23. Ieiunauimus autem & rogauimus Deum nostrum per hoc, & euenit nobis prosperè.
24. Et separaui de Principibus Sacerdotum duodecim, Sarabiam, & Hasabiam, & cum eis de fratribus eorum decem.
25. Appendique eis argentum & aurum, & vasa consecrata domus Dei nostri quæ obtulerat Rex, & Consiliatores eius, & Principes eius, vniuersusque Israël eorum qui inuenti fuerant.
26. Et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, & vasa argentea centum, auri centum talenta.
27. Et crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos, & vasa æris fulgentis optimi duo pulchra vt aurum.
28. Et dixi eis, Vos sancti Domini, & vasa sancta, & argentum, & aurum, quod sponte oblatum est Domino Deo patrum nostrorum:
29. Vigilate & custodite, donec

appendatis coram Principibus Sacerdotum, & Leuitarum & ducibus familiarum Israël, in Hierusalem in thesaurum domus Domini.

30. Susceperunt autem Sacerdotes & Leuitæ pondus argenti & auri, & vasorum, vt deferrent Hierusalem in domum Dei nostri.

31. Promouimus ergo à flumine Ahaua, duodecimo die mensis primi vt pergeremus Hierusalem, & manus Dei nostri fuit super nos, & liberauit nos de manu inimici, & insidiatoris in via.

32. Et venimus Hierusalem, & mansimus ibi tribus diebus.

33. Die autem quarta appensum est argentum & aurum, & vasa in domo Dei nostri, per manum Memmoth filij Vriæ Sacerdotis, & cum eo Eleazar filius Phinees, cumque eis Iozabed filius Iosue, & Noadaia filius Bennoi Leuitæ.

34. Iuxta numerum & pondus omnium, descriptumq; est omne pondus in tempore illo.

35. Sed & qui venerant de captiuitate, filij transmigrationis obtulerunt holocaustomata Deo Israël, vitulos duodecim pro omni populo Israël, arietes nonaginta sex, agnos septuaginta septem, hircos pro peccato duodecim, omnia in holocaustum Domino.

36. Dederunt autem Edicta Regis Satrapis, qui erant de conspectu Regis, & Ducibus trans flumen, & eleuauerunt populum, & domum Dei.

EXPOSITIO LITERALIS.

I. *In quod tempus ceciderit celebris hæc Esdræ profectio è Babylone in Hierusalem.*



SECVNDVM Chronologiam, quæ nobis hactenus, & cæteris exactior & certior visa est, celebris hæc Esdræ profectio Hierosolymitana, de qua toto hoc capite narratio instituitur, cadit in annum Mundi 3556. sextæ ætatis, vt imperij Persici 80. & citra omne dubiũ Artaxerxis septimum, vt scriptura indicat: qui & insignis, à quibusdam notatur, Danielis hebdomadaiũ initio, Estheris cum Artaxerxe Longimano, siue Assuero nuptiis, ac demum solemni, ac publico, vxorum alienigenarum repudio, à Iudæis reducibus, Esdra duce, atque incentore instituto, de quo cap. 9 & 10. sequentibus.

Vers. 1. *Hi sunt ergo Principes familiarum, &c.* Ab ipso capitis initio, vsque ad vers. 21. sic texitur series & genealogia Iudæorum qui cum Esdra sub Artaxerxe ascenderunt de Babylone, & in Hierusalem remigrarunt, vt eorum tantum census, ac numerus ineatur, qui vulgo familiarum principes, siue capita dicebantur, aut qui ex illorum familia oriundi censebantur; neque quidquam admodum est toto hoc contextu, seu prima capitis parte, quod difficile sit, aut longiori explicatione indigeat, tantum ex familiis, quæ hic sigillatim recensentur, plurimi dicuntur ab Esdra congregati ad fluuium Ahaua de quo proximè infrà vers. 15.

Vers. 2. *De filiis Phinees Gerson, de filiis Ithamar Daniel, &c.* Falluntur, meo iudicio, qui Phinees, & Ithamar, de quibus hoc textu, intelligi non posse aiunt, de Phinees filio Eleazari filii Aaron, nec de Ithamar, qui fuit ipse filius Aaron, sed de aliis, qui fuerint similibus nominibus insigniti; in eam scilicet opinionem, eo tantum inducti, quod infra hoc eodem cap. de filiis Leui, nulli fuerint inuenti, in populo illo, qui tunc erat cum Esdra; Phinees autem filius Eleazar, & Ithamar filius Aaron, fuerant de tribu Leui; nam ex sequentibus, in progressu huius expositionis constabit, quam parum solida sit illorum ratio, cum II. *Tantum hic recensentur familiarum Principes seu capita, vel qui ex illorum familia oriundi.*

III. vers. 15. Sacerdotes à Leuitis distinguemus, Sacerdotes autem fuisse in populo, licet Leuitæ non fuerint, manifestè textus indicat.

IV. *Inter reduces non numerantur fœminæ.* Vers. 3. *Et cum eo numerati sunt viri centum quinquaginta, &c.* Hebraicè, *Masculi*, nam in ordine, & numero eorum, qui ex Babylone ascenderunt in Iudæam, fœminæ non numerantur, id vox viri significat.

V. Vers. 15. *Congregaui eos ad fluuium qui decurrit ad Ahaua, &c.* Nomen huius loci vix alibi reperitur, nec vspiam se legisse meminit Beda, vt fatetur in Glossa; ac proinde quis, vbiue sit positus, satis incertum est, cum tamen in sequentibus scriptum sit, *Prædicans ibi ieiunium, iuxta fluuium Ahaua, &c.* Inde colligitur, aut colligi probabiliter videtur posse, & Ahaua fluuium fuisse, & alterum fluuium, in eum decurrisse, in quo vtriusque confinio, Esdras exercitum congregauerit, & quia Iosephus, Euphratem ponit, fuit fortè Ahaua aliquis riuus Euphratis; quidquid sit, certum est, 70. Sixti, vocare hunc fluuium, *Theran*, sicut Iosephus, eum vocat Euphratem, qui tamen Hebræis *Derath* dicitur, non Theran aut Ahaua, vel certè *Nahar*, quod nomen, licet fluuium vniuersè significet, per emphasim tamen, aut Euphratem, aut Iordanem significat: opportunè autem, antequam tantum iter inciperet Esdras, copiam sibi ministrorum domus Dei prouidit; per quos, Hierosolymam veniens, quæ in Templi vsus necessaria essent perficeret, vnde in textu sequitur.

Quid Ahaua fuerit ad quẽ Esdras populum congregauit & ei ieiuniũ indixit.

VI. *De filiis Leui & quæsiui, id est, qui non essent Sacerdotes, &c. Et non inueni,* scilicet tales Leuitas, qui non essent Sacerdotes, quos requirebat Esdras, inter Sacerdotes, & totam multitudinem congregatam; Leuitæ enim, ne quis hic erret, ob nominis filiorum Leui ambiguitatem, dupliciter dicuntur, vno modo generaliter, omnes illi qui sunt de tribu Leui, & sic Sacerdotes dicuntur Leuitæ, alio modo, specialiter, prout Leuitæ distinguuntur à Sacerdotibus; & sic Sacerdotes dicuntur Aaronitæ, alii autem dicuntur simplices Leuitæ, vt habetur fusè Numerorum 4. & de istis Leuitis, nulli tunc fuisse inuenti dicuntur in populo, qui tamen necessarii erant in cultu Dei ad ministrandum Sacerdotibus, &c.

Duplex acceptio nominis Leuitarũ.

VII. *Et misi eos ad Eddo qui est primus in Casphiæ loco, &c.* Cum ex tribu Leui, A aut nulli, aut perpauci conuenissent ad fluuium, qui decurrit ad Ahaua vbi erant congregati Iudęi, à Babylone digressi, videtur Esdras id accepisse durius, eo quòd ad opus quod ipse animo designabat, omnium maximè essent necessarii. Itaque nolens sine ipsis discedere, aut vlterius progredi, misit aliquot de viris primariis, ad quendam Eddo Nathinæum, qui præpositus erat Casphiæ loco munitissimo, cum mandatis, vt eius opera ministros domus Dei, Leuitas scilicet, & Nathinæos, obtinere possent, nec frustra, B nam duas turmas Leuitarum, & tertiam Nathinæorum, secum adduxerũt, qui scilicet in iis, quæ ad legem pertinent, cæteris de populo instruendis, informandisque essent idonei, quorum etiam ordo, ac genealogia hic describitur, à sequenti vers. 18. ad vers. 21.

Adducuntur è Casphia loco aduocata ab Esdra turma Leuitarum & Nathinæorum.

In loco Casphiæ, &c. Vbi locus hic Casphiæ, ab Esdra semel, & iterum memoratus fuerit, an mari Caspio finitimus, vt nonnulli aiunt, an potius circa Babylonem, inuestigatione dignum, quod vt aliena quasi manu conficiam. De hac quæstione, Lyranum satis fuse disputantem, & authores affir- C mantis sententiæ, locum hunc vicinum fuisse mari Caspio, acrius confutantem, si lubet audiamus, &c. Dicunt expositores nostri communiter, inquit, Esdram misisse nuncios ad Iudæos, qui erant vltra montes Casphios, id est, mari Caspio vicinos, quò scilicet Iudæos transtulerant Theglatphalazar & Salmanasar, Reges Assyriorum, de regno decem tribuum, vt habetur 4. Regum: sed hoc potest improbari, per textum secundi Paralipomenon cap. 11. vbi dicitur Sacerdotes & Leuitas qui erant in vniuerso regno Israël dimisso Hieroboam, qui cole- D bat vitulos aureos, venisse ad Roboam Regem Iudæ, & ex tunc in regno eius mansisse, vsque ad transmigrationem, quæ facta est per Nabuchodonozor: ex quo patet non fuisse in captiuitatem abductos, cum decem Tribubus, atque ideò frustra misisset illuc nuncios Esdras, ad quærendum Leuitas, quod tamen isti authores factum dicunt. Item potest improbari per textum, in hoc libro, quia scilicet capite præcedenti, dicitur Esdram cum pluribus aliis recessisse de Babylone, ad eundum versus Hierusalem, 7. anno Regis Artaxerxis, 1. die primi mensis, & venisse vsque ad fluuium qui decurrit ad

VIII. *Quis fuerit Casphia locus disputatur.*

Ahaua, vt habetur in hoc capite, & ibi mansisse tribus diebus, & postea misisse nuntios ad quærendum Leuitas, quibus adductis 12. die mensis eiusdem discesserit, de fluuio Ahaua, vt habetur in fine capitis: & si singula rectè expendantur missio nuntiorum pro Leuitis, eorum præparatio vt venirent ad Esdram, & aduentus ipsorum ad eum, vniuersa hæc octo dierum spatio perfecta fuerint, ex quo colligitur, sanè, non dubio argumento, locum Casphiæ vnde adducti fuerant, non longe à flumine Ahaua, vbi Esdras erat, cum comitatu suo distare potuisse. Atque B hinc est etiam, vt existimo, cur Rabbi Salomon, apud eundem Lyranum, pro authoribus negantis sententiæ, dicat Casphia, nomen esse loci, in Regione Babylonis, vbi multi de Leuitis, & Nathinæis manebant, qui non ascenderant in Hierusalem, cum Zorobabel & Iosue, filio Iosedech; nam loca ad quæ decem Tribus per captiuitatem Assyriorum abductæ fuerant, longè à Babylone distabant, quo fit vt tam exiguo tempore illuc ire & redire non potuerint, vnde dicunt Hebræi, nullos rediisse de captiuitate illa, paucis duntaxat exceptis, qui de captiuitate decē Tribuum fugiendo euadentes, coniunxerunt se Regno Iudæ, & in captiuitate Babylonica captiuati fuere cum aliis Tribubus Iudæ, Beniamin, & Leui, & proinde, cum eis, si quidem ipsis placuit, redierunt, vti iam sæpius innuisse memini.

Casphiam locu fuisse in Regione Babylonis, non prope Mare Caspium videtur probari.

IX. Vers. 21. *Et prædicaui ibi ieiunium, &c.* Innuitur hic, quoties opus aliquod magni momenti aggredimur, ieiunium, & orationes præmitti oportere: sic Beda, datur, inquit nobis exemplum ieiunandi, & orandi, cum aliquid magnæ virtutis incipere volumus, & quia nunquam fallitur fida in Dominum spes, neque fieri potest, vt quod iustum per continentiam, & orationem cum fide quærimus, non impetremus. Præclarè id quidem, sed & notandum, vt idem subiungit, quod ieiunium præmittitur, & oratio sequitur; *Primo enim*, ait Esdras, *prædicaui ieiunium, vt affligeremur coram Domino*, ac deinde, *Et peteremus viam rectam nobis & filiis nostris, &c.* & in conclusione sententiæ, *ieiunauimus & rogauimus*, oportet enim, vt quicumq; ad flectendam & implorandam misericordiam Domini ingreditur, primum is, continentius viuēdo, dignum se qui exaudiatur prębeat, & postea sic oret, vt nec dubitet prosperè sibi euentura quæ postulat. Hæc quia Tropologiam sapiunt, obiter tantum, nec persequi hic vacat. Videtur autem indictum ab Esdra ieiunium, octo dierum fuisse, & inchoasse statim, post illud triduum, de quo superius vers. 15 cum ait, *Et mansimus ibi tribus diebus*: Nam duodecimo die progredi cœperunt, vt infra dicitur vers. 31. Sed dicat fortasse quispiam, non satis prudenter, in procinctu tam longinqui itineris, susceptum fuisse ieiunium. At Esdras Deo acceptum fuisse refert ieiunium & coniunctam ei orationem, *Ieiunauimus*, inquit vers. 23. *& rogauimus Deum nostrum, pro hoc*, vt scilicet esset nobis Dux & Comes itineris, *& euenit nobis prosperè*, siue vt Heb. & 70 habent *exaudiuit nos*, prudenter igitur susceptum est.

Ieiunium ab Esdra populo indictum in itinere videtur fuisse idem & Deo gratum & prudenter susceptum.

X. Vers. 22 *Erubui enim petere à Rege auxilium qui defenderent nos, &c.* Licet Esdras, Babylone discessurus, Artaxerxem admodum erga se totamque Iudæorum gentem, propensum, agnosceret, erubuit tamen, veritusque est, petere ab eo auxiliares copias, & equites, qui eos in via ab inimicis defenderent; & quamuis non nesciret, C Darium Histaspis, dedisse olim Zorobabel, & iis qui cum eo proficiscebantur, mille equites, qui eos Hierosolymam vsque deducerent, si fides est 3. Esdræ cap. 5. vers. 2. puduit illum nihilominus, auxilia equitum bellatorum petere, quamuis ea facile fuisset impetraturus, ne scilicet Rex, eam postulationem diffidentiam diuini auxilii interpretaretur, & hoc est quod ait, *Quia dixeramus Regi, manus Dei nostri est super omnes qui quærunt eum in bonitate, & imperium eius, & fortitudo eius, & furor super omnes qui derelinquunt eum*. Ergo, cum Esdras, coram D Rege Persarum, Dei fidelitatem in promissis, & illius in promittendo largitatem, erga eos qui ipsius obsequuntur mandatis, iustam vero certamque in eos iracundiam, qui voluntati eius præfractè obsistunt, commendasset, satis etiam significauerat, non alio quam Dei ipsius egere auxilio, qui seriò ac verè illum amant, & omnibus in rebus ei placere student, quorum è numero se, suosque esse cupere plurimum, à Rege volebat intelligi; quare visus esset contra prædicta sentire, aut facere, si Regium implorasset auxilium, quasi parum firmam in Deo spem habuisset, vt ali-

Auxiliares copias ab Artaxerxe Esdras non petiit, ne de diuino auxilio diffidere videatur.

& aliquantulum de ipsius promissione A dubitasset, quod sane non difficulter, Gentiles sibi persuasissent, aliis falsorum numinum religionibus addicti sic in eam propè sententiam Lyranus expendens hunc locum, quæstionem soluit, quæ de toto hoc Esdræ negotio, institui potest, an scilicet diuini, an humani consilii fuerit, an non peccauerit is ex pudore, vano timore, & erubescentia, cum auxiliares copias ab Artaxerxe non petiit à quibus reducerentur securè Iudæi in Hierusalem: postquam enim in hæc verba, rem dubitando proposuit, videtur, in- B quit, quod Esdras in hoc peccauerit, exponendo se & comitatum suum periculis, propter erubescentiam: fatetur enim vltro Esdras se erubuisse, postea subiungit, ad quod dicendum, quod hoc non fecerit propter erubescentiam propriæ personæ, sed quia hoc reuerti poterat, in opprobrium diuinæ potentiæ, quia Rex gentilis potuisset credere Deum Iudæorum non esse satis potentem ad eos defendendum, & ideo non peccauit Esdras hoc faciendo propter honorem diuinum. Nimirum pietas in Deum, & sincerus di- C uinæ fidelitatis zelus, eo adduxit Esdram, vt à Rege, prompto alioqui, ad id præstandum ac procliui, custodes viæ patronosque non exigeret, ne diuina, apud exteras gentes, easque infideles aliquo modo laboraret fides, nec quisquam de Deo, quem Iudæi prædicabant, colebantque, minus bene sentiret. Ita Moyses Numer. decimoquarto, versu decimosexto, Deum precatur, vt populum Israëliticum quantumuis multi criminis reum, in solitudine non interficiat, ne exteræ gentes, male de diuina potentia, aut fide cogitent, ne dicant homines, inquit ille, *Non poterat intro-* D *ducere populum in terram pro qua iurauerat, idcirco occidit eos in solitudine, magnificetur ergo fortitudo Domini*: Sic cum humana subsidia non suppetunt humana non desunt, & quod ab Artaxerxe Rege petendum videbatur, expectandumque, precibus à Deo exorarunt Iudæi, præstititque illis Deus, multo cumulatius: hinc subditur versu proxime sequenti 23. *Ieiunauimus & rogauimus Deum, & euenit prosperè*, omnia siquidem, iter agentibus successere pro votis, neque quidquam profecturis alicunde impedi-

mento fuisse, aut vbicumque commorantes, abeuntesue molestia affecisse, compertum est.

Vers. 24. *Et separaui de Principibus Sacerdotum, &c.* Magna prudentia, & sano admodum concilio, duodecim Sacerdotibus, vasa à Rege oblata, & in Templum deferenda, commendat Esdras, vt in illis custodiendis strenui sint, ac vigilantes, sed quod de Principibus Sacerdotum, selectos dicit, quibus vasorum custodia credita, & commissa est, intellige de Principibus, id est præcipuis, principalibus, & valentioribus eorum. XI.

Vers. 25. *Appenditque eis argentum & aurum, & vasa consecrata, &c.* Intra octiduani ieiunii dies, separauit Esdras de Principibus Sacerdotum, duodecim, appenditque eis argentum & aurum, & vasa consecrata Templo Domini, quæ obtulerat Rex, & Consiliarii eius, & Principes populi eius, & vniuersi Israelitæ, qui in his alienigenarum terris inuenti fuut, *Et appendi*, inquit, vers. 2. *in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, & vasa argentea centum*, scilicet talentorum, vt in Hebræo & Septuaginta exprimitur, & in Iosepho, quæ si ad æris nostri summam redigantur, conficiene aureos 412500. addit, & *auri centum talenta*, id est, aureos, 250000. nam singula talenta æstimantur 12500. aureis, subdit mox. XII.

Quot aureis æstimentur oblata donaria si ad æris nostri rationem redigantur.

Vers. 27. *Et crateres aureos viginti, &c.* Supple talentorum, vt est expressum à Iosepho, in Hebræo autem & Græco, ex præcedenti repetitur, *Qui habebant solidos millenos*, id est drachmarum mille, vt in Hebræo, nam in Græco, pondus hoc prætermissum est. Ceterùm, vbi vulgatus interpres habet, *Crateres*, Hebraicè est, Kephorim, quam vocem, alii Cochlear, alii peluim interpretantur, vbi, solidos, Hebraïcè est, Adarconim, quam vocem, Drachmam, modo solidum reddit versio nostra communis, an singuli autem crateres, millenos haberent solidos, vel omnes simul incertum est, vtrumque admittit Hebræum idioma, Sanctius eo magis inclinat, vt patet, vna hac summa, omnium simul valorem comprehendi, cum craterem vnum, aut cochear, mille drach- XIII.

marum, aut valorem, aut pondus habuisse, non satis credibile sit; quod si vasa singula pondus habebant, mille drachmarum, ex viginti talentis, conflari poterant, Crateres aurei 240. nam in singulis talentis, duodecim millia drachmarum reperiuntur. Denique, pergit author, versumque concludit, *Vasa æris fulgentis optimi duo*, scilicet talenta; eadem enim vox, iterum in Hebræo, & Latino subintelligitur, in Græco, legitur *vasa duodecim*, at Iosephus, habet duodecim talentorum, sed in Latino, & Hebræo textu, standum est, quod addit Iosephus, id æs fuisse auro melius, nec in Hebræo, nec in Græco legitur, sed tantum specie & colore aurum retulisse; Textus Latinus indicat, *Pulchra vt aurum*, sic idem Iosephus, alio in loco, nimirum libro 8. Antiquit. capite 6. ait, mare æneum conflatum ex ære, quod auro pretiosius habitum sit; vbi sicut & hoc loco, videtur allusisse, ad æs Conuthium, de quo Plinius libro 34. statim initio ait, pretium eius, ante argentum fuisse, ac pœne etiam ante aurum, & capite 2. ex fortuita Conuthi deflagratione, æs Conuthium laudatissimum ortum esse, qua de re disputet, scrupulosius, qui voluerit, illud modo dicam, si ex communi omnium sensu, aurum, metallorum omnium nobilissimum est, fieri nequit, vt vllum æs, quacumque tandem metallorum commixtione conflctur, ad auri pretium, aut bonitatem accedat, etsi forte specie, aut splendore, superare possit; sed neque æs vllum fossile, siue illud aurichalcum dicamus, siue deliacum æs, cuius olim, & primam & præcipuam fuisse gloriam, Plinius scribit, proximam autem Æginatici, siue Tartassiaci, cui maximam laudem tribuit, Pausanias in Eliacis.

Æs Corinthium laudatissimum eiusque pretiũ olim ante argentum ac pœne ante aurũ.

XIV. Vers. 28. *Et dixi eis vos sancti Domini, &c.* Cum Esdras, vasa illa omnia, & donaria, superius recensita, duodecim viris primariis, è Sacerdotali genere, credere ac committere statuisset, eos honorificè compellauit, dixitque, *Vos sancti Domini*, id est Domino peculiari ratione, atque adeo vnctione consecrati, *Vasa sancta & argentum & aurum quod sponte oblatum est Deo, vigi-*

A *late & custodite*: id est, studiosè ac diligenter asseruate, voluit nimirum, illos obnoxios esse reddendæ rationi, eorum omnium, quæ ipsorum fidei committebat. Hinc additur consequenter, infrà versu 29. *Donec appendatis coram Principibus Sacerdotum, &c.* contra quàm fecerant olim, Ioas 4. Regum 12. versu 27. & Iosias 4. Regum 22. vers. 7. quippe *Iis qui faciebant opus, dabatur vt instauretur Templum Domini, & non fiebat ratio in hominibus qui accipiebant pecuniam, vt distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam*, ait Scri-
B ptura, sub Ioa; sub Iosia vero, *non supputetur eis* (præpositis scilicet fabricæ Templi) *argentum quod accipiunt, sed in potestate habeant & fide.*

Vers. 30. *Susceperunt autem Sacerdotes & Leuitæ, pondus argenti, & auri, & vasorum, vt deferrent Hierusalem, in domum Dei nostri, &c.* Constat apertè ex hoc loco, & æs, & aurum, & vasa, ac demum reliqua omnia consecrata fuisse Domino, nec quidquam prophanis vsibus fuisse destinatum, quod eo, dico atque obseruari par est, propter nonnullos, XV.
C qui existimant, magnam huius pecuniæ partem, construendis muris Hierusalem impensam fuisse, cum tamen Esdras dicat, non solum vasa, sed aurum quoque, & argentum, sancta fuisse, & sponte oblata Deo, alioqui sane, ni res ita se habuisset, non video, quid causæ subesse poterat, cur soli Sacerdotes, huius pecuniæ quæstores constituerentur, & solis Sacerdotibus, & Leuitis, Hierosolymis traderetur.

Vers. 31. *Promouimus ergo à flumine Ahaua, duodecimo die mensis primi, vt pergeremus in Hierusalem, & manus Dei nostri fuit super nos, &c.* XVI.
D Sic ego (vt multa hic in compendium redigam, atque hinc inde dispersa, velut in summam colligam) totum iter hac profectione, à Iudæis confectum intelligo. Primo die mensis cœperunt à Babylone discedere, in progressu vero ad Ahaua vsque, & in congreganda ex genere Leuitico multitudine, rebusque omnibus ad exitum comparandis, constituendisque duodecim dies consumpti sunt, quibus exactis, dederunt se in viam, & tandem sine vlla offensione, die primo mensis quin-

Totius temporis in itinere posita ratio per partes designatur

ti, in Hierusalem secundante numine A peruenerunt, inde facile intelligas quantum temporis in ea profectione positum fuerit.

XVII. *Et liberauit nos de manu inimici, & insidiatoris in via*, &c. Obseruatione dignum existimant nonnulli, quod numero multitudinis non vtatur, hic sacer interpres, sed singulari tantum, cum Iudæos propitio numine, ab inimico & insidiatore liberatos in via repræsentat, singularem quoque numerum habet Hebræus, Græcusque textus, nec tamen vnum aliquem inimicum designat, aut insidiatorem, sed B vniuerse omnes hostes, & prædones intelligit, quomodo & quidam verterunt.

XVIII. Vers. 32. *Et venimus Hierusalem*, &c. Primo nimirum die mensis quinti, vt proxime dictum est, & disertis verbis enarratur, superiori capite 7. vers. 9. *In primo die mensis quinti venit in Hierusalem*, ex quo, apertè patet, totos menses quatuor, in itinere positos, sed multi quietis dies, hinc eximendi sunt, præter prædictos dies vndecim, quibus ad Ahaua substiterunt, nam festum Paschæ, & Pentecostes, & multa Sabbata, interuenisse, oportuit, in quibus Iudæos, quietem egisse, Esdra scilicet, ductore, viro sanctissimo, & legis peri- C tissimo, simul atque obseruantissimo, dubitari vix potest.

XIX. *Et mansimus ibi tribus diebus*, &c. Scilicet vbi Hierosolymam peruenerunt Iudæi, tres dies totos, exegerunt, partim in recreando ex lassitudine corpore, partim in salutandis fratribus, aliisque amicorum officiis exequendis, tribus autem diebus illis quieti & amicorum congratulationi datis, quarta demum die vti mox vers. 33. & 34. addit Esdras, quidquid argenti, atque auri facti, atque infecti, allatum à Babylone fuerat, appensum est, & sacro- D rum templique præfectis consignatum.

Quid primis tribus diebus aduentus sui in Hierusalem fecerint Iudæi.

XX. Vers. 35. *Sed & qui venerant de captiuitate filij transmigrationis, obtulerunt holocausta Deo Israël, vitulos duodecim pro omni populo Israël*, &c. Magna hic Iudæorum deuotio & religio ostenditur, ait Beda, cum peruenientes ad Templum, primo omnium holocausta offerunt, non tantum pro seipsis, sed etiam pro omni Israel, id est pro eis, qui iam domum reuecti fuerant, & pro eis qui adhuc exalabant, & vero perfectæ mentis iudicium est, cum quis pro omni Israël immolat, id est, pro generali fidelium sospitate, quasi vnitatis & fraternitatis memor, supernæ pietati supplicat, sic ferè, versum hunc concludit Glossa ordinaria, & facili ductu, vt videre est, literam ad mores transfert; quod ad prædicta sacrificia pertinet, quæ obtulerunt Domino, qui recens cum Esdra, vt notat Vatablus, Hierosolymam remigrarant, ea, querelarum occasionem Deo præbuisse, per Prophetam Malachiam, scribit D. Hieronymus, in eundem Prophetam, cap. 1. vers. 8. *Reuersi*, inquit, *de Babylone, Sacerdotes & Leuitæ, Ianitores atque Cantores, & Nathinæi quorum Esdras scribit Catalogum, illicitas Deo victimas offerebant, cæcas scilicet & claudas, ac varia debilitate confectas*, sic ille: quæ non ad eos tantum pertinere videntur, qui recens venerant, & prima eorum sacrificia, sed ad eos in primis, qui iam erant Hierosolymis, & sub Dario Histaspis redierant, & diuina sacrificia, valde negligenter peragebant, vt idem etiam Hieronymus, alibi sentit, in iisdem Commentariis cap. 1. vers. 6. expendens illud, *Ad vos, o Sacerdotes, qui despicitis nomen meum*, &c. *Loquitur*, inquit, *ad eos qui sub Zorobabel & Iesu filio Iosedech, & Esdra Sacerdote, & Nehemia, de captiuitate Babylonica sunt reuersi, extructoque altari, necdum templum ædificauerant, nec muros extruxerant ciuitatis, & nihilominus in peccatis pristinis permanebant*, vbi D Hieronymus tria vel quatuor tempora comprehendit, primum Cyri, quando altare extructum est, & inchoata fundamenta Templi, deinde Darii, quo regnante Templum quadriennio exstructum est, & tandem Artaxerxis, qui Esdram anno 7. regni sui, & Nehemiam, 20. Hierosolymam dimisit.

Videntur reduces è captiuitate Iudæi nō satis obseruantes legis fuisse in sacrificiis & victimis suis quas Deo obtulerunt.

Arietes 96. agnos 77. hircos pro peccato 12. omnia in holocaustum Domino. &c. XXI. Sunt qui reum hoc loco Iosephum faciunt, imminuti sacrificii, nec immeritò, Holocausto enim eripuit arietes 96. quos fideliter, vt in Hebræo reperierant, & adhuc non secus quam in Latino reperiuntur, septuaginta conseruarant, sed nec in agnis numerandis fidelis fuit, nam pro 77. quos habet textus ipse, arietes simul & agnos posuit septuaginta duos.

In numero victimarũ quæ hic recensentur deceptus est Iosephus.

Vers. 36. *Dederunt autem Edicta Regis Satrapis*, &c. Perfectis solemni more sacrificiis, tradita sunt Edicta Re- XXII.

gis Artaxerxis, *Satrapis, qui erant in* A
conspectu Regis, quando scilicet, in aula versabantur, in Perside, & *Ducibus trans flumen* 70. vocant eos subregulos certe Syriæ, & Phœnicis. Iosephus, Præfectos Syriæ, & Phœnicis. *Qui eleuauerunt populum & domum Dei*, id est exaltarunt, & fauore prosecuti sunt, *Omni honore*, ait Iosephus, *gentem nostram prosecuti sunt, & in omnibus necessitatibus eis fuerunt auxilio*, quod igitur ait, *Eleuauerunt populum, & domum Dei*, id est, *exaltauerunt*, scilicet, *fauendo maxime* &c. Quia tum populus Israël fuit in maiori honore, quam antè, & ministri Templi fuerunt à tributo, aliisque angustiis liberati, & Templum ipsum muneribus Regis, variisque virorum principum donariis honoratum, Glossa interlinearis in hanc vocem, *Eleuauerunt*, sic habet, *honorificauerunt*, authoritate Regia qua Esdras sublimatus est. quæ omnia vt patet belle inter sese cohærent.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis octaui.

Quinam significentur per eos qui Esdra Authore & incentore ascenderunt de Babylone in Iudæam, iuxta illud vers. 1. *Hi sunt ergo Principes familiarum, & genealogia eorum qui ascenderunt mecum in Regno Artaxerxis Regis de Babylone, &c.*

1. 

Ompendium hic operæ fuerit quæ insigniora vniuersim ad mysticum & Allegoricum sensum totius capitis spectant, velut in vnum scopum cõferre, ac primum quinam significentur per eos qui longo censu enumerantur à versu 1. ad 21. & cum Esdra ascendisse dicuntur breuiter inuestigare, nempe per illos omnes in textu recensitos quos Esdras cùm per se, tùm per alios in eam mentem induxit, vt exirent de Babylone & Casphiæ loco, & cum eo ascenderent in Hierusalem, quorum numerus sanè permagnus est vt legenti patet, ingens animarum fructus adumbratur quem facit bonus doctor & prædicator eximius crebris sermonibus, atque hortationibus suis, ad id populos inducendo, vt de captiuitate dæmonis, atque adeo ex ipsa peccati seruitute exeant, quæ authori suo dedecus semper & confusionem parit (Babylon enim quod iam sæpius dictum est, confusio interpretatur) & per opera bona veniant in Hierusalem Allegoricam, quæ est militans Ecclesia, vt scilicet & numero & me- B rito sint de ipsa, & sic tandem perueniant in Hierusalem Anagogicam, quæ est triumphans Ecclesia de qua dicitur Galat. 4. vers. 26. *Illa quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est Mater nostra.* Sic autem Beda in hunc locum, ad id quod iam diximus satis accommodate, *Diligenter*, inquit, *Principes qui secum ascenderunt de Babylone Esdras enumerat vsque ad finem genealogiæ, & genealogiam eorum explicat, numerum quoque illorum adiungit qui ad mille quadringentos & quadraginta peruenit*, innuens videlicet, quia nomina eorum qui de con- C fusione mundi huius ascendunt in libro vitæ Agni continentur ascripta: quia & Doctores ipsi qui sunt Principes familiarum populi Dei, quantum animarum numerum Domino acquisiere in tantum augmenta perpetuæ remunerationis accipiunt, iuxta illam Euangelii parabolam Lucæ 19. vbi dicente seruo, bono & prudente, *Domine, ecce mna tua decem mnas acquisiuit*, respondit eidem Dominus dicens, *Et tu esto super decem ciuitates*, id est, ex eorum vita sanctisque moribus quos docuisti, gloriosior eris in regno Dei; hactenus ille vti ferè citatur in Glossa, qui & addit in hæc

Esdras ducens multos Iudeos è Babylone in Hierusalem fructum significat quem facit in cultu animarum bonus Doctor & Prædicator sedulus.

Qui alios ad virtutem instituunt ex eorum vita laudabili gloriam colligunt.

verba vers. 21. *Et prædicaui ibi ieiunium iuxta fluuium Ahaua, vt affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus viã rectam nobis, &c.* Oportere vt quicunque ad prædicandum misericordiam Domini ingreditur, primo se continentius viuendo dignum exaudiri præbeat, & sic oret, nec prosperè euentura quæ postulet dubitet, quod prolixè fecit Esdras ipse, exemploque suo docuit cum aliquid magnum ac summæ virtutis aggredi volumus ad ieiunium & orationem nobis esse confugiendum, quia scilicet nunquam fallitur fida in dominum spes, neque fieri potest vt quod iustum à pio auxiliatore per continentiam & orationem, cum fide quærimus non impetremus, vt mox fusius infra in morali dissectatione ostendemus. Porro per fluuium Ahaua cuius in hoc textu mentio est, mysticè potest intelligi fluxus & eruptio lachrymarum corporalium vel mentalium, vel etiam vtrarumque, quæ in pœnitente veram contritionem cordis & confessionem oris comitari debent, & quoniam ad veram contritionem & confessionem sequi quoque debet satisfactio, ideo iuxta dictum fluuium Ahaua ieiunium prædicatur, quod est vnum de operibus satisfactionis, & per ipsum alia designantur. Iam verò de argento & auro, & vasis consecratis quæ appendit Esdras, vers. 24. & sequentibus, sic accipe, per argentum & aurum, & vasa quæ de Babylone Hierosolymam mittuntur illos quoque significari qui de mundi, carnis ac dæmonis captiuitate vitiorumque confusa congerie ad Dominum conuertuntur, vt alias etiam inimicus; vnde commodùm ab Esdra custode vasa hæc Sacerdotibus commendantur qui ea Hierosolymam perferant, quia scilicet per Sacerdotes lauantur in Baptismo, quicumque ad consortium Ecclesiæ pertingere desiderant, & per eos reconciliantur pœnitendo, qui ab Ecclesia recesserant peccando, & in seruitutem diaboli quasi in captiuitatem Babylonii Regis perseuerando in peccatis deciderant; quos Sacerdotes cum numero duodecim fuisse intelligis iisque vasorum curam commissam, sic ad mysterium refer propter duodecim Apostolos, per quorum doctrinam Ecclesia primo fundata est, & per successores eorum vsque ad finem ædificanda. Illud autem discriminis est, recte obseruatum à Beda, inter hæc vasa quæ Esdras cum Sacerdotibus Hierosolymã defert, & ea quę Zorobabel & Iesus obtulisse referuntur, quod illa primum de templo Domini translata sunt in Babylonem, & post relata in Hierusalem, hæc verò postrema, in Babylone facta, sed deuotionis gratia Hierosolymam missa à Rege, vel Principibus Persarũ, vel etiam à populo Israel qui in illis partibus morabatur. Quare illa vasa aptè in sensu mystico significãt eos qui post acceptam notitiam & sacramenta fidei, post inchoata virtutum opera decepti à diabolo rapiuntur in confusionem vitiorum, sed Christi gratia reuocantur ad salutem: hæc autem illos qui cum peccato primæ trãsgressionis nati per lauacrum regenerationis Sacerdotũ ministerio expiati Ecclesiæ filiis aggregantur, quod nos item alia occasione de Iudæis olim, in Babyloniam translatis, eorumque filiis in Babylonia natis postea reducibus in Iudæam alibi diximus. *At quod Sacerdotes ipsos Sanctos Domini compellat*, Esdras vers. 28. liquidum est & ad mores refertur, vt postea monstrabimus, oportet eum vt Doctores Ecclesiæ nunquam obliuiscantur sanctimoniæ qua ipsi sunt Domino consecrati per Spiritum sanctum in die redemptionis ad quam suscipiendam suos auditores instituant, vt qui iam Domino oblati sunt, per rudimenta fidei etiam per eorum qui in fide præcesserunt exempla ac monita magis magisque confirmentur ac supernæ ciuitatis introitu dignæ efficiantur: Quibus proinde Sacerdotibus vigilandum est studiosè, atque omni opere satagendum vt nulla de creditis sibi animabus, id est, vasis Domini, pereat, sed integro numero ad sanctæ ciuitatis adyta perducantur. Vnde mox additur vers. 29. *Vigilate, & custodite donec appendatis coram Principibus Sacerdotum, & Leuitarum, & ducibus familiarum Israel in Hierusalem, & in thesaurum domus Domini*: scilicet argentum & aurum, & vasa mystica quæ accepimus, id est, eos quos nobis superna dispositio commisit erudiendos informandosque, coram Principibus Sacerdotum, & Leuitarum, & ducibus familiarum, in thesaurum Domini appendimus, cùm tales instruendo ac docendo exhibemus qui irreprehensibiles inueniantur, & apti thesauro aulæ cœlestis, hoc est sedibus æternæ pacis ac lucis, & id quidem non iudicio quorumlibet hominum qui falli possunt, sed Apostolorum

II. Per fluuiũ iuxta quẽ ieiunium & animarum afflictatio prædicatur, lachrymæ pœnitentium designantur.

III. Sacerdotes sancti quia Domino consecrati, & quia alios ad sanctimoniam instituunt quibus vigilandum ne vlla de creditis sibi animabus pereat.

lorum & eorum qui cum Domino de A actibus nostris sunt iudicaturi. Hi quippe Principes Sacerdotum, & Leuitarũ, & ducis familiarum Israël, id est, virorum, vel animarum Deum videntium intelliguntur, de quibus dicitur Psalm. 44. *Constitues eos Principes super omnem terram*: Ad hæc vers. 31. vbi sic habetur, *Promouimus ergo a flumine Ahaua duodecimo die mensis primi, vt pergeremus Hierusalem, &c.* Rursum Beda proximè citatus in Glossa ait, Omnia plena esse mysteriis quæ sic retegit, supra legitur, inquit ille, nimirum præcedenti cap. 7 vers. 9. quod prima die mensis primi cœperunt Iudæi ascendere de Babylone in Hierusalem, nunc vero dicitur quod duodecima die eiusdem mensi promouerunt a flumine Ahaua. Primo ergo die mensis de portis Babyloniæ exierunt, sed vsque ad duodecimum diem iuxta memoratum flumen expectabant donec Leuitæ & Nathinæi de Casphiæ loco venerunt, & seipsos ob pericula longi itineris diutius ieiunando & orando Domino commendarent. Sic nos pari modo cum nouos Ecclesiæ populos diabolo renunciare & verum Deum credere & confiteri docemus, quasi primi mensis initio, de Babylone cum pecunia Domino consecranda egredimur, quia principium eis nouæ conuersationis quæ ereptos à diabolo ad regnum cœleste traducat ostendimus, hinc idem mensis primus in sacra Scriptura mensis nouorum siue nouarum frugum dicitur. In ipso enim pro eadem significatione nouæ conuersationis Patres de Ægypto per Moysem sunt educti: Cùm autem nouæ vitæ auditoribus symbolum fidei tradimus quod per duodecim Apostolos ordinatum est, & totidem sententiis comprehensum quasi duodecim diebus in prima mansione consistimus, & sic cœptum ad terram D promissionis iter aggredimur, quia post acceptam fidei notitiam virtutum eis callem quo ad vitam perueniatur ingrediendum esse monstramus: quibus diebus, quod Esdras cum filiis transmigrationis ieiuniis & orationibus & congregationi Leuitarum & Nathinæorum totus incumbebat, id congruè significat necesse esse cum nouos populos fidei acquirere proponimus, vt tum nosmetipsi virtutum studiis maximè operam demus, quibus & nosipsos familiarius Domino commendemus, & eis quos erudimus exemplum bonæ

Mensis primus mensis nouorum siue nouarum frugum dictus in Scriptura.

actionis præbeamus, fratrum quoque cohortem religiosam opus est nobis in auxilium aduocemus, vt eorum opera adiuti credentium animas ad societatem electorum atque ad arcam vitæ perfectionis quasi vasa sancta ad templum Domini efficacius transferamus, sed nec prætereundum, in hac perpetua ac continenti Allegoria, quod subiungitur vers. 32. Iudæos qui ascenderant de Babylone vbi Hierosolymam aduenerunt tres totos dies ibi mansisse, & postea argentum & aurum, & vasa quæ attulerant oblata & appensa fuisse B in domo Domini, tres quippe dies mansionis in Hierusalem, vt iam citatum sæpius authorem audimus, tres eximias virtutes, fidem videlicet, spem & charitatem, cunctis fidelibus quam maximè necessarias aptè significant: has oportet Doctores primo in seipsis ostendere, & sic eos quos docuerint, eisdemque virtutibus instituerint præcedentibus in Christo Patribus probandos offerre, cum enim sancta Ecclesia eos quos catechizamus verbo, in fide & actione probos inuenit, quasi vasa quæ offerimus, in templum per manus sacerdotis appendens & puri metalli & perfecti ponderis esse reperit, quod ad supernam æquè Hierusalem & Ecclesiam C cœlestem transferri potest. Nam vt in hac vita, Doctores sancti quasi triduo manentes in Hierusalem quarto die argentum & aurum quod obtulerant appendendum Sacerdotibus offerent, cum & sese fide fortes, spe sublimes, dilectione feruentes exhibent, & suos quoque auditores per confessionem rectæ fidei, instar argenti probati clarescere, per puritatem sensus inuiolati, in modum auri primi fulgescere, per susceptionem in se spiritualium charismatum quasi vasa Deo consecrata præeminere demonstrant: Sic in cœlesti quoque Hierusalem, & in altera vita iidem Doctores cum primo pro sua fide, spe, & charitate, deinde etiam pro illis, quos docuerunt gratiam remunerationis accipiunt quasi post gaudiũ triduanæ mansionis in Hierusalem, ob denaria & vasa pretiosa ac Deo digna quæ attulerunt, amplius honorantur vt prophetia oraculi Daniel. cap. 12. vers. 3. reapse veritas comprobatur. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates*. Tandem quod extremo versu dicitur filios transmigrationis dedisse,

IV. Tres dies mansionis in Hierusalem trium virtutum, fidei, spei & charitatis exercitium in Ecclesia assignant.

A *Filiæ Regij Satrapis qui erant de conspectu Regis & Ducibus trans flumen, & eleuasse populum & domum Dei;* supra iam dictis attexo & sic cum Glossa mysticè interpretor. Populus & templum Dei vnam & eandem Ecclesiæ figuram gerunt quam leuat Esdras & filii transmigrationis allatis de Babylone vasis Deo sacris cum Prædicatores aggregantes ei, iuuante Domino nouos credentium populos honorabilem eam omnibus & terribilem exhibent; item iidem illi leuant iam populum & domum Dei cum eos quos suis vel sermonibus, vel exemplis in bona conuersatione instituerunt vsque ad cœlestium perceptionem præmiorum promouēt & prouehunt quia nimirum magnum sic & manentibus in superna patria, & peregrinantibus adhuc in terra electis gaudium creant. Et hæc de Allegoria hactenus ad meram Tropologiam gradum faciamus.

TROPOLOGIA
Capitis octaui.

Morale de ieiunio cum oratione iungendo in illud vers. 23. *Ieiunauimus & rogauimus Deum.*

V. 
SCITE omnino & prudenter Iudæi è Babylone digressi, & iam reditum in patriam cogitantes, ad orationem suam, ieiunium quoque coniungunt, & illam ad diuinum numen sibi conciliandum, potentiorem efficiant.

Deprecatio iusti assiduà, multum valet, ait Iacobus in Canonica sua cap. 5. vers 17. ita verò, multum valet. Est quidem oratio iustorum potentissima, ad impetrandam, imo ad extorquendam à Deo non inuito, quod ex ipsorum esu commodoque futurum sit, sed vbi ieiunium, saccus & cinis & alia corporum siue cruciamenta, siue detrimenta, sordesque vltro accessitæ accesserint multo sanè potentior, tunc enim non sola, aut inermis, sed armata, ac stipata auxiliaribus copiis, pugnat oratio, vimque suam prodit impensissime.

Bona est oratio cum ieiunio, aiebat olim Angelus Raphaël cum vtroque Tobia filio & parente sermonem instituens, Tob. 12. vers. 8.

Mirifica vis orationis cum ieiunio cōiunctæ ex sanctis Patribus ostēditur. Certè, quam sit oratio fortis, ac valida, quam armat ieiunium egregiè docet Chrysostomus hom. 15 in Matth. his verbis, *Oratio*, inquit, *tunc est fortis, quæ fit in spiritu humili, & corde tribulato, spiritum autem humilem, & cor tribulatum habere non potest; qui manducat, & bibit, & delicijs fruitur. Sicut neque miles sine armis est aliquid, ne*-B*que arma sine milite, sic neque oratio sine ieiunio, nec ieiunium sine oratione.* Et idem ille hom. 58. in cap 17. Matth. & iterum hom. 71. ad populum. *Qui orans*, inquit, *ieiunat, binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando praeteruehitur: non enim oscitat, nec extenditur, nec torpet orando, sed igne ardentior, & terra superior est, quare terribilis hostibus redditur.* Idem penè Diuus Basilius in oratione de laudibus ieiunii, vbi ea ipsa similitudine, qua Diuus Chrysostomus vsus est, exprimit quoque, quantum orationi virium addat ieiunium, vt ad cœlum vsque facilius citiusque penetret; *Ieiunium*, inquit, *preces nostras subuehit in cælum, dum illis, alarum vice fit, quo sursum* C *ferantur*, nec ab iis vel verbo dissentit August. in Psalm. 42. vbi ait, *Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, ieiunium & eleemosynam.* Eiusmodi fuit olim Danielis oratio cum Deum pro populi Iudaïci salute, ac libertate deprecaretur, sic enim de illa oratione ipsemet ait Dauid cap 9. vers. 3. *Et posui faciem ad Dominum Deum meum rogare ac deprecari in ieiuniis, sacco & cinere.* Et capite decimo vers. 2. *In diebus illis*, inquit, *ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum donec implerentur trium hebdomadarum dies*, solemne siquidem VI.

Duæ alæ orationis ieiunium & eleemosyna.

fuit ab omni æuo viris sanctitudine A morum præcellentibus, qua precibus, qua ieiuniis, aliisque corporis afflictationibus, ad orationem adiunctis, diuinam clementiam exorare: quippe qui existimarent Deum tãquam pium parentem, dilectos filios, diu in luctu, & squallore; non toleraturum sed piis actibus cedentem dicturum tandem aliquando, *Fiat tibi sicut vis.* Etsi enim, vt ante dixi, omnis oratio Deo chara sit, magnique semper apud eum meriti, cum ex syncera fide & ardenti charitate proficiscitur; videtur tamen is nonnunquam obsur- B descere ad tempus, preces nostras aliquando audire dissimulat, & postulatis annuere differt aliquandiu, quod cum experimur, vegetanda est oratio ieiuniis, armanda ciliciis, sacco & cinere roboranda, si quidem eiusmodi corporis molestiæ gratiorem Deo reddunt orationem, & ad impetrandum efficaciorem. Eo consilio Psaltes Regius orandi, atque exorandi peritus: humiliabat, vt inquit ipse, in ieiunio animam suam, vt si quando Deus, semel atque iterum, rogatus, petita renueret, concederet per asperitatem ieiunii, Deique ipsius iracundiam mitigaret, & illum tan- C dem propitium atque exorabilem efficeret. Quod eleganter & graphicè depingit Saluianus lib. 2. de gubernatione Dei, his verbis, *Gemmas Regias David abdicat, crepitantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exhonoratur, cultu & corde mutatur, totum Regem cum ornatibus abiicit, prouidum pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squalloris assumit, ieiunio exugitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur, &c.* quibus in verbis illud potissimum expendendum occurrit, *Cum patrocinio ambitiosi squalloris.* Quid igitur est, D quod sacci, aut cineris, aut ieiunii squallorem ambitiosum vocat? nimirum quasi diceret, Hominis oratio ad Deum effusa, sola quidem illa, seu solitariè accepta, & à reliquis seiuncta, petitio est nuda ac simplex, & absque artificio mentis desideria verecundè exponens, at oratio, quæ accedit cum patrocinio ieiunii, ambitiosa oratio est. Ambitiosa, inquam, vtpotè quæ velut arroganter, sed piè superba præsumit, immo certo confidit, se res postulatas impetraturam, sic præfidenter, sic ambitiosè apud

Quare & quando dicatur ambitiosa ad Deum oratio.

A Deum negotiatur oratio. Quæ mens est Tertulliani Apologetici capite 39. in hæc verba, *Edam iam nunc ipse negotia Christianæ factionis*, inquit, Quænam porò sunt hæc Christiani populi negotia? Ambitiosæ preces quæ vim Deo gratam & amabilem inferũt. Sic enim mox ille subiungit, *Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes, hæc vis Deo grata est.* Et cap. 40. cum de patrocinio ieiunii ad orationem adiuncto loquitur, solemni Christianorum more, *Nos*, inquit, B *ieiuniis aridi, & omni continentia expressi, ab omni fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, inuidia cælum tundimus, Deum tangimus.* Sic Hebræi Iudith 4. vers. 9. induerunt se ciliciis, & clamauerunt ad Dominum: Sic Iudith ipsa cap. 9. vers. 1. *Ingressa est orationem suam, & induens se cilicio posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino clamabat ad Dominum.* Sic Niniuitæ prædicauerunt ieiunium & vestiti sunt saccis, & clamauerunt ad Dominum in fortitudine, Ionæ cap. 3. vers. 4. de quo Niniuitarum consilio sic Strabus Fuldensis duo hæc verba Prophetæ ex- C pendit, *Clamauerunt ad Dominum in fortitudine, Ieiunio*, inquit, *saccum addunt, & manis ventes & luctuosus habitus Deum fortius deprecantur*, ex quo videas quemadmodum ieiunium (vt ait iam citatus ante Chrysostomus) leues pennas animæ producit, vt in sublime feratur, & summa contemplari queat, & sicut leuiores naues maria facilius transeunt, contrà multis oneribus grauatæ submerguntur: ita ieiunium leuiorem reddens mentem, efficit vt facilius huius vitæ pelagus transfretet, & in cœlum, ac in ea quæ in cœlis sunt, respiciat. Hinc D Moyses in monte Sinai Deum allocuturus, legemque ab eo accepturus, quam populo traderet, præuiam orationem suam quadraginta dierum ieiunio illustriorem reddidit. Elias item, vt notat Diuus Basilius hom. 1. de hac materia, simili ieiunio, animam purgans in spelunca Horeb meruit quantum fas est homini Deum videre. Quid quod Beatus Petrus vt in Actis Apostolorum legitur cap. 10. vers. 10. cum esuriret, cecidit super eum mentis excessus, illudque grande mysterium de baptizandis gentibus, & introducendis ad Ecclesiæ vnitatem

VII. Exempla eorum qui ad ieiuniũ orationem adiunxerunt.

vnitatem intellexit? Et id sanè si mysterio non vacat, quid illud tandem est, aut cur ita factum oportuit? Certè vt ostenderetur, ait Ambrosius, epistola 82. ad Ecclesiam Vercelliensem, ipsos sanctos cum ieiunant, aptiores fieri, & magis habiles & dispositos reddi, vt mentem eleuent ad superna mysteria consideranda, & intelligenda, vtque animus luce diuina clariori illustretur. Et verò de Beato Paulo recens ad Christi fidem conuerso, eodemque statim Damascum introducto in domum Ananiæ, legitur etiam Actorum 9. vers. 9 illum ab esu & potu tres omnino dies abstinuisse, idque inspirante sine dubio numine; sed quid ita tandem? scilicet vt melius ipsius animus, ad diuina contemplanda, & cælestium rerum visiones excipiēdas compararetur. *Erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit neque bibit*, ait sacer textus, quo tempore Christianæ religionis, atque adeo Euangelii mysteria per reuelatioem didicit, imò iuxta quorumdam sententiam raptus etiam est in Paradisum. Certè de Mysteriorum Euangelii reuelatione testatur ille ipse Galat. 1. vers. 12. cum ait, Se non ab homine accepisse Euangelium, sed per reuelationē Iesu Christi. Et quidem sub ipsum conuersionis suæ exordium, sine hoc triduo, nam antequam Damasco egrederetur, statim post tres illos dies predicabat Iesum in Synagogis, quia hic est Christus & Filius Dei, vt ibidem narratur vers. 18. ex quo non obscurè deducitur tunc fidem Christi, & Euangelii mysteria didicisse illis tribus diebus, quibus fuit non videns, nec manducans, neque bibens, ab omnibus mundi negotiis, animo ac cogitatione seiunctus, ieiuniis tantum intentus, & diuinarum rerum contemplationi, atque orationibus.

Tempore triduani ieiunij Euangelij mysteria agnouit per reuelationem Diu. Paulus.

A Atque vt in Paulo etiamnum adhuc paulum hæreamus, antequam hunc de ieiunio & oratione sermonem concludam. Mirum sanè est Gentiles ipsos, qui cum eo erant in naui, cum Romam duceretur Actorum 27. vers. 33. quatuordecim dierum adiuncto ieiunio, Pauli ipsius vel exemplo vel hortatu magnæ tempestatis exortæ, quæ præsens omnibus naufragium minaretur periculum euasisse, sic enim ad illos Paulus versu citato: *Quarta decima die hodie expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes propter quod rogo*
B *vos accipere cibum pro salute vestra, quia nullius vestrum capillus de capite peribit*, sic volente scilicet ac statuente diuino numine, vt ad Pauli fortem alioqui & validam orationem, ieiunii quoque robur accederet. Quare vt cum D. Chrysologo paucis tandem absoluam, *Si vis cum Moysis gloria, Heliæ vita, Ioannes virtutibus, omniumque sanctorum meritis applicari, insistamus orationi, vacemus ieiunio, &c. Hæc sunt quæ tenent cæli arcam, quæ secretum Dei pulsant, quæ ante Christi tribunal causas humani generis exequantur, quæ intuitorum petunt indulgentiam, reorum*
C *veniam promerentur. Hæc cui in cælestibus non assistunt, ipse non subsistit in terris; hæc cum in cælestibus principatum obtineant, in terris rerum summam moderantur, hæc regunt prospera, hæc aduersa propellunt, vitia extinguunt ista, virtutes ista succendunt, &c.* Sic ille sermone 43. ex cuius verbis satis intelligitur quàm sapienter atque ingeniosè egerint Iudæi reduces, cùm ad diuinam misericordiam citius exorandam, nec orationem suam sine ieiunio, nec ieiunium sine oratione esse voluerunt.

TROPOLOGIA
Capitis octaui.

Morale in illud verſ. 28. *Vos ſancti Domini.*

De ſumma puritate atque excellenti morum ſanctitate Sacerdotibus conſentanea.

VIII. 

PRÆCLARÈ omnino qui de Gentilibus ſuis Sacerdotali funguntur officio, perhonorifico nomine ſanctos Domini compellat Eſdras. *Vos*, inquit, *ſancti Domini*, præclarè, inquam, nempe quod ait, vnus e ſanctis Patribus, *Sacerdotum nomen eſt, & ordo ſanctitatis. Sancti eſtote*, inquit Deus ad Leuitas, *& Sacerdotes, quia ego ſanctus ſum.* Leuitici 20. Sacerdotes ſancti erunt Deo ſuo & non polluent nomen eius, incenſum enim Domini & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt, ſancti quia Deo conſecrati, quia ex officio ipſo & munere ſancti, quæ ſacra, aut ſancta ſunt, aut pertractant, aut moliuntur, quia demum Sacerdotes, præſertim nouæ legis, inſigni ac mirifica vitæ ſanctitate, par eſt cæteros omnes antecellere: & quoniam in veteri lege omnia contingebant in figura, huius ſanctitatis formam ipſam, ac corpus quodammodo, vt ſic loquar, ex vmbra metiri liceat. In antiqui ſiue Moſaici Sacerdotis veſte, omnia ex byſſo, purpura cocco, hyacintho, auro, & gemmis componebantur, quorſum iſtud tandem? cum myſterio non vacet, quia ſcilicet, nihil niſi elegans ac diligenter excultum in eius moribus eſſe oportebat, quia non decebat, Sacerdotem ſordido vnquam aut abiecto vitiorum habitu indui. Sic planè in hunc ſenſum venerabilis Beda lib. 3. de tabernaculo cap. 3. *Cuncta*, inquit, *fiunt, ex auro pretioſiſque coloribus, quia nihil vile ac ſordidum in Sacerdotis opere, aut ore debet apparere; ſed cuncta agit, vniuerſa quæ loquitur, omnia quæ cogitat, & coram hominibus præclara, & in conſpectu æterni arbitri oportet eſſe glorioſa.*

Cur Sancti in lege dicuntur Sacerdotes & Leuitæ.

A Sed præ cæteris illuſtre eſt quod Diuus Gregorius in Paſtor. part. 2. cap. 3 ſigillatim explicat, quid ſignificat aurum, coccus, purpura, & alia pretioſa ex quibus indumenta Pontificis perfecta erant, & concinnata quæ ſic accipe. *Superhumerale*, inquit, *tetiæ ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & byſſo retorta fieri præcipitur, vt quanta Sacerdos clareſcere virtutum diuerſitate debeat, demonſtretur: in Sacerdotum habitu aurum fulget, vt in eo intellectus ſapientiæ principaliter emicet, cui hyacinthus qui aerio colore reſplendet adiungitur, & per omne quod intelligendo penetrat, non ad fauores infimos, ſed ad amorem cæleſtium ſurgat,* B *ne dum incautus ſuis laudibus capitur ipſo etiam veritatis intellectu vacuetur. Auro quoque & hyacintho, purpura permiſcetur, vt videlicet ſacerdotale cor in ſemetipſo ſuggeſtiones vitiorum reprimat, eiſque veluti ex regia poteſtate contradicat, bis tinctus coccus adiungitur, vt ante interni iudicis oculos omnia virtutum bona ex charitate decorentur, quæ quia Deum & proximum diligit, quaſi ex duplici tinctura fulgeſcit: quid verò per byſſum, niſi candens decore munditiæ, corporalis caſtitas deſignatur?* C *Quæ byſſus retorta pulchre ſuperhumerali innectitur, quia tunc caſtimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cum per abſtinentiam caro fatigatur.* Hactenus Gregorius. De tunica linea ſtricta & talari caſtitatis, item & continentiæ indice, quod adiungit Beda loco citato, ne longior ſim, miſſum facio. Quod ſi mentem reuocamus, ad legales ipſas cæremonias olim in Sacerdotis conſecratione, obſeruari ſolitas, de quibus Leuitici octauo, præcipitur, quamnam in ſacrorum miniſtro puritatem Deus exigeret; vel ex eo

Ex cultu externo atque adeo ex veſte ipſa Sacerdotis Moſaici colligitur quam excellens in eo vita puritas & quam eximius virtutum ſplendor elucere debeat.

Sacerdotũ antiquæ legis puritas colligitur ex cæremoniis in eorum consecratione obseruari solitis.

facilè intelligemus; cum enim Aaron primus à Deo electus Pontifex, inaugurandus esset a Moyse: lauit imprimis Moyses Pontificem aqua lustrali, aliosque Sacerdotes inferiores, eodem modo prius lotos, vestibus induit sacrosanctis. Quid autem amabo, talis ablutio aut præ se ferre quodammodo, aut certè innuere videbatur aliud, quam earum sordium ablutionem, quibus interior animi cultus ostenderetur? Bedam audi, sic totam illam cæremoniam ad eum quem dixi sensum trahentem. *Sacerdotes*, inquit, *non accipiunt vestes nisi prius lauent mores, vinum enim nouum in vtres nouos mitti debet.* Iam ad cæteras consecrationis sacerdotalis cæremonias gradum facio, præter ablutionem fiebat vnctio ex mixtura myrrhæ, cinnamomi, calami aromatici, casiæ atque olei, vt narratur Exodi 3. per integram porrò hebdomadam fiebat hæc solemnis inauguratio, vt est Exod. 29. singulisque diebus fiebat oblatio vituli pro peccato; immolabatur etiam aries in hostiam pacificam, cuius sanguine, vestes omnes tingerentur; denique & in holocaustum alius aries incendebatur. Ex quibus omnibus quanta apud fidelem populum, in Sacerdotibus puritas desideraretur facilè innotescit. Sin ex Diuo Hieronymo quæris quid esset, aut quid rei indicaret olim, quod ad oram & fimbriam poderis sui, seu vestis illius talaris & magnificæ summi Sacerdotis, adiuncta essent tintinnabula aurea, nec nisi cum sonitu, qui ad omniũ aures perueniret incederet; sic te ad vitæ sanctitatem sacerdoti adeò consentaneam reuocabit. *Quia*, inquit, *in Sacerdote omnia oportet esse vocalia*, id est, facto & moribus alios docere, vbique cæteris exemplo prælucere, vbique boni nominis odorem afflare? Hinc per Prophetam dicitur, Isaiæ 40. *Super montem excelsum ascende, tu qui Euangelizas Sion*, ex interpretatione Gregorii loco iam citato, *Vt videlicet qui Sacerdotis officio ad populum fungitur*

IX. *& cælestis prædicatione vtitur, ima iam terrenorum operum deserens in rerum culmine stans videatur, tantoque facilius subditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de supernis clamat.* Neque apud Iudæos modo aut fideles populos, sed etiam Ethnicos eiusmodi morum castitas, in Sacerdotibus cordi fuit, si quidem nefas olim fuisse accepimus, sacra fieri ab vllo Ægyptiorum

A Sacerdote, nisi prius multis etiam iteratis vicibus purificaretur, nec quacumque aqua, sed ea duntaxat, in qua bibisset auis quædam nomine Ibis, teste Stucchio lib. de sacrific. Præ cæteris autem, aquam illam eligebant, quod vulgò tradant rerum naturalium indagatores, volucrem istam, nullatenus aquam sordidam, aut quoquomodo infectam bibere, sed semper defæcatam ac limpidissimam haurire; sed profana libens omitto, aut cursim tantum attingo, ad sacra redeamus. Præcipitur Leuitici cap. 1. vers. 1. Ne contaminetur in mortibus ciuium suorum,

B nisi tantum in consanguineis, & propinquis, sed nec in principe populi sui quod non ineleganter ex Radulpho sic tropologicè intepretari licet, cadauera mortuorum sunt peccata: vulgò enim opera mortua nuncupantur, tactus ipse cadauerum est communicatio peccatorum, quare Sacerdos cauere debet, ne criminum ciuium suorũ particeps efficiatur, & vitam agat popularem, imò neque principi peccanti consentire potest, sed tantum contaminatur cum patre & matre, id est, offensa primorum parentum, quia post peccatum originis, in multis offendimus

C omnes, & in his necesse est, vt iusti excusationem accipiant, sine quibus viuere non possunt, nec ipsi, nec illi qui eis in religione succedunt vt filii, nec qui cum eis tanquam fratres viam sanctitatis incedunt. Illa si excipias, nihil non desideratur in Sacerdote vt quam purissimus sit, & quantum humanitus fieri potest, ab omni prorsus grauioris sceleris labe ac cõtagione immunis. Si sic elucet figura, quantus in veritate fulgor existet? si lex antiqua sic enitet atque efflorescit, quibus radiis amabo noua coruscabit? si Sacerdos ad offerendum thus, mactãdasque & cremandas pecudes tantum destinatus, tanta

D pollere sanctitudine, tam mira puritate emicare debuit, quid quæso dicere oportet, aut sentire par est, de iis Sacerdotibus, qui in lege gratiæ diuinam Eucharistiam Corporis & Sanguinis Domini offerunt? Non illi modo, sed quæ ad illos pertinent omnia niue candidius, & Sole ipso, vt loquitur sanctus Chrysostomus purius ac splendidius emineant necesse est: *Grandis dignitas Sacerdotum*, ait Diuus Hieronymus in Ezech. *sed grandis ruina si peccant, lætamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum, non est tanti gaudii excelsa te-*

Maior puritas requiritur in Sacerdotibus nouæ legis quam antiquæ.

nuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse, nec enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium quorum abutimur donis, & nequaquam sumus de eorum salute solliciti. Et quia, quod acutè dixit in quodam sermone D. Chrysologus, creuit honor cum sacerdotali dignitate, si sanctitati nominis vita respondeat, crescit cum honore infamia, priuato peccanti sæpè parcitur: sed si prælatus deliquerit in eius infamiam linguæ omnium acuuntur. Vnde qui tam sacro ministerio abutuntur eos Diuus Ambrosius Iudæ socios, & Antichristi veluti præambulos vocat, infami ac propudioso prorsus nomine, *Ex inordinata*, inquit, *& indisciplinata multitudine Sacerdotum, hodie datur contemptui redemptoris nostri venerabile Sacramentum, nam qui debuerant esse vicarij Apostolorum & filij Petri, facta sunt socij Iudæ & præambuli Antichristi.* Hinc igitur discant Sacerdotes nostri integritate vitæ, & sanctitudine morum & nomen suum, & dignitatem tueri, cum in Ecclesia nemo amplius noceat, ait D. Gregorius in pastorali, quam qui peruerse agens nomen, vel ordinē sanctitatis, vel Sacerdotis habet, delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.

Mali Sacerdotes socij Iudæ & præambuli Antichristi.

X. Quam, putas fœda ac turpis Christiano nomini labes inuritur, cum hodie de nobis, atque in nobis impleri animaduertimus, quod olim de populo Israëlitico prophetica vox Osee 4. vers. 9. circumferebat, *Et erit sicut populus sic & Sacerdos.* Cùm Sacerdotes nouæ legis, cùm Christi mysteriorum dispensatores ac ministri, nullo merito vitæ suæ vulgi transcendunt actionem, vt loquitur idem qui ante D. Gregorius homilia 17. in Euangelia, cum non distant à populo vitiis implicato, qui populi censores ac iudices constituti sunt, cum Sacerdotes sancti ex munere suo, ac sacra ipsa vnctione, vtpotè consecrati Deo, ac Mediatores inter Deum, & populum atque adeo totius Christianę gentis decus, & ornamentum, gloriam suam qua reliquis de populo, tum in legis scientia, tum in sanctitate, Deique cultu antecellant, tueri sic negligunt, vt infimis

Propudiosum in Christianismo videre Sacerdotes qui iisdem vitiis fœdantur quibus infima plebis homines.

A etiam ipsis de plebe tam in ignorantia, quam in nequitia pares, immo superiores aliquando inueniantur, Hinc illa verè aurea vox D. Chrysostomi, *Sacerdotes multi, Sacerdotes pauci, non omnis Sacerdos sanctus, sed omnis sanctus Sacerdos*, scilicet mysticus, qui mysticas laudis, orationis, & sanctorum operum hostias Deo offert, quæ si à veri Sacerdotis quisquis demum ille sit dignitate seiunxeris, & illum Deo minus acceptum, & illius dignitatem sacram ex se ac veneratione dignam, fœdè ac turpiter in oculis Dei inquinatam dixeris.

B Audi in eam rem quoque si voles querelam Gilberti Abbatis in appendice ad sermones sancti Bernardi in Cantica serm. 13. *Factus est Sacerdos sicut populus, vt licentius populus sicut Sacerdos fiat: mundo se Monachi studio conformant, & qui in mundo sunt, errorem suum nostrorum satis versutè, & nimis verè tuentur exemplo, mutuis ad vitia sese aut informant aut fouent exemplis. Pastores populi sæculares, & Religiosi promptuaria plena sunt huiusmodi, eructantia ex hoc in illud, aut turpis, aut tepidæ conuersationis spiritum pestilentem. Heu quam auido cordis ore, pronum hunc*

C *attrahimus spiritum, & corrumpentem haurimus auram! Iesu bone! quando erit, si tamen aliquando erit, sicut fides integra sic incorrupti mores*, sic ille. Addam ego, Iesu bone quando erit vt quam nomine atque officio præ se ferunt sacrorum nostrorum præsides, & administri vita ipsa atque opere præstent sanctitatem! *Timeamus hæc fratres*, inquit vnus ex illis, isque omnium summus æuo suo D. Gregorius, homilia proximè citata, *conueniat actioni nostræ ministerium nostrum, de peccatorum nostrorum relaxatione quotidie cogitemus, ne nostra vita peccato obligata remaneat, per quam om-*

D *nipotens Deus quotidie alios soluit consideremus sine cessatione quid sumus, pensemus negotium nostrum, pensemus pondus quod suscepimus, faciamus quotidie nobiscum rationes, quas cum nostro iudice habebimus*, præclarè omnino, nimirum, sic Sacerdotes re ac nomine sancti sunt, ac fiunt Deo suo, nec inquinatis moribus polluunt nomen eius Sanctum illud quidem, & omni cultus atque obsequii genere venerandum.

TROPOLOGIA CAPITIS OCTAVI.

Morale in illud, vers. *Vigilate, & custodite donec appendedatis coram Principibus Sacerdotum, in thesaurum domus Domini.*

Principibus, Sacerdotibus & publicis Ecclesiæ Ministris, vigilandum esse indefesso studio super animas sibi commissas.

XI.

Vos sancti Domini, inquit Esdras, ad Sacerdotes & Leuitas quibus deferenda committit in Hierusalem vasa sancta in Dei cultum templique ornatum destinata, *Vigilate & custodite*, quibus verbis mysticè significat, quod in Allegoria leuiter attigimus; Sacerdotibus vigilandum esse per omnia & curandum vt nulla de creditis sibi animabus, quæ vasa Domini pretiosa sunt, male pereat, sed integro omnes ac completo numero, quantum fieri potest, in cœlestem Hierusalem introducantur. Et sanè Prælatis, Pastoribus ac Primariis Sacerdotibus Ecclesiæ, proprium illud esse ex officio, ac munere, vt seriò ac sedulo aduigilent super gregem sibi commissum satis indicat, Diu. Paulus Hebræorum cap. 13. vers. 17. cum expenso illo veluti quotidiano vigilantiæ, & sollicitudinis à Pastoribus & præpositis exoluendo, concludit in subditis summum inesse oportere erga eos studium & obseruantiam, *Obedite*, inquit, *Præpositis vestris & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Acutè ac subtiliter eam in rem interpretatur D. Gregorius in Pastorali 3. Part. admonit. 5. illud Prouerbiorum 6. vers. 1. & sequent. *Fili mi si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam & illaqueatus es verbis oris tui & captus propriis sermonibus. fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui, discurre, festina, suscita amicum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpe-* A *bræ tuæ, &c.* Nimirum iuxta D. Gregorii mentem spondere pro amico est alienam animam, vt ipse loquitur, in periculo suæ conuersationis accipere. Vnde & apud extraneum manus inquit defigitur, quia apud curam sollicitudinis, quæ ante deerat, mens ligatur. Verbis vero oris sui illaqueatus est ac propriis sermonibus captus, quia dum commissis sibi cogitur quisque bona dicere, ipsum prius necesse est quæ dixerit custodire. Illaqueatur igitur verbis oris suis, dum ratione exi- B gente constringitur, ne eius vita ad aliud quam admonet relaxetur, sicque apud districtum iudicem cogitur, tanta in opere exoluere, quanta constat eum aliis voce præcepisse. vbi & bene mox subditur à Salomone: *incidisti in manu proximi tui temetipsum libera, discurre festina suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis nec dormitent palpebræ tuæ.* Quisquis enim ad viuendum aliis in exemplum præponitur, non solum ipse vt vigilet, sed etiam vt amicum suscitet admonetur: ei namque vigilare bene viuendo non sufficit, si non & illum cui præest à peccati torpore disiungit: bene autem C dicitur, *Ne dederis somnum oculis tuis nec dormitent palpebræ tuæ.* Somnum quippe oculis dare est intentione cessante subditorum curam omnino negligere: & post pauca, Admonendi sunt itaque qui præsunt, vt per circumspectionis studium oculos peruigiles & intus, & in circuitu habeant, & cœli animalia fieri contendant. Ostensa quippe cœli animalia, in circuitu, & intus oculis plena habentur & sic describuntur. Hactenus Gregorius, ex quo quo vides Lector, Prælatos ac Sacer-

Dici potest spopondisse pro amico qui sollicitè animæ ipsius curam gerit.

Illaqueatur verbis oris sui, & propriis capitur sermonibus, qui bona quæ docet ac præcipit opere ipse præstare constringitur.

XII. *Qui curã animarum*

gerunt si miles mysticis animalibus Ezechielis ob perpetuam & indefessam vigilantiam.

dotes quibus animarum cura commissa est ob indefessam & pœne continentem in exequendo munere suo vigilantiam, & sollicitudinē mysticis animalibus, quæ Ezechieli per visionem obiecta sunt Ezechiel 1. vers. 18 quod plena essent oculis intus, & foris, ritè comparari, vt quod de summo omnium Pastore Deo dixit Tertullianus, *Totus mens, totus oculus*, in illos rectè quoque conueniat: quippe qui ad vigilias excubiasque agendas sic nati ipsi, factique sint, vt non dormitent qui custodiunt Israël, & animarum saluti procurandæ perpetuo inuigilant *Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël*, ait Regius Psaltes, Psalm. 120. vers 14. Vigilat scilicet super nos indefessus, & peruigil ille singularis clementiæ oculus, non dormit neque dormitat qui custodit Israël quia non dormit neque dormitat qui impugnat Israël. Quin Angelos etiam destinauit custodiæ nostræ quos natura, & non sine vigiles esse, sicque appellatos à Daniele sæpius, norunt eruditi, *Ecce vigil & sanctus*, Dan. 4. vers. vers. 10. & vers. 14. *In sententia vigilum decretum est*, & vers 20 *Quod autem vidit Rex vigilem & sanctum descendere de Cœlo*. Nunquam ergo dormitant aut dormiunt, Angeli sicut nec dæmones: nec minus profectò dedecet eos indormiscere qui custodes aliorum in populo constituti sunt, qualis magistratus quiuis, & Princeps seu sæcularis, seu Ecclesiasticus, quem Hieremias capite 1. vers. 11. per *Virgam vigilantem seu amygdalinam*, vigilantiæ symbolum, Ægyptii per oculatum sceptrū, Phryges per virgam sole exornatam, alii per leonē qui apertis dormire dicitur oculis, hieroglyphicè repræsentabant. Angelos dixi in scriptura proprio veluti nomine, Vigiles appellari, quidni & ipsos etiam homines quibus animarum cura credita est & custodia? Audi sponsam in Cantico Canticorum, vers. 3. *Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem*, in quem locum sic Bernardus Sermone septuagesimo sexto in Cantic. *Quinam vigiles hi? nempe illi quos Saluator in Euangelio Beatos pronunciat si cum venerit inuenerit vigilantes Luc. 12. Quā boni vigiles qui nobis dormientibus ipsi peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris; quam boni custodes qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes, hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia, malignan-*

Angeli vigiles dicti in Scriptura.

Princeps vigilans variis symbolis adumbratur.

Pastores animarum etiam vigilum nomine in scriptura designantur.

A *tium deprehendunt insidias, eludunt tendiculas, retiacula dissipant, machinamenta frustrantur. Hi sunt fratrum amatores, & populi Christiani, qui multum orant pro populo & vniuersa sancta ciuitate. Hi sunt qui multum solliciti pro sibi commissis dominicis ouibus, cor suum tradunt ad vigilandum diluculo, ad Dominum qui fecit illos, & in conspectu altissimi deprecantur.* Huc vsque Bernardus, Quod si rem ipsam in typo vel ac figura licet contemplari: Mira sanè Iacobi quondam Patriarchæ, eiusdemque ouium Pastoris solicitudo fuit, & vigilantia, quæ somnum ab oculis fugabat, vt Labano ipsi socero suo denuntiat Genes. 31. vers. 40. quo & boni patrisfamilias, & boni pastoris curam & vigilantiam comprimis exprimebat. illius quidem est vltimum decumbere, & primum è strato surgere, istius est noctu gregum custodiæ inuigilare, *Die noctuque æstu vrebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*, inquiebat ille, quo ex loco optimè S. Damasus Papa quid in rem nostram consequens sit demonstrat his verbis Epistol. 4. *Si ergo sic laborat, & vigilat, qui pascit oues Laban, quanto labore quantisque vigiliis debet intendere qui pascit oues Dei?* quo in argumento vberius excurrit sanctus Chrysostomus Homil. 57 in Genesim in hunc modum, *Vidisti*, inquit, *Pastoris vigilantiam: vidisti intentum studium, qualem habebunt excusationem ij, quibus rationales greges crediti sunt, & magnam præ se ferunt negligentiam? & quotidie iuxta Prophetam pecudes alias mactant, alias a bestiis captas contemnunt, alias vero ab aliis raptas reducere non curant, tametsi minor sit labor, & cura facilis: anima enim est quæ docetur, illic autem multus & corporis, & animæ labor est.* Hæc Chrysostomus. Vis in exemplum Pastorem animarum vigilantissimum, & diu noctuque instar Iacobi Patriarchæ pascendis, enutriendisque gregibus suis intentum quam maxime? Audi Paulum de seipso sic ad ipsos quoque Ecclesiæ Pastores verba facientem, Actuum Apostol. cap. 20. vers. 28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces, in vos, non parentes gregi. Propter quod vigilate, memoria retinentes quoniam per triennium, nocte & die non cessant cum lachrymis monens*

XIII.

Iacobi vigilantia in pascendis ouibus, solicitudinem Prælatorum in curandis animabus designabat.

vnumquemque veſtrum, &c. Vides inſtantiam quotidianam, vt alibi loquitur, audis vigilantiam, aduertis ſollicitudinem Eccleſiarum in Paulo ſtupendam ſanè atque omni admiratione dignam. Quid quod idem Paulus alium à ſe paſtorem inſtituens atque erudiẽs vtique perbonum & eximium olim rationalium ouium cuſtodem, Timotheum puta, hac voce conteſtatur 2. ad Timoth. 4. verſ. 5. *Tu vero vigila in omnibus, labora, opus fac Euangeliſta, miniſterium tuum imple*, quaſi ni ſit aſſiduus in vigilando, miniſterium ſuum aut obire aut implere nullatenus queat: Nempe ſi vigil eſt & ſedulus qui animarum cuſtodiæ deſtinatur, nil periclitantur greges, ſi negligens & incurius, cum ab eo ſalus maxime quodammodo pendeat, nil procliuius quam vt in extremum exitium præcipites ruant, ſi diligens eſt & aſſiduus in opere, ſi vigilat ſedulo ſuper gregem ſibi creditum, mirum quantùm illuſtrari diuinitus ſoleat, & quam copioſa luce animus eius perfundi, vt melius tutiuſque gregem ſuum regat, & ad vitæ fontes aquarum deducat, ſin negligens & ſomnolentus, nihil peruidet acies eius interna, hebeſcit ad omnia & facile tandem magno ſuæ ſuarumque ouium ſalutis diſpendio occæcatur. Reuoca ſi lubet in memoriam illud Lucæ 2. verſ. 8 de Chriſti natiuitate, ſic enarrantis, *Et Paſtores erant in regione eadem vigilantes & cuſtodientes, vigilias noctis ſuper gregem ſuum: Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos & claritas Dei circumfulſit illos, &c.* Expende illud paulum, *& claritas Dei circumfulſit illos, &c.* & myſterium in myſterio deprehende

XIV. *Paſtores animarum vigilantes ſuper gregem ſuum ab Angelis viſitantur & interiori lumine illuſtrantur a Deo, ad ſæliciter obeundum munus ſuum.*

Vis ſcire quid ſit, cur Deus Paſtores iſtos in Iudæa vigilias noctis cuſtodientes mortalium omnium primos, naſcentis primum filii ſui ſecundum carnem nuntio recreauit, & ſubitæ lucis rutilanti ſplendore ad Angeli præſentiam eos colluſtrari voluerit, audi D. Gregor. Homil. 8. in Euãgelia de eo ſic breuiter diſſerentem, *Quia eſt* inquit, *quod vigilantibus Paſtoribus Angelus apparet, eoſque Dei claritas circumfulget, niſi quod illi præ cæteris videre ſublimia merentur, qui fidelibus gregibus præeſſe ſollicitè ſciunt, dumque ipſi pie ſuper gregem vigilant diuina ſuper eos gratia largius coruſcat, &c.* ſcilicet ni vigilarent, aut ſi alto ſopore tenerentur, nec Deum naſcentem audirent, nec Angeli conſpectu fruerentur, nec diuina luce perfunderentur. Satis, igitur, ex his apparet, & Deo gratum acceptũque maxime eſſe, & ad obeundum munus ſuum, paſtori cuilibet neceſſarium imprimis, indefeſſum vigilandi ſtudium, perpetuamque ſollicitudinem? Quare ſi prophana ſacris etiam hic miſcere licet Dux, Princeps aut Paſtor quilibet colligat ſeſe identidem, & quid muneri ſuo debeat qui Deus ab ipſo iure ſuo repoſcat, ſecum ipſe conſideret imponat ſibi coronam exploratoriam more Caligulæ, in qua Sol, Luna, & Stellæ diſtinguantur, vt ibi ſiue noctu, ſiue interdiu perpetuo vigilandum meminerit centum oculis, vt in fabulis Argus Paſtor, omnia circumluſtret & perſpiciat, ſicque omnia arceat incommoda, vt ne quis gregem vnquam inuadat, & animas curæ fideique ſuæ commiſſas depopuletur. Atque vt ad Paſtores ipſos conuertamus orationem, verbiſque D. Bernardi concludamus Sermone 76. in Cantica ſuprà citato, *Attendite vobis quicumque eſtis miniſterij huius ſortiti eſtis, attendite, inquam, vobis & precioſo depoſito, quod vobis creditum eſt, anima ſpaci veſtræ commiſſa ciuitas eſt, vigilate ad cuſtodiam; ſponſa eſt, ſtudete ornatui; ouis eſt intendite paſtui.* Id cum perficiunt Sacerdotes, verè ſunt ſancti Domini, quia vigilant, ſollicitè & cuſtodiunt, vaſa myſtica Deo conſecrata, ſibique commiſſa, ſic vt ea tandem in ſupernam Hieruſalem deterſa omni labe, pura ac defæcata fœliciter inferantur.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

OSTQVAM perfecta sunt Hierosolymis ab Esdra, quæ magis vrgere videbantur, quæque ad Templum ipsum spectabant. vbi cognitum est, quanto ille Zelo diuinæ Legis præditus esset, & quam ampla potestate ex Regis Artaxerxis imperio ac voluntate polleret, accesserunt ad eum Principes populi, & Sacerdotũ, qui denunciarent plurimos esse de populo, & in his de Leuitico, Sacerdotaliq; genere non paucos, qui cum gentilibus, impuras atque à lege damnatas nuptias contraxerant. Quod cùm Esdras intellexit, tantum ex ea denunciatione cœpit animo mœrorem, ac tristitiam, vt illius testandæ causa vestimenta discinderet, laceraret crines, ac demum humi stratus lugentium, ac complorantium more, ad sacrificium vsque vespertinum, consederit: quin & in publico contribulium suorum conspectu, orationem ad Deum habet, ad excitandam ipsius commiserationem, sane potentissimam, in qua & populi preuaricationem ingenua confessione declarat & beneficiorum à Deo ipso collatorum magnitudinem, eximiè amplificat, ac denique legem ipsam, quæ cum alienigenis fœdus inire prohibet, verbis exponit amplissimis.

CAPVT NONVM Esdræ.

1.
Osquam autem hæc completa sunt, accesserũt ad me Principes, dicentes: Non est separatus populus Israël, Sacerdotes & Leuitæ, à populis terrarum, & abominationibus eorum, Chananæi videlicet & Hethæi & Pherezæi, & Iebusæi, & Ammonitarum, & Moabitarum, & Ægyptiorum, & Amorrheorum.
2. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi, & filiis suis, commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum: Manus etiam Principum, & Magistratuum fuit in transgressione hac prima.
3. Cumque audissem sermonem illum

istum scidi pallium meum & tunicam, & euelli capillos capitis mei & barbæ & sedi mœrens.

4. Conuenerunt autem ad me omnes, qui timebant verbum Dei Israël, pro transgressione eorum qui de captiuitate venerant, & ego sedebam tristis vsque ad sacrificium vespertinum.

5. Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, & scisso pallio & tunica curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum.

6. Et dixi: Deus meus confundor & erubesco leuare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsque ad Cœlum.

7. A diebus patrum nostrorum: sed & nos ipsi peccauimus grauiter vsque ad diem hanc, & in iniquitatibus nostris traditi sumus ipsi, & Reges nostri, & Sacerdotes nostri, in manum Regum terrarum; & in gladium, & in captiuitatem, & in rapinam, & in confusionem vultus, sicut & die hac.

8. Et nunc quasi parum & ad momentum facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum vt dimitterentur nobis reliquiæ, & daretur nobis paxillus in loco sancto eius, & illuminaret oculos nostros Deus noster, & daret nobis vitam modicam in seruitute nostra.

9. Quia serui sumus & in seruitute nostra non dereliquit nos Deus noster, sed inclinauit super nos misericordiam coram Rege Persarum, vt daret nobis vitam, & sublimaret domum Dei nostri, & extrueret solitudines eius, & daret nobis sepem in Iuda & Ierusalem.

10. Et nunc quid dicemus Deus noster post hæc? quia dereliquimus mandata tua.

11. Quæ præcepisti in manu seruorum tuorum Prophetarum: dicens, Terra ad quam vos ingredimini vt possideatis eam, terra immunda est, iuxta immunditiam populorum, cæterarumque terrarum, cum abominationibus eorum qui repleuerunt eam ab ore vsque ad os in coinquinatione sua.

12. Nunc ergo filias vestras ne detis filiis eorum, & filias eorum ne accipiatis filiis vestris, & non quæratis pacem eorum, & prosperitatem eorum, vsque in æternum: vt confortemini, & comedatis quæ bona sunt terræ & hæredes habeatis filios vestros vsque in sæculum.

13. Et post omnia quæ venerunt super nos in operibus nostris pessimis, & in delicto nostro magno, quia tu Deus noster liberasti nos de iniquitate nostra, & dedisti nobis salutem sicut est hodie.

14. Vt non conuerteremur, & irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia iungeremus cum populis abominationum istarum. Numquid iratus es nobis vsque ad consummationem ne dimitteres nobis reliquias ad salutem?

15. Domine Deus Israël iustus es tu: quoniam derelicti sumus, qui saluaremur sicut die hac: ecce coram te sumus in delicto nostro, non enim stari potest coram te super hoc.

EXPOSITIO LITERALIS.

V. 1. *Ostquam autem hæc completa sūt, accesserunt ad* I. *me Principes, dicentes: Non est separatus populus Israël, Sacerdotes & Leuitæ à populis terrarum & abominationibus eorum, &c.* Hanc transgressionem populi Iudaici quam Principes ad Esdram detulerunt à Malachia Propheta manifeste descriptam, & prophetica authoritate redargutam æstimat Beda; & vere, referri eo vtrumque possunt Malachiæ verba capite 2. vers. 11. *Transgressus est Iuda, & abominatio facta est in Israel, & in Hierusalem, quoniam contaminauit Iuda sanctificationem quam dilexit & habuit filiam Dei alieni.* Ergo, de captiuitate reuersi tam Principes quam reliquus populus abiiecerant vxores Israëlitas, & alienigenas duxerant, nec populus Israël separatus erat, vt habet textus, à populis terrarum, id est gentilibus, & abominationibus, id est peccatis eorum, nimirum ex illa connubiali consuetudine, id consecuti erant, vt alienarū vxorum studiis obsecuti, religionis impiæ & exoticarum sordium aliquid contraxissent. vbi aduertendum, non de his, qui proximè cum Esdra venerant, sed de illis, qui cum Zorobabele, & Iesu, iam dudum de captiuitate ascenderant, sermonem esse, nec enim poterant qui cum Esdra venerunt tam cito tanti ducis contempsisse doctrinam, vt necdum 5. mensibus in patria demorati, vxores suas reliquerint, & externas acceperint, de quorum etiam numero intelliguntur fuisse principes, qui hoc facinus ad Esdram referentes, corrigere curarunt, vnde colligitur transgressionis illius publicæ minimè fuisse illos participes qui cum Esdra redierunt; sic post Bedam Lyranus. Porro quod dicantur ad Esdram nominatim accessisse Principes populi, puta Zorobabel, & Iosedech, vel vt probabilius est Eliasib, cum Iosedech iam vita functo, tum Pontifex ipse esset, sic intelligendum est, quod cum Principes qui cum illis primùm è captiuitate redierāt nossent sine dubio ex Regiis literis quas viderant, Esdram

Transgressionem populi Iudaici contra legem de connubiis non contrahendis cum gentilibus describit & redarguit Malachia c. 2.

Qui peccarunt cōtra legem de connubiis nō sunt illi qui cū Esdra venerūt sed qui cum Zorobabele & Iesu ascenderūt.

A eo præcipuè consilio venisse, vt rem sacram & legitimam constitueret, & cum hæc vna esset de precipuis causis aduētus eius, vt corrigeret quæ deprauata erant in populo, circa legem Dei propterea ad eum de prævaricatione populi, quoad illicita connubia contracta cum Hethæis, Phærezæis & Iebuzæis, cum Ammonitis, Moabitis, Ægyptiis & Amorrhæis, quantocius retulerunt.

Vers. 2. *Tulerunt enim de filiabus eorū sibi & commiscuerunt semen sanctum cum* II.
B *populis terrarum, &c.* Sanè per illicita prophanaque coniugia, semen sanctum, id est consecratum Deo, templique ministeriis, cum profano & impio confundentes, mixtum susceperant genus, prolemque, vt sic loquar, veluti biformem, in quo præuaricatus erat populus contra legem qua Deus Exod. 34. vers. 16. Iudæis ab externis coniugiis abstinere iusserat, his verbis; *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, &c.* Nec vxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, cuius rei causam addit illico, *Ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos*
C *in Deos suos*, sunt qui locum hunc non tam de nuptiis initis, quam de pellicatu intelligant, quasi vxores Israëlitides neglectæ primum sint à viris, & postea earum loco inductæ aliæ, siue vxores, siue pellices. Et cum vxores veræ dato libello repudij dimitti non possent, aiunt retentas esse domi, tanquam ancillas & ipsis etiam pellicibus seruire coactas; sic, *Abominatio facta est in Iuda & Hierusalem*, de qua superius ex Malachia tùm quia violata lex est tam antiqua & necessaria, quæ promiscua
D illa connubia prohibebat, ex quo consequens erat vt ex Israëlitico & gentili semine propagata soboles, diuersa iura sacraque confunderet, tum præcipuè quod ex ea diuersarum gentium commixtione, sanctificatio polluta erat, & contempta Religio: quid enim procliuius, quam vt filij qui magis maternis abducuntur blanditiis quàm parentum monitis informantur, & ipsi impuræ adhærescerent Religioni, & parentes suos in eandem impietatem impellerent. Quod & præstare poterant multo magis, ipsæ matres, quæ magis sunt blando ac pellaci ingenio,

Externæ vxores à Iudæis inductæ censentur à multis non tam vxores quam publicas fuisse.

Consecutæ Religionis Prophanatio ex prophanis cōnubiis.

prouocaret dubitat Azotides & Ammonitidas fœminas quæ nupserant Israelitis, Templum ingressuras, cum in Dei populum ipso coniugij iure, sicut in viri sui familiam essent coaptatæ, & licet non professione ac cultu, domo tamen, & fortasse nomine, tanquam Israelitæ haberentur, præsertim cum viros haberent Israelitas & in his aliquot, è Sacerdotali genere, qui iniuriæ sibi, atque ignominia ducerent, si vxores suas, ex Israelitarum atrio excludi viderent, atque ita nihil sanctum non violatum nihil non pollutum in populo remanebat, cum per illud nefandum cum Israelitis, exterarum gentium commercium, totam penitus antiquam disciplinam collabi sensim ac ruere opporteret.

III. *Manus etiam fuit Principum & Magistratuum in transmigratione hac prima, &c.* Id est, vt exponit Lyranus, Principes malo suo exemplo, cæteros pressere, & ad prophanam commistionem, veluti populum coegere. Deinde ipsimet Principes, sua resipiscentia vniuersum populum induxere, ad proprii peccati cognitionem, alienigenasque vxores abiiciendas, integrum negotium in Esdram scribam reijcientes. Inde Beda lib. 2. allego in Esdr. cap. 12. Notandum, inquit quod ea quæ Principes peccauerunt Principes corrigere satagunt, sed quia per se nequeunt, referunt causam ad principem: id est Archiepiscopum, cuius authoritate expietur flagitium, vox igitur, prima, hoc loco, ad manum pertinet, non ad transmigratio, & cum dicitur, *Manus Principum fuit in transgressio hac prima*: id est, Manus Principum fuit prima in transgressione, sic vt eorum exemplo, etiam reliqui ex plebe fuerunt inducti, ad peccandum, siue populi Principes, & Magistratus, primi omnium hoc delicti genere, legem Dei violarunt, & reliquo populo, scandalo fuerunt, vt eadem audirent, quæ à maioribus suis viderent attentata, potius quam vt dicatur alio sensu fuisse hanc primam transgressionem, post reditum è captiuitate; nam, Hebræa, hoc modo clarius verti possunt; *Manus Principum & Magistratuum prima fuit in hac præuaricatione.* Porro de grauitate illius peccati de quo conqueritur vide 3. Regum 11. vers. 1. 2. 3. vt sequentibus vbi de mulieribus alienigenis Salomon adamauit. Certè cum legem de connubiis à populo violatam carpit Malachias, supra citatus, ait, *Disperdet Dominus magistrum & discipulum*, quibus verbis, & Principes & populum pollutos atque contaminatos ostendit, reprehendendus autem, hic esset Iosephus, lib. 11. Antiq cap. 5. quòd hanc culpam, quorumdam tantum è vulgò Sacerdotum, & Leuitarum fuisse, qui ductis alienigenis vxoribus, ordinem Sacerdotalem confuderint, dixisse visus est, nisi, non tam Iosephi culpa esset, quam interpretis, nam Iosephus, in Græco, textu, habet delatam ab Esdra accusationem, quod quidem à plebe, & ex Sacerdotibus, & Leuitis, patria instituta violassent, & reuerà ipsemet paulò post, fatetur primores populi, deprehensos in tali crimine, idque ex sacro textu apertum est, vbi, primum, Principes & Magistratus, Sacerdotes deinde, ac Leuitas, denique populum Israel, vulgum scilicet, & plebem, huius culpæ participes fuisse, memoratur, nec pro pauculis Leuitis, opus fuisset, tantos fieri motus, quantos mox scriptura commemorat, facile enim erat sine illo strepitu, eorum connubia disiungere; & reos debito afficere supplicio, at clero, nobilitate, plebe istis illegitimis coniugiis, implicatis, magna omnino contentione, magnis viribus, atque animis opus fuit; adde quod capite, centum tredecim, huius culpæ rei recensentur, è Sacerdotibus, Leuitis, & reliquo toto populo; mirum profectò, eo progressum esse, aut legis ignorationem, aut contemptum, vt ipsi quoque Principes, aliena se, prolemque suam, consuetudine coniugali fœdauerint: mirum inquam, non stetisse hoc peccatum modo, in indocta, & legis ignara multitudine, sed permanasse quoque, ad Sacerdotes, & Leuitas, qui hæc ignorare non poterant, à lege prohiberi, & pro suo instituto atque officio, legum & religionis custodes esse debuissent. Notant hic nonnulli, non constare an Zorobabel, ipse, primarius Dux populi, gentilem duxerit vxorem. Ego quidem à culpa vacasse facile existimauerim. De Iosedech Sacerdotis maximi filiis manifestè liquet ex capite sequenti vers. 18. eos cum alienis fuisse connubiali fœdere coniunctos, ibi enim cum census fit, eorum qui ex genere Sacerdotali, ac Leuitico, eo se crimine contaminarunt, filii Iesus filii Iosedech nu-

Vox prima in textu melius, ad manum quam ad transgressionem refertur.

IV.

Non videtur Zorobabel reus fuisse violata leges de connubiis.

merantur, quatuor, & deinde ex eodem genere complures alii, quid quod & Iesum ipsum Sacerdotem illicitas etiam cum externis nuptias contraxisse tradunt, non Hebræi solum, vt refert Hieronymus in cap. 3 Zachariæ, sed ipse etiam Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum, vbi docet in eo coniugio, hunc Iesum, Sacerdotem, symbolum fuisse Christi Saluatoris, qui alienigenam sibi ex gentibus Ecclesiã copulauit, sic ille, sed ne hoc etiam omittam eruditè hic obiicit Sanctius, videri difficile intellectu, quemadmodum cum externis illis populis in textu cõmemoratis, Iudæi exules, qui tamdiu Babylone cõmorati sunt connubia inire potuerint, cum illi, nempè Ammonitæ, Moabitæ, Azotii, Ægyptii, Amorrhæi, tam lõgè à Chaldæorum regione abfuerint, quam difficultatem vt proponit sic apte dissoluit, respondendo, hos quoque populos à Nabuchodonozor fuisse subactos, & eo traductos, vbi tãdiu inueterauerunt Hebræi, & cum illis, post annos 70. in proprias sedes fuisse reuersos quod ex ipso Hieremiæ oraculo, & vaticinio, comprobatur, c. 25. v. 9. & v. 18. vbi inter nationes, à Nabuchodonozor superandas, annumerantur illæ, quæ in hoc Esdræ textu cõmemorantur; sub actas autem fuisse anno post excisam Hierosolymã quinto, prodit Iosephus lib. 10. Antiq cap. 11. & post annum septuagesimum in priores sedes rediisse, idem qui supra Hierem. v. 11. &c.

Iesus filius Iosedech, summus Sacerdos videtur illegitimas nuptias cõtraxisse.

V.

VI. Vers. 3. *Cumque audissent sermonem istum scidi pallium meum & tunicam &c.* Id fecit Esdras, lugubri habitu dolorem cordis significans, vt scilicet velocius animos omnium ad pœnitentiam prouocaret, edidit quæ suo tempore maxima videbantur doloris signa, quæque apud omnes penè gentes, ad tristitiæ sensum maximum indicandum fecerunt in more instituto que posita. Sanè, quod in sacris Scripturis passim legitur, fuit vsu receptum apud Hebræos, vt in luctu & tristitia vestes scinderent, eius rei exempla habemus Genes. 37. vers. 33. lib. 2. Reg. cap. 1. v. 11. & cap. 3. vers. 31. & 3. Reg. cap. 21. vers. 27 & 4. Reg. capite 6. vers 30. scidit pallium Iacob, cum Iosephum filium sibi vnice charum à bestia discerptum, laceratum & audiuit, *scissisque vestibus indutus est cilicio lugens filium suum omni tempore*, ait Scriptura, *scidit Dauid in funere Saulis, apprehendens Dauid vestimenta sua scidit & omnes viri qui erant cum eo & planxerunt super Saul.* Scidit Dauid idem ipse, iterum, in funere Abner, idemque, aliis vt facerent, imperauit, *Scindite*, inquit, *vestimenta vestra, & accingimini saccis & plangite ante exequias Abner*, Scidit Achab, scidit & Benadab, Rex Israel in luctu publico, cum Samaria, cui præerat, ab hostibus obsessa esset, & fame admodum premeretur, *Quod cum audisset Rex*, nimirum & fame adactam fuisse mulierem, vt filium coxerit & comederit, *scidit vestimenta sua*, quem morem vsitatissimum esse in luctu satis indicat Ioël c. 1. vbi cum luctum Iudæis indicit, iubet ne vestes lacerare satis esse sibi existiment, sed ad illarum lacerationẽ, cordis quoque cõpunctionem adiungant, *Scindite*, inquit, *corda vestra & non vestimenta vestra*, vnde & Hieremias cap. 36. v. 24. miratur vehementer, & quasi ad rem nouam atque insolẽtem obstupescit, quod in graui dolendi causa, vestimenta discissa non fuerint, *& non timuerunt*, inquit, *neque sciderunt vestimenta sua Rex & omnes serui eius, qui audierunt vniuersos sermones istos*, quin & apud gentes ipsas, familiare quoque ac propè quotidianum fuisse satis indicat Iob c. 1. v. 20. qui audita infœlici ac subita filiorum strage, vestimenta disrupit, *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua*, Idem, de Lacedemoniis referre Herodotum, libro 6. de Sabinis, Liuium, lib. 1. de Persis, Curtiũ l. 3. de Latino Rege Virgilium ipsum Æneid. lib. 12. Satis norunt rerum Historicarum & literarum humaniorum nõ ignari, &c.

In luctu & tristitia vestes scindi solitas apud Hebræos multis exẽplis probatur.

VII. *Et euelli capillos capitis mei & barbæ*, Vsque adeo, vbique pœne, frequens atque vsitatum fuit, graui mærore, & aduersante fortuna, capillos capitis, aut barbę euellere, aut radere, vt nihil apud prophanos authores, atque adeo etiam Poëtas, in funere, & luctu frequentius audiatur, quam scindi, velli & lacerari comas hoc ipsum inter Iudæos solemne ac vsitatum fuisse constat item ex multis sacræ Scripturæ testimoniis, vt superius de vestium laceratione diximus, vt de Iob ipso taceam, *Qui tonso capite in terram corruisse*, dicitur nuncio de filiorum clade accepto, referuntur, hæc verba Isaiæ, cap. 15. *In cunctis capitibus eius caluitium*, & Michææ, cap. 1 vers. 16. *Decaluare & tondere super filios deliciarum tuarum*, & Hieremiæ 16. *Non sepelientur, neque plangentur, neque caluitium fiet pro eis:*

Comam item radere aut euellere vsitatum in luctu apud omnes pœne gentes.

De Esther vero, eximium præ cæteris exemplum est, cum de ea dicitur, capite 14. *Omnia loca in quibus lætari consueuit crinium laceratione compleuit*; quam mœroris ac luctus significandi consuetudinem vsque ad tempora Iudaicæ Reipublicæ peruenisse, testatur Iosephus lib. 16. antiqu. cap. 11. nam cum Salome Herodis soror, graui dolore premeretur, vellebat sibi crines, & tundebat pectus, ex vulgari, vt credibile est, apud gentiles suos consuetudine, de capilli barbæ aut erasis, aut euulsis, hoc habeo dicere, insignem esse locum illum Hieremiæ, cap. 41. vers. 5. *Venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria, octoginta, viri, rasi barba, & scissis vestibus, & squalentes*. Vt ostendatur habitum hunc etiam fuisse lugentium non apud Hebræos solum, sed etiam apud peregrinas alias nationes, de Hebræis quidem, fidem faciunt, illa verba, Leuitici cap. 21. quibus prohibetur, Sacerdotibus, ne aliorum more, in suorum funere se gerant; *Nec radent*, inquit, *caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras*. De Chaldæis, aut lugentibus, aut luctum simulantibus, scribit Baruch cap. 6. vers. 30. *In domibus eorum Sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam, quorum capita nuda sunt, rugiunt autem clamantes*. De Palestinis, docet Hieremias cap. 47. vers. 5 *Venit Caluitium super Gazam, &c*. De Moab, idem Propheta cap 48. vers. 37. *Omne enim caput, Caluitium, & omnis barba rasa, &c. Et sedi mærens, &c*. Sicut Iob, tonso capite, sedit in terra, lamentabatur autem Esdras, peccata aliorum, tanquam sua, quia erat membrum illius populi, quod summæ in eo charitatis, vnionis & concordiæ, cum popularibus suis, fuit indicium, sic & Daniel 9. cap. confitetur peccata populi Israel, tanquam ipsorum particeps, licet esset innocentissimus. Iosephus, hic quidem, ait, Esdram, se humi prostrauisse, sed nihil mutandum in textu, sedere enim attonitum, & gemebundum, Principẽ populi, in templi atrio, quo Israëlitæ omnes confluebant, scissis vestibus, barba & cæsarie ex parte euulsa, sat magnum habuit momentum, ad populi spectantis animos labefactandos.

Exempla de barba pilis aut rasis, aut euulsis in luctu.

VIII. Viri sancti aliorum peccata vt sua deflent, ex charitate.

IX. Vers. 4. *Conuenerunt autem ad me omnes qui timebant verbum Dei Israel pro transgressione eorum qui de captiuitate venerunt, &c*. Magna confestim

A mutatio rerum, nam ante perfidię principium, & malo illorum exemplo, factum fuerat, vt multi de populo, luxuriam secuti, legem de connubiis violarent, nunc magno principe, eoque Sacerdote, mœrente, & quod peccatoribus agendum est, exemplo suo edocente, populus ad meliora assurgit, cõueniunt siquidem ad Esdram vniuersi, qui timent verbum Dei, quo scilicet transgressores puniendos esse lex minatur, & hoc? quod ait textus, *Conuenerunt omnes qui timebant verbum Dei Israel pro transgressione*, quod autem

B addit, *Eorum qui de captiuitate venerant*, intellige, tam sub Dario, quàm sub Artaxerxe, nam qui sub Cyro, iam ferè defuncti erant, cum hic annus septimus Artaxerxis, 80. sit à soluta primum captiuitate.

Bono Esdræ exemplo animati Iudæi ad pœnitentiam & morum conuersionem.

Et ego sedebam tristis vsque ad sacrificium vespertinum, &c. Scilicet, totum diem, in luctu consumpsit, cum à mane, vt credibile est, aut sole non iam multum progresso, ad vesperam vsque tristis ac mœrens consederit. Hoc enim indicat, sacrificium vespertinum quod in textu apponitur. Porrò, notum est, apud Hebræos, illud sacrifi- X.

C cii genus, quod quia diebus omnibus immolabatur, iuge appellari consueuerat, de quo iam nos alibi, & quia bis, hoc sacrificium offerri solebat, manè scilicet & vesperè, ideò sacrificium dicebatur, matutinum & vespertinum; illud illucescente die, hoc occidente sole offerebatur, crebra est huius sacrificii mentio, in sacra Scriptura, quod sub horam & matutinam & vespertinam fiebat, iuxta præceptum Domini. Exod. cap. 29. vers. 38. *Hoc est*, inquit, *quod facies in altari agnos anniculos duos, per singulos dies, iugiter, vnum agnum mane, & alterum vesperè*.

D Vers. 5. *Et in sacrificio vespertino, surrexi de afflictione mea, &c*. Res hic significata (quod in scriptura satis solemne est pro signo ponitur, & cum dicitur, Esdras surrexisse de afflictione intelligendus est, surrexisse de puluere, & omisisse planctum & illius argumenta, Hebræis familiaria, & se totum ad orationem conuertisse, reliquisse lugentis & mœsti habitum, vultum, ac speciem supplicis, & orantis suscepisse, & cum varii apud varios, orandi habitus extiterint; varia quoque inter orandum, membrorum omnium, & totius corporis conformatio, frequens fuit apud Hebræos, *in faciem cadere*,

XI. Res significata hic pro signo ponitur afflictio pro habitu & situ afflicti animi indice.

Quinam communior orantium habitus fuerit apud Hebræos.

ponere in puluere os suum, adhærere terræ, incuruare genua, aut de geniculis orare, manus expandere, vnde sequitur. A

XII. *Et scisso pallio & tunica curuaui genua & expandi manus meas ad Dominum, &c.* Pietatis hoc indicium est, Parauit se scilicet Esdras, per compunctionem cordis, & per afflictionem corporis, id est, per situm, habitumque externum mœrentis ac supplicis vt dignus efficeretur auditu supernæ pietatis, ait Glossa ordinaria, & tùm in hæc orationis verba prorupit, *Deus meus confundaar, &c.* curuat autem genua, expandit manus & fundit preces, in tempore sacrificii vespertini, vt est in litera, sciens esse gratius, quod fit in spiritu humilitatis, & in animo contrito, quam quod carnibus & sanguine pecudum offertur. sane habitus ille quem supplex atque orans Esdras assumpsit, ad diuinam misericordiam excitandã, erat aptissimus, abiecit enim scisso pallio præcipuum ornamentum, vt squalorem præseferret, discissa tunica, ab anteriori parte, nudum ostendit pectus, vt se miserabiliorem ac proinde miseratione ipsa digniorem ostenderet, manibus expansis sollicitum atque anxiũ ostentabat animum, & geniculorum tandem incuruatione, demissum ac humilem animi sui significabat affectum, quæ omnia, & viam orationi reddunt expeditam, & ad conciliandum diuinum numen, mirùm quantum suapte natura conducant.

Habitus quem supplex atque orans Esdras assumpsit ad diuinam misericordiam excitandam aptissimus.

XIII. Vers. 6. *Et dixi Deus meus confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, &c.* Est etiam hic exordiendæ orationis, modus, ad diuinam beneuolentiam captandam, potentissimus, cùm nobis, nihil deberi, præter ignominiam, & pudorem fatemur; atque ideo, si quid à Deo bonorum omnium fonte haurimus, id non meritis nostris, sed diuinæ misericordiæ tribuendum esse conclamamus. Et hanc credo familiarem fuisse formam, qua vsus Baruch, imò qua Iudæos, vti docuit, cap. 1. vers. 15. cum ait, *Vt dicatis Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ, sicut est dies hæc*, quibus verbis, certum exulibus præscribere videtur orandi modum, quo primum ostendant, ingenti se pudore suffundi, cum ad Deum accedunt, & illius caussas ingenua confessione declarent. quod repetit cap. 2. vers. . nec absimilis est, Danielis oratio, immo iisdem omnino verbis concepta, cap. 9. vers. 7. *Tibi Domine*, inquit, *iustitia, nobis verò confusio faciei, sicut est hodie, viro Iuda, & habitatoribus Hierusalem, & omni Israel*: Et iterum vers. 8. consequenti, *Domine nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris, qui peccauerunt*: Sic etiam orauit Azarias, Dan. cap. 3 vers. 33. *Et nunc*, inquit, *non possumus aperire os, confusio & opprobrium facti sumus.* Et Tobias cap. 3. non longè ab hac forma, precationem ad Deum fundit; Cæterùm, confusio faciei, quæ se tota hæc, cum Esdræ, tum aliorum, oratione profert pro re ponitur ignominiosa & turpi, qualis est seruilis & abiecta conditio, à qua neque sordes abesse solent, neque ignominia, quæ vultum miserorum, pudore suffundit, atque adeò effectus, pro causa sumitur; pudor scilicet, aut verecundatã facies, pro ignominia, à qua genus illud ignominiæ contrahitur; quod autem additur, proximè ab Esdra, *Quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum*, Hæc veluti prouerbiali locutione, ingens peccatorum multitudo significatur, hine illud Danielis Psalm. 31 vers. 5. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*: Sicut & Isaiæ cap. 8 vers. 8. *Flumen inundans vsque ad collum veniet*: Et cap. 30. vers. 28. *Velut torrens inundans, vsque ad medium colli*: Et lib. 4. Reg. cap. 25. vers. 16. *Sanguinem innoxium fudit Manasses, multum nimis, donec impleretur Hierusalem vsque ad os*, quæ verba, magnam afflictionem, & calamitatem, abundantiam indicant; sumitur autem hæc metaphora, siue prouerbialis locutio, ab aquarum gurgite, qui tunc censetur esse vastus, cum caput aqua cooperire cooperit, aut ad os peruenire, aut collum, per aquas porrò afflictiones significari nemo est qui ignoret.

Exemplis ostenditur orationem Esdræ formam habuisse initio, valde familiarẽ in scriptura, ad commouendam Dei misericordiam.

B

Confusio faciei ponitur pro re ignominiosa ac turpi.

C

D

XIV. *Et delicta nostra creuerunt vsque ad cælum, &c.* Hac item locutione exaggerationis plena, seu hyperbolica, vt loquuntur, significat, immensam peccatorum multitudinem, vtpotè quæ non solum supra caput, vt ante aiebat, sed etiam supra cœlum attollitur, nisi malis cum Sanctio, cuius sensum contemnendum omnino esse non sentio reddi hic rationem, cur tam seuerè à Deo, populus ille mulctatus fuerit, quia videlicet immunera pœnè, eaque grauissima scelera perpetrarat, ad quam explicationem firmandam, duo notat,

Peccatum, iniquitas & similes eiusmodi voces sæpe pro peccatorum supplicio ponuntur in scriptura.

A Primum est, has voces peccatum, iniquitatem, & similes eiusmodi, sumi frequenter in scriptura, pro peccatorum, & iniquitatum supplicio, alterum coniunctionem, &. non esse semper coniunctionem copulantem extrema, sed aliquando rationalem particulam, vnde sensus hic esse possit expeditus satis, nec raro in sacris litteris obuius, iniquitates, id est, iniquitatum pœnas, ac supplicia, esse supra caput Et, id est, ingenti in numero, quia ad cœlum vsque delicta pertingunt, quid mirum, si Deo vindice, criminum grauitati, suppliciorum respondet acerbitas?

Et aliquando in scriptura rationalis seu causatiua particula.

B Vers 7. *A diebus Patrum nostrorum, sed & nos ipsi peccauimus grauiter, vsque ad diem hanc, &c.* Hæc verba, *A diebus Patrum nostrorum*, leguntur in vulgata interpretatione, iuncta cum præcedentibus, lectio Græca, & textus Hebraicus sic connectunt, *A diebus Patrum nostrorum, nos in delicto magno, vsque ad diem hanc*; quidquid sit, de hac diuersitate, continet hic textus, piam admodum verè synceram, atque humilem Esdræ, pro populo, qui præuaricatus fuerat, peccatorum confessionem, & quod ait, *Delicta nostra venerunt vsque ad cœlum a diebus patrum nostrorum, &c.* C Manasse, Regis Iudæ, Sedeciæ, & complurium aliorum, memoriam refricat; & sibi ob oculos ponit quorum vitam, multis contaminatam vitiis, & grauissimis fœdatam criminibus, satis indicat historia Regum, lib. 4. quod autem addit in fine huius versus, sicut & de hac, &c. indicans, soluta etiam captiuitate, se pro peccatis suis, etiamnum adhuc, *In gladium traditos, & in captiuitatem, & in rapinam, & in confusionem vultus*, eo dictum intellige, quod licet Iudæi essent reuersi de captiuitate, tamen multa opprobria sustinebant à gentilibus, qui erant in circuitu, vt habetur Nehemiæ 2. cap. & illi etiam D qui remanserant in Babylone, ab illius terræ incolis, idololatris, multa patiebantur incommoda, commemorat igitur Esdras, & sua, & peccatorum peccata, vt à suis, & parentum suorum meritis, spem omnem veniæ, & leuitatis excludat, cum talis eorum fuerit instituta vitæ ratio, vt furorem magis accersat & ad vindictam instimulet, quam offensum Deum, ad misericordiam inflectat, & sanè iam ab antiquis sæculis, id est, ab Israele ipso totius illius gentis, atque innumeræ multitudinis, authore, ac principe iugis fuerat, eaque magna scelerum exundatio, neque leuius postmodum peccauerat extrema posteritas, vt mirum esse non debeat, si excitati (vt sic loquar) ex illa inundatione fluctus, quasi ex immensæ profunditatis abysso, ad cœlum vsque, quid superiori versu dictum est, peruenerint.

XV.

Quorumnam sibi memoriam ob oculos ponit Esdras cum de Patrum ac Maiorum suorum peccatis loquitur.

Vers. 8. *Et nunc quasi ad parum & ad momentum facta est deprecatio nostra, &c.* Locus satis difficilis & expositionum varietate perplexus, quasi parum, & ad momentum, an non idem est, quasi diceret, parum quiddam, à Deo obtinuimus, vel paruo tempore impetrauimus orando, &c. vnde duplex, aut triplex, etiam huius loci expositio assignari potest; Prima, vt vox illa parum, referatur ad ipsos deprecantes, & sic sensus sit, sicut modicum deprecati fuerimus Dominum, tanquam parum deuoti, & in eius cultu perquam modicè feruentes, tamen in aliquo exaudiuit nos, altera vt eadem vox *parum*, referatur ad rem, pro qua fiebat deprecatio populi, scilicet liberatione, quæ facta erat in tribus Tribubus tantum, Iudæ, Beniamin, & Leui; vnde sequitur in textu, *Vt dimitterentur nobis reliquiæ*, quia populus, quæ summa fuit Dei indulgentis misericordia, non erat penitus deletus, licet id peccatis suis, plus satis commeruissent. Tertia tandem expositio est, si tamen multum à præcedentibus differt, vt vox *parum*, referatur ad Deum, sensusque sit, licet Deum deprecati fuerimus, tamen in modico, id est, perparum, quasi nullo modo, exauditi sumus; non quidem, ex defectu diuinæ liberalitatis, sed propter impedimentum nostræ iniquitatis, sic Lyrarus; Quid si Esdras, Dei benignitatem, ac misericordiam, quæ quidam fructus existimari poterat depretationis, momentaneam esse dicat, & exiguam? *Quasi parum*, inquit, *& ad momentum facta est deprecatio nostra*, vix est vt diu multumque accepto beneficio gaudeamus. Quid ita? quia scilicet, recentia illa, & grauia populi peccata; iterum recentem à Deo vindictam aduocant, quam si Deus infligit, vt sanè nostra omnium exigit improbitas, concessa libertas, & gratia, non videntur futuræ diuturnæ, XVI.

Varia huius loci expositio prout vox parum ad varia refertur.

sed primo statim tempore, in easdem sordes & angustias, ex quibus vix dum bene emersimus relabemur, non desunt qui parum illud & ad momentum in textu positum, ad tempus referant, in quo primum longo exilio mœrentibus Iudæis, lux nouæ & inspiratæ libertatis affulsit, vt is sensus sit, quasi dicat ex tot calamitatibus quas tuo populo, propter iniquitates suas immisisti, nunc primum respicere cœpimus, & hunc sensum indicat versio Tigurina, nec improbat Vatablus, sed vt verum fatear, licet ex tanta varietate, penitus nihil reiiciendum ducam, ego tamen Sanctij expositionem hoc loco petitam aut confirmatam, ex lib. 3 Esdræ cap. 8. vers. 7). Vbi hæc eadem historia & oratio repetitur, præ cæteris vehementer probo, qua explicatione, vult Esdram duo hic amplificare, & populi innumera peccata, tam olim à parentibus quam nunc à posteris recenter admissa, propter quæ magno suo merito, variis vndequaque calamitatibus iactati fuerant, & Dei ipsius misericordiam, qui cum iustè in illos indignari posset, & duris exercere suppliciis, ignorat tamen, & curam illorum paternam habuit, ac sedulam, cum adhuc iugo Babylonico premerentur, locus autem 3. Esdræ hic est, *Et nunc quantum est hoc quod contigit nobis, misericordia abs te Domine Deus, & relinque nobis radicem & nomen, in locum sanctificationis tuæ detegere luminare nostrum, in domo Dei nostri, dare nobis cibum in omni tempore, seruitutis nostræ, & cum seruiremus non fuimus derelicti, à Domino Deo nostro, sed constituit nos, ponens nobis Reges Persarum, dare cibum, & clarificare templum Dei nostri.* Nimirum, vt ex tota hac sacra Historia constat, Persarum Regibus ad quos Chaldæorum imperium peruenerat, Deus illam iniecit mentem, vt de Iudæorum libertate, tam studiosè cogitarent, tam seriò ac diligenter laborarent, vt nunc tandem, in patriam illos reduxerint, locum orationis illis aperuerint, & auitam religionem, ad pristinam formam ritumque reuocarint, quæ tamen beneficia minus agnouisse videntur homines ingrati, & immemores, quando nouis se sceleribus polluerunt, & diuinam rursus in se

A vindictam prouocarunt, vnde subditur eodem etiam capite 3. Esdræ vers. 83. *Et nunc quid dicimus Domine, habentes hoc, transgressi enim sumus præcepta tua, sic igitur Esdras in præsenti: Et nunc,* inquit, *quasi parum & ad momentum facta est, seu facta esset deprecatio nostra, apud Dominum,* id est, & hoc tempore, quasi exiguum foret, & momentaneum beneficium, quo nostræ deprecationi, & votis tam benignè respondisti, nos illud contempsisse videmur, dum impositum à te præceptum inuerecun-
B de transgredimur, sic Sanctius quæ expositio vt facilis, sic satis vera mihi videtur, eoque magis, quod cum sequentibus versibus admodum quadrat.

Et daretur nobis paxillus in loco sancto, &c. Paxillus, id est, firmus locus, seu firmamentum, id est, firma habitatio, quæ tam multis annis superioribus, inconstans fuit, paxillum enim vocant, baculum, quo firmatur gressus, Tigurina, vertere maluit, *clauum*, quo scilicet firmantur naues, aut qui firmare solet tabernacula, aut aliquod opus, ex variis partibus arte compactum, in Septuagin- XVII.

Paxillus hic ponitur pro firma habitatione & constantia.

C ta legimus, *statum*, qua plantæ firmiter consistunt, olim legebatur, *pax*, sed rectè, iuxta Hebræa, & Græca, correctum est, sicut & versu proximo, vbi legebatur, *spem*, pro *sepem* cuius loci sensus, idem est, ac præcedentis, *vt dares tu sepem, &c.* id est, munimentum firmum, contra irruptiones hostium, potiùs quam vt sic intelligatur, legendo *spem* cum Lyrano, *dares nobis spem*, id est, spem accipiendi à Deo plura beneficia, ex præteritis iam collatis, hanc sepem Tigurina interpretatur *murum*, quem Iudæi quasi furtiue Hierosolymis, hinc
D inde extruxerant, sed qui vilis esset, & infirmus, vt hortorum, aut vinearum sepes, quicquid sit, magni beneficii loco ponit, hic Esdras, quod populi Iudaïci reliquiæ, post tot bella, & strages diuturnumque exilium, superstites, tandem in patriam remissæ sint, & in solymitano solo, id est, in loco sancto, datus sit illis paxillus, id est, firmamentum aliquod certum, vbi se suasque fortunas in tuto collocarent.

Et illuminaret oculos nostros Deus noster, & daret nobis vitam modicam in seruitute XVIII.

seruitute nostra, &c. Magnam his verbis A lucem affert, locus ille Ezechielis cap. 3. vers. 12. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus, & inducam vos, in terram Israel*; sic enim Deus ad Iudæos à Patria exulantes, qui quod aduersa fortuna, & rerum etiam necessariarum inopia iactarentur, sic tanquam in mortuis numerabantur, quo fit proinde, vt cum iidem ab exilio Babylonico in patriam remigrant, eodem iure in vitam quodammodo reuocari censendi sint, hinc est quod dicitur, *Et illuminaret oculos nostros Deus noster*: Duplex igitur (vt B paucis rem complectar) beneficium hic attingit Esdras, in Iudæos à Deo collatum, vitam scilicet & vitæ sustentationem, primum his verbis, *Illuminaret oculos nostros*, alterum istis, *Et daret nobis vitam modicam*; & vt vita, pro cibo, rebusque vitæ sustentandæ necessariis, sic *videre, seu illuminari*, pro *viuere*, cum apud sacros tum apud prophanos authores sæpè sumitur.

Qui redeunt à captiuitate Babylonica in vitã quodammodo reuocari dicuntur.

Vers. 9. *Quia serui sumus & in seruitute nostra, non dereliquit nos Deus noster, sed inclinauit super nos misericordiam, coram Rege Persarum, &c.* Non
XIX. tam aliud beneficium, quàm idem ipsum, quod antea commemorare cœpit, explicare videtur. Hic paulò fusius: Ego in diuinam beneficentiam, C iure meritoque refundendum est, quod cum durius olim Chaldæi, ante Persarum imperium, in Iudæos essent animati, & illos non tam paterno quàm tyrannico premerent imperio, postea Persas induxit, illorumque animis misericordiam inseuit, quâ Iudæorum gentem haberent, tractarentque humaniter, idque non solum pacato iam ipsorum imperio, sed etiam cum adhuc arderet bellum & Persicum ferrum, intra ciuitatis mœnia, vbi multa Iudæorum millia morabantur, hostiliter D grassaretur, vt notat Sanctius, qui & eodem refert, illud Xenophontis lib. 7. Cyropediæ, vbi tradit, Persas quo tempore Babylonem inuaserunt, cum in alios sæuissent atrociter, pepercisse tamen illis, qui lingua Syriaca loquerentur, quos non dubium est, Iudæos fuisse, & qui illorum fines proximè attingebant, cum autem additur, hoc versu, *Et daret nobis vitam & sublimaret domum Dei nostri*; Intellige prolixè, id atque abunde, factum à Rege, tot pecuniis, ad sacrificia, & ad omnem templi cultum destinandis; quamquam, cum iam pridem domus Dei, id est, templum, restauratum esset, domus Dei, hic accipi posset, pro populo, siue familia, quam sibi peculiariter Deus elegit, & suam esse voluit, sicut passim in Scriptura, *domus Dauid*, & *domus Iacob*, & *domus Saul*, vsurpatur.

Persæ cum Babylonẽ inuaserunt cum in aliis sæuiuent atrociter Iudæis pepercerunt.

Vers. 10. *Et nunc quid dicemus Domine Deus noster post hæc quia dereliquimus mandata tua quæ præcepisti in manu seruorum tuorum, &c.* Seruos XX.
Dei, hic appellat Moysem & Aaron, nempe Moyses, accipiebat mandata à Deo, & Aaron proponebat ea populo, vt habetur Exod. 4. Cum igitur omnis iniquitas, vt ait Propheta, oppilet os suum, & pudor ingenuus, omnem ferè eripiat loquendi facultatem, Esdras reaptè nunc, quod suprà profitebatur vers. 6. Confunditur, & erubescit, leuare faciem suam ad Deũ cum videat à Gentilibus suis, diuinam legem esse contemptam, nec aliter ipsos se in Deum gessisse, clementem illum quidem, ac propitium, quam si hostem, atque aduersarium habuissent; legem autem à Iudæis violatam, refert versu sequenti 11. quæ & habetur Deuteron. capite 7 vers. 3. & Exod. capite 23. vers. 32. & cap. 34. vers. 16.

Vers. 11. *Terra ad quam vos ingredimini vt possideatis eam, terra immunda est, iuxta immunditiam populorum, cæterarumque terrarum, cum abominationibus eorum, qui repleuerunt eam, ab ore vsque ad os, &c.* Id est, ex omni parte, terra contaminata est, in quam ingredimini, *ad os*, quasi diceret, ad summum more vasis pleni, quod redundat, vel potius *ab ore ad os*, id est, ab extremitate vna, ad aliam, vnde illud 4. Reg. cap. 21. vers. 16. vbi sic habetur de Manasse, *Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses, multum nimis, donec impleret Hierusalem, vsque ad os*; quod iam antea, alia occasione retulimus, certum est, hoc dicendi modo, magnopere, harum abominationum abundantiam significari, & certè, terram illam quam possederant, ante Chananæi, multis abominationibus fuisse inquinatam, ibique multa fuisse idola, quæ turpissimis victimis colerentur, constat ex multis scripturæ locis. XXI.

Genuinũ locutionis in textu positum, Ab ore ad os, rei de qua sermo est, abundantiam significat.

Vers. 12. *Nunc ergo filias vestras ne detis filiis eorum, &c.* Sic nimirum Deus olim seuerè Iudæis interdixerat, XXII.

ne cum externis populis, connubiali A nexu iungerentur, ne scilicet peregrina illorum allecti deceptique consuetudine, veri Dei cultum relinquerent, & impiis se religionibus addicerent, *Ne detis*, inquit, *filias vestras, filiis eorum*, addit mox, *Et non quæratis pacem eorum*, quod scilicet vergit in ipsorum bonum, ne reddantur peiores, aut ne qui beneficia impendunt si in periculum seductionis coniiciant, quæ causæ faciunt, vt non teneamur semper inimicis externa signa beneuolentiæ exhibere, similis locutio 4. Reg. 21.

Non tenemur semper inimicis exhibere externa signa beneuolentiæ.

vers. 16. *Non quæratis pacem eorum*, id B est, eorum salus non sit vobis curæ, & certè populi de quibus agitur in textu, secundùm diuinam iustitiam, & ex Dei imperantis mandato, debebant interfici, & ideo filii Israël non poterant cum eis fœdera sancire perpetua, licet possent dare inducias ad tempus, in aliquo casu, vt constat ex historia Iosue, istud autem mandatum transgressi fuerant illi, qui redierant de captiuitate contrahendo connubia, cum Gentilibus, cum quibus eis erat prohibitum, & illicitum, maximè post gratiam eis factam à Deo, quæ reduxerat eos, de captiuitate, vnde sequitur proximè. *Et in delicto nostro ma-* C *gno, quia tu Deus liberasti nos*, nam ex hac ingratitudine multum eorum peccatum aggrauabatur: quod autem in fine huius versus subiungitur, *Vt confortemini & comedatis quæ bona sunt terræ & hæredes habeatis filios vestros vsque in sæculum*; bellè cum eo consentit, quòd toto cap. 7. Deuter. continetur, vbi post hæc verba vers. 3. *Non inibis cum eis fœdus*; Hoc est pacem & studiorum similitudinem, hanc Deus promissionem iterat sæpius, & amplificat, & quod multis explicat Moyses paucissimis hic verbis Esdras complectitur, Terra igitur promissionis, & hic, & illic, à Iudæis habitanda dicitur, sub ea con- D ditione, si Gentilium societatem horreant, & nuptias, illosque de terra exterminent, & omnino disperdant.

XXIII. Vers. 13. *Et post omnia quæ venerunt super nos in operibus nostris pessimis in delicto nostro magno, quia tu Deus liberasti nos, &c.* Locus hic satis perplexus est & impeditus, illius explicatio facilior & magis expedita est, ex obseruatione Sanctii, qui rectè hic annotat, *in*, non raro in scriptura idem valere, quod *propter*, & particulam *quia* adhiberi nonnunquam tantum ornatus causa, aut sæpè etiam aduersatiuam esse, idemque significare quod, *sed, tamen, verumtamen*, & *vero*, vt is sensus sit, post illas clades & infortunia, quæ passi sumus, *In operibus nostris, & in delicto nostro magno*, id est, propter iniquitates nostras, *Tu Domine liberasti nos*, vel propter scelera nostra afflixisti nos quidem, verumtamen liberasti nos, & is sensus, cum Tigurina translatione conuenit.

Vers. 14. *Et dedisti nobis salutem, vt non conuerteremur & irrita faceremum mandata tua, neque matrimonia iungeremus, cum populis abominationum istarum, &c.* Pergit Esdras hoc versu, & deinceps confiteri Domino generale hoc connubium illegitimorum peccatum, ob quod mereantur iterum exterminari de terra sancta, miraturque nec immerito, insignem, in hac re diuini numinis clementiam, quæ sic æstuantem quodammodo iram temperauerit, vt rebellem prorsus atque infidelem populum, omni ex parte non extinxerit, *Dedisti*, inquit, *nobis salutem sicut est hodie, vt non conuerteremur, &c.* Scilicet ad malum, quasi diceret, salutem dedisti ne iterum peccaremus, tu beneficiis nos cumulasti, vt illorum memores, ad pristina vitia nunquam relaberemur, nec cum Gentibus, à vera religione alienis, aut fœdera, aut connubia iungeremus, contra quam fecimus impiè, ac nefariè, in legem ipsam præuaricantes, hinc sequitur, *Nunquid iratus es nobis*, Hebraicè nonne irasceris? scilicet nobis iure meritissimo, quasi dicat, meremur quidem, vt nos prorsus deleas, delebimurque profectò, nisi ex tua liberalitate saluemur, nunquid iratus es nobis vsque ad consummationem? ne dimitteres reliquias, ad salutem, id est, annon merito irasceris contra nos, donec nos consumas, ita vt neque reliquiæ supersint, nec de nobis illis, vspiam, qui vindicem tuam manum euadant, cum tamen ex summa Dei bonitate ingratum Iudæorum genus funditus extinctum non fuerit, sed illud magnæ, ex ingenti naufragio, conseruatæ sint reliquiæ, quæ in patriam redierint & plures adhuc in Babylone sint commoratæ.

Vers. 15. *Domine Deus Israel iustus es tu, &c.* Iustitiam Dei deprædicat Esdras, in eo quòd multos Israëlitas propter peccata sua perdiderit, *Iustus*

V. *es tu*, inquit, *sed & misericors, quoniam*, vt statim addit, *derelicti sumus qui saluaremur & essemus hodie superstites. Iustus es tu, &c.* quasi diceret, Meritò nos punis tot nominibus ingratos & peruicaces; aut, *Iustus es*, quoniam promissa præstitisti qui nos paucos licet liberasti; quod autem postea additur, *Nec enim stari potest coram te super hoc*, Etsi idem censeri potest ac si dicat, id planè negare non possumus, aliud tamen addo dum vnà quæ proximè istis prænotantur verba discutio, quæ sic habeant.

Ecce coram te sumus in delicto nostro, &c. Aptè omnino solemnem suam, & publicam peccatorum confessio-
XXVI. nem concludit Esdras, his verbis, *Ecce coram te sumus in delicto nostro*: A *Coram te*, qui omnia vides, vt est in Glossa interlineari, in delicto tibi ipsi, & hominibus manifesto, *Non enim stari potest coram te super hoc*, id est, ad tegendum, excusandum, defendendum peccatum nostrum, adesse nobis coram te nemo mortalium, seu causam nostram agere, patrocinari nobis in hoc facto, contra te nemo vnus potest, quo quid verius, quid illustrius, ad miserationem diuinam ex- B torquendam dici potuit? *Nec enim stari potest coram te super hoc*, quasi ad iustificandam, aut negandam culpam hanc in conspectu tuo scilicet, neutrum enim fieri potest, quin non solum rei, sed impudentes etiam rei, & omni misericordia indigni meritò iudicemur.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA
Capitis noni.

Mysticum & morale in illud vers. 1. & 2. *Non est separatus populus Israel, & Sacerdotes & Leuitæ à populis terrarum: Tulerunt enim de filiabus eorum sibi, & filijs suis vxores, & commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum, &c.*

Quid mysticè significent vxores alienigenæ, quibuscum Iudæi contra legem diuinam fœdere connubiali coniuncti sunt, & de vitandis Infidelium, & Hæreticorum coniugiis.

I. PAucis quæstionem soluo, & textum supra citatum ex literali atque historico sensu ad Allegoriam sic transfero iuxta mentem Bedæ propius & Glossæ interlinearis, vt postea ad longiorem dissertationem moralem viam mihi præmuniam. Vxores alienigenæ, hæreses & superstitiosas Philosophorum & Gentilium sectas mysticè significant, quæ cum in Ecclesiam incautè admittuntur, semen sanctum Catholicæ veritatis & puræ actionis errore contaminant. Peccata quoque omnia quibus Ethnici, & Gentiles polluuntur, C dum Christiani non erubescunt imitari, quasi per vxores alienigenas degenerant à semine verbi Dei, quo fuerant generati secundùm illud Iacob. 1. cap. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, &c.* & quasi prophanam de filiabus exterorum sobolem procreant, dum illecebras errantium secuti, peruersos ex eis actus ad cunctorum notitiam proferunt, vt mirum non sit, si tam crebrò, ac sedulò, de vitandis Hæreticorum, & Infidelium commerciis, & contuberniis, Ecclesiasticæ sanctiones moneant: quo spectare illud Esdræ censendum est, suam suorumque, hac in parte ob violatam legem, vicem lamentantis, infra vers. 10. *Et nunc quid dicamus Domine Deus noster, post hæc, quia de-*

Vxores alienigenæ quas duxerunt Iudæi significant Hæreticorum sectas quibuscum, fucisbus Catholicis nullum debet esse in Ecclesia commercium.

relinquimus mandata tua, quæ præcepisti in manu seruorum tuorum, &c. Et apertius vers. 13. & 14. *Tu Deus liberasti nos de iniquitate nostra, & dedisti nobis salutem sicut est hodie, vt non conuerteremur, & irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia iungeremus cum populis abominationum istarum, &c.* Ex quo intelligere est, & quanta cautela in matrimoniis contrahendis sit adhibenda, & quam de vitando cum Infidelibus & Hæreticis connubiali fœdere Christianus quisque debeat esse sollicitus. Nimirum, vt ait D. August. lib. de adulter. coniug. cap. 21. *Hoc est præceptum Domini, tam in nouo quam in veteri Testamento, vt nonnisi vnius Religionis, & fidei coniugia sibi maneant copulata,* sane D. Pauli 2. Corinth. cap. 9. vers. 14. nota vox est, *Nolite iugum ducere cum infidelibus*, qua Corinthios monet vt cum Paganis & Infidelibus nullum habeant commercium, in iis quæ ad Religionem pertinent: immo ne ita arcte & familiariter cum iis agunt, vt sensim inclinentur pertrahanturque ad eorũ infidelitatem & vitia, cuiusmodi est cum iis matrimonio iungi, *Nolite*, inquit, *iugum ducere cum infidelibus*, quasi dicat, Separate vos ab infidelium cœtibus, templis, sacrificiis, conuiuiis, cõiugiis, omniq; eorum commercio, vel per se impio, aut iniusto, vel periculoso, aut scandaloso: Nolite facere vti Iudæi de quibus Psalm. 105. vers. 35. *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum.* Ita ferè D. Chrysostomus. Fuit hoc iam inde à primis sæculis in hominum animis alte impressum, imo in ipso quasi mundi nascentis exordio, quod *Filii Dei* cum *filiabus hominum*, permixti sunt, quod *Caini* genus cum progenie *Seth*, quòd boni cũ malis cõnubiale fœdus inierunt, hinc prima veluti mali labes, hinc orbis vniuersi etiãnum adhuc ineuntis pœnè fœda colluuies, & è vitiorum colluuie, extrema eius pernicies, prorsusque ingens ruina exorta est; *Cumq; cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassẽt; Videntes Filij Dei filias hominũ quod essent pulchræ, acceperũt sibi vxores ex omnibus quas elegerant, Dixitque Deus, Non permanebit spiritus meus in homine in æternum quia caro est &c.* En literarum sacrarum oraculum Gen. c. 2. vers. 1. 2. & 3. Nouerat id renouato iam dudùm orbe Abraham ipse, cum Gen. c. 24. vers. 1. & seq. adiurabat seruum seniorem domus suæ Eliezer, ne acciperet vxorem filio suo Isaac de filiabus Chananæorũ. Audi quibus verbis, & quàm grauiter *senex dierum multorum* (vt scriptura loquitur) & morti iam proximus, id contestatur, *Pone*, inquit, *manum tuam subter femur meum vt adiurem te, per Dominum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo, de filiabus Chananæorum, inter quas habito, sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris, &c.* Sanè rem hic admodũ grauem & necessariam, negotium ingens magnique haud dubiè momenti par est suspicari, quod eiusmodi adiurationis genus accerseret; Sed quid tandẽ fuit, quod Abraham à coniugiis mulierum Chananæarum tantopere abhorruit? Duas eius rei causas ex D. Ambrosio huc affero, primam strictim attingo, in altera, quia propius ad rem nostram facit, & authorem nostrum magis illustrat diutius hæreo, sic igitur ille lib. 1. de Abraham c. 9. *Constrinxit Abraham seruum suũ, vt non dè semine Chananæorum vxorem accerseret filio suo, quorũ scilicet generis author, patrem non honorauerat, & ideo maledictionis hæreditatem transmisit in suos, vt cognoscamus fidẽ & quãdam virtutis hæreditatem de authoris prosapia, in iis requirẽdam quos nobis volumus adiungere, Cum sancto sanctus eris,* (inquit scriptura) *& cum peruerso peruersus, si hoc in aliis quanto magis in coniugio, vbi vna caro & vnus spiritus est, &c.* Atque ita vnam hãc primùm (vt vides) causam fuisse existimat D. Ambrosius repudiari contemptique fœderis Chananæorũ pro cõnubio *Isaac*, quod Chananææ gentis satorparensq; *Chanaan*, quia scilicet pater eius *Cham* minus reuerenter habuisset patrẽ suũ *Noe*, idcircò maledictus ipse ab eo fuerit, & tam ipse quam posteri eius, filiorum *Sem* & *Iapheth* seruituti addicti, mancipatique fuerint in perpetuum; in coniugio autem & connubiali fœdere ineundo, nobilem maiorum conditionem, generosamque virtutem quantum licet, requiri consentaneum est: Nunc ad alteram eiusdem rei, hoc est deuitati à Patriarcha Chananæorum coniugii, causam & rationem venio, ex Religionis conseruandæ studio petitam, quam grauiter & disertè vt solet idẽ sanctus Pater Christianis seruandã demonstrat his verbis, *Nec satis est Christianã esse, nisi ambo initiati sitis Sacramento Baptismatis, simul ad orationem nocte vobis surgendum est, & communibus precibus obsecrandus Deus, Accedit ad aliud insigne castimoniæ si cre-*

Fidelibus in veteri & in nouo Testamento præcipitur, vt Infidelium & Hæreticorum connubia vitent.

II.

Et connubiali fœdere bonorum cum malis orta mundi colluuies & ruina.

Rationes ob quas noluit Abraham filium suum Isaac inire matrimonium cum Chananæis.

da: à tuo Deo tibi quod sortitus es coniugẽ esse datam. Vnde & Salomon ait, *A Deo preparatur viro, vxor*, Prouerb. 14. *Non possunt hoc dispares fide credere, vt ab eo quem colunt, putent sibi connubij impartitam gratiam. Ratio docet, sed amplius exempla commouent, species illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos & a Religione facit discedere: & ideo tu vel amori consule, vel errorem caue. Primum ergo in coniugio Religio quæratur, ideo Abraham proximam quæsiuit dare filio suo, disce item quid potissimum in vxore quærere debeas: non aurum, non argentum, non possessiones requisiuit Abraham, sed gratiam bonæ indolis.* Sic D. Ambrosius, ex cuius orationis contextu facile quiuis deprehendit, totam hanc quæ omnium præcipua est in Abrahamo vitandi connubij Chananæorum rationem, ad Chananæorum ipsorum impietatem deuitandam referri: sicque in pauca contrahi posse, gens Chananæorum per quàm impia erat & scelerata, atque idololatriæ maiorem in modum dedita, fœdissimisque inquinata flagitiis: in diligenda vero vxore, ante omnia fides & Religio, probitasque morum spectanda est, omnibusque tùm corporis, tùm fortunæ bonis anteferenda, contrà quàm bene multi hac ætate, suo, ac suorum damno, aut sentiunt aut faciunt, quos iam olim hoc versu perstringebat Satyricus:

Protinus ad causam, de moribus vltima fiet Quæstio.

III. Audi Tertullianum lib. de Corona militis cap 13. *Coronant nuptiæ sponsos, & ideo non nubimus Ethnicis, ne nos ad idololatriam vsque deducant, à qua apud illos nuptiæ incipiunt. Habes legem a Patriarchis*, Genes. 24. *habes Apostolum* 1. Corinth. 7. *in Domino nubere liber-tem, &c.* Vides Tertullianum explicare mentem Abrahæ & Apostoli, ideo prohibentium nuptias fidelium cum gentilibus ne scilicet gentiles ad idololatriam fideles perducant. Nimirum apud Ethnicos sponsus & sponsa floribus ac sertis & seipsos, & domum & lectum coronabant, quæ veneri aliisque idolis erant consecrata vt scribit Alex. ab Alex. genialium dierum lib. 2. cap. . & Pammelius ad locum Tertulliani iam citatum. Iam vero illud ipsum Abrahami factum pro coniugio Isaac, dum expendit D. Chrysostomus, mirum quàm pulchrè cum vtrisque

A & Ambrosio & Tertulliano consentiat, rationemque facti illius mox allatam fuse pertractet, diducatque verbis amplissimis Homilia 48. in Genesim hoc pacto. *Vidisti, inquit, mandatum Patriarchæ de quærenda filio vxore datum famulo suo, cogita mentem, & propositum iusti, & quid ille spectauerit. Et attende quemadmodum veteres illi in coniugiis non quæsierint amplam substantiam, multas diuitias, numerosa seruitia, non externæ venustatis formam, sed animæ pulchritudinem, & morum nobilitatem. Nam quia videbat malitiam Cha-*
B *nanæorum, sciens quantum bonum sit, sortiri vxorem iisdem moribus viuentem, iureiurando constrinxit seruum, ne ex ea gente, sed ex sua cognatione vxorem filio adduceret, & sciens rei necessitatem, non longinquitate locorum, nec itineris difficultatibus à proposito suo deterritus est.* Hactenus Chrysostomus qui & eodem loco vt sui iampridem elapsi, sic præsentis quoque sæculi peruersos in eo genere mores eleganter exagitat his verbis, *At nunc quotus quisque obsecro, tale quiddam in coniugio ineundo*
C *cogitat? quin etsi malis innumerabilibus plena sit mulier, nihil pensi habent, hoc solum requirentes, quantum illa pecuniis abundet; cætera omnia postremo habentes loco, nescientes, si mens peruersa sit, licet innumerabiles affluant diuitiæ, facilius tamen in extremam veniri egestatem, nihilque prodesse opes, si proba & prudens desit mens, eas bene dispensans, atque in bonum conferens vsum, &c.* sic ille, Certum quidem est inter coniuges fide dispares, & studio virtutum dissimiles, nec pacem domi tranquillamque gubernationem familiæ, nec animorum voluntatumque concordiam, vel coalescere, vel diuturnam esse posse, vt si coniugum alteruter infidelis sit
D alteri profectò qui fidelis fuerit, religionis naufragium reformidari oportere. Quis enim amabo tutò se ibi nauigaturum confidat, vbi Salomon vir cæteroqui sapientissimus, & Deo charissimus infœlici planè ac miserando periit naufragio. Nec enim quæ in sacris literis de eo scripta sunt, sine ingenti admiratione, summoque animi tremore legi queunt, audi & obstupesce: *Rex Salomon*, ait Scriptura lib. 3. Reg. cap. 11. vers. 1 *adamauit mulieres alienigenas multas, super quibus dixit Dominus filiis Israel, non ingrediamini ad eas, certissime enim auertent corda vestra, vt sequamini deos earum.* His itaque

Inuectiua D. Chrysostomi in eos qui in coniugiis, probitatis morum nullam curam habent.

Inter coniuges fide dispares, nec pax esse potest, nec abesse periculum fidei amittendæ.

copulatus est Salomon ardentissimo amore, & auerterunt mulieres cor eius, cumque iam esset senex deprauatū est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos, &c. Ad hæc quis non horreat, aut casum eiusmodi non reformidet? Ex quo intelligimus non immeritò sanè Esdram hoc libro & capite, sed maxime Nehemiam altero libro extrema operis sui parte videlicet capite 13. vers. 26. *Nunquid non in ... eiusmodi re peccauit Salomon Rex Is... ...i, & certè in gentibus multis, non erat Rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit Deus Regem super omnem Israël, & ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ, &c.*

IV. Neque vero inficias quisquam ire potest (quod experientia quotidiana plus satis comprobatur) vxorem plurimum facere ad animos, moresque tam viri quam liberorum afficiendos, mutandosque propter arctissimam viri & vxoris consuetudinem, & viri flagrantiam amoris in vxorem. Quæ profectò omnia peræquè cadunt in Hæreticos, atque in Infideles nondum in Ecclesiam ingressos. Cum autem Apostolus ne *Aue*, quidem dicendum velit Hæreticis, quanto seuerius ac gloriosius cauendum ne cum illis matrimonia fidelium ineantur, *Nolite iugum ducere cum infidelibus*, inquit D. Paulus, 2. Corinth. cap. 6. vers. 14. & rationem illico subnectit, *quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* &c.

Expositio sententiæ D. Pauli de non ducendo iugo cum infidelibus.

Per iugum autem cum infidelibus non ducendum, intelligit primò, & maximè, coniugium non ineundum, ex SS. Patrum, & meliorum interpretum sententia. Nempè iugum hoc omnino grauè, ac perniciosum esset, si quid *coniugij*, quid *nuptiarum* nomine ipso contineatur intelligas. Nuptias appellat Modestinus Iurisconsultus, *Omnis vitæ consortium, & diuini pariter ac humani iuris communicationem*, lib. 1. ff. de rit. Nupt. Iuris humani & diuini communicationem vocat, quia mulier olim socia fortunarum omnium, & sacrorum erat, quam propterea vocat Dionys. Halicara: κοινωνὸν ἁπάντων χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. Eodem sensu Gordianus dixit, *Vxorem sociam rei humanæ atque diuinæ*, lib. 4. de crim. expil. hæred.

Vxor socia rei humanæ atque diuinæ esse debet ex Iurisconsultis.

Pierius lib. 3. hieroglyphicon refert apud antiquos, & præsertim in Germania, contractus thori maritalis initi socios, per dona pronuba boum eodem iugo addictorum, equi phaleris adornati, & clypei, ensisque pariter, quæ maritus ad sponsam mittebat. Cuius receptæ vulgo consuetudinis rationem affert Cornelius Tacitus cum ait, hoc ideo fieri solitum, vt vxor se laborum periculorumque sociam esse intelligeret moneretur que hoc facto, quæ porro isthæc societas alterius cum altero, cum in re omnium præcipua, quæ ad ipsum Domini numinis cultum, quæ ad æternam salutem spectat, alter ab altero diuisus sciunctusque est?

Quid significarent dona pronuba quæ maritus olim in Germania ad sponsam mittebat.

Si quis ergo societur infideli cum fidelis sit, aut societatem frangit, aut profectò pacis infidelitatis aliam subit. Atque huiusmodi periculosæ societatis luculentum etiam habes hieroglyphicum apud eundem Pierium lib. 16. vbi refert Ægyptios ad exprimendas malorum societates Salamandram delineasse, quippe quæ fructus omnes quibus adhæreseit veneno inficit præsentissimo. Talis nimirum est male inita coniugalis societas, vt pote quæ inficere soleat, quos perpetuo inter sese nexu copulat atque coniungit.

Malorum societas per Salamandram significata apud Ægyptios.

Hinc dictum illud memorabile refert Metaphrastes 16. Februarii, quo sancta Iuliana, proco diuiti fœdus coniugale cum eo pangere postulanti, sic respondit: *Tuum matrimonium est societas cum inferis, & sepulchrum positum in oculis.* Hinc fortè etiam Moscouitæ seu Rutheni, ex canone eiusdem Ioannis Metropolitæ eorum (teste Sigismundo libero Barone Commentar. 3. Moscouit. in Relig eorum, viro Religionis externæ, Principem filiam suam dare non sinunt.

V. Et quidem, quod spectat ad infidelium & hæreticorum, vitanda connubia mirè in eam rem consentiunt omnes SS. Patres, vt iam ex superioribus liquet. Prorsus ea mens fuit Tertulliani, Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, & aliorum: Accipe ex Tertulliano quod ait, lib. 2. ad vxorem cap. 3. *Fideles gentilium matrimonia subeuntes stupri reos esse constat, & arcendos ab omni communicatione fraternitatis, ex libris Apostoli dicentis, Cum eiusmodi nec cibum sumendum*, 1. Corinth. 5. De periculis autem salutis, & animæ quæ eiusmodi connubia fidelium cum infidelibus consequantur, ac de studiorum vtriusque coniugis diuersitate, in iis quæ ad Religionem pertinent, sic idem ille eodem item libro, ad vxorem; *Quis dubitet*, in-

Consensus SS. Patrū in expungendis ab Ecclesia infidelium & hæreticorum cōnubiis.

quit, *obliterari quotidie fidem commercio infideli. Bonos corrumpunt mores confabulationes malæ quanto magis coniunctus & indiuiduus vsus? quauis mulier fidelis domum obseruet necesse est,* & post pauca, *Domino certe non potest, pro disciplina satisfacere habens in latere, diaboli seruum, procuratorem Domini sui, ad impedienda fidelium studia & officia, Vt si statio facienda est maritus de die condicat ad balneas, si ieiunia obseruanda, maritus eodem die conuiuium exerceat, si procedendum erit, nunquam magis familia occupatio adueniat. Quis enim sinat coniugem suam; visitandorum fratrum gratia, vicatim aliena & quidem pauperiora quaque tuguria circuire? Quis nocturnis conuocationibus si ita oportuerit a latere suo eximi libenter feret? Quis denique solemnibus Pascha abnoctantem securus sustinebit? Quis ad conuiuium Dominicum illud, quod infamant, sine sua suspicione dimittet*; sic ille qui tandem post multa quoque alia in eandem materiam concludit. his verbis, *Habes causam qua non dubites nullum huiusmodi matrimonium prospere decurri, à Malo conciliatur, à Domino vero damnatur.* Ad Tertullianum D. Hieronymum attexo qui lib. 1. aduersus Iouinianum, fœminas Christianas gentiles nubentes sic oratione sua castigat, perstringitque acerbius, *Pleraque Apostoli contemnentes iussionem*, inquit, *iunguntur, Gentilibus, & templa Christi, idolis prostituunt, loquar quod me Apostolus docuit, non illas iustitiæ esse, sed iniquitatis, non lucis sed tenebrarum, non Christi, sed Belial, non Templa Dei viuentis, sed fana & idola mortuorum. Vis apertius discere quod Christiana omnino non liceat Ethnico nubere?* Audi Apostolum 1. Corinth. 7. *Mulier, si dormierit eius liberata est cui vult nubat, tantum in Domino*, id est Christiano, *Abraham adiurat seruum suum*, Genes. 24. *in feruore suo hoc erit in Christo qui de semine eius erat nasciturus vt in filio suo Isaac, Alienigenam non adducat vxorem. Et Esdras offensam Dei, huiusce modi vxorum repudiatione compescuit.* Hactenus Hieronymus, vides lector quam bellè eius oratio in Historiam nostram, cadat vt prophana illa fidelium cum infidelibus connubia Deo exosa esse commonstret. Placet audire Ambrosium? en tibi, qui in capite 7. 1. ad Corinth. de ea re sic sermonem instituit, & lib. de Abraham iam citato, *Caue*, inquit, *Christiane, gentilem, vel Iudæam, vel alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua, vxorem accersas tibi, si idola colat, si Christum neges quomodo poterit diligere pudicitiam, quæ prima coniugij gratia est? Primum in coniugio Religio quæritur.* Hæc Ambrosius, *Vis ad sanctos Patres in publicis Ecclesiæ conuentibus coactos faciam.* Audi sextam Synodum Canone 72. *Non licet virum orthodoxum cum muliere hæretica coniungi, neque orthodoxam cum viro hæretico copulari sed & si quid eiusmodi ab vllo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimare, & nefarium coniugium dissolui: neque enim ea quæ non sunt miscenda, misceri, neque ouem cum lupo, nec peccatorum sortem, cum Christi parte coniungi oportet.* Concilium vero Eliber: sic Sancit, Can. 16. *Hæreticis qui errant ab Ecclesia Catholica, nec ipsas dandas puellas Catholicas, sed neque Iudæis, neque Hæreticis, dari placuit, eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli.* Ita publicis Ecclesiæ decretis statutum esse voluerunt SS. Patres, in iure Canonico æquè interdicitur matrimonium cum Hæretico, atque cum infideli, C. Caue. C. Non oportet. C. Si quis Iudæi. C. 28. quæst. 1. In eandem sententiam refertur etiam illud iam ante sæpius citatum D. Pauli 1. Corinth. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* C. ad hæc de Iud. Neque cogitur hodie coniunx ad virum redire si ille lapsus sit in hæresim, & illa voluerit ingredi Monasterium, vt decret. tit. 32. Scio quidem, quod à Theologis Moralibus, & Canonistis de Canone illo sextæ Synodi, vbi irritum matrimonium cum Hæreticis, atque adeo dissoluendum decernitur dici solet; nempe præterquàm quod caret illud Concilium in plerisque authoritate omnimodo, iam vsu Ecclesiæ illud statutum reuocatum esse, sed fac non esse irritam, si ineatur eiusmodi connubiale fœdus, certè interdictum etiam nunc ab Ecclesia negari non potest, quin, etsi non interdiceretur lege positiua (vt vocat) satis quasi naturali lege, atque ex communi sensu, vetitum intelligeretur quod multis scandalo atque offensioni sit, & coniugibus ipsis, quod ad salutem spectat periculosæ plerumque opus aleæ. Ergo qui vult nubat, sed nubat in Domino qui vult iugum ducere, ducat, non cum infideli, qui matrimonium ambit, ambiat cum Christia-

Difficile est alteri è coniugibus fideli versanti cum coniuge infideli vivere constanter & pie Christianæ Religionis officia, vt Nubere in Domino, est nubere Christiano

VI.

VII.

Explicatur Canon 72. sextæ Synod. constant. de irrito matrimonio cum Hæreticis.

nis, coniugemque sibi quisque, eius A ipsius cuius ipse est fidei, ac religionis consortem eligat. Ambiat matrimonium, vt cum Tertulliano loquar lib. eam ante citato cap. 9. *Quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant Pater rato habet. Tale iugum est fidelium duorum vnius spei, vnius voti, vnius disciplinæ, vnius seruitutis: ambo fratres, ambo conserui, nulla spiritus carnisue discretio, atqui verè duo in carne vna, vbi caro vna, vnus est spiritus: simul orant, simul voluntantur, & simul ieiunia transigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, in* B *Ecclesia Dei pariter, in connubio Dei pariter, in angustiis, in refrigeriis; neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri grauis est, liberè ægens visitatur indigens sustentatur. Eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, non furtiua signatio, non muta benedictio, sonant inter duos Psalmi & Hymni, & mutuo prouocant, quis melius Deo suo canet: Talia Christus videns & audiens gaudet. His pacem suam mittit, Non licet aliter fidelibus nubere, & si liceret non expediret, &c.* Neque est quod quenquam moretur quod obii- C ci videtur posse ex 1. Corinth. cap. 7. vers. 13. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittet illam, &c.* Id enim cum sibi obiicit Tertullianus, dictum intelligit, non de ducenda sed de ducta iam vxore cum Christianus iam sit non enim in textu dicitur, *si quis ducet*, sed *si quis habet* vxorem, quod & ipsum docet confirmatque authoritate eiusdem D. Pauli aientis vers. 39. vt si quis nubere velit nubat in Domino, *in Domino*, inquit, non cum gentili, non cum infideli. Mentem illam olim imbiberat Constantinus Imperator cum ad filium Porphyrogenitum, de D

Quod felices Christianorum nuptias faciet.

VIII. Catholici connubii, fœlicitate disputabat, & postquam Romanis, in vsu esse non coniungi cum peregrinis, id est externæ fidei hominibus docuisset, hac comparatione vtebatur, *Vt enim singula animalia, cum his quæ sui generis sunt rem habent, sic quoque non cum alienigenis, & diuersa lingua vtentibus, sed cum sui generis & sermonis nuptias facere homines æquum & iustum est, vnde nimirum mutua concordia & amabilis conuersatio ac conuictus existit, mores vero diuersi, & diuersa statuta, offensas potius, odiaque & seditiones gignere solent quæ non amicitias, aut communiones,*

Constantini ad filiũ Porphyrogenitũ hortatio de non ineundo cum hæreticis matrimonio.

A *sed inimicitias, ac diuortia efficere amant; &c.* Digna omnino Christiano Imperatore vox? ad cuius sensum, vt ad rem quoque nostram facit egregiè quod dixit Tullius & verissimè dixit, vt obseruat S. Augustinus Epistola 155. ad Martianum, *amicitia est rerum humanarum, & diuinarum cum beneuolentia & charitate consensio*, siquidem.) ait idem D. Augustinus eodem loco, *Ita fit vt inter quos amicos, non est rerum consensio diuinarum, nec humanarum plena esse possit ac vera: necesse est vt aliter quam oportet, humana æstimet* B *qui diuina contemnit, nec hominem rectè diligere nouerit, quisquis eum non diligit, qui hominem fecit*, &c. Sin inter amicos fide ac religione dispares, nec vera esse omni ex parte amicitia, nec perfecta omnibus suis numeris, viri societas potest, quid de commercio cõsortione coniugali, coniuges inter se in diuinis dissentientes pugnantesque inuicem censeri par est: Et vero (vt cætera mala præteream, quæ ex illis connubiis illegitimè, aut minus prudenter contractis cum externæ ac fucatæ religionis hominibus oriun- C tur) obsecro cui fidem homini reddet gens ista Hæreticorum, quæ Deo in Baptismo datam omnino violauit? Cui fiet vt mores non habeant perditos ac profligatos, qui Sacramenta ad animorum curationem instituta, qui Confessionem Sacramentalem, qua scelerum exhauritur sentina execrantur, qui diuinam Eucharistiam, pudicitiæ bonorumque omnium fontem à sepsis repulerunt, qui exosam habent pœnitentiam, & carnis afflictionem, & ficta illa sua, vana, & ridicula fide, quam vnam ad expiandas omnes suorum flagitiorum sordes, arbitrantur sufficere malè confisi, & turpiter sub- D nixi, laxant habenas impudentius quibusuis sceleribus, omnisque generis impietati: quæso qui possunt esse connubia inter infideles, atque impuros, firma, pura, inuiolata, & Christiana? Vt prorsus miraculo ducendum sit si vir fidelis, cum infideli coniuge habitans, in fide Christi. Religiosè diu multumque perseuerat; Amabo quid coniugum alter faciat, cum illis veræ pietatis in Deum, ac synceræ religionis officiis vacandum erit, quæ non modo coniugi displicere vehementius, sed nec fieri, posse institiue, nisi eo præsente, aut conscio intelligat? in quam sententiam, ex Tertulliano

Inter coniuges religione dispares perfectam esse amicitiã non posse ex ipsa amicitiæ definitione ostenditur.

Coniugiorum fidelium cum hæreticis & infidelibus incommoda.

tulliano liceat illud rursum accersere, cum sic vxorem appellat, & sub eius nomine quamuis aliam matrimonio iunctam cum infideli lib. 2. ad vxor. cap. 5. *Latebis ne tu cum lectulum, cum corpusculum tuum signas, cum aliquid immundum flatu expuis, cum etiam per noctem exurgis oratum, & non magia aliquid videberis operari, non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustas, & si sciuerit, panem non illum credit esse qui dicitur, & hæc ignorans quisque rationem simpliciter sustinebit, sine gemitu, sine suspicione panis an veneni? &c.* A Ex quibus omnibus sic tandem colligo, cum ad salutem periculosius sit nihil, nihil formidolosius praua cum impiis societate, nefandoque commercio, profecto quod ex coniugio, nexuue indiuiduo alterius cum altero, in perpetuum contrahitur, illud omnium maximè esse reformidandum.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis noni.

Expositio Allegorica in illud vers. 3. *Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam, et euelli pilos capitis mei & barbæ, et sedi mærens, &c.*

Quid mysticè significauerit, & cuius, typum ac figuram in hoc statu Esdras expresserit.

IX.
PLANVM omnibus ac peruium est quonã etumpat, aut quem sibi finem præstituat ille mœrentis cultus statusque: nec difficile est intelligere, quàm verè signis istis exterioribus intimum cordis sui dolorem ostendat Esdras. Nempè scidit vestimentum, euellit pilos capitis & barbæ, sedet tristis & mœrens, habitu omnino lugubri, vt tali dehonestamento corporis, & indumenti, cum mœrore vultus, velocius omnium animos ad pœnitentiam, vel sui, vel fraterni reatus excitet; & hæc quantùm ad historiam & literam. Quod spectat ad Allegoriam, quia per vestimenta solent opera nostra designari, quibus ad gloriam, si munda, aut ad ignominiam, & interitum quis induatur, si polluta, nec nuptiali splendida charitate probentur, iuxta illud Ecclesiast. 9. vers. 8. *Omni tempore vestimenta tua sint candida*, & Apocalyp. 3. vers. 18. *Suadeo tibi vt vestimentis albis induaris, & non appareat confusio* B *nuditatis tuæ*, quia per pilos capitis cogitationes, quæ de occulta cordis radice, velut de interni cerebri finibus oriuntur significari consueuerũt; quæ si rectæ sunt conseruari, sin autem reprobæ abscindi debent. Vnde de Samuele qui sanctus erat futurus ait genitrix, *Et nouacula non ascendet super caput eius*, & Apostolis Dominus Luc. 21. *Et capillus*, inquit, *de capite vestro non peribit*, quod nimirum omnes sanctorum cogitatus, æterna apud Dominum sunt memoria digni, quia demum peccatori, vt mundari possit ab iniquitatibus suis, reprobas necesse est à C se cogitationes, origines scilicet, & fomite malorum operum abiiciat. Vnde leprosus in Leuitico capite 14. cum recepisset sanitatem inter alias purificandi corporis cæremonias, etiam omnes pilos suos carnis eradere præcipitur, vt sic expiatus hostiis, castra mereretur ingredi. Denique quia tunc à vitiorum fœditate perfectè mundamur, cum non solum actus, sed & cogitatus à nobis noxios expellere satagimus. Ideo, authore Beda, atque interprete, scidit & pallium

Vestimenta opera pili, cogitationes mystica significans.

& tunicam Esdras Pontifex, vt populum quem regebat, minus perfecta habere opera designaret, & quem à sua soliditate necesse esset discindi per pœnitentiam, atque in meliorem habitum renouari, *Scindite corda vestra & non vestimenta vestra*, in Ioël cap. 2. vers. 13. Euellit & pilos capitis, vt idem populo intimaret, cogitationes nequam suo de corde extirpandas, ac renascendis vtilibus locum esse dandum. Euellit & pilos barbæ vt in ipsis etiam quas habere videbantur, virtutibus humiliarentur, vt parua hæc, aut nulla in examine interni arbitri esse meminissent, quæ vitiis permixta esse clarescebat. Barba siquidem quæ virilis sexus, & ætatis index est, in significationem virtutis poni solet. Tandem sedit mœrens ac tristis, vt per lamenta pœnitentiæ veniam reatus tantum procurandam esse doceret: sic fere ille, quod extremum non magis fere ad Allegoricum sensum, quàm ad literalem & historicum pertinet: nec mirum si tanta boni præsulis cœpta, magnum mox in subditis virtutum fructum procurarunt, vt ex sequenti dissertatione videbimus. Sed interim & illud hoc loco adiungendum est, Esdram cum scisso indumento curuat genua, & expandit manus ad Deum, & fusis precibus, ac lachrymis plurimorum mentes ad pœnitentiam conuertit, Christi typum, ac figuram gessisse, cum pro peccatis nostris ante passionem, & in ipsa quoque passione orauit; cumque extensis in cruce manibus indumentum carnis suæ, vulneribus scindi, necique tradi voluit. Quod autem in typo, tempore sacrificii vespertini res gesta commemoratur, *Et sedebam tristis vsque ad sacrificium vespertinum, &c.* ait Esdras, mysterio per id significando apprimè conuenit; vel quia Christus Dominus in fine sæculi, sacrificium suæ carnis & sanguinis obtulit Patri, & nobis in pane & vino offerre præcepit; vel quia ad finem veniente sacrificio legali, (illucescente enim veritate quæ Christus est, recedebant vmbræ futurorum) sua nos passione liberauit, & à populis terrarum separans cœlestes fecit, & sibi castos corde & corpore præcepit adhærere. Quia & ipsa quoque eiusdem Esdræ oratio qua se insontem licet, atque expertem criminis populo adiungit, dicens, *Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te*, humilitati assertoris nostri mirum in modum congruit, qui in similitudine carnis peccati, vt peccatum tolleret apparuit. Esdras aliena peccata vt sua deflet, sibique ascribit quod populus violatæ legis reus in Deum peccauerit, quid Christus? en vmbra, quid veritas? audi cum Psalm. 21. vers. 1. *Deus Deus meus, vt quid reliquisti me longè à salute mea verba delictorum meorum*, item Psalm. 68. vers. 6. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea a te non sunt abscondita*, non quia delicta in se, vel insipientiam possit habere, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, vt loquitur D. Paulus 1. Corinth 1. vers. 31. sed causam eorum, quos saluare cœperat, in se suscipiens, etiam ea quæ illorum fragilitati veraciter conueniebant misericorditer in se trãsferre dignatus est. Sic eandem ob causam dicitur quoque, *Christus pro nobis factus maledictum*, Galat. 3. vers. 13. quia scilicet in se, suaque persona benedictus, factus est pro nobis maledictũ, seu maledictio & execratio, quatenus personam subiit peccatorum, quorum peccata, & execrationes in se luẽdas, & expiandas suscepit. Cæterum quod in veritate, iuxta atque in figura, hoc est in vero Esdra & typico, obseruauimus: solẽt boni Pastores suarum ouium, & sancti quique viri populi totius, seu reipublicæ in cuius partem veniunt, communẽ cladem, & publicã calamitatem suis, peccatis ex humilitate attribuere. Sic Hierem. totis suis lamentationibus & præsertim c. 3. v. 1. cum ait, *Ego vir videns paupertatẽ meam, in virga indignationis eius*. Ita Dan c. 9. ita Machab l. 2. c. 17. Ita demum, si ad legẽ gratiæ, & ad propinquiora nobis sæcula oculos reflectere licet. S. Lupus Trecẽsis Episcopus. Attilæ aduentanti occurrens: rogansque quis esset, ac audiens ex eo, *Ego sum Attila Rex Hunnorum flagellum Dei*, respõdit sãctè ac piè, *Et quis est mortalium qui Dei flagello resistet: Ego sum Lupus dissipator gregis Domini, tu enim ergo, Dei mei flagellum illoque vtere vt Deus concedit*: tum iussit portas aperiri, frænumque Attilæ tenens pedes eum cum copiis, per mediã vrbem deduxit. Attila vero quasi attonitus, alia porta egressus ciuitatẽ intactã reliquit. Quare non mirũ si Deus quoque erga populũ Iudaicũ, soluta captiuitate, illegitimis adhuc nuptiis implicatũ, propter Esdrã supplicẽ, ac mœrentẽ, vt infra patebit, clementẽ se, ac propitium exhibuit.

Esdras vestes scindẽdo & comã vellendo indicat populo & actiones, & cogitationes antiquas per pœnitentiã in meliorẽ statum conuertendas.

Esdras in eo si in mœrentis & orantis typũ gessit Christi patientis & orantis in Cruce.

XI. Sancti publicas clades & calamitates peccatis suis ascribunt.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis noni.

Morale in illud verſ. 4. *Conuenerunt autem ad me omnes, qui timebant verbum Dei Iſraël, pro tranſgreſsione eorum, qui de captiuitate venerant, &c.*

Bono doctorum ſuorum, & ſuperiorum exemplo ſubditos quoque ad bonum quoduis incitari, & à prauo opere facile reuocari.

XII.



PLacet admodum A mihi in hunc Eſdræ locum exclamatio Bedæ, eamq; lubens accipio vt pote quæ ſequenti diſſertationi aditum ſatis illuſtrem facit, *O quantum*, inquit, *exempla pia bonos doctores iuuant.* Nihil ſcribitur Eſdras loquutus, ſed tantum audito populi ſcelere, mœrentis habitum ſuſcepiſſe & lachrymas forte vbertim profudiſſe, ſicque turbam ad ſe fidelium non vociferando, ſed lachrymando traxiſſe. B Nimirum, quo vox atque oratio vix queat pertingere, facta ipſa atq; exempla faciliime perſuadunt, *Conuenerunt ad me*, inquit ille, *omnes qui timebant verbum Dei Iſrael.* Vis ſcire quemadmodum, aut qua tandem arte, atque induſtria, populum magni criminis reum ad ſeſe aduocat, & ad lamenta fletuſque pœnitentiæ conuertit? Non voce, ſed facto compellat, compellitque vel inuitum quaſi ac repugnantem, ad viam ineundam quam ipſe primus ingreditur. Tanta ſcilicet tam- C que eximia vis eſt in exemplo doctoris, ac ducis ad ſubditorum animos quoquo velit permouendos pertrahendoſque; Et ſanè prouidentis Prælati, ac doctoris eſt, plus docere authoritatemque ſibi conciliare magis exemplo vitæ ſanctioris, quam eruditionis fama, ac doctrinæ nomine, hoc eſt plus faciendo quam docendo, & concionando: Tritum illud Senecæ verbum eſt: *Plus homines oculis, quam auribus credere, & longum iter per præcepta breue & efficax per exempla*, vt mirari deſinam, quid ſit cur D. Paulus tam ſæpe, tamque exquiſitis verbis Doctores ipſos adeoque Paſtores & Epiſcopos inſtituens, eos cohortetur vt plebi ſuæ exemplo præluceant. Audi ad Timotheum 4. verſ. 12. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, ſed exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in dilectione*: quaſi dicat, O Timothee eſto ſis iuuenis, quia tamen Epheſiorum Epiſcopus, ita ſancte, & grauiter te gere, vt non contemnaris quaſi imprudens, & leuis iuuenis, ſed potius vt omnes te quaſi patrem amantiſſimum & ſenili prudentia, ac maturitate præditum reuereantur, pluriſque doctrinam tuam faciant nempe, *Habet vt obcatenter, audiatur quantacumque grauitate dictionis, maius pondus vita loquentis*, ait S. Auguſtinus lib 4. de doctrina Chriſtiana cap. 27. & contra, *Cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur*, ait S. Gregorius Homilia 12. in Euangelia, *Nemo itaque adoleſcentiam tuam contemnat, ſed exemplum eſto fidelium* pergit *Apoſtolus*. Et doctoris, & Epiſcopi vitam moreſque informans, *Exemplum eſto*, τύπος, Græcè id eſt forma, norma, & exemplar vitæ, quod omnes intueantur, vt illud imitentur illique ſe conforment, tanquam animatæ legi, inquit D. Chryſoſtomus, Idem Apoſtolus ad Titum 2. verſ 7. Titum ipſum Paſtorem item & Epiſcopum, ſeu Archiepiſcopum Cretenſem, iiſdem pœne verbis affatur, *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum ſanum, irreprehenſibile, vt is qui ex aduerſo eſt vereatur, nihil habens ma-*

Eſdras non voce, ſed opere ipſo atque exemplo ſuo populum ad pœnitentiã conuertit.

Boni doctoris eſt plus docent

exemplo quam verbo.

D. Paulus Timotheũ, & Titum Epiſcopos inſtituens ad munus ſuum rite obeundum, potiſsimũ illis com-

mandát vt plebs ſua virtutis exẽplo præluceant. *lum dicere de vobis,&c.* quaſi dicat, in terprete D. Chryſoſtomo, *Sit doctrina, & exemplar virtutis tuæ ſpeculum vitæ, quod omnibus proponatur ad imitandum, veluti archetypus, & primitiua quædam imago, omnia in ſe habens quæ bona, & honeſta ſunt, &c.* Doctor ergo ſeu

XIII. prælatus aut magiſtratus, quo munere fungebatur Elias, erga populum Iſraëliticum, debet eſſe forma & ſpeculum vitæ ſuis aut diſcipulis, aut ſubditis: Sic Chriſtus in Euangelio Ioann. 13. ſeipſum in formam virtutis, atque exemplar ſuis repræſentat, *Exemplum,* inquit, *dedi vobis vt ſicut ego feci, ita & vos faciatis:* & Paulus 1. Corinth. 11. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti,* & ad Philippenſes 3. verſ 17. *Imitatores mei eſtote fratres, & obſeruate eos qui ita ambulant ſicut habetis formam noſtram,* obſerua lector pro *formam noſtram,* in Græco eſt, τύπον ἡμᾶς, id eſt nos tanquam typum & exemplar habetis, formam ſeu ideam vitæ ſecundum legem diuinam conformandæ: Iſtud ipſum grauiter & piè docet, & monet D. Gregorius Papa Agnellum Fundenſem Epiſcopum, epiſtola ad

Idem docet D. Gregorius Papa ſcribens ad varios Epiſcopos. eum ſcripta, *In tuis actibus,* inquit, *plebi exempla bene viuendi exiſtant, operibus exerce quod ſubiectos doces & prædicas; Actus tui in aliorum correptionem proficiant, in adiutorium ſibi, vita tua imitationem aſſumant, ſicque te in omnibus operibus exhibere feſtina, vt ſcripturam, conſtructionemque in te habeat, quicumque aut negligit, aut non poteſt lectione formari.* Nec minus illuſtris eſt in hoc genere eiuſdem D. Gregorij monitio, ad Ioannem Epiſcopum Corinthiorum, quæ ſic habet data item ad eum Epiſtola 9. lib 4. *Inſtructio commiſſi populi fraternitatis veſtræ ſit actio: videat in vobis quod diligat, cernat quod imitari feſtinet; Exemplo veſtro viuere doceatur, à rectis itinere te duce non deuiet, ad Deum vos ſequendo perueniat; vt tot ab humani generis Saluatore retributione accipias, quot lucra ei operatus fueris animarum:* Sic ſanctus Petrus Epiſtola 1. Canonica cap. 8. præſcribit Paſtoribus vt fiant, *forma gregis,* id eſt, regula morum, & norma vitæ, ideo & exemplar virtutis, quod ſpectantis populi oculis obuerſetur aſſiduè, animoſque percellat intuentium, eoque

XIV. ſpectat illud Chriſti ad Apoſtolos, *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi, non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, &c.* qua de re præclare admonet Heliodorum Epiſcopum Hieronymus, in Epitaphio Nepotiani, his verbis, *In te omnium oculi diriguntur, domus tua & conuerſatio tua, quaſi in ſpecula conſtituta, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ, quicquid feceris id ſibi omnes faciendum putant; Caue ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerаſſe videantur, aut qui imitari, cogantur delinquere.* Hinc etiam pulchrè admodum D. Bernardus Sermone 18 in Cantica docet, doctorem eſſe debere inſtar conchæ, quæ prius ipſa impletur quam in alios redundet, *Si ſapis,* inquit, *concham te exhibebis, & non canalem; hic quidem pæne ſimul & recipit, & refundit, illa vero, donec impleatur expectat, & ſic quod ſuperabundat, ſine ſuo damno communicat. Verum canales multos hodie habemus in Eccleſia, conchas vero perpaucas,* dicit Dauid Pſalm. 61. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima, & labiis exultationis laudabit os meum, infundi interim prius volens, & ſic effundere, nec ſolum infundi prius ſed & impleri, quatenus de plenitudine eructaret, non oſcitaret de vanitate: caſtè imitans illum de cuius plenitudine omnes accepimus; Diſce & tu non niſi de pleno effundere, nec Deo largior eſſe velis; concha imitetur fontem, non manat ille in riuum, nec in lacum extenditur, donec ſuis ſatietur aquis; Denique ipſe fons vitæ plenus in ſeipſo primum ebulliens, & ſaliens in proximos, ſecreta Cælorum omnia impleuit bonitate, & hinc demum erupit ad terras, ac de ſuperfluo homines, & iumenta ſaluauit, viſitauit terram & inebriauit eam: Ergo & tu fac ſimiliter, implere prius, & ſic curato effundere.* Hactenus D. Bernardus: Vides, ex Dei ipſius exemplo primùm, ac deinde ex ſanctorum virorum ſenſu ac iudicio, quam deceat doctorem Chriſtianum prius ac ſæpius facto, quam verbo, opere, docere, quam ſermone, quia ſcilicet, vt iam ipſo dicendi initio indicaui, quo verba nunquam niſi ægrè, eo ſæpe nullo negotio exempla trahunt, atque alliciunt. Ex quo etiam intelligas malefacta ſuperiorum, quæ in vulgus erumpunt, & praua potentiorum exempla, quantum noceant inferioribus, quantum vulnerent conſcientias ſubditorum, & in extremum facile deducant interitum. Mirum profecto, & ſupra quàm credi poteſt, quantam bene conſtitutis alioquin ingeniis, bene docentis, & male viuentis praui mores perniciem inferant? XV.

Domus Epiſcopi & eius cõuerſatio publica diſciplina magiſtra.

Doctor concha nõ canali ſimilis eſſe debet.

Vis hanc veritatem, in Euangelica A parabola verbis paulo obscurioribus obtectam, vt primo aspectu patet retegam ipse, atque in lucem proferam? Aduerte, cum Christus apud Matthæum cap. 24. vers. 48. de seruo fideli, & prudente à Domino toti familiæ præposito (quod D. Chrysostomus æque de sæcularibus, ac de Ecclesiasticis Principibus accipiendum monet) disseruisset, mox subiicit, *Si autem dixerit malus ille seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cæperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis, veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum partemque eius ponet cum hypocritis*, vbi si rectè animaduertis subitus hic & inopinatus Domini aduentus, siue mali serui interitus, non absolutus simpliciter vt dicitur, sed conditionatus omnino est, à prauitate nimirum illius dependens, siquidem cum antea de seruo virtutis sectatore, atque heri sui amantissimo nihil tale dixisset, signate postmodum adiecit: *Si malus ille seruus dixerit in corde suo, moram facit Dominus venire*. Iam vero quid mali Dominum ad veniendum, siue ad mortem malo seruo citius inferendam pertraxerit, disertè illis verbis expressum est *Si malus ille seruus*, qui Principem ac superiorem designat, *cæperit percutere conseruos suos, &c.* Sed quis vnquam Princeps, inquies, tam atrox, siue amens fuit, vt cum aulicis, siue subditis suis rixari, eosque percutere sit solitus? Sic sciscitanti, respondet Rabanus & alii, non de corporis, sed animæ vulneribus, quæ ille prauis exemplis subditis infligit, sermonem esse,

Qui cæteris malo exemplo est eorum conscientias vulnerat.

Conseruos percutere, ait ille, *est conscientias infirmorum verbo vel exemplo vitiare*, quibus attexendum est illud Augustini libro de Pastoribus, *An frustra dictum est seruo Dei, teipsum præbe exemplum bonorum operum, & forma esto fidelibus?* quasi dicat, non ita sane, pergit postea, *Attendendo enim ouis fortis etiam plerumque præpositum suum male viuentem, incipit dicere in corde suo, Si præpositus meus sic viuit. Quis ego sum qui non faciam quod ille facit? Ecce occidit ouem fortem*, sic Augustinus, vides igitur præposi- B tum, & superiorem malo exemplo subditos, & inferiores suos percutientem atrociter, immo occidentem. Sed de prauo Principum & magistratuum exemplo, quàm plebi noxium fit, nos iterum dedita opera alia dissertatione fusius capite sequenti: interim quod ad rem præsentem spectat, ratum esto, fixumque ex omnium opinione, ne dicam experientia. Vitæ sanctioris exempla miros ciere motus ad virtutem capessendam, vitiumque fugiendum in eorum animis ad quos videndo audiendoue perueniant. Quare cum Patrum maiorumque instituta viuendi (quod aiebat Philo C Iudæus,) posterorum leges sint: cum (vt ait sapiens Ecclesiastici 10. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius sint*, & *Qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea*, quod flexibiles quamcumque in partem subditi, ducantur à Principibus, & Pastoribus, permagni interest, vt qui cæteris præsunt vt prosint, sic vitam instituant, vt iisdem bono exemplo sint, & magno ad virtutem incitamento.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis noni.

Morale de Oratione Esdræ vers. 5. & sequentibus:

Deus meus confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, &c.

Quomodo sit orandum, & pro qua re orandum.

XVI.



ATIS eximium atque insigne est ad mores, & quantum arbitror annotatione dignissimũ quod Esdras perfectum orandi modum exemplo suo, atque adeo sua illa prolixa oratione, quæ toto fere capite extenditur edocuerit: quod vti facilius demonstrem, non erit abs re, quæ de instituenda, instituendaque oratione, præcepta olim dederit D. Basilius; huc afferre: vt quam diligenter ac strenuè ab Esdra orante obseruata sint, intelligatur, & ab eo veluti petitam ipsam D. Basilii doctrinam esse, non temerè liceat coniectari. Igitur lib. de Constitut. Monasticis cap. 2. sic ille spiritualem oratorem informat. *Quandocumque institueris orare 1. coniugem, liberos, teque adeo ipsum relinquito, à terraque procul abscedito, cœlumque superato, & naturas omnes tam quæ cerni, quàm quæ cerni non possunt relinquito.* Sic ille primùm, age vero quid aliud Esdras fecisse censendus est? *Cum curuauit genua sua, & expandit manus suas ad Dominum Deum*, vt longè ante ipsum Daniel capite 9. vers. 3. *Cum faciem suam posuisse dicitur vt oraret*, quod nihil aliud est, quàm seclusis omnibus aliis curis, intentum in vnum Deum quem precamur animum Habere deinde subdit idem Basilius *ab eius glorificatione exordito*: & id quoque præstitisse Esdram satis ex textu manifestum est vers. 6. & reliquis, vbi Dei beneficia commemorat, vt & Danielem loco citato, cum ait vers. 4. *Et confessus sum, & dixi, obsecro Domine Deus magne, & terribilis, &c.*

Modus instituendæ orationis præscriptus à D. Basilio, conformis orationi Esdræ.

Secessus ab humanis quærendus & attentio in Deum seruanda in oratione.

A pergit Basilius: *vbi vero iam satis gratias egeris, Deumque petitis è diuina Scriptura laudibus glorificaueris, tum adhibita humilitate orare, ac dic: Equidem non sum dignus, Domine, qui coram te verbum faciam, quoniam vehementer peccator sum, & licet nullius tibi culpæ conscius sis, nihilominus tamen, ita te oportet dicere &c. cum timore igitur, humilitateque Deum orato, vbi vero verbis humilitatem tuam ostenderis, dicens; gratias tibi ago Domine quod peccantem me tamdiu patientia tua sustinuisti & in hodiernum vsque diem nullas a me peccatorum pœnas expetisti, equidem Domine, infinita iampridē commeritus eram supplicia,* B *dignusque eram, qui longissime à conspectu expellerer tuo, verum tua me patientissima lenitas peccantem clementissime sustinuit.* Hæc Basilius, quæ quàm nauiter & studiose Esdras perfecerit, cum suo, tum populi totius nomine, quis non intelligit, cum ait vers. 6. *Et dixi, Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsque ad cœlum*, & vers. 10 *Et nunc quid dicemus Deus noster post hæc, quia dereliquimus mandata tua*, & vers. 15. *ecce coram* C *te sumus in delicto nostro &c.* Nimirum quod ait sapiens. oratio humiliantis se, addo & peccata sua plangentis, penetrat nubes, & quod Regius Propheta Deo ipsi præfidenter ait Psal 50. cor contritum & humiliatum Deus despicere non potest; quo fit, vt in Ecclesia eo nos spiritu animati, tam Missæ sacrificium, quam matutinas, & vespertinas horas, à confessione peccatorum nostrorum ordiamur. Et certe

Humilitas & peccatorum confessio exercenda in oratione.

Gratiarum actio adhibenda pro diuina in nos misericordia.

si viros consultissimos in schola spiritus, seu vitæ spiritualis disciplina, consulimus, cum deuotio perficiat orationem, ex compunctione cordis, deuotionem ipsam enasci, atque efflorescere solemne est: sic enim author lib. de spiritu & anima tom. 3. cap. 49. apud S. August. *Meditatio*, inquit, *parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio deuotionem, deuotio perficit orationem.* Vnde teste ipso quoque Diuo Bernardo, tractatu de modo bene viuendi capite 10. *Compunctio Spiritum sanctum reducit ad se, quia cum Spiritu* B *sancto mens visitatur, statim homo peccata sua plorat.* Vides quamobrem compunctionem cordis, comitem indiuiduam orationis esse oporteat? Sed iam ad eum quem nobis viæ ducem præfecimus reuertamur; concludit tandem Basilius, *simul ac vere ambabus hisce partibus satisfeceris, gratiarum videlicet actionis, & humilitatis, tum demum, quod petere debes, petito: non diuitias, neque terrarum gloriam, non sanitatem corporis: ipse etenim qui te creauit, ipsi curæ incolumitas tua, neque non probe intelligit, quam de re cuiusque sit, vel bene valere, vel male, sed quemadmodum iussus es regnum cælorum puta tantummodo; & necessitatibus corporis*

XVII.

Tantummodo regnum Cælorum in oratione petendum.

A *tui, ipse, vt dixi, prouidebit, magnificentissimus est enim, idem, & augustissimus Rex noster, & indigne fert quandocumque quis exiguum à se aliquid petit, quandocumque quis nostrum, de rebus ipsum minime ipsi conuenientibus rogat: noli igitur illum tibi oratione tua iratum facere, sed expetito tibi, quæ digna sunt & Rege, & Deo.* Hactenus ille, magnifica sane vox, *quæ digna sunt & Rege, & Deo*: sed quid istud demum est, petere quæ digna sunt Rege, & Deo, verbo dicam, id est, petere regnum cœlorum, veniam peccatorum postulare, conciliare sibi propitium ac clementem Deum, post planctum ac lamenta peccatorum, vti fecit hic Esdras, gratiam, & gloriam, & reliqua demum omnia digna homine, qui non tam sibi quam Deo natus sit, votis omnibus, ac precibus accersere: sic vt ad Dei vnius gloriam, & orantis ipsius æternam salutem referantur, ad quam D. Basilii tam eximiam excellentemque institutionem, vt & insignem, quam obseruauit, & nobis in exemplum Esdras proposuit orandi modum, nihil adiungo, quod hic Lectorem meum moneam, nisi illud Christi, ex Euangelio, *Vade, & tu fac similiter.*

Quid sit petere in oratione quæ digna sunt Rege & Deo, vt loquitur Diuus Basilius.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

OMMODVM dispersam tota ciuitate populi multitudinem, asciuit ex omni ordine, & ad fletum, pœnitentiamque excitauit Esdræ planctus, & oratio. Cæteros inter, vnus Sechenias, vt omnium nomine, commune delictum confitetur, sic de omnium salute ac pœnitentia cogitat, & de illius modo ac facultate cum Esdra deliberat, rogatque, vt quid opus facto sit, ad veniam promerendam, ac vero etiam obtinendam, edicat ipse, decernatque libere: paratos se (si Deo id placeat) legisque ab eo instituta periti probauerint, non vxores modo, ad culpam eluendam. sed etiam susceptam quoque ex illis sobolem, aliò ablegare. Quam Sechenia vocem, & velut omnium ore datam fidem, lubens admittit Esdras, & cum Principum, aliorumque de populo Gentilium suorum, animos, donec comparatos animaduertit, ad ea præstanda, quæ ab illis exigit, repetitque suo iure, patria, religio: tùm verò eos adigit, vt quæ liberè ipsi ac sponte sua facturos se receperunt, interposita iurisiurandi religione confirment; quod illi faciunt non grauatè: Deinde, rursus ad orationem lugubremque eiulatum, Esdras conuertitur, & diuina tandem illustratione edoctus, quid magis ex vsu futurum esset, iubet, vt omnes vniuersim, qui se peregrinis nuptiis, damnatisque à lege coniugiis implicuerint, ab vxoribus, & Gentilium cœtu separentur: quod ab Esdra indictum necnon ab ipsis senioribus decretum, populus admittit quidem, sed cum opus sit longum, atque difficile, neque tantillo temporis spatio, tantum negotium expediri commodè possit: petit ab Esdra, seniorumque consilio, vt viri Principes aliquot, ex eo cœtu eligantur, qui rem totam sedulo explorent, & quorum decretis, suo cuique descripto, constitutoque tempore, conueniant, è ciuitatibus suis, qui alienigenas vxores duxerint, vt de suo peccato iudicium expectent, & diuini numinis vindictam, atque indignam à se auertant. Tandem ad extremam ipsius capitis, atque adeo totius libri partem, rei criminis numerantur, & satis longus eorum, qui se externis illis coniugiis contaminarunt, census instituitur.

Sic ergo

CAPVT DECIMVM
Esdræ.

1.
IC ergo orante
Esdra, & implo-
rante eo, & flen-
te, & iacente
ante templum
Dei, collectus est ad eum de
Israël cœtus grandis nimis vi-
rorum, & mulierum, & pue-
rorum, & fleuit populus fle-
tu multo.
2. Et respondit Sechenias, filius
Iehiel de filijs Ælam, & di-
xit Esdræ: Nos præuaricati
sumus in Deum nostrum, &
duximus vxores alienigenas de
populis terræ, & nunc si est
pœnitentia in Israël super
hoc.
3. Percutiamus fœdus cum Do-
mino Deo nostro, vt proij-
ciamus vniuersas vxores, &
eos qui de his nati sunt, iux-
ta voluntatem Domini, &
eorum qui timent præceptum
Domini Dei nostri: secundum
legem fiat.
4. Surge, tuum est decernere,
nosque erimus tecum: con-
fortare & fac.
5. Surrexit ergo Esdras, & adiu-
rauit Principes Sacerdotum, &
Leuitarum, & omnem Israël,
vt facerent secundum verbum
hoc, & iurauerunt.
6. Et surrexit Esdras ante do-
mum Dei, & abiit ad cubi-
culum Iohanam filij Eliasib,
& ingressus est illuc, panem
non comedit, & aquam non
bibit: lugebat enim transgres-
sionem eorum, qui venerant
de captiuitate.
7. Missa est vox in Iuda, & in
Hierusalem omnibus filiis
transmigrationis, vt congrega-
rentur in Hierusalem.
8. Et omnis qui non venerit in
tribus diebus iuxta consilium
Principum, & Seniorum, au-
feretur vniuersa substantia e-
ius, & ipse abijcietur de cœtu
transmigrationis.
9. Conuenerunt igitur omnes
viri Iuda, & Beniamin in Hie-
rusalem tribus diebus, ipse est
mensis nonus, vigesimo die
mensis: & sedit omnis popu-
lus in platea domus Dei, tre-
mentes pro peccato, & plu-
uiis.
10. Et surrexit Esdras Sacerdos, &
dixit ad eos; Vos transgressi
estis, & duxistis vxores alieni-
genas, vt adderetis super deli-
ctum Israël.
11. Et nunc date confessionem
Domino Deo patrum vestro-
rum, & facite placitum eius,
& separamini à populis terræ,
& ab vxoribus alienigenis.
12. Et respondit vniuersa multi-
tudo, dixitque voce magna: iux-
ta verbum tuum ad nos, sic
fiat.
13. Verumtamen quia populus
multus est, tempus pluuiæ, &
non sustinemus stare foris, &
opus non est diei vnius vel
duorum (vehementer quippe
peccauimus in sermone isto.)
14. Constituantur Principes in
vniuersa multitudine: & om-
nes in ciuitatibus nostris qui
duxerunt vxores alienigenas,
veniant, in temporibus statu-
tis, & cum his seniores per ciui-
tatem, & ciuitatem, & iudices
eius, donec auertatur ira Dei
nostri à nobis super peccato
hoc.
15. Igitur Ionathan filius Azahel,

& Iaasia filius Thecue, steterunt super hoc, & Mosollam, & Sebethai Leuites adiuuerunt eos.

16. Feceruntque sic filij transmigrationis. Et abierunt Esdras Sacerdos, & viri Principes familiarum, in domos patrum suorum, & omnes per nomina sua, & sederunt in die primo mensis decimi, vt quærerent rem.

17. Et consummati sunt omnes viri, qui duxerant vxores alienigenas, vsque ad diem primam mensis primi.

18. Et inuenti sunt de filiis Sacerdotum qui duxerant vxores alienigenas, de filiis Iosue filij Iosedech, & fratres eius, Maasisi, & Eliezer, & Iarib, & Godolia.

19. Et dederunt manus suas vt eijcerent vxores suas, & pro delicto suo arietem de ouibus offerrent.

20. Et de filiis Emmer, Hannani, & Zebedia.

21. Et de filiis Harim, Maasia, & Elia, & Semeia, & Iehiel, & Ozias.

22. Et de filiis Pheshur, Elioënai, Maasia, Ismaël, Nathanaël, Iozabed, & Elasa.

23. Et de filiis Leuitarum, Iozabed, & Semei, & Celaia, ipse est Calita, Phataia, Iuda, & Eliezer.

24. Et de Cantoribus Eliasib: & de Ianitoribus, Sellum, & Telem, & Vri.

25. Et ex Israël, de filiis Pharos, Remeia, & Iezia, & Melchia, & Miamim, & Eliezer, & Melchia, & Banea.

26. Et de filiis Ælam, Mathania, Zacharias, & Ieziel, & Abdi, & Ierimoth, & Elia.

27. Et de filiis Zethua, Elioënai, Eliasib, Mathania, & Ierimuth, Zabad, & Aziza.

28. Et de filiis Bebai, Iohanam, Hanania, Zabbai, Athalai.

29. Et de filiis Bani, Mosollam, & Melluc, & Adaia, Iasub, & Saal, & Ramoth.

30. Et de filiis Phahath, Moab, Edna, & Chalal, Banaias, & Maasias, Mathanias, Beseleel, Bennui, & Manasse.

31. Et de filiis Herem, Eliezer, Iosue, Melchias, Semeias, Simeon.

32. Benjamin, Maloch, Samarias.

33. Et de filiis Hasom, Mathata, Zabad, Eliphelet, Iermai, Manasse, Semei.

34. De filiis Bani, Maaddi, Amram, & Vel.

35. Baneas, & Badaias, Cheliau.

36. Vania, Marimuth, & Eliasib.

37. Mathanias, Mathanai, & Iasi.

38. Et Bani, & Bennui, Semei.

39. Et Salmias, & Nathan, & Adaias.

40. Et Mechnedebai, Sisai, Sarai,

41. Eziel, & Selemiau, Semeria.

42. Sellum, Amaria, Ioseph.

43. De filiis Nebo, Iehiel, Mathathias, Zabad, Labina, Ieddu, & Ioël, & Banaia.

44. Omnes hi acceperant vxores alienigenas, & fuerunt ex eis mulieres, quæ peperant filios.

EXPOSITIO LITERALIS.

v. 1.
I. *IC ergo orante Esdra & implorante eo fleuit populus, &c.* Hic tandem fructus est orationis, & lamentationis Esdræ, ait Glossa interlinearis vt cum fleret, oraret, & imploraret Deum, Hebraicè, *confiteretur*: scilicet peccata populi, & sua; magnus illico, ad eum populi concursus factus sit, qui cum fletu fleuerit, nempe fleuerunt, tum qui peccauerant, pœnitentiam agentes, tum qui in castitate permanserant, de casu patrum dolentes, & illorum præuaricationi, qua diuinam in se iracundiam concitarent ingemiscentes; multum porro perstricti, ac vero etiam conturbati, vt habet Glossa ordinaria, ad preces & lamenta sui Pontificis ostenduntur, cum etiam mulieres, & pueri, interfuisse narrentur, quamquam posset id etiam, eo ordine factum intelligi, vt prius innocentes, cuiusmodi pueri erant, & alij criminis expertes, tùm ad Esdram confluxerint cum ait superiori capite, *Et conuenerunt ad me omnes qui timebant verbum Dei Israël*, nunc vero, etiam ipsi qui peccauerunt, cum vxoribus suis, & liberis, pœnitentiam acturi conuenerint: forte plerique, fletus causam adhuc ignorabant, sed tanti Sacerdotis & Principis populi lachrymæ, viros, ac mulieres, in primis, ad lachrymas excitabant, facile enim sibi persuadere poterant, magnam aliquam ac publicam subesse causam lachrymarum, pueris autem, parentum lachrymæ, magis quam ipsa verbera, fletus & clamores eijciebant; sic igitur, *Collectus est ad Esdram de Israel cœtus grandis nimis, virorum & mulierum, & puerorum, & fleuit populus fletu multo*, cum autem dicitur, *id factum iacente eo, ante templum Dei*, intellige, in atrio Israëlis, vbi congregari potuit populus quod confirmant 70. nam infra vers. 6. vbi nos legimus, *Et surrexit Esdras ante domum Dei*, in Græco est, *exurgens Esdras ab atrio templi*, alioqui enim cum esset Sacerdos, inter vestibulum, & altare, orasset, iuxta illud Ioëlis 2. vers. 17. *Inter vestibulum &*

Flere cum Esdra tam qui peccarunt quam expertes fratrum suorũ præuaricationi ingemiscunt.

Patuit Esdras ante templum in atrio scilicet populi seu vbi con-

A *altare plorabunt Sacerdotes, ministri Domini, & dicent parce Domine, parce populo tuo, &c.* Iam vero si causam rogas cur Esdras non in templo, sed ante illud, foris orauerit, hanc habeto, vel quod se indignum arbitraretur, qui sacrum calcaret solum, cum illorum causam sustinebat, qui tam execrandis nuptiis, sese inquinauerant, vel quod ibi, cum facilius videri posset, planctu lugubris commune delictum deplorans, facilius etiam spectantes ad lachrymas & pœnitentiam adduceret.

gregari poterat populus.

Cur Esdras ante templum non in templo orauerit.

B

II. Vers. 2. *Et respondit Sechenias filius Iehiel de filiis Æiam, & dixit Esdræ, Nos præuaricati sumus in Deum nostrum, &c.* Sanè, vel iste Sechenias, non tam suo quam populi nomine loquitur, hoc loco, vel prætermissus est infra, & in catalogo eorum, qui duxerunt vxores alienigenas, siquidem inter filios Ælam vers. 26. inueniuntur tantum Mathania, Zacharias Addi Ierimoth, Elia, & Iehiel, qui si fuit huius Secheniæ pater, dicendum est, eum aliam simul habuisse vxorem legitimam, ex qua natus sit iste Sechenias, alioqui, ipse contra se ferret sententiam, cum mox dicat, non alienigenas vxores, sed & eos qui de his nati erant, esse expellendos. Iosephus vero lib. 11. Antiq. cap. 5. paulum ab hac sententia vt forte etiam à sacro textu dissidet, cum ait, Esdra collachrymante accessisse primarium quendam Hierosolymitam Achomium nomine: Is pecasse confitens, qui alienigenas vxores duxeris suasit ei vt omnes adiuret, vt vxores cum nata ex eis prole abiicerent, qui secutus viri consilium, exegit super hac re iusiurandum à Principibus Leuitarum, & Sacerdotum, & Tribuum Israëliticorum, qui ergo primi pessimo suo exemplo plebem ad vetita coniugia pellexerant, ij ante alios pœnitentiam agunt, & ad resipiscentiam inuitant populum quem seduxerãt &c. Ita Iosephus, nunc textum ipsum propius expendamus. *Respondit*, igitur, *Sechenias*, id est loqui cœpit sæpe enim in Scriptura respondere hoc significat quod autem ait Sechenias, *si est pœnitentia*, iuxta Hebræum sic verti potest, & vel, *si est spes Israëli super hoc*, ita

C

D

Hic à sacro textu dissidet Iosephus cũ alio nomine Sechaniam compellat & criminis reum illũ facit.

70. quod quidem si interrogatiuè legas, Hieronymi sententia commodè reddatur, spes enim, & pœnitentia, affines sunt: vnde sic expono *si est pœnitentia*, iuxta Hebræum, & 70. *si spes scilicet Deum per pœnitentiam placandi si locus pœnitentiæ est*, sed quid conditione opus; si est,&c. Sic respondet Lyranus, *si est pœnitentia*, id est, *quia pœnitentia est*, vel certè, vt exponunt aliqui, seruata & intellecta conditione, *si pœnitentia est*, id est si populum huius peccati perfectè pœnitet, sic qui omnium nomine commune delictum confitetur, idem ipse de omnium salute, ac pœnitentia deliberat, sermonemque cum Esdro interserit.

III. Vers. 3. *Percutiamus fœdus cum Deo, &c.* Id est, primo conuersi ad Deum, correctionem promittamus, & veniam postulemus: Deinde ad nos reuersi, omnem peccati radicem, & fruticem extirpemus, eiectis scilicet vxoribus, cum omni sobole, & hi sunt veri ac germani perfectæ pœnitentiæ gradus, hoc est enim veraciter pœnitentiam agere toto corde & intus ad Dominum conuerti, & omnem foris peccandi materiam, ab ipsa origine resecare, sic Glossa: Et ergo Sechenias author Esdræ, vt populus promittat, ac veluti solemni voto, se obliget Deo, ad repudiandas profanas vxores, & earum filios, quatenus id à lege requiritur, *Percutiamus*, inquit, *fœdus cum Domino Deo nostro iuxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri*, id est, ex eorum sensu & consilio, qui Deum venerantur, vt timent, & quibus Deus consilia sua familiarius communicat; *Vt proyciamus vniuersas vxores, & eos qui de his nati sunt*, si ita Deo visum fuerit scilicet, Deique legis, ac voluntatis interpretes, id censuerint: Vnde, cum Iudæi, nihil eorum recusent, quæ ab ipsis, aut lex, aut religio postulat, paratique sint, vxores quas ex alieno sanguine, in Israëliticum thorum, contra legem asciuerunt expellere, neque filiorum amor quos ex illo concubitu vetito susceperunt, eos impediat, quo minus cum matribus illos procul ex suis finibus amandent, certè in eo, perquam optimam pœnitentiæ formam exprimi dicendum est, quæ male contracta distrahit, & impiè ac nefariè colligata dissoluit, vt infenso numini satisfiat.

Vera pœnitentiæ gradus in tui toto corde cōuerti ad Deum, & peccandi materiam & occasionem foris resecare.

IV. Vers. 4. *Surge, tuum est decernere, nosque erimus tecum confortare & fac,* A *&c.* Ex his verbis, nonnulli volunt intelligi posse, administrationem Reipublicæ, tunc pares Esdram fuisse, Pontifice, vt apparet, quiescente, *Surge*, inquit, ergo, humi iacebat Esdras, cum, vt commodius, & maiori cum reuerentia, suam ad Deum funderet orationem, sic prostratus, tùm vel maximè, vt hoc situ, & corporis habitu, conceptum animo suo, ob peccata populi mœrorem, magis apertè restatum relinqueret, &c. quod sequitur, *tuum est decernere*, id est, acsi diceret, quia habes scientiam legis diuinæ, decerne, B statue, delibera, de eo quod faciendum est; *Neque erimus tecum*, id est, nostro consilio iuuabimus quidem, sed quod decreueris exequemur, *Confortare ac fac*, id est, ne verearis hominum offensionem, & inuidiam, nos erimus tecum, & curaturi sumus, ne quid à lacessita multitudine, hostile patiaris, quare bono sis, ac constanti animo, & de toto hoc negotio, vt voles, tuoque arbitratu liberè constitue, qua in Secheniæ Principis ad Esdram oratione, docetur apprimè, quomodo sit apud maiores, id est, superiores, & Principes, consilio agendum, vt scili- C cet quisque, pro suo sensu, quod optimum intellexerit, vel sibi intellexisse videbitur, dicat, & tamen ei qui præest, locum discernendi, statuendique: de toto negotio relinquat, paratus obtemperare omnibus quæ ille secundùm legem, & voluntatem Dei agenda decreuerit.

Hoc tempore administrationem reipublicæ Iudaicæ penes Esdram fuisse quidem existimāt, sed non solidè.

Vers. 5. *Surrexit ergo Esdras, & adiurauit Principes, Sacerdotum, & Leuitarum, & omnem Israel, vt facerent secundum verbum hoc, & iurauerunt, &c.* Nimirum ad firmius roborandam promissionem factam Deo, id curauit Esdras, cum autem dicitur populus, quæ liberè promiserat iureiurando confir- D masse, *secundum verbum hoc*, intellige, sub ea conditione quam Iudæi ipsi obtulerant, videlicet, prius explorata diuini numinis voluntate, consultisque primum illis, in quibus maior esset Dei timor, & legis scientia, & vero addiderat Sechenias, cum omnium ore loquebatur, ad ea quæ Esdræ proposuerat, & mente destinabat, *iuxta voluntatem Domini*, quod perinde erat, ac si dixisset, si per legem & religionem liceat, & per eorum consilium. *Qui timent præceptum Domini*, id est & nisi aliter visum fuerit, his, qui legem norunt, & obseruant, vt iam supra indica- V.

In hoc quod meditabantur Iudæi de abiiciendis vxoribus alienigenis & eorum filiis apparebat ipsa specie aliquid inhumanum, quod natura abhorret.

uimus, & certè apparebat in hoc quod A meditabantur, ipsa specie, inhumanum aliquid, quodque bene constituta natura exhorreat, vt Iudæi, & vxores suas & filios suos amandarent, cum parentes, filiorum curam abiicere non debeant, neque sine graui causa dissolui possit coniugale consortium, quare de toto hoc negotio fuit ad Deum Deique consiliorum interpretes, referendum, hinc sequitur.

VI. Vers. 6. *Surrexit Esdras ante domum Dei, & abiit ad cubiculum Iohanam, filij Eliasib, &c.* Is Eliasib tunc, vt aliqui volunt, summus Sacerdos erat, B sic enim illorum à soluta captiuitate, seriem texunt, post Iesum, filium Iosedech, Ioachim filius eius. & post eum Eliasib, filius eius, summo Sacerdotio functus est, monet tamen Salianus in Annalibus Ecclesiasticis, ad ann. mundi 3599. num. 24. non fuisse fortasse, hunc, Eliasib Pontificem, sed ei, synonymum quia scilicet Eliasib Pontificis filius dictus est Ioiada 2. Esdræ cap. 2. vers. 10. nisi dicatur hunc Iohanan, de quo in textu, quique dicitur filius Eliasib, fuisse secundo, vel tertiogenitum eius, quod videtur probabilius. Ingressus ergo Esdras cubiculum Iohanam, filij Eliasib, vt ibi Deum de rerum administratione, atque exitu consuleret, *Panem non comedit, & aquam non bibit*, id est, nullum cibum, & potum accepit, nomine siquidem panis, & aquæ, intelligitur, omnis cibus, & potus, in sacra Scriptura, vt legenti passim peruium est: hinc porro, ex facto Esdræ, exemplum habent Sacerdotes, non solum flendi, & orandi, sed etiam ieiunandi, pro his qui peccauerunt, beati quidem censendi sunt qui propria peccata lugent, quia accepta remissione consolantur, sed beatiores inquit Beda, qui sic aliena deflent, vt ne panem quidem & aquam quæ abstinentium refectio est, contingere velint, neque domum tuam velint ingredi, vel ascendere in lectum strati sui, sed in atriis domus Domini orando pernoctant: Ibi enim erat domus Sacerdotis, quam vespere interueniente Esdras perhibetur intrasse, alia vero editio (quod notat idem Beda) pro *Cubiculo Iohanam*, vt ea vulgata est, *Pastophoria Iohanam* habet, quo nomine sæpe indicatur, porticus, qua templum vndique cingebatur, in qua ministri & custodes templi manebant.

Iohanam filius Eliasib secundo forte vel tertio genitus.

Pastophoria dicebantur porticus qua Templum vndique cingebatur ubi manentes ministri & custodes Templi.

VII. Vers. 7. *Et missa est vox in Iuda & Hierusalem omnibus filiis transmigrationis vt congregentur in Hierusalem, &c.* Quoniam non satis est Principem mala populi lugere, coram Deo, quod prolixe fecit Esdras, qui, vt proximè dictum est, luxit transgressionem eorum, qui venerant de captiuitate, & commune populi delictum magno animi sensu deplorauit, sed oportet etiam, pro potestate sibi tradita, iis adhibere remedium, propterea nunc idem Esdras indici iubet, totius populi conuentum in Hierusalem, idque intra triduum, sic enim vers. 8. sequenti *& omnis qui non venerit in tribus diebus*, septuaginta habeat, intra biduum, vel triduum, sicut & Iosephus, fit autem edictum hoc, *iuxta Consilium*, ait textus, id est, præceptum, & quidem non nudum, ac simplex, sed cum interminatione pœnæ, ac supplicii, in septuaginta, est, *secundum iudicium Principum, & Seniorum, siue præsidentium Seniorum.* Quod ad Esdræ modestiam referunt nonnulli, qui se ducem populo profiteri nolit, & onere contentus, honorem repudiat, habuit au- C tem ius infligendi supplicii, etiam capitalis, vt patet ex decreto Artaxerxis, cap. 7. vers. 26. Ei ergo qui intra præscriptum tempus non venerit, *voce missa*, id est citatione communi per præconem facta, minatur, *fore vt auferatur vniuersa substantia eius, & ipse abiiciatur de cœtu transmigrationis*, quod est, mulctatum bonis omnibus, in exilium mitti, pro his verbis, quæ sunt in vulgata, *missa voce*, vt est in versu superiori, id est, citatione communi. *Auferetur substantia*, habent 70. *anathematizabitur*, sic Hebraicè. significat autem verbum hoc igne consumendam D substantiam eius, qui non paruisset; *& abiicietur*, Hebraicè, *separabitur*; habes, hic expressam excommunicationis formam, sic enim Lyranus, *abiiciatur de cœtu*, id est, vt de suo addit, per excommunicationem.

Esdras o... nere Ducis contentus honorem repudiat.

VIII. Vers. 9. *Conuenerunt igitur omnes viri Iuda & Beniamin in Hierusalem tribus diebus &c.* Simul atque missa vox est, ex publica illa præconis voce edictum Esdræ, ac Seniorum, de conuocando populo proclamari, atque inaudiri cœpit, confestim, omnes, vel peccatorum vrgente conscientia, vel supplicii magnitudine deterriti, indicto tempore in Hierusalem confluxerunt;

quod autem dicuntur venisse viri Iuda, & Beniamin, cum tamen ex aliis tribubus multi redierint, eo à plerisque omnibus referri video, quod scilicet duæ istæ tribus inter cæteras fuere præcipuæ, quibus aliæ sese adiunxerunt, & earum Ducem Zorobabelem secutæ sunt, & suo deinceps deposito nomine, à tribu Iuda alium sibi nomen vendicarunt; quod iam sæpius à nobis aliàs annotatum, sed addo ego, dici hic, venisse viros Iuda, & Beniamin, quod præsertim, ex his tribubus, quæ primum, ac præcipue è Babylone in Iudæam cum Zorobabele redierant, rei criminis essent, de quo hoc toto capite agitur, censeturque ex illo potissimum numero, qui se illegitimis nuptiis, initoque cum Gentilibus, connubiali fœdere se contaminauerant; *Ipse est mensis nonus, vigesimo die mensis, &c.* Quo scilicet in Hierusalem conuenerunt, mensis nonus, Hebræis, Kasleu, Nouembri respondens, aut partim, Nouembri, & Decembri nostro, qui cum ad hyemem pertineat, pluuialis fere & tempestuosus, vnde notandum, cum in media circiter hyeme populus conuenerit, cur hic timere à peccato, & à pluuiis memoratur: nempe, cum pluuias ipso etiam tempore pluuiarum, maiores solito cernerent, in sese collecti, & ad conscientiam suam reuersi, peccatis suis hoc imputauerunt, & iram cœlestem superuenturam, ex ipsa aëris perturbatione timuerunt, ideo non in priuatis domibus, negotia sua agere præsumpserunt, *sed in platea domus Domini*, hoc est, in atrio, quod erat ante Templum; assumpto pœnitentiæ, & humilitatis habitu, consederunt; *sedit ergo omnis populus in platea domus Dei*, id est, (vt iam, dixi, & notat, post Bedam Lyranus) circa atrium Sacerdotum, quo ipsa domus Dei vndique cingebatur, habens circa se, ex omni parte, per quadrum, æde atriorum amplissimas, in quibus etiam populus, quando, ob pluuiam copiosius descendentem, opus erat, stare poterat, & videre ea, quæ in Templi ianuis gerebantur, vel circa Templum, Hebræi & septuaginta plateam quoque vocant, vt mirum sit, Iosephum, superiorem partem Templi, pro platea accipere, quo nec passim admittebantur omnes, nec ibi, sub Dio populus fuisset, & pluuiæ expositus, quod mox causatur populus, sed id præuidens Iosephus, pluuiæ memoriam omnem, & aperti aëris de industria callide sustulit, vt suspicatur Salianus, qui & non immerito, per plateam intelligi putat posse, aream, portæ orientali proximam, quæ recta, Sacerdotum atrium, & vestibulum templi, respiciebat, quæque sub Dio erat, sicut reliquæ omnes: in ea igitur platea coactus populus tremebat pro peccato, & pluuiis, culpæ scilicet conscios, supplicii grauioris metus vrgebat, frigidum etiam & pluuiosum tempus, male cor habebat, sic ille.

Potissimũ ex Tribubus Iuda & Beniamin erant rei violata legis de connubiali fœdere cũ Gentilibus noniueundo.

IX.

Cur cum hyeme populus conuenerit timere à peccato & à pluuiis dicatur.

Platea domus Dei atrium est ante Templum.

Malè Iosephus pro platea, superiorem Templi partem accepit.

X. Vers. 10. *Surrexit Esdras Sacerdos, & dixit ad eos vos transgressi estis, &c.* Hic locum, respondet superiori vers. 5. in quo dictum est surrexisse Esdram, & abiisse in cubiculum Iohanam, vbi notandam deuotionem Pontificis, ait Beda, qui lugens, orans, & ieiunans, pro transgressione populi in atriis templi permansit, nec prius in domum suam intrare voluit, quam accepto communi omnium consensu, populum toto pœnitentem corde, & conuersum ad Dominum viderit, sed nescio quid mysterii, paulo forte subtilius, quam verius, addit, idem author, in hæc verba vers. 16. quæ consequuntur, *Abierunt Principes in domos, & omnes per nomina sua, &c.* cum ait, cuius deuotionis, & reliqui Principes, videntur esse consortes, manendo scilicet multos dies, cum Esdra, in atriis templi, ad persuadendam populo pœnitentiam, cum dicantur, & ipsi dimisso cœtu, abiisse in domos Patrum suorum: si enim inquit, quæ vna est authoris ratio, hoc Scriptura non significat, quid opus fuit scribere, finito colloquio Esdram, & Principes familiarum, in domos Patrum suorum de septis templi abiisse? eos enim hoc fecisse nemo est qui nesciat, quid opus fuit addere, *& omnes per nomina sua*, cum & hoc hominibus esset notissimum, nisi quia tales eos voluit intelligi, quorum nomina, & facta, merito in memoria tenerentur, sed faciamus ita sanè contigisse, quemadmodum vult atque animo, comprehendit, ad litteram tamen, textu illo quo ad id probandum vtitur, clare expressum esse non video, quid enim, si per hæc verba, *& omnes per nomina sua*, aliud nihil intelligatur, quam suo quisque ordine, seruata cuiusque personæ dignitate, vel certe, suas quisque in classes, & Tribus, & Tribuum familias; quæ nomi-

nibus distinguebantur, distributi, A nam vox ista, *nomen*, siue pro re nominata, vel persona, in scripturis, accipitur, *vocabitur nomen eius Emmanuel*, in Isaia cap. 7. vers. 14. *Habes multa nomina in Sardis*, in Apocalypsi cap. 3. vers. 4. 4. Neque enim superuacanea illorum verborum adiectio est, vt Beda existimat, studendum enim fuit, tum maximè, ne tribus, aut familiæ, in inuicem permiscerentur, & confunderentur, quo eorum qui peccauerant perquisitio fieret, vt postea dicetur commodius, porro cum ait Esdras: *Vos transgressi estis, & duxistis vxores alienigenas, vt adderetis semper delictum Israel*, intellige, quasi diceret, id fecistis, vt transgressione vestra, pecata populi auctiora redderetis, *nisi delictum Israelis*, magis placet interpretari, idololatriam, quæ hoc peccato cumulata sit.

Sæpè in scriptura nomen pro re nominata, vel persona accipitur.

Vers. 11. *Et nunc date confessionem Domino Deo Patrum vestrorum, & facite placitum eius, & separamini a populis terræ, & ab vxoribus alienigenis, &c.* Mirum sanè quanta authoritate vir vnus, Esdras scilicet, populum etiam rebellem, & contumacem expugnauerit; & Hebræis, qui cum feminis alienigenis illicita coniugia contraxerant, facili oratione diuortia persuaserit, immo, non tam populum alloquendo, quam Deum orando, totum populum à suis sceleribus ad veram pœnitentiam abstraxit: quod longè mirabilius. certe totum hoc Esdræ negotium, in procuranda pietate, & restituendo cultu diuino, copiosè, & luculenter expendit D. Damianus in Apologetico de contemptu sæculi cap. 29. quod in proprio opusculorum tomo, est opusculum 12. Quod autem ait Esdras: *Date confessionem Domino Deo vestro*, prouerbialis loquendi modus est, vsitatus apud Hebræos, quando aliquem ad veritatis confessionem hortabantur, vt constat, ex Iosue cap. 7. vers. 19. vbi Iosue ad Achan: *Fili mi da gloriam Deo Israel, & confitere, &c.* Et Ioann. cap. 9. vbi ad cæcum, Iudæi *da gloriam Deo*, & lib. 1. Reg cap. 6. vers. 5. *Dabitis Deo Israel gloriam, si forte releuet manum suam a nobis*, aiunt Palæstini Sacerdotes, ad suos, cum eos exhortantur, vt aliquo signo, suam ignominiam, & culpam fateantur. Et Hierem. 13. vers. 16. *Date Domino Deo vestro gloriam*, dicta scilicet, aut facta retractando, per pœnitentiam, & peccatum confitendo, idem enim est, *dare gloriam, & confessionem Deo*; si quidem vbi versio vulgata habet hic, *date confessionem*, Hebræum habet, *Temitodah*, quod alibi, eadem versio vulgata reddit, *da gloriam*, vt Iosue 7. atque ita transtulerunt 70. & quidem, *Todah*, vtrumque significat: hinc patet quam bene, ac verè peccatorum confessio, maximè si accedat illud præcipuum opus pœnitentiæ, quod male cogitata, aut facta, retractat, atque dissoluit, Dei laus esse censenda sit, & gloria: & cum Esdras iubet, vt B qui nuptiis illegitimis à diuino mandato recesserunt, *placitum Dei faciant, & ab vxoribus separentur*: satis explicat, quid sit dare Deo laudem, & confessionem.

Da confessionem, aut gloriam Deo, prouerbiales loquendi modi apud Hebræos, cum aliquem ad confessionem veritatis adigere volebant.

Vers. 12. *Et respondit vniuersa multitudo, dixitque voce magna, iuxta verbum tuum ad nos, sic fiat &c.* Laudabilis est profecto hæc animi alacritas, promptissimusque populi consensus, in tam difficili negotio, quo tot communiones dirimendæ, tot filii, tot vxores longa vitæ consuetudine, beneuolentiaque coniunctæ, suas sibi, res habere iubebantur, & quasi hostes, domo, ac finibus, nulla sua culpa, erant exterminandæ; C qui tum fletus? quæ lamenta obsecro? tot mulierum viduarum, ante defunctos coniuges, tot orphanorum, parentibus viuis adhuc, & spirantibus? *Quis nescit*, inquit author proxime citatus in hanc sententiam, D. Damiani, *quantus virorum amor, circa vxores proprias vigeat? quanta circa filios pietas parentum, pectus astringat? quis ignoret, ad disiungendum duplex huius necessitatis vinculum, quo mærore, qua amaritudine se potuerunt viscera humana concutere, quo vehementissimi doloris incendio paternus affectus, coniugalis amor compulsus est æstuare? habentes tamen* D *veram circa Deum pietatem, ad nihilum redegerunt falsæ pietatis imaginem, atque vt essent in spiritu veraciter pii, facti sunt contra carnem, & sanguinem laudabiliter rigidi, armauerunt se contra iura naturæ, vt naturæ authori fœliciter militarent, obliti sunt erga filios quod fuerant genitores, vt veri patris ipsi ascriberentur hæredes, atque vt supernæ pacis sibi fœdera resarcirent, coniugalis thori copulam resciderunt; nesciunt seruare matrimonii fidem, vbi fides melior ad proprium recalescit authorem.* Sic ille diserte, vt vides, & eloquenter de Iudæis vxores alienigenas abdicantibus

XII.

Difficilis omnino necessarium luctuosa conditio Iudæorum in abdicandis vxoribus.

vt diuinæ legis satisfacerent. Certè præter timorem pœnæ, duo fortasse fuerunt, quæ difficultatem, huius diuortii populo minuerent; primum vsitata apud eam gentem repudia, alterum quod forte, licuit, ipsis, retinere alienigenas; si ad veri Dei cultum se traduci paterentur: quidni enim hoc in istis mulieribus, sicut in captis bello liceret, iuxta ea, quæ in Deuter. traduntur cap. 21. vers. 11. accessit denique prophetia Malachiæ capite 2. de qua nos iam alibi; ea scilicet non parum animati fuisse credendi sunt, ad difficultates omnes quæ in toto hoc negotio offerrent sese, fortiter superandas absorbendasque. Cæterùm, ne illud etiam hoc loco dissimulem, vtrum filii reapse, cum matribus alienigenis, à cœtu Israëlitico separati fuerint, dubium esse potest: nec satis ex Scriptura constare videtur, quod rectè annotauit Sanctius: tametsi, id supra promisisse vltro Sechenias censeri possit; cum id non absolutè ipse promiserit, aut etiam Esdras admiserit, sed sub ea tantum conditione, si nimirum ita Deo placeret, sicque videretur iis, qui legem Dei probe nossent Deumque caste venerarentur, & ea de causa, vt superius animaduertimus, orauit, Esdras, & orationem ad ieiunium adhibuit, vt de voluntate Dei super ea re certior fieret, quam explicare videtur, cum diuina illa quidem illustratione edoctus, distrahi dixit oportere diuellique iussit aliena coniugia, non autem filios à paterna cura, ne maternam potius, quam paternam religionem complexi, mores imbiberent alienos, & barbaros; Iosephus tamen lib. 11. Antiquit. cap. 5. & Author lib. 3. Esdræ cap. 9. vers. 36. produnt filios quoque cum vxoribus fuisse dimissos, sed cum liber ille canonicus non sit, magnam authori suo fidem non conciliat, & præterea quod asserit, eiusmodi esse videtur, vt ab authore sacro prætereundum non fuerit, illud certum est, atque in dubium vocari non potest, illorum qui ab exilio redierunt bene multos, post hoc decretum, iureiurando communi ac publico confirmatum, post tot lachrymas, & eiulationes, post tot pœnitentis animi data indicia, atque argumenta: rediisse ad vomitum, & rursus alieni generis, & religionis repetiisse coniugia, aliquot annis post hoc decretum, cum iam mœnibus cincta

Quanam difficultatem huius negotij de abscindendis vxoribus in Iudæorum animis minuere potuerunt.

XIII.

Vtrum filij cum matribus abiecti fuerint nũ omnino certum nec satis ex Scriptura constat.

Iosephus, & Author lib. 3. Esdræ existimant dimissos cum vxoribus filios.

Certum est multos è Iudæis pœniten-

Aesset, & vallata ciuitas; & vero id Nehemias aperte docuit cap. 13. vers. 23. quo loco nos de eo crimine commodius

tibus redijsse ad vomitum.

XIV.

Vers. 13. & 14. *Veruntamen quia populus multus est, & tempus pluuiæ, &c. Et opus non est dies vnius, constituantur Principes, &c. Donec auertatur ira Dei, &c.* Etsi indictum ab Esdra senioribusque decretum populus admittit, tamen cum in opere quod statuit exequendo sane difficili, multum etiam temporis ponendum sit, neque frigida tempestas, diuturnam in B aperto aque incommodo loco moram Iudæis permittat. Vt suauius res tota componatur, petunt, vt per iudicia priuata, ista connubia dirimantur, id est, vt ex cætu, viri Principes eligantur qui rem totam explorent, qui de reis cognoscant, & suo arbitratu constituant: quod & factum est, duo enim constituti sunt, cum præcipua potestate, super eo negotio, quibus additi sunt socii duo, qui & nominantur ipsi, versu proxime sequenti 15. atque vt sine confusione familiarum catalogus scriberetur, omnes se in familias suas recipere iussi sunt; quibus e- C xemplo præierit Esdras ipse, vt infra commemorat.

Vers. 16. *Feceruntque sic filij transmigrationis, & abierunt Esdras Sacerdos, & viri Principes familiarum in domos patrum suorum, &c. vt quærerent rem, &c.* Igitur seruato ordine, Sacerdotum, Leuitarum, & aliarum Tribuum, iuxta familias, inquisitum est quis in quaque familia, vel gente, istiusmodi coniugiis implicatus esset, & inuenti, in tabulas, quæ conficiebantur, à statutis in eam rem iudicibus, referebantur. Id porro negotii tres totos menses tenuit, à primo scilicet mensis decimi, vsque ad initium primi, in D quo Hebræis, Græcisque Latina consentiunt, etsi Iosephus aliam lectionem induxit, nescio vnde petitam, aut accersitam; certè cum sacro textu non consentientem: nam in Hebræo, vt diximus, Græcoque textu perspicue habetur, inquisitionem factam, *a primo die mensis decimi, vsque ad primum diem mensis primi.* Ipse vero, *& prima die*, inquit, *mensis decimi cœpta inquisitione*, quæ durauit *vsque ad primam diem mensis sequentis.*

XV.

Tres menses tenuit negotium de dimittendis vxoribus ex textu sacro contra Iosephum qui secus tem enarrat.

XVI.

Vers. 17. *Et consummati sunt omnes viri, &c.* Id est numerati sunt, & summa eorum confecta, qui duxerant vxores

res alienigenas, facta omnium diligenti perquisitione, *vsque ad diem mensis primi*. Iuxta literam, hic aduertendum authore Beda, quam opportunè Iudæi, in hoc operoso negotio laborauerint, vt ante initium primi mensis omnes purgarentur, scilicet vt Pascha, & mensem ipsum in quo celebrandum erat munde & sanctè celebrarent, & annū proinde munde etiam & sanctè inchoarent, & consummarent; quod etiam nos (vt idem author addit) omnibus annis, in quadragesima Paschæ oporteat imitari, vt instante scilicet Dominica Resurrectionis, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus; vt participes Resurrectionis esse valeamus: sed hæc mores sapiunt, & ad Tropologiam, siue Allogoriam pertinent.

XVII. Vers. 18. *Et inuenti sunt de filiis Sacerdotum, qui duxerant vxores alienigenas, &c.* Inuentæ sunt, vt constat ex hoc versu, & sequentibus vsque ad vltimum centum omnino, & tredecim familiæ, in quibus & coniuges alienigenæ erant, & ex his suscepti filii: Quod autem additur hoc eodem versu, *De filiis Iosue, filij Iosedech, & fratres eius*, per *fratres* cognatos intellige, nec enim fratres Iosue summi olim Sacerdotis germanos, in carne eatenus vixisse credibile est, vt voluptati operam dare potuerint: sic Beda in Glossa.

Per fratres Iosue cognati intelligendi.

XVIII. Vers. 19. *Et dederunt manus suas, &c.* Id est, consenserunt, promiserunt, se eiecturos vxores illas, vel, si mauis, solemni iuramento firmauerunt; ne sententiam retractare possent, sic Lyranus: Porro quod arietem pro peccato, qui deliquerant supra nominati obtulerint, ea fuit multa leuis quidem, sed sic fieri solet, quando multi peccauerunt, tametsi ii Sacerdotes erant: Rectè autem in correctionem, & expiationem sceleris, arietem de gregibus offerunt, qui primi peccauerant, vt significent, quemadmodum seipsos, qui ductores populi quasi Ducis gregis esse videbantur, à pristina vita secretos, distractosque mactare, & purgatos digna pœnitentia, Deo per meliorem vitam offerre, statuerint.

XIX. Vers. 25. *Et ex Israel, de filiis Pharos, &c.* Sed qui superius nominantur, nonne ex Israël? Sic igitur intelligunt aliqui, ex Israël, id est, ex reliquo populo, siue ex alis Tribubus, præter Leuiticam, ex qua iam recensuit qui duxissent vxores alienigenas: quanquam vt verum fatear, & hoc valde incertum est, cum postea alii etiam de Sacerdotali genere numerantur, videturque mihi, quod multis aliis, probabilius multo, eos duntaxat qui de Tribu Leuitica essent hoc loco recenseri.

Probabile hoc loco tantum recenseri qui de Tribu Leuitica essent.

X X. Vers. 44. *Et fecerunt ex eis mulieres quæ pepererant filios, &c.* Sic concludit textus, absoluta eorum serie qui alionigenas vxores duxerant; cæterum locus hic satis obscurus nonnullis videtur: sed quamobrem nescio, Hebræus textus sic habet, *Et fuerunt ex ipsis (viris) quibus erant vxores, & ponere fecerunt filios*, id est, (vt explicant aliqui) *produxerunt filios*: vt scilicet eiicerentur cum matribus, quod si placet, sic locum construe, *& fuerunt ex ipsis (qui duxerunt) vxores, & exposuerunt filios*, promptæ id voluntatis argumentum; certe, vulgata lectio, meo iudicio, ferre aliud nihil videtur, quam de vxoribus eiectis, alias quidem filios peperisse, quæ licet peperissent, nihilominus cum aliis, quæ non pepererant reiectæ fuerant, nulla prolis quæ matrimonii tenacissimum esse vinculum dicitur, habita ratione: quod additum crediderim, ad commendandam illustrius, in exequenda diuina voluntate, Iudæorum constantiam, & animi magnitudinem; alii qui iuxta Hebræum sic exponunt, vt dicant, fæminas alienigenas exposuisse filios suos, subiecisseque iudicum voluntati, vt de illis suo arbitratu constituerent, non satis rem intelligunt; quia scilicet, vxores, ad publicum conuentum seu iudicium aduocatæ non fuerunt, neque vspiam condemnatas illas esse comperio, vtpote, quæ nihil egerant contra viros; neque vero, vt condemnatæ fuerint, durum illis esset, vt filii à viris abducerentur, quin potius summo beneficio ducerent, retinere apud se prolem, quæ distracta, ingenti sanè maternum pectus dolore afficeret, quod Caietanus autē (vt refert hic Sanctius) non solum filios non esse dimissos à parentibus, sed nec ipsas etiam vxores alienigenas existimat, miror sane, nec quemadmodum illi venerit in mentem, vt hoc dixerit, satis intelligo. Quod enim ait, eos tantum qui de summi Pontificis essent familia, vxores abiecisse, quia de illis tantum facet textus mentionem facit: præterquam quod satis difficile est,

Male Caietanus nec filios nec vxores ipsas dimissas existimat.

illud certis argumentis stabilire, licet ita esse concedamus, tamen dubitare omnino non possum, quin è toto populo vxores omnes alienigenæ iussæ sint ab Israëlitis separari, & à thoro excedere non legitimo, quem enim exitum habuisset, Esdræ, toto hoc capite populum contestantis, & pro eo deprecantis oratio, ni ita esset? Quod vero aut eorum tantum aut præcipuè in textu fiat mentio, qui è Sacerdotis magni familia essent oriundi, id causæ esse potest, quod scilicet, hoc pacto, melius significaretur, ingens motum, quibus imbutus erat populus, fœditas, & corruptio, cum ille qui cæteris exemplo prælucere, ac facem veluti sanctitatis præferre debuerant, tam legis obseruandæ, sanctitatisque retinendæ fuerint immemores, vt ad vetitas nuptias, & damnata ex lege connubia animum adiecerint: Adde, quod hi, Sacerdotes scilicet, & Leuitæ, pro delicto arietem dicuntur immolasse, vt supra vidimus, quod alii fortasse non fecerunt: quanquam, & singulas etiam alias familias, arietem

A in sacrificium pro peccato obtulisse plerique affirmant: & licet id de solis Sacerdotibus, in textu dictum videatur, de reliquis tamen omnibus Iosephus accipit, his verbis, cum ait, *Inuenerunt multos tam ex Iesu Pontificis cognatione, quam ex cæteris Sacerdotibus, ac Leuitis, & aliis Israëlitis qui & vxores, & natos ex eis liberos, sine mora abiecerunt, pluris facientes legum obseruantiam, quam natales affectus, quantumuis nolentes, moxque, ad placandum Deum, arietes immolauerunt, quorum nomina recensere non est necesse, atque*

B *ita Esdras hoc erratum circa connubia correxit, & malam in hoc consuetudinem emendauit, vt in posterum hæc reformatio stabilis, ac firma permaneat.* Ita Iosephus, nihilominus, quod iam supra indicasse memini, alia quoque separatio, seminis filiorum Israel ab omni filio alienigena legitur, sub annum Artaxerxis vigesimum, facta à Nehemia, 2. Esdræ cap. 9. quem, & nos suo loco Deo bene dante: illustrabimus, &c.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis decimi.

Expositio Mystica in illud vers. 1. *Sic ergo orante Esdra, & implorante eo, & flente, etc.*

Esdram boni Pastoris figuram expressisse lugentis peccata populi, eumque ad pœnitentiam reuocantis, & per ea quæ agit populus monente Esdra, vera pœnitentiæ opera symbolicè designari.

1. Otam huius extremi Capitis Allegoriam ex iis quæ iam supra à nobis, & dicta, & annotata sunt sic breuiter, ac velut in summa licet perstringere Esdras orans, & implorans, flens & iacens ante templum Dei, vt hic exhibetur non solum Christi Domini pro nobis in Cruce, *Cum clamore valido, & lachrymis*, ad patrem orantis: sed cuiusuis etiam boni Prælati, ac Pastoris Ecclesiæ figuram ex-

Boni Pastoris est flere, ac deprecari pro suorum transgressione.

C pressit; vt potè cui, & flendi, & deprecandi Dominum pro subditorum suorum transgressione munus incumbit, sic cuius animas bonus Pastor tanquam Mater in Christo debet assiduè parturire. Et quoniam ex afflictione Ducis, ac Prælati, tanquam insigni exemplo ad imitandum proposito alias indicauimus, par est subditos ad veram pœnitentiam permoueri, illico sequitur in textu, *Collectus est ad eum de Israel cœtus grandis, virorum, & mulierum, & puerorum, & fleuit populus fletu magno*, quæ certè tanta om-

nium comploratio ex vero atque interno animi dolore ob peccata commissa concepto profluxisse credenda est. Quod autem aiunt vers. 13. *Percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut proijciamus, universas uxores, & eos qui de his nati sunt symbolice*: Per uxores alienigenas (inquit Glossa) convenienter intelligi possunt, interiores concupiscentiæ malæ, & per filios eorum actus ipsi exteriores ex eis procedentes quæ omnia à vere pœnitentibus prout possunt ac vere etiam debent, abiicienda sunt, neque vero ab hoc mysterio recedit quod dicitur vers. 6. *Et surrexit Esdras, &c. Et abiit, &c. & panem non comedit, & aquam non bibit, lugebat enim transgressionem eorum qui venerant de captiuitate, &c.* Nimirum, lugent etiamnunc in transgressione eorum qui de captiuitate venerant, ait Beda, qui dolent eos qui à peccatis pœnitendo erepti fuerant, ad ea peccando esse relapsos, & quasi denuo à diabolo in captiuitatem abductos, de quorum seductoribus quasi de immundarum uxorum parentibus, ait D. Petrus 2 Epist. cap. 2. *Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos qui paululum effugiunt*, & paulo post, *si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Iesu Christi, his rursus implicati superantur facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.* Iam quod ut habetur vers. 9. *Convenerunt omnes viri Iuda, & Beniamin in Hierusalem tribus diebus*, in eo notat idem Beda, numerum ternarium esse mysticum, & cum dicitur hic tribus diebus omnes convenisse in Hierusalem, & infra vers. 16. & vers. 13. tribus mensibus puta 10. 11. & 12. ab impuro uxorum alienigenarum consortio populum fuisse mundatum, quid mystice per id significetur sic edisserit. Tres inquit sunt virtutes, sine quibus nemo saluatur, fides, spes, & charitas. Tertio tempore sæculi veniens Christus secundum carnem in mundum, gratiam nobis Euangelii contulit. Primum namque tempus ante legem in Patriarchis, secundum in Prophetis, sub lege præmisit, in tertio ipse cum gratia venit, & sua nos Passione redimens tertia die resurrexit. Per cuius gratiam qui consortio Ecclesiæ copulamur, & à vitiorum illecebris expurgamur apte transmigrationis filii tribus diebus in Hierusalem purgandi per pœnitentiam convenerunt, & in tri-

Uxores alienigenæ vetitæ sunt interiores concupiscentiæ malæ, filij eorum, actus exteriores qui ex eis oriuntur.

Lugere censendi sunt transgressionem eorum qui è captiuitate venerunt qui lugent relapsos in peccata quæ ante reliquerant.

Mysterium ternarii numeri dierum quibus Iudæi convenerunt in Hierusalem, & mensium quibus totum suum negotium absoluendum.

Prius expiandus animus à vitiis quam ad altare accedatur.

A bus mensibus totum de abiiciendis uxoribus alienigenis negotium confecerunt, sic enim in textu citato, *Et sederunt in die primo mensis decimi, ut quærerent rem: Et consummati sunt omnes viri qui duxerant uxores alienigenas usque ad diem primum mensis primi.* Quod ad hæc quoque adiungit, opportunè scilicet iuxta literam laborasse rudiores Iudæos, ut ipsi ante initium primi mensis omnes purgarentur sicque Pascha atque adeo mensem ipsum in quo Pascha celebrandum erat, munde & sancte celebrarent, & annum
B item munde & sancte, inchoarent, & consummarent. Illudque Christianis nihilo secius quotannis imitandum esse in quadragesima Paschæ, nempe ut instante Dominica resurrectione mundent se ut Paulus loquitur 2. Corinth. 7. vers. 1. Ab omni inquinatione carnis, & spiritus sicque participes resurrectionis esse valeant, nos etiam in ipsa literali expositione obiter monuimus. Et quoniam ablato expiatoque scelere mundos ad altare Sacerdotes oportet accedere, ideo qui uxores illicitas abiiciunt de Leuitico genere, III.
C vers. 19. *Dederunt manus suas, ut pro delicto arietem de ovibus offerrent, &c.* Difficile enim est illius victimam Deo esse acceptam qui non prius reliquit culpam pro qua offert, unde illud Isaiæ 1. versu decimo septimo *Quiescite agere perverse, discite benefacere.* Quo loco notandum etiam occurrit, observatione eiusdem authoris. Quanta arte pugnandi diabolus fideles impugnet, ut nullum prorsus eis tempus a pugna aut tentatione securum relinquat. Ecce enim, si rite animaduertis lector, qui ab aduersantibus exterius superari non poterant qui hostes publi-
D cos, palam ædificato templo Domini, ipso etiam dedicato consecratoque deuicerant. Victi sunt ipsi amore mulierum, ne templa cordium, vel operum suorum casta, & sancta, atque adeo habitatore Deo digna conseruarent, quod malum, isthæc est calamitas, & quam infœlix hominum conditio! Certè, ut ad mystagogiam animum referamus. Eius rei nostris temporibus manifeste figura completur, cum videmus plerumque animos fidelium multo periculosius tentari intrinsecus à concupiscentia sua abstractos, & illectos, quam quondam tentabantur extrinsecus cum immanis aduersarius, contra eorum fidem, & constantiam

Qui sæpe pœnis ac suppliciis non flectuntur, deliciis ac voluptate vincuntur.

ferre flammaque sæuiebat; Mitum! quem sæpe cruciatus, ac tormenta non flectunt, deliciæ carnis, ac fluxæ voluptates blandissimę Domine amolliant, vnde multis precibus à Deo obtestandum est, vt sicut eius pietas, ac misericordia aduersus aperta furentium certamina, virtutem patientiæ tribuit ita nobis contra subrepentium laqueos blanditiarum custodiæ, ac cautelæ vigilantis studium subsidiumque subministret. Tandem si quod in textu dubium quodammodo relinquitur, vt in litera annotauimus, Iudæi reduces, fæderis contra legem vniti pœnitentes; vxores tantum aliegenas, & non filios eorum abiecerunt, ea scilicet ex causa, quod eos, & renuntiare maternæ infidelitati, & consecratos Domino per circumcisionem, & hostiam salutarem fidei suæ, & morum castitati sociari voluerint, ex eo quoque mysterium illud condisce in instituto nostro viuendi atque humanis moribus actionem quæ mala est, aut tanquam malæ parentis soboles suum quasi genus commutare interdum posse, & in bonam euadere. Nempe, quis in Christianorum disciplina tam rudis est qui nesciat exempli causa bona etiam opera quæ intuitu temporalis commodi vel fauoris vel delectationis agimus, aut inter mala esse reputanda,

Proles vxorum alienigenarum à Iudæis seruatur designat prauam intentionem bonorum aliorum aliquorum in bonam commutandã.

A aut certe ab vana illa atque infima intentione secernenda, & Dei vnius causa seu pro cœlesti, retributione facienda? fac si voles ieiuniis, eleemosynis erogandis hominem addictissimum atque intentum maxime si ieiunat, si orat, si eleemosynam erogat, vt videatur, & laudetur ab hominibus, talis proles bonæ actionis quasi de immunda genitrice nascitur, & ideo inter eos qui de Babylone Hierosolymam, ascendunt partem habere non potest. Qui pro Babylone laborat pretium operis in Hierusalem non accipit, & iuxta notam illam Christi Domini vocem in Euangelio Math. 6. *Amen di-*
B *co vobis receperunt mercedem suam*, qui in præsenti sæculo mercedem recipit in futuro carebit. Quid igitur huic homini faciendum putas sic opus suum fœdanti, & bonas actiones praua intentione maculanti? Sane operæ pretium est, vt author operis mentem ad meliora conuertens pro Deo facere incipiat quod pro laude faciebat inani, & quasi sobolem indigne editam Domino consecrans Hierosolymæ ciuem instituat, sicque opus ipsum male inchoatum corrigens ac suo bonæ intentionis splendore illustrans æterna in cœlis mercede dignum efficiat. Hoc est quod præsenti Iudæorum facto edocemur.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis decimi.

Dissertatio moralis in hæc verba. *Sedit omnis populus in platea domus Dei trementes pro peccato, & pluuiis, vers. 9.*

Indicans quid præstandum, & quibus rebus potissimum vacandum difficillimis calamitosisque temporibus.

IV. VM audimus Iudæos imbre solito copiosiore è cœlo decidente criminum sacrum non immemores totis artubus contremiscere facile nobis est è litera sermonem ad mores transferre aut quasi in literam ipsa quodammodo inserere, habent

C hic sanè de Christianis nostris bene multi quod verecundentur, qui turbatis elementis, vel ventorum frigore, vel pluuiarum eluuionibus, vel aceruis niuium, vel ardore siccitatis, vel etiam exitio hominum vel animalium desuper ingrauescente, & ipso iudice etiam per aperta iudicia vim suæ iræ indicante, & omnibus per omnia mi-

bitante; nihil de correctione morum qui placent iudicem, plagamque euadant impendentem, requirunt: sed, qui stupor hominum est, id vnum modo satagunt, vnum id studiosè pertractant atque perquirunt, quemadmodum scilicet arte humana, & naturæ subsidio aduersa quæ exterius propter peccata deseuiunt aut euitent aut superent: non sic in præsentiarum Iudæi quibus profectò longè alia mens est, in difficili calamitosaque tempestate: nimirum, cum animaduertunt copiosiorem solito imbrem è cœlo decidere, & vbique quasi torrentis in morem, exundare, illico criminis sui conscii & legis à se violatæ per illegitima connubia non immemores, diuinam opem inclamant, ad domum Dei, id est ad templum; aut templi viciniam accedunt, totosque dies consistunt, Deum inibi orant, atque exorarent contendunt, *trementes pro peccato, & pluuiis*, scilicet scelerum suorum, memoria & vlceratæ conscientiæ aculeis confixi, horrore concutiuntur, & toto corpore totisque artubus contremiscunt, cum graues cœli iniurias, & incommodam illam tempestatem flagitiorum suorum pœnam ac supplicium reputant, quò fit, vt tandem de placando, quacunque demum ratione, diuino numine consilium ineant; spondeantque, palam ac publice vitæ morumque conuersionem. hæc illi consultissime, nempe hæc sunt hominum studia: hæc opera, hæc instituta, quibus insistendum est, vacandumque diligentius, difficillimis calamitosisque temporibus, quis enim non intelligat, eo præsertim tempore diuini timoris indicia, ab hominibus, si quid sapiunt, exhiberi oportere, iratum illum, cum vindicantem scelera, cum in capita sua detonantem animaduertunt? immò, quis diuinæ prouidentiæ, inmoderando gubernandoque orbe, tam ignarus obseruator est, qui nesciat, flagella Dei, vt vocant, & calamitates publicas, fere censeri eo tantum euenire quod iudicia Dei non timeantur: hæc ea mens semper fuit Pontificibus, & Regibus Christianis, cæterisque populi sapientissimis moderatoribus quam in suis passim decretis, & sanctionibus testatam reliquerunt. Illustre est præ omnibus, in hanc sententiam, testimonium, & præclara vox Gunteranni, olim Regis Francorum in edicto

Ad preces fundendas diuinamque opem efflagitandam Iudæi confugiunt calamitoso tempore, et cœlo minitante.

Vacandum morum conuersioni cum Deum iratum videmus.

Flagella Dei & calamitates publicæ eo præsertim eueniunt, quod iudicia Dei non timeantur.

A exhortatorio ad omnes Sacerdotes, & Episcopos Galliæ, quod repetitur tomo secundo Conciliorum post acta concilii Matisconensis 2. vbi sic loquitur. *Agnouimus infra regni nostri spatia, vniuersa scelera quæ Canonibus & legibus pro diuino timore puniri consueuerant, suadente aduersario boni operis perpetrari, & ex hoc procul dubio indignatione cælesti per diuersas seculi tempestates homines, aut pecora, aut morbo consumi merentur, aut gladio, dum diuina iudicia non timentur.* Aduerte Lector insignem Christiani Principis, in iudicando solertiam: Vide quam sapienter, & scite causam offensi numinis eiusdemque scelera vindicantis, hanc vnicam repræsentet. *quia*, inquit, *diuina iudicia non timentur*, vnde postea sermone, propius, ac pressius, ad Præsules conuerso, sic pergit; *Ad vos sancti Pontifices serenitatis nostræ sermo dirigitur, sperantes quod ita populum frequenti prædicatione studeatis corrigere*, quatenus dum vniuersi diligendo iustitiam, studuerint viuere melius cuncta rerum aduersitate remota, cœlesti beneficio concedatur tranquillitas temporum, & congrua salutatio populorum. Ita Gunteranus Rex quo vix quidquam meo iudicio ad rem, de qua hic agimus; acccommodatius dici potest.

B

C Illius porro edicti publici Regis Francorum meminit etiam Baronius in Annalibus anno 586. qui & addit, eodem anno accidisse, ingens Parisiensis ciuitatis incendium, quod prædixerat his verbis, quædam mulier incolas alloquens: *Fugite ab vrbe, & scitote eam incendio concremandam*, vt refert apud eundem Baronium Gregorius Turonensis in histor. Francorum lib. 8. c. 33. Notum est illud Iustiniani in Auth. Coll. 6. tantam esse quorumdam criminum atrocitatem, vt inulta hæc non relinquantur, sed per ea pestem, famem, & terræ motus, aliasque plagas à Deo hominibus immitti solere passim obseruatur, quam in rem commentator Pragmaticæ Sanctionis refert Robertum Regem Galliarum filium Capeti orantem pro pace Regni responsum à Crucifixi imagine accepisse non futuram eam, donec notoria crimina, & blasphemias extirpasset. Sin à Regibus ad summos Pontifices gradatim ascendendum est, & deducenda oratio vt intelligatur, quid præstandum sit, quibusue operibus, potissimum insistendum, tempore belli,

D

Gunteranni Regis Francorum de ea re testimonium.

Iustiniani Imperatoris de eadem re iudicium.

Voce cælitus immissa, & a Roberto Gallorum Rege audita, idem confirmatur.

famis, aut pestilentiæ, immo quid E- A piscopi ipsi agere debeant, in publica calamitate, quid alios docere, quid populo significare ira Dei populum perurgente Gregorius magnus, quem vnum ex omnibus eligo, multa quidem passim multis in locis, eam in rem edisserit; tamen videtur is mihi, epistola 4. lib. 8. ad Dominicum Episcopum cum pestis grassaretur in Africa, luculentiorem quam vllibi alias habere sermonem, cum sic ait. *Vestra eos lingua sicut credimus magis, ac magis, à praui operis perpetratione coerceat, bonorum præmia, malorum pœnas edisserat, vt qui bona minime diligunt, saltem mala pertimescant, & ab his si quæ sunt plectenda contineant; Nam inter flagella positos, flagellis digna committere, contra ferientem. Est specialiter superbire, & sæuientis acrius iracundiam irritare, atque est primum genus dementiæ, nolle quempiam à malis suis iuste quiescere, & Deum iniuste à sua velle vltione cessare.* Hæc ille, quæ plus satis iudicant quam sapienter agant Iudæi, cum Duce Esdra, ac monitore, scelerum suorum illos pœnitet, cum ad Deum, tanquam ad asylum certissimum, & tutissimam salutis aram confugiunt, ingrauescente cœli iniuria, cum de eo placando, propitiandoque cogitant, quo tempore puniri se, ac propter scelera sua malè haberi, tractarique intelligunt. Sic enim fere fit vt cum Deus populum, multis etiam criminibus fœdè olim inquinatum, postea à pœnitentia paratum, instructumque animaduerterit, ei repente dicat quod reo cuiuis insigniori iam pœnitenti vt ad meliorem mentem conuerso di- B centem facit alicubi D. Augustinus. *Non parcis? parco; crimen agnoscis? ignosco.* Illud item Zachariæ cap. 8. vers. 14. in causa populi Israelitici. *Sicut cogitaui, vt affligerem vos, cum ad iracundiam me prouocassent patres vestri, &c. Sic conuersus cogitaui in diebus istis, vt benefaciam domui Iuda, & Hierusalem: Nolite timere.*

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis decimi.

Morale item alterum de angore malæ conscientiæ in eadem verba vers. 9. *Sedit populus trementes pro peccato.*

VI. T constat cum ex C superiori dissertatione, tum ex huius loci literali expositione, Iudæi qui ab Esdra, ex Seniorum decreto, & publica præconis voce euocati, in Hierusalem conuenerunt, in platea Templi, siue domus Domini trementes, ac pauidi constiterunt, quia scilicet scelerum conscientia exagitabat impios, & habebant intus quod ipsos interno frigore, & pauore concuteret, frigore etiam rigebant externo, quia D pluuium erat tempus, & frigida (vt pote desinente iam Nouembri) hyberna tempestas, ferebant tamen omnes hæc temporum incommoda, quia proposita ob oculos pœna suis sceleribus debita, & ipsorum quoque scelerum horrore, maiores etiam molestias tolerabiles reddebant. Vnde locus is, vt patet, percommodus est, ad nonnulla obiter, & carptim pertractanda de conscientia, cuius magna profectò vis est, in vtramque partem, aiebat ille; Et quidem vt Paulo, sic Sanctis omnibus solemnis illa, & quotidiana vox est: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*, 2. Corinth. 1. vers. 12. Nimirum bona conscientia, seu mens recti conscia, fiduciam, & securitatem homini affert, gloriam, & honorem eidem adducit, & conciliat: mala conscientia, seu mens ipsa criminis sui non ignara, metum, atque horrorem, dedecus, atque opprobrium, ac demum, quod malorum omnium extremum est, salutis desperationem sæpe ingenerat. Audi Sapientem in Prouerbiis c. 28. vers. 1. *In-*

Conscientiæ magna vis est in vtramque partem.

Bona conscientia secura, mala simida.

stus quasi Leo confidens absque terrore erit: Quid de impio? *fugit impius nemine persequente*, addit idem ille. Vide amabo qua hic in statione men is positi, constitutique sint Iudæi; *Sedit populus*, inquit Esdras, *in platea domus Dei trementes pro peccato, & pluviis*, scilicet dum scelerum suorum memoriam refricant, atque ob oculos suos ponunt, eorum statim horrenda specie mirum in modum perturbantur, timent, tremuntque; quod impii solent, anguntur animo vehementer, & corpore, & animo toti perhorrescunt, cælum iratum, pœnas, tormenta, supplicia animo præcipiunt, & ea singulis momentis, impendere ceruicibus suis existimant. Hoc malum malæ conscientiæ ingenium est, hoc mali ipsius natura, atque indoles, vt quieto nunquam, securo nusquam illi esse liceat.

Malum omne aut timore, aut pudore perfusum.

Omne malum, inquit erudite Tertullianus in Apologetico, aduersus gentes, *aut timore, aut pudore natura perfudit*, hinc est, vt ibidem ait idem author, *quod ne ipsi quidem quos sapit defendere pro bono audent, malefici gestiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati, ne torti quidem facile, aut semper confitentur, certe damnati mœrent, dinumerant in semetipsos mentis malæ impetus, vel fato, vel astris imputant, nolunt enim suum esse, quod malum agnoscunt.* Sin D. Hieronymum hic cum Tertulliano compono, eandem pene huius, atque illius vocem esse comperies, cum ait in epistola ad Demetriadem de Virginitate, quæ à nonnullis incerto authori ascribitur apud D. Augustinum, in fine secundi tomi. *Quid illud obsecro est, quod ad omne peccatum erubescimus, aut timemus, & culpam facti, nunc rubore vultus, nunc pallore monstramus, ac trepidante animo etiam in minimis delictis testem effugimus, conscientia remordemur: è diuerso autem, in omni bono læti, constantes, intrepidi sumus, idque si occultum est, palam etiam fieri cupimus, & volumus: nisi quod testimonio sibi est ipsa natura, quæ hoc ipso declarat bonum suum, quia ei malum displicet; & dum in opere tantum bono confidit, quid solum eam deceat ostendit.* Est in animis nostris naturalis quædam, vt ita dicam, sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens exercet mali, bonique iudicium, & vt honestis, certisque actibus fauet, ita sinistra opera condemnat, atque ad conscientiæ testimonium, diuersas partes

A domestica quadam lege diiudicat. Sic ille. Ac de terrore quidem, & tremore conscientiæ malæ, notum est illud Sapientis cap 17. *Cum sit timida nequitia dat testimonium condemnationis, semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia.* Item illud Iob cap. 15. vers. 21. *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, semper insidias suspicatur.* Hos conscientiæ stimulos multis modis, & variis emblematis explicant prophani, tritum est illud & vulgare ex Tullio in Pisonem, *furiæ agitant, & insectantur impios, non ardentibus tædis,*

In animis nostris quædam est veluti naturalis sanctitas, quæ de bono, & malo iudicat.

B *sicut est in fabulis, sed angore conscientiæ*: quam in rem insigne est illud apud historicos, de Alphonso Rege Siciliæ impio, vt cæteros taceam, qui nocturnis, diurnisque temporibus agitatus vociferabatur, *Francia, Francia* quique postmodum, quindecim dierum spatio, ab Carolo octauo Gallorum Rege de omnibus regni sui finibus eiectus est; *tribulatio, & angustia in animam operantis malum*, ait Paulus Rom. 2. *Hinc est, quod conscientia, si recte quid ea sit expendimus, definitur spiritus corrector, & pædagogus animæ sociatus, quo separatur a malis, & adhæret bonis.* Sic

Conscientia, spiritus corrector, & Pædagogus animæ.

C loquitur Origenes in epistolâ ad Romanos, quod citat D. Thomas 1. part. quæst. 79. art. 13. vbi addit conscientiam dici testificari, ligare, vel instigare, vel etiam accusare, vel etiam remordere, siue reprehendere, premente scilicet, vrgenteque spiritu illo correctore, & motum nostrorum interno censore. Iam cum superiori Origenis sensu, dictoque, mirè conuenit illud Epicteti apud Antonium Melissam, lib. 1. Serm. 42. *Pædagogo pueros nos tradiderunt parentes, qui vbique obseruarent nunquid læderemur: Deus autem iam viros insitæ conscientiæ custodiendos tradit, quæ quidem custodia*

D *& consecratio nequaquam contemnenda est, quoniam & Deo displiceret, & conscientiæ ipsi nostræ hostes essemus, &c.* Hinc scitè admodum Chrysostomus in Genesi Homil. 54. *Nullum*, inquit, *prætereat quod ignorans virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem viæ ducem, & demonstratorem sufficientem, enimuero magistrũ habemus conscienti. Et fieri non potest, vt quis illo adiumento priuetur, nam simul cum formatione hominis implicata est scientia faciendorum, & non faciendorum, &c.* Et certe pulsat seipsum nocens, scritque primum flagitii conscius, surdo quodam,

ſed diro verbere conſcientiæ. Criminis cuiuſcumque *prima eſt hæc vltio, quod ſe iudice, nemo nocens abſoluitur,* canebat olim ſatyricus: atque vt idem ipſum ex puriori fonte hauriam D. Ambroſius Serm. 50. *Omnium*, inquit, *ſupergreditur ſententias, qui à ſua conſcientia, ſua ſententia condemnatur,* neque vero ab interno illo iudice ad alium cauſæ noſtræ mitiorem iudicem qui nobis faueat æquiorem, appellare licet, eius tribunal, arbitriumque defugere, nemini vſpiam integrum eſt, ſibi conſcientiæque ſuæ nemo eſt qui non illigetur: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur*, ait Sapiens Prouerb. 5. verſ. 22. vt ab illorum vinculis expediat ſeſe, ſuis tamen ipſe compedibus, quoſque ſibi ipſe nectit, ſemper irretitur, vt ex aliorum mente fœlix, ac fortunatus habeatur, ſuo tamen ipſius ſenſu, ac iudicio miſerrimus eſt, vt in alienis oculis, liber, atque immunis cenſeatur ab omni angore, & mœſtitudine animi; in ſuis, omni ſuppliciorum diritate torquetur, dum interius acrioribus ſtimulis, & aculeis conſcientiæ configitur: *Conuerſus ſum in ærumna dum configitur mihi ſpina*, aiebat olim Pſaltes Regius in Pſal. 31. *Cum peccati ſui carnificinam, atque adeo ſui ipſius ſemetipſum iudicem, ac tortorem ſentiret: dum configitur mihi ſpina*, id eſt, vt interpretatur Hieronymus, in hunc locum, *dum pungit me conſcientia peccati per ſpinam omne peccatum ideo accipitur, quia dum confert delectationem, quaſi pungit, & lacerat mentem*, inquit D. Gregorius in eundem locum, ſcilicet ſtimulus conſcientiæ peccatricis ſpina eſt, quæ vbicumque pungit, ſuoſque infigit aculeos, ſpina eſt, quæ vbiuis gentium, criminoſum hominem, ſiue in turba, ſiue in ſolitudine poſitum, vellit, & lacerat; in quam ſententiam neſcio an quidquam diuinius, vt ſic loquar, dici poſſit, quam quod inter prophanos authores Seneca, ſacros inter D. Auguſtinum, vtrumque hic profero, attexoque, coronidis loco, antequam ad aliam diſſertationem ſtylum transferam. *Quid prodeſt*, inquit Seneca, *recondere ſe, & oculos hominum, aureſque vitare, bona conſcientia turbam aduocat; mala etiam in ſolitudine anxia, atque ſollicita eſt*, ſic ille epiſtola 43. qui & ipſe, epiſtola 97. ſic ait. *Hic conſentiamus mala facinora conſcientia flagellari, &*

Stimulus conſcientiæ peccatricis ſpina.

Omnium optime de cruciatu interno malæ conſcientiæ loquuntur Seneca inter prophanos authores, inter ſacros D. Auguſtinus.

A *plurimum illi tormentorum eſſe, eo quod perpetua illam ſollicitudo vrget, ac verberat, quod ſponſoribus ſecuritatis ſuæ, non poteſt credere.* Vocem hanc quæſo lector expende durum atque acerbum malæ conſcientiæ tormentum eſt, *Quod ſponſoribus ſecuritatis ſuæ non poteſt credere*, deluſam ſe quippe ac deceptam ab iis ipſa perſentit; dum experientia teſte eruditur quam verum illud ſit, *Non eſt pax impiis dicit Dominus*, quos vero ſecuritatis ſuæ perfidos ſponſores à conſcientia appellari putas, quibus & fidem derogare, & ſe amplius, ſuaque illis committere tuto non poſſit niſi criminum ſuorum participes, niſi eos qui ad malum eam pro-B lectant, & falſa ſpe voluptatis, pacis, ac ſecuritatis obtinendæ incautam deliniunt. Illi illi ſunt, quorum verbis, & lenociniis minime credendum fidendumue vlcerata clamat conſcientia. Hactenus Seneca, & præclare quidem, ſed anteſtat Auguſtinus, cæteriſque omnibus, vti quidem ſentio, facem præfert, hac in parte, cum de ſtimulis punctionibuſque conſcientiæ aculeatis, ſic loquitur in commentariis in Pſalm. 45. *Nulla eſt maior tribulatio quam conſcientia delictorum, namque ſi ibi vulnus non ſit, quod conſcientia vocatur, vbicumque alibi paſſus fuerit; homo tribulationes, illuc confugiat, & ibi* C *inueniet Deum: ſi autem ibi requies non eſt, propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non eſt, quid facturus eſt homo? quò fugiet? cum cœperit pati tribulationes, fugiet ab agro ad ciuitatem, à publico ad domum, à domo ad cubiculum, & ſequitur tribulatio: à cubiculo iam quo fugiat non habet, niſi interius ad cubile ſuum. Porro ſi ibi tumultus eſt, ſi fumus iniquitatis, ſi flamma ſceleris non illuc poteſt confugere: pellitur enim inde. & cum inde pellitur, à ſe ipſo pellitur, & ecce hoſtem ſuum inuenit, quo confugerat, ſeipſum, quo fugiturus eſt? quo-* D *cumque fugerit, ſe talem trahit poſt ſe, & quocumque talem traxerit ſe, cruciat ſe.* Hactenus Auguſtinus, quo quid ad ſenſum experientiamque notius: & quis amabo internos cruciatus animorum, quis teterrima ſupplicia malæ, & exulceratæ conſcientiæ? quis criminum ipſorum authores ſuos laniantium, diritatem acerbitatemque melius, ac dilucidius eo repræſentet? quo fit, vt & alibi, dum in eodem argumento verſatur: idem Auguſtinus, eadem ſemper via inſiſtat, iiſdemque vta-

tur,

tur rationibus, & commentationibus, A nam in Psalm etiam 36. post multa quæ ad hanc materiam pertinent, subiungit, *Peccatoribus non est locus in his quæ foris sunt, quia ibi patiuntur tribulationes, vbi conscientia illos non consolatur*: simile quidpiam, ac geminum habet, nisi pœne idem melius dixerim, Gregorius Magnus, in illa verba Psalmi pœnitentialis, *Educes de tribulatione animam meam.* Sed habet etiam quosdam eloquentiæ neruos, & aculeos in hoc genere, cum de conscientiæ aculeis disputat Chrysostomus quos hic ni subiiciam peccare videar, nec parum studiosi lectoris emolumento detrahere. Is concione prima de Lazaro, cum diuitem impium oculis subiicit, *Explica mihi*, inquit, *istius conscientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum, rugem metum, tempestatem, turbationem videbis velut in curia, mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, & tanquam iudicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in eculeo suspendentem, lateraque conscientiæ radentem vngulis pro commissis, vehementer inclamantem cum nemo sciat, nisi quod solus Deus hæc videre nouerit. Etenim qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit diues, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus seipsum accusare, & voluptas quidem temporaria est dolor, vero perpetuus, timor vndique, ac tremor, suspicio, & anxietas, angulos metuit. Vmbras ipsas formidat, suos ipsius famulos, conscios, inscios, illam ipsam quam corrupit, & virum quem affecit contumelia, obambulat amarum accusatorem circumferens conscientiam, cum sit suo ipsius iudicio damnatus, nec vel ad breue tempus possit respirare. Idem patiuntur, & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrum faciunt, hoc & ebriosi, in summa quotquot in peccatis viuunt.* Sic ille. Qui & eadem plane habet concione 4. vbi quoque addit peccatorem post admissum scelus, non continenter quidem hanc conscientiæ crucem sentire, quia esset omnino intolerabilis, sed frequentius etiam per interualla à seipso reum incusari, nec conscientiam, post vnam, aut alteram, increpationem desistere vt vberiorem id fructum afferat, *Ecce*, inquit, *obiurgationem frequentem, & non perpetuam, frequentem quidem ne in socordiam incideremus, non perpetuam verò, propterea quod est admodum seuera, &* B C D *quouis stimulo acrius pungere consueuit.* Adde quod D. Ambrosius lib. 1. Officiorum, cap. 12. vitam impij malæque conscientiæ morsum, cum interno comparat: *Audi, & time, Peccator*, inquit, *quamuis fortis abundes, & deliciis affluas, odoribus fragres, in amaritudine anima vitam exigit. Vita facinorosi, vt somnium aperuit oculos, transiuit requies eius, euanuit delectatio, dicat ipsa quæ videtur etiam dum viuunt impiorum requies in inferno sit, viuentes enim in inferna descendunt. Vides conuiuium peccatoris, interroga conscientiam eius, nonne grauius fœtet omnibus sepulchris? Intueris lætitiam eius, opum abundantiam, introspice vlcera, & vibices animæ eius cordisque mœstitudinem, &c.* Quo item cōscientiæ carnificeniam eximia, vt solet repræsentat idem sanctus Pater, lib. 2. de Pœnitentiæ cap. 11. Quid quod hominibus insigniter impiis, hoc est præfractis, obstinatisque in malo ingeniis, hominibus dico ab omni pietatis sensu derelictis, ipsis etiā, *Qui lætari videntur cum male fecerint*, qui pene in profundum malorum venerunt, qui iura omnia diuina, ac humana pessundant audacius hominibus demùm (quantum videre, ac opinari licet in ea re) in reprobum sensum traditis: difficile est, ne dicam impossibile, illos animi morsus, acres illos stimulos peccati, & viuaces conscientiæ pungentis aculeos vlla ratione retundere: si Luthero ipsi homini præter cæteros mortales, sacrilego, testanti de se credendum est, ita omnino res habet, si quidem, vt ille ipse refert, ac pronunciat, in suis ad mensam colloquiis, quæ à Reberistorio citantur, ac proferuntur: se quidem, totos decem annos, in expugnanda conscientia, eiusque si posset stimulis obtundendis, peruincendisque pertinacia sua posuisse, quantum scilicet Græci olim in obsidenda capiendaque Troia hac enim vtitur ipse comparatione, nec nisi ægrè, quod summè capiebat, post operam, tam impiè, ac miserabiliter positam, consequutum vnquam fuisse. Ex quo liceat mihi concludere, cum Augustino, lib 1. Confess. iisdemque quibus ipse verbis, sic Deum affari, *Iussisti Domine, & sic est, vt pœna sibi sit inordinatus animus*, sic nocentem vbique pœna consequitur, si pœna ac supplicium in crimine est. Quid quòd Philo Iudæus libro de Congressu quærendæ eruditionis gratia, impie quidem,

Eodē modo & iisdem pene verbis cruciatus malæ conscientiæ repræsentat D. Gregorius quibus diuus Augustinus.

IX.

Cur conscientiæ crux frequens quidem sit, sed non perpetua.

Conscientia mala statui cum inferno comparatur.

Difficile est ac pene impossibile hominibus etiam insigniter impiis stimulos, & morsus conscientiæ non sentire, aut vlla ratione retundere vt de seipso Lutherus testatus est.

ſed tamen, videtur aſſerere, nullum alium eſſe inferorum locum, quam animam impiam, nullum aliud ſupplicium ſceleratis hominibus, poſt hanc vitam paratum, quam cruciantis ac lancinantis conſcientiæ morſum, & aculeum? *Deus*, inquit ille, *iniuſtam impiamque animam, fugatam à ſeipſo longiſſimè diſſipat in locum concupiſcentiarum ac facinorum, qui locus impiorum vocatur aptius, quam ille fabuloſus apud inferos, reuera enim infernus, nihil aliud eſt, quam vita ſcelerati, & execrandi hominis* Sic ille, cuius errorem ſecutus eſt Origenes, lib. 2. Periarchon, ſicut refert, & impugnat, D. Hieronymus in epiſtola ad Auitam. Dicam tamen, vt vtriuſque Authoris errorem emolliam, eo ſi rectè vt fieri poteſt, per hyperbolem intelligitur, exprimi omnino quod res eſt, procelloſam ſcilicet tempeſtatem, impiæ conſcientiæ, quæ torquet, affligit & iactat impium peccatorem. Cum enim inteſtinum patiatur bellum, & internum ſuſtineat ſupplicium miſer peccator, nulla prorſus, aut pace, aut quiete frui poteſt: ſed amaritudinem experitur amariſſimam, & perpetuam animi cum metu, ac dolore conflictantis commotionem, & tempeſtatem. Sic commodè, & dici atque intelligi poteſt, conſceleratos homines priuſquam etiam ex hac vita emigrent in inferis degere, quod vmbram quandam atq; imaginem inferorum in animis ſuis expreſſam gerant. Nempe, *Cor impy quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt*, ait Propheta Iſaias cap. 57. quod Nicetas ſic explicat: quemadmodum ea quæ leuia ſunt, cum aquæ inſederint extimæ, facile aquarum impetu hac illacque ia-

Error Origenis, & Philonis Iudæi ſententium non alium eſſe infernum quam internum conſcientiæ peccatricis cruciatum.

Quid ſit myſticè Cain habitare in terra Naid Geneſ. 4.

A ctantur: ſic quiuis impius variis animi perturbationibus, ſic tãquam fluctibus modo huc, modo illuc miſerandum in modum rapitur. Eſt enim certa tempeſtas in animo criminis participe, quod luculenter notauit Clemens Alexandrinus ad ea verba Geneſ. 4. *Egreſſus eſt autem Cain à facie Dei, & habitauit in terra Naid, contra Eden.* Sic enim ille, *interpretatur*, inquit, *Naid* fluctus, & habitauit Cain in terra *Naid*, quia ſcilicet, poſtquam Adam in peccatum incidit, inde etiam fluctibus concuti atque agitari cœpit; modo ad B ſcopulos timoris alliſus, modo pudoris fluctibus obrutus. Quin & D. Ambroſius in Pſalm. 35. loquens de tempeſtate iactato, ac vago Cain, ſic habet: Cum adhuc percuſſor deeſſet ipſa ſeſe iniuſti cura cruciabat; acceperat ſignum ne eum aliquis occideret, non vt vitæ ſuauitate frueretur, ſed ne mors auferret ærumnam, vt percuſſorem ſuum quotidie timendo pateretur, ipſe ſuus carnifex erat, ipſe percuſſor, & paulo poſt ſubdit, Delictum meum coram me eſt, ſemper effundetur vobis vltrix veſtri imago peccati, nec quietũ reum C eſſe permittit, idem quoque habet D. Gregorius Nazianzenus oratione 281. Vide ergo quid agas mi homo, reſipiſce aliquando, culpam omnem ex animo expunge, reuoca te ad bonam mentem, id eſt ad bonam conſcientiam, quæ te huc vſque tantopere exagitat, malam elimina, tam diro ſi te amas, tortore, ac carnifice, non in hoc modo vitæ tuæ tempus, quod anguſtis finibus coercetur, ſed etiam poſt hanc vitam, importuno illo, ac perpetuo conſcientiæ verme, qui nunquam moritur in æternum libera.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis decimi.

Morale de prauo Principum, & Magistratuum exemplo, quam plebi noxium, & infestum sit: in illud vers. 18. *Inuenti sunt de filijs Sacerdotum qui duxerant vxores alienigenas.*

MAGNA, vt ex hoc textu liquet, & ex superioribus quoque, ab Esdra inquisitio facta est in Hebræos, qui diuinam legem violassent, vxores alienigenas ducendo, earumque pessimos mores imitando, quod in littera perstrinximus. Plurimi quidem in eo flagitio deprehensi, sed primo loco filii Sacerdotum numerantur. *Inuenti sunt*, inquit, *de filiis Sacerdotum, qui duxerant vxores alienigenas de filiis Iosue filii Iosedech, ac fratres eius Maasia, & Eliezer, &c.* Iam vero, vt ad propositam de moribus dissertationem viam mihi commodius aperiam. Quærit in hunc locum apposite Lyranus, cur prius in textu numerentur, qui fortasse non prius peccauerunt, & respondet, duplici de causa, id fieri potuisse vna quia peccatum eorum grauius erat, cum Sacerdotes, & eorum filii, qui tunc eis in Sacerdotio succedebant, diuinam legem scire, & seruare multo magis quam alii quiuis de plebe tenerentur. Altera, quia peccatum Sacerdotum, causa fuit, seu occasio aliis peccandi, quasi illud peccatum omnium grauissimum esse censeatur, ex quo tanquam ex semine, plura alia enascuntur, quale solet esse peccatum Principum, & Prælatorum, iuxta illud D. Gregorii 1. parte Pastor. cap. 2. *Cum Pastor*, inquit, *per abrupta graditur, consequens est vt ad præcipitium grex feratur*; Notum est enim vero, & ab scriptoribus tam sacris quam prophanis sæpe decantatum, eorum qui in dignitate sunt, quosque aut nobilitatis insignia, aut sanctitatis opinio commendat, mores, & exem-

Inter reos violatæ legis primi recensentur Sacerdotes, quia illorum vt Principū & Prælatorum grauius erat peccatum, vtpote quod aliis occasio peccandi fuisset.

A plum, apud alios instar habere legis, quales sunt Reges, Sacerdotes, Magistratus, ac demum illi omnes, quibus inesse sapientiæ plurimum alii arbitrantur, & in quibus aliquid esse putant, quod sperent, aut metuant, vere dici potest (aiebat olim Tullius lib. de legibus) *Principem legem esse loquentem, legem autem mutum Principem*, quo sensu Chrysostomus, ea D. Pauli verba ad Titum 2. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum*, sic interpretatur paraphrasticè. *Esto tanquam imago, propositus, tanquam animata lex, veluti regula, ac norma bene, recteque viuendi.* Certe Hieronymus epistola ad Heliodorum, belle in eam

Princeps lex loquēs, lex mutus Princeps.

B sententiam hæc habet. *Domus Episcopi, & conuersatio*, inquit, *quasi in speculo posita, magistra est disciplinæ publicæ, quicquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant. Rex velit honesta, nemo non eadem volet*, aiebat Seneca, scilicet ad illius mores, atque exemplum, vt fert vetus illa vox, Nemo fere est ex plebe qui non se effingat, atque accommodet. Ita prorsus est, ac momentis pene singulis recognoscere illud atque experiri licet. Magnum profecto momentum habet in vtramque partem, publicum exemplum, sed eorum præsertim, qui & cæteris præcellunt, at-

C que eminent. Sic illis fatale est, ab omnibus etiam longè semotis videri, ac circumspici. *Qualis Rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea*, ait Sapiens Ecclesiast. 10. vers. 2. Et paulo ante, *secundum iudicem populi, sic & ministri eius.* An frustra dictum est, *sermo Dei*, inquit Augustinus, lib. de Pastoribus, quod & nos alio item loco annotauimus. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, & forma esto*

Princeps præpositus male viuens dicitur malo suo exemplo occidere subditorum animos.

fidelibus, ad Titum 2 vers. 7. *attendendo enim ouis fortis, etiam plerumque præpositum suum, male viuentem, incipit audere in corde suo, si præpositus meus sic vixit, quis ego sum, non faciam, quod ille facit? ecce occidit ouem fortem.* Quo quid crudelius, quid inhumanius? Quantum vero Sacerdotum, & Principum exemplum noceat, eleganter ex eo docet Gregorius, in prima parte Pastor. cap. 2. quod aquam conculcatam, & turbidam populo propinant, immo & fontes inficiunt veneno, vnde alii potum hauriant pestilentem, idem sentit Plutarchus, dum grauiter eos reprehendit qui malis Principes imbuunt disciplinis, cum illud ipsum agant, quod qui publicos fontes, aut cœno turbant, aut veneno corrumpunt, neque enim minus populus, inferior à Principum moribus haurit disciplinam, quam à fontibus potum, qui id iure facere se putat, quod facit ad Principis exemplum, hinc illa sane illustris, præter cæteras Tullii dissertatio lib. 3. de legibus. *Non tantum*, inquit, *mali est peccare Principes, quamquam hoc est magnum per seipsum malum, quantum illud illud quod permulti etiam imitatores Principum existunt: nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque viri ciuitatis magni fuerint, talem ciuitatem fuisse, quacumque mutatio morum in Principibus extiterit, eandem in populo secuturam. Ego autem nobilium vita, victuque mutato, mores mutari ciuitatum puto, quo perniciosius de Republica merentur, vitiosi Principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem, neque solum obsunt quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent, &c.* Quod vbivis gentium experientia teste, & illo ipso quod perstrinximus Iudæorum crimine, de contractis contra legem nuptiis, plus satis confirmatur. Et certe maiorem dignitatem, maiorem etiam, ad vitandum peccatum, atque adeo ad declinandam etiam, vel ipsius peccati suspicionem, curam, & sollicitudinem exposcere, D. Hieronymus, in epistola ad Demetriadem sic edisserit, *Hic tuus honor, te ad sollicitudinem tui propositi admoueat, nullus debet esse ibi negligentia locus, vbi tam præclara seruanda sunt, pretiosior quæque vestis, timidius custoditur à macula, multo quæsita auro gemma, maiori solicitudine*

Principes qui male viuunt aquam turbidam populo propinant, & fontes veneno inficiunt, vnde alii potum hauriant.

Mali Principes plus exemplo, quam peccato nocent.

XII.

asseruatur, & generaliter grandi cura magna quæque seruantur; vnde & tu si te ipsam bene custodire cupis, debes honorem tuum semper, pretiumq; cogitare. Sic D Hieronymus; & illius quidem magister D. Gregorius Nazianzenus, summam in eo qui aliis præsit virtutem requiri grauissime demonstrat in Apologetico, his verbis. *Deinde*, inquit, *vt etiam sese aliquis ab omni peccati labe purum conseruet, aut quam maxime, haud tamen suo id ne ei sufficiat, qui alios ad virtutem erudire parat, neque enim ab eo qui hanc curam suscepit, hoc suum requiritur, vt malus non sit, verum etiam vt virtute præstet, nec vt vitiosas tantum animæ notas expungat, verum vt meliores etiam inscribat, ita vt virtute magis antecellat, quam honore & dignitate superet, vilissimus computandus est nisi scientia & sanctitate præcellat qui est dignitate præstantior*, ait in hanc sententiam Symmachus Papa, cum de Episcopis 1. quæst. 1. c. I. vilissimus; quod citat Diu. Thomas 2. 2. quæst. 185. Art. 3. è prophanis autem pulchrè Velleius Paterculus, *Facere*, inquit, *recte ciues suos Princeps optimus faciendo docet, cumque sit imperio maximus, exemplo maior est.* Quod si ita habet, quid de illis sentire par est, qui non modo virtute, cæteris non antecellunt, sed qui præfractè etiam atque impiè ad scelera quæuis perpetranda facem omnibus præferunt? quorum pernicioso, & pestilenti sane exemplo plerumque fit, vt populis, illud iure dolendum sit, quod sua iam tempestate magno animi sensu, accidisse querebatur, D. Cyprianus Epist. 2. cum diceret, *esse iam inter nocentes innoxium, crimen est, consensere iura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est.* Hinc est cur tam seuere olim atque ab omnibus retro seculis, Principum peccata, vindicari fere consueuerunt, cur *potentes potenter tormenta patiantur*, cur illis, quod ait Salomon, Sapient. 6. vers. 6. *Horrende videto appareat iudiciumque durissimum his qui præsunt fiat*, ne scilicet malum illorum exemplum, serpat longius; subditisque extremam perniciem inferat, seu, quod ait Gregorius Nazianzenus Oratione 4. quæ est aduersus Iulianum 2. vbi de illius morte loquitur, *Deo hic solum consueta potentia sua vis non sustinente, vbi multis perniciosa futura erat benignitas.* Replica si lubet ve-

B

C

D

Non est satis ei qui alios erudire velit ad virtutem, non esse vitiosum, sed etiam virtute aliis debet antecellere.

XIII.

Semper seuerant præmaturas ani horri-

ibiles fuisse impiorum Principū neces exēplis ostenditur.

terum annalium memoriam, amice lector, & vide, præmaturas plerumque, semper horribiles, impiorum Principum neces. Constantius Imperator, morbo prolento, inter gemitus, & querelas, excedit è vita. Iulianus fidei desertor, & apostata, sagitta è Cœlo transfixus est, in expeditione Persica. Anastasius fulmine ictus, occumbit. Valens à Gotthis, viuus comburitur. Leo Isauricus, ex intestinis laborans, animam efflat. Leo Armenicus, in ipsa Ecclesia trucidatur. Constantinus, Copronimus, Mauritius, Phocas, Nicephorus, alii quamplures Imperatores, ferro, aut veneno sunt extincti. Michaël Balbus, grauissimo intestinorum dolore absumptus est. Heraclius fœdissimam mortem obiit. Theodoricus Gotthorum Rex, subito atque horribili morbo fuit confectus. Theodahadus, Vitiges, eius successores, necnon è Vvisigotthis, & Ostrogotthis, Atuulphus, Geisericus, Theodoridus, Alaricus, Thurismundus, Amalaricus, & ex omnibus gentibus, tot tantique alij, vt de Iudæorum Regibus, Saüles, Achabes, Manasses, Sedecias prætercam, planè miserandos exitus habuerunt:

XIV. sed ad sacra redeamus. Mirum est in Historia Numerorum capite vigesimo quinto versu quarto Cum Hebræi præcipites, ac effræenes ruissent in fornicationem, & Idololatriam, cum Moabitis, vel Madianitis, & diuino præcepto iussus esset Moyses, in fornicatores & sacrilegos animaduertere, peculiari sententia edictum fuisse vt omnes Principes populi suspenderentur, *Tolle*, inquit Deus, ad Moysen, *cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel. Quid est* ait Petrus Damiani libro quarto, Epistola decima quinta, *quod populus, in Luxuriæ voraginem labitur, & in eorum præpositos vindicatur, subditi delinquent, & Principes in patibulis suspendantur, scilicet alius est qui peccat, alius ille qui vapulat. Cur hoc? nisi quia culpa subditorum, in præpositorum redundat opprobrium, & quod ab omnibus erratur, negligentiæ Pastoris adscribitur. Et vide quam formidolosa sit conditio præsidentium, vt non modo pro suis, sed & pro subditorum puniantur offensis, arguit eos Moyses quia lex Deī negligentiæ illos, & torporis accu-*

Castigatur prauum malorum Principū exemplum à Moyse Num. 25. cum ad solem ex diuino edicto suspenduntur.

A *sat, qui suspendit eos ad solem, quoniam ad examinandum producuntur, & arguuntur à luce: Omnis enim*, vt Dominus ait Ioannis tertio, *qui male egit odit lucem, & non venit ad lucem vt non arguantur opera eius*, sic Petrus Damiani. Quin & insigne illud seueritatis exemplum commodius quoque & dilucidius alii transferunt ad Principes, & Magistratus populi, seuerius vtique à Deo puniendos, propter subditorum peccata, quæ vel non castigent ipsi, vel non impediant, vel præeant etiam exemplo

B malo: Scimus quid Heli acciderit Sacerdoti quod esset in filios indulgentior 1. Regum 2. *Non deficit in plateis vsura, & dolus*, si Dauidem audimus Psalmo trigesimo quarto, quando circundat super muros, *iniquitas, labor, & iniustitia*: id est in viris, qui sunt munimenta, & propugnacula ciuitatis; ait sanctus Augustinus, in hunc locum, Vitulus olim in lege offerendus imperabatur, pro peccato Sacerdotis, sicut & pro peccato totius populi. Leuit. cap. 4. vers. 3. Quasi tanti vnum referret quanti

C aliud, & quasi Sacerdos voce ipsa, vt facto suo, atque exemplo, populum omnem conduceret ad peccandum. Eleazar secundo Machabæorum capite sexto ætate grandæuus, inter Iudæos, Gentiles suos, cauit ab esu cibi per legem vetiti, etiam per dissimulationem, ne si vetitum cibum gustasse visus esset, deciperentur adolescentes, & præuaricarentur. *Non ætati nostræ dignum est fugere*, inquiebat ille, *vt multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam dissimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus de-*

D *cipiantur, & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram.* Assueri sapientes Esther. primo, versu decimo sexto, Vasthi inobedientia non solum lædi Regem affirmauerant, sed egressurum sermonem illius, id est, exemplum, ad omnes mulieres, vt contemnerent viros suos, paruique penderent imperia maritorum suorum. Regi Tyri obiicitur Ezechielis vigesimo versu decimo sexto. *Quod in multitudine negotiationis, repleta sint interiora eius iniquitate, peccauitque vehementer*, nempe, quoniam, vt

In lege veteri tantum offerebat Sacerdos pro peccato suo quantum pro peccato totius populi, quasi Sacerdos facto suo populum omnem induceret ad peccandū.

cum Rabbi Kimſi notat Vilalpandus, negotiatorum peccatum illi imputatur, eo quod, cum id commode potuit, non impedierit: *Magna igitur ſublimitas*, quod ait Diuus Ambroſius libro de dignitate Sacerdotali capite tertio. *Magnam debet habere cautelam, honor grandis, grandiori, debet ſollicitudine circumuallari, cui plus creditur ab eo plus exigitur.* Atque vt ipſius Christi verbis tandem A concludam, qui ex dignitatis gradu, atque officio, apud alios, lucis munere perfungi debent, cauere illud quoque ſedulo debent, ne illorum mentibus, permala opera, tenebras, ac caliginem offundant, ſibique imprimis dictum illud meminerint. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

Finis Libri primi.

COMMENTARIVS IN LIBRVM SECVNDVM ESDRÆ, QVI ET NEHEMIÆ DICITVR.

QVÆSTIONES ET ANNOTATIONES præambulæ in vniuersum Opus.

I. QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

CVR LIBER I. ESDRÆ, ET II. QVI dicitur Nehemiæ apud Hieronymum, & Lyranum vnius libri nomine censeantur.



1. RÆFATIO D. Hieronymi in hos libros ad Domnionem, & Rogatianum, quæ refertur in Glossa sic inscribitur, *In librum Esdræ*, & in ipsa Præfatione, sermonem conuertens ad supra dictos, Episcopos, *Tertius*, inquit, *annus est quod semper scribitis, & rescribitis vt Esdræ librum de Hebræo transferam*: at D. Hieronymus non primum modo librum, qui Esdræ dicitur, sed secundum etiam Nehemiæ transtulit; reliquos duos hoc est, 3. & 4 quod in canone Hebræorum non essent, & inter apochryphos censerentur, non A attigit. Lyranus item sic totam hanc historiam solutæ captiuitatis Babylonieæ instaurationis Templi, & ciuitatis Hierusalem partitur, & diuidit varias in partes, & capita, vt vno tantum libro comprehensam iudicet; *De secundo autem libro*, inquit, cum de apochryphis loquitur 3. & 4. *Non intendo ad præsens me intromittere, ratione iam dicta, scilicet, quia non est de Canone.* Iam ad quæstionem propositam; quorsum igitur authores isti, duos libros vulgò, & authore, & nomine, & numero iudice, in Bibliis distinctos, vnum faciunt? facilis, nec longè petita responsio: quia scilicet apud Hebræos, Esdræ, Nehemiæque sermones, in vno volumine continentur.

Authores aliqui duos libros Esdræ vnum faciunt, quia apud Hebræos vno volumine continentur.

II. QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

Quis sit Author Libri secundi Esdræ, an Esdras, an Nehemias.

II.

ETSI Athanasius A in synopsi scriptorem indicat huius libri Esdram, & si id apertè dicit Isidorus libro 6. Etymol. cap. 2. frequentes tamen alij Nehemiam illius agnoscūt Authorem; ita Bellarminus, libro de Sriptoribus Ecclesiasticis, in Esdra, Lyranus, Dionysius, Sixtus Senensis. Sic Beda citatus in Glossa ordinaria, cap. 12. statim initio, Nehemiam huius libri conditorem appellat, &c. Quin & Rabbi Salomon, apud Lyranum, in hæc verba, quæ ipsius primi capitis initium faciunt, *Verba Nehemiæ*, ait Nehemiam scripsisse, *ab isto loco*, id est ab illis verbis, in primo versu positis, quæ postea consequuntur, &c. Et sanè id necessario dicendum est. si vera est Iosephi sententia, quam tradit lib. 11. Antiquitatum cap. 5. nempè, longè post Esdram iam vita functum, contigisse illa quæ libro secundo continentur; sed quam fide digna sit, in hac parte illius authoris sententia, in ipso progressu operis, discuti poterit; Quicquid sit, dubium cuiquam esse non potest quin principium huius libri, si verba ipsa spectas, idem sit, aut valde affine, his, quæ suos, ipso statim initio significare solent authores. Quod si quæras quid sit, cur liber hic à Nehemiâ scriptus, vulgò liber Esdræ nominetur: facilis ad quæsitum responsio, quia nimirum ea complectitur, quæ inchoatam ab Esdrâ, de instaurandâ ciuitate curam absoluerunt, quasi liber hic, aut quod in eo narratur, appendix quædam foret illius fabricæ, quam antea Esdras exorsus est. Atque adeò vna quodam- B modo vtriusque & Esdræ, & Nehemiæ censetur Historia, adde, multa in hoc Nehemiæ libro repeti, quæ in priori Esdræ conscripta sunt, vt quæ capite 7. continentur, pleraque item alibi recenseri, quæ ab Esdra perfecta sunt, vt ex capite 8. constat: quo fit, vt rem ipsam propius indagantibus, rationes bene multæ non desint, cur secundus hic liber Esdræ nomine compelletur: de cuius authoritate, quia iam superiori libro pertractata est, & certis argumentis confirmata, quicquam addere superuacaneum est.

Author huius libri Nehemias nō Esdras.

Cur liber hic vulgò Esdræ nominetur, licet scriptus sit à Nehemia.

III. QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

De genere Nehemiæ, quis fuerit, & quid fecerit magis eximium, & illustre.

III. Nehemias diuinæ legis zelator egregius, in variis scriptura locis perhibetur.



QVO loco apud suos C fuerit Nehemias, quam diuinæ legis zelator egregius, quam publica curaret, tàm sacra quàm prophana, suorum immemor, constat ex toto hoc lib. 2. Esdræ, quem interpretandum aggredimur, ex lib. 2. Machab. cap. 1. & 2. & ex lib. Ecclesiastici cap. 49. Quanquam de eius genere, ac tribu, certò asserere non ita multis promptum, ac procliue est. Video siquidem nonnullam inter authores aliquos de ea re contentionem. Ex Tribu Iuda fuisse prodit Isidorus, lib. de vitâ, & morte Sanctorum cap. 61. & Sixtus Senensis in Nehemia, Eusebius in Chronico, & Seuerus Sulpitius; sed quemadmodum opinionem illi suam firmam non video, certè ex tribu Le-

Sentiunt nonnulli Nehemiā fuisse ex Tribu Iuda, sed male, cum ex scriptura constet fuisse ex Leuitica.

uitica

uitica fuisse, atque ex Sacerdotali genere constat ex lib. 2. Machab. cap. 1. vers. 21. vbi sic habetur; *Iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, vt ligna quæ erant superposita*; fortasse Nehemiam Ducem alium fuisse à Nehemia Sacerdote censuerunt: nam si rectè attendimus, diuersos Nehemias, ex libris Esdræ legere est; primò illum qui venit cum Iosue, & Zorobabele anno 1. Cyri, vt constat ex 1. Esdræ cap. 2. vers. 63. qui dicitur etiam *Athersatha*, 2 Esdræ 8. vers. 9. quæ vox Chaldaica est, respondens Hebrææ, *Nehemia*, & hunc non fuisse Nehemiam Ducem, tanquam certum existimant boni authores; quippe quem circiter nonaginta duobus annis antecesserit vti volunt. atque aliunde constat eum Zorobabelem, non vero Nehemiam fuisse Ducem populi. Alterum legimus Nehemiam filium Azboc, 2. Esdræ cap. 3. vers. 16. Principem dimidiæ partis vici Bethsur, qui partem muri Hierusalem ædificauit. Tertius est Nehemias filius Helciæ populi Dux, qui toto hoc libro 2. Esdræ celebratur, & sic idem videtur Nehemias c. 10. v. 1. eiusdem libri numeratur in Sacerdotibus, vt qui primus in subscribendo fœdere recensetur. Nehemiam autem Ducem, fuisse Sacerdotem, & viuente licet Eliasib Pontifice, remp. administrasse 2. Machab. liquet; quia idem ille, qui missus ibi dicitur à Rege Persidis, vocatur Sacerdos; nullū autem legimus Nehemiam missum à Rege Persidis, præter Nehemiam Ducē qui id de se aperte testatur, Nehemiæ 5. v. 14 his verbis, *A die autem illa qua præceperat Rex mihi vt essem Dux in terra Iuda*. scio quidem quod nonnulli annotarunt in Græco textu Machab. Nehemiam, non dici Sacerdotem, sed iussisse Sacerdotes aspergere aqua, tam ligna, quam victimam, vt propterea etiam sacrificasse peralium, non per seipsum dici possit: nihilominus tutiùs est, à vulgata & authentica editione non discedere, cum videamus, eum ibi moderari totum ordinem sacrificii, quod solius est Sacerdotis. Alii in quibus noster Sanctius, Nehemiam illum, qui lib. 1. Esdræ c. 2. venisse dicitur cum Zorobabele, & qui lib. 2. Esdræ c. 8. v 9 vocatur Athersatha eundem esse volunt cum illo, qui huic secundo libro nomen dedit, atque ita secundum tertiumue è Babylone in Babylonem fuisse reuersum, in illo scilicet annorum spatio, quo alterius Artaxerxis edicto, à templi fabrica cessatū,

Diuersi Nehemiæ recensentur in libris Esdræ.

IV.

A aque ibi pincernæ munus apud Regē obiisse, secundo sub annū 20. Artaxerxis, impetrata ab eo facultate instaurādæ ciuitatis, vt fuse narratur c 2 tertiò tandem sub finem anni trigesimi secūdi Artaxerxis, vt clare indicat c. 13. v. 6. vbi ait, *anno trigesimo secundo Artaxerxis Regis Babylonis veni ad Regem, vt in fine dierum rogaui Regem, & veni in Hierusalem*, vnde colligunt authores communiter, Nehemiam duodecim annos commoratum fuisse, donec ciuitatem totam in integrum restitueret, vt collapsa mœnia reficeret, quæ ingens sanè, B ac laudabilis opera magna illi apud posteros nominis gloriam conciliauit. Hinc de Nehemia sic Siracides c. 49. *Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas, vt seras qui erexit domos nostras*: *In memoria* inquit, *multi temporis sit*, quasi diceret, inter Heroas recensendus quoque est Nehemias, æterna memoria dignus. ipse enim venia impetrata ab Artaxerxe Rege Persarū, anno regni eius vigesimo Hierusalem euersam à Nabuchodonosore reædificauit, tam quoad portas, & muros, quam quoad domos priuatas, ipsius enim iussu, ordine, & distributione, priuati quique, domos in C vrbe ædificarunt, eam ob causam appositè vocatus est Hebraicè, *Nehemias, consolator Dominus*, vel *consolatus à Domino*, ait Rabanus, de eodem Nehemia vt superiùs significaui, plura habētur lib. 2 Machab. cap. 1 & 2. quomodo scilicet ignem opertum inuenerit, aut certè sacri ignis reliquias, quam habuerit orationem ad Deum, quomodo diuinum numen placauerit, quæ obtulerit sacrificia demum vt oraculo illo sacer ignis ad sacrificia destinatus, ac dudū extinctus, per summum prodigium repente accēsus sit. quo quidem omnia textum ipsum legentibus passim obuia D sunt. Ad extremum de illius eiusdem summi viri cum præclare gestis, tum honesta morte, si paucis Iosephus lib. 11. Antiq c. 5. sub finem. *Post hæc*, inquit, *& alia multa honesta, & laude digna opera, Nehemias igitur senex defunctus est, vir ad virtutem, & iustitiam natus, & in populares suos beneficentissimus, relicto sempiterno sui monumento in Hierosolymitanis mœnibus*: mortuum autem Nehemiam non multo postquam tertium è Babylone in Hierusalem remigrauit, vt satis hic innuit Iosephus, & aperte docet historia Scholastica in Iudith capite 10.

Nehemiæ præclare gesta, & honesta mors à Iosepho repræsentantur.

IV. QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

De aliis libris à Nehemiâ conscriptis.

V. SVPER hac quæstione, & aliis ad Nehemiam pertinentibus, consuli potest Genebrardus lib. 2. Bibliothecæ in principio, Marius Victorinus in Epistolam 106. Hieronym. Sixtus item Senensis, ex cuius obseruationibus hæc breuiter accipe: *Nehemias*, ait Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothecæ, *præter eum librum qui inter diuina scripta recensetur, sub titulo secundi Esdræ, scripsit commentariorum, ac descriptionum librum vnum, in quo diligentissimè ea omnia complexus est, quæ Iudæis ex captiuitate Babylonica redeuntibus contigere, præcipue verò inuentionem ignis sacri, quem Sacerdotes excisâ vrbe sanctâ, in profundissimum puteum defoderant; & bibliotheca à se extructâ apparatum, ac librorum omnium tam sacrorum, quam prophanorum locupletissimam copiam; in ea congregatam*: Meminit horum Commentariorum lib. 2. Mach. cap. 2. vers. 3. his verbis, *Inferebantur autem in descriptionibus & commentariis Nehemiæ hæc eadem, & vt construens Bibliothecam congregauit de regionibus libros & Prophetarum, & Dauid, & Epistolas Regum, & de donariis.* Is enim est horum verborum sensus, multa scripta

Authores qui de Nehemiæ libris scripserunt.

Opinio Sixti Senensis confirmata ex Scriptura.

A quæ aut dissipata fuerant, aut omnino perierant, collegit Nehemias, Esdræ opera, vti credibile est, adiutus, & ex omnibus luculentam Bibliothecam construxit, in qua visebantur libri Legis, Dauidis, Prophetarum omnium, & Epistolæ Regum quæ videntur fuisse non paucæ, quales scriptæ fuerunt à Cyro, Dario, Artaxerxe, & multo ante à Rege Tyri, & ab aliis, quibuscum Israëlitæ aliquid habuere commercii. Deinde qualia, & quo tempore, pro Templi apparatu, quotidianisque sumptibus, & domesticis, vel ab externis B collata donaria, quæ quidem omnia perscribi, & in codices referri oportuit, vt qui procul abfuerant, & extorres à patria, duram & longam seruitutem subierant, hæc reduces, tandem aliquando, rescirent; Porro ne hoc etiam cursim omittam, Hebræi cap. 1. Baba, Baltica in Thalmud, aiunt Esdram, genealogias libri primi Paralipomenon scripsisse, vsque ad eum locum, in quo genealogiam suam ostendit, 1. Paralipomen. 6. 12. reliqua vero vsque ad finem secundi libri Nehemiam conscripsisse, sic re- C fert Genebrardus initio libri secundi Bibliothecæ Chronologiæ iam ante citato, fides sit penes authores, nobis vero de Nehemiæ libris hæc sufficiant.

Iuxta Hebræos alteram partē libri Paralipomenon scripsit Esdras, alteram Nehemias.

V. QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

Quo tempore contigerunt quæ narrantur in libro secundo Esdræ.

VI. FACILE est meo iudicio ex libri huius capite 2. vers. 1. propositæ quæstioni lucem afferre, ac vero etiam totam dissoluere: cum enim eo loci dilucide significetur, Nehemiæ in patriam profectionem, cum facultate ciuitatis instaurandæ incidere in annum 20. Artaxerxis, quem eum esse quem Græci à manu altera longiori μακρόχειρα, Latini Longimanum appellant, longè probabilissimum est, vt alias fusius ostendemus. dicendum quoque, Historiam Nehemiæ, in illud idem tempus Artaxer-

Incidit hæc historia in tempus Artaxerxis Longimani.

xis Longimani incurrere, ac contigisse quæ in ea narrantur, sub pontificatu Eliasib, duxisseque initium anno mundi 3609. ante Christum 444. Artaxerxis Longimani, siue Assueri, 20. Eliasib Pontificis 20. Nehemiæ Ducis 1. iuxta Saliani Chronologiam. Cæterum illustre est quod ab eo tempore, hoc est ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani, exordium hebdomadarum Danielis, quibus tempus aduentus, & mortis Messiæ designatur, & scriptores quique grauissimi, & eruditiores Chronologi, pœne omnes, petendum ducunt: Et certè, cum eas hebdomadas, Daniel, aut Angelus potius, cum eo colloquens capite 9. vers. 25. apertè ordiatur, *Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem*, hic exitus sermonis, de alio loquente nequit intelligi, quam de eo, qui poterat eam ædificationem, vel permittere, vel impedire, vt propterea, frustra quidam exitum sermonis Prophetici intelligant, sed nec Angeli sermo vel Dei intelligendus est talis enim sermo cum reconditus sit, nec mortalibus notus, quomodo dari possit, quasi nota exordii 70 hebdomadarum, quæ debet hominibus esse perspicua, vt inde numerari incipiant? Ergo exitus hic sermonis accipiendus est, de decreto Principis alicuius, cui Iudæi eo tempore parerent, vnde oportet eos qui contra sentiunt alium Principem, tempusue proferre, quo facta sit Iudæis potestas restaurandæ Hierusalem, vel agnoscere id factum, 20. Artaxerxis anno, & initio ducatus Nehemiæ; de quo plenissima extat scripturæ sententia: At nullus alius Princeps ædificandi profertur, à quo decretum eiusmodi, ciuitatem editum sit, aut tempus, quod non sit multo grauioribus difficultatibus impeditum. Cyrus enim, si diligenter eius decretum expenditur nullum verbum fecit de extruenda ciuitate, sed de Templo duntaxat, vt ex initio libri primi Esdræ constat cap. 1. vers. 2. Nam quod apud Isaiam legimus, cap 44 vers. 28 & cap. 45. vers. 13. de Cyro ciuitatem ædificaturo, ea prophetia est, non decretum Principis, ibique ciuitas propriè, pro ciuium congregatione ponitur, non pro murorum ædificio. Darius quoque Histaspides, Templi tantum extruendi potestatem fecit, vt ex eodem libro Esdræ liquet cap. 6. vers. 7. & 8. & reuera illud tantum eo regnante restitutum est,

Petitur ab eo tempore exordium 70. hebdomadarum Danielis quibus aduentus & mors Messiæ designatur.

Rationes ob quas nec in Cyri nec in Darij, aut cuiuslibet alterius Principis ætatem referri potest commode initium 70. hebdomadarum.

A quod enim in tertio Esdræ ei dixit Zorobabel cap. 4. vers. 43. *Memor esto voti tui quod vouisti ædificare Hierusalem*, præterquam quod liber hic canonicus non est, de ipsa vrbe id non accipiendum esse, sed de templo, ex eodem loco intelligi potest, mox enim subditur, *Et tu vouisti ædificare Templum quod incenderunt Idumæi*: VII. ex quibus etiam verbis explicanda est ædificatio ciuitatis, quæ ibidem aliquoties iteratur. Adde quod si alio tempore, quam sub Artaxerxe, facta est potestas ædificandi vrbem sanctam, oportet tempus B 70. hebdomadum ab illo ad Christi mortem, rectè congruere, in vltimam enim hebdomadem, cadere Christi mortem, & scriptura ipsa clarè loquitur, & communis doctorum sententia confirmat; At nullum aliud congruit, sume enim Cyrum, à dimissa ab eo captiuitate vsque ad Christi mortem, non 490. anni, sed 570. reperientur, si ad Darij Histaspidæ annum secundum, quando rursum multa Iudæorum turba, cum Zorobabele, Hierosolymam profectus est, tempus illud referre volumus, supra quingentos, & quinquaginta annos reperiemus; si ad quar- C tum Sedeciæ, vt putauit Vatablus, in cap. 9. Danielis, sexcenti & quadraginta octo numerabuntur, sin autem ad Artaxerxē Mnemonem aut Ochum, differamus initium, multo pauciores colligentur anni, quam necesse sit, ad septuaginta hebdomadas conficiendas; congruit autem optime, tempus Artaxerxis sic fere ratiocinatur, concluditque Salianus in Annalibus Ecclesiasticis, ad annum mundi 3609. numer. 3. 4. & 5. Sanctius vero hic, postquam lectorem monuit, se, Danielem commentando, dixisse à facultate data Nehemiæ ab Artaxerxe Longimano, septuaginta duarum hebdo- D madum duci principium, statim cur ita sentiat; hanc affert aut rationem, aut coniecturam, quia, inquit, hæc secunda Nehemiæ, in patriam profectio, incidit in summum Sacerdotium Eliasib, qui neque in primi Artaxerxis, id est Cambysis tempus, potuit incurrere, quia tum in viuis erat, anus illius Iesus, neque fuit Darij nepos, quia ille parum affectus fuit in Iudæorum genus, & in Ioacim tempora, nepotis Ieu, incidisse videtur: Vnde concludit superesse vt sub Eliasib, Pontificis tempore, floruerit iste Artaxerxes Longimanus, qui in idem tempus, cum

Nehemia Duce congressus est, qua in A Esdræ liber sub Sacerdote Iodec, filio Ioachim, sic Eusebius, ad verbum, ex versione Burdonis, alias Scaligeri qui ἀρχιέρεα vertere debuit, summum Sacerdotem, aut Pontificem, quomodo recte interpretatus fuerat sanctus Hieronymus, quem iste hoc nomine subinde vellicat, non autem Sacerdotem tantum, sed grauius profecto errat Eu-

Error Eusebij de tempore & Pontifice sub quo absoluta est ciuitatis instauratio

re, facile cum illo consentio: Et certe, licet in multis aliis deceptus sit, hac in parte bene sensit Eusebius, quod prædictionem Danielis Prophetæ, de instauranda Hierusalem, refert ad ætatem Artaxerxis Longimani, & cum Nehemiæ facto componit; sic enim scribit, ille in Chronico prout habetur Græcè in editione Batauica, *Nehemias, ex Tribu Iuda, pincerna Artaxerxis, cum id à Rege petiisset, ascendit Hierosolyma Babylone, & vrbem ipsam cum muris ipsis excitauit*, tunc platea constructa est, & muri ambitus, secundum prædictionem Danielis Prophetæ, vigesimo quidem anno Artaxerxis Longimani, incœpto opere, absoluto autem, circa trigesimum secundum annum ipsius, quemadmodum narrat

sebius, cum illi murorum & plateæ ciuitatis, constructioni, duodecim annos tribuit, cum constet opus totum diebus quinquaginta duobus fuisse perfectum, ex Nehemiæ 6. cap. vers. 15. nec ædificatio sub Iodec, siue potius Ieddoa, vt est in duodecimo Nehemiæ, facta est, sed sub Eliasib, qui etiam ipse particeps eius fuit, vt ex tertio ipsius capite vers. 1. apertum est, nec Ieddoa fuit filius Ioacim, sed Ionathæ, quare scriptum ab Eusebio oportuit, vti reapse contigit, ædificatam vrbem sub Pontifice Eliasib, qui B fuit filius Ioacim. Cæterum pergimus hic in ea methodo institutoque quod in superiore libro enarrando cœpimus priusquam ad literalem textus expositionem veniamus, & quæstiones aliquot præambulas, ad singula vel certè pleraque totius libri secundi capita præmittimus, vt illis prælibatis discussisue diligentius maior inde lectori lux affulgeat, eidemque postea, iam superata scilicet maiori difficultate, facilior sit aditus ad textum ipsum, & breuius percurrendum, & intelligendum commodius.

VI. QVÆSTIO PRÆAMBVLA.

Ad caput 1. & 2. *An Artaxerxes Longimanus, de quo in Esdra, cap. 7. & in Nehemia, cap. 1. & 2. is sit, qui in alio nomine in scriptura Assuerus vocatur, eidemque nupserit Esther, quam Nehemias capite 2. sub communi Reginæ nomine indicat.*

VIII.
E duabus in hanc materiam oppositis omnino sententiis affirmantem multis probat Bellarminus tomo 1. lib. 1. cap. 7. vbi plures alios adducit qui idem sentiunt, cuiusmodi sunt Nicephorus, Constantinus in Chronico, Viues, Suidas, Zonaras, Sabellicus, Caietanus, alios item permultos refert Serarius in librum Esther, qui pro Longimano disputant, licet ipse non huic Longimano, sed Ocho nupsisse putet Reginam Esther. Mihi vnus omnium instar est è recentioribus Salianus, cu-

Authores qui affirmant sententiam sequuntur.

C ius rationibus potissimum cùm ex pendendis, & approbandis, tùm eorum qui contra sentiunt, quemuis alium pro Artaxerxe nostro, quam Assuerum Estheris maritum, statuunt, obiectionibus refellendis, totus hic immoror. Igitur cum hoc authore, in annalibus Ecclesiasticis, ad annum mundi 3590. num. 10. sic aio, Artaxerxem Macrochira, seu Longimanum, eundem fuisse cum Assuero, tam celebri in scriptura, Estheris Reginæ marito. Huic sententiæ præter eos quos iam leuiter attigimus, fauet Iosephus l. 11. Antiquitatum, cap. 6. quem sequitur Seuerus Sulpitius libro 2. Hi-

Saliani rationes pro affirmante sententia expenduntur & approbantur.

storiæ sacræ, vbi ait duos fuisse Artaxerxes, & priorem quidem, alio nomine Cambysem prohibuisse ædificationem Templi, vt patet Esdræ 4 vers. 7. posteriorem autem, qui & Assuerus vocatur, potestatem dedisse ædificandi Hierusalem, vt constat ex vers. Esdræ 7. & hoc 2. cap. 2. Præcipuæ quæ id conuincunt rationes hæ sunt, quas in globum confero; quod & nomen conueniat, & beneuolentia in Iudæos, & veri Dei cognitio, & commoratio in Perside, & regni diuturnitas, & similitudo morum, & si qua sunt alia, quorum vt nonnulla forte, quibusdam aliis, ab Artaxerxe Longimano conueniant, certe huic conueniunt omnia, vt propterea mirum non sit, B Serarium ipsum, qui, vt ante dixi, Artaxerxem Ochum, non Longimanum, Assuerum facit, vel vltro fateri, atque in eo nobiscum sentire, quæ in Estheris historia, de Assuero referuntur, belle omnia in Longimanum conuenire, cæteris omnibus Persarum Regibus repulsis: quem enim alium, amabo, Assuerum, aut fingas, aut facias, ab eoque m statuimus? an Astyagem Cyaxaris patrem, & auum Cyri maternum; quem Girardus Mercator asserit, Melchior Canus dubitat esse Assuerum, à qua sententia non est alienus Vatablus, an Darium Medum? C quem maluit Cedrenus, cui etiam Canus æque subscripsit? At Persam oportet esse quem quærimus nomine Artaxerxem, siue Assuerum, & Regem super 127. Prouincias imperantem, veri Dei cognitione præditum, quæ neque Astyagi, neque Cyaxari, siue Dario Medo conueniunt. An quod Hebræi asserunt, in Sederolam, cap. 29. non repugnante Genebrardo, & Lyrano, Cambysem Cyri filium, ex quo & Esthere, genitum volunt Darium, qui Hystaspis dictus est? At id non modo sine vlla probatione, immo & probabilitate dicitur, sed etiam D cum insigni historiæ ignoratione coniunctum est, Darius enim Hystaspis filius, filius fuit non Cambysis, quẽ constat ex superiori libro Esdræ cap. 4. infensum fuisse Iudæis, & ne totos quidem octo annos imperasse, & à Perside toto fere imperii sui tempore abfuisse, & id genus alia quæ Assuero Estheris coniugi non conueniunt. An Darium ipsum Histaspis? vt è recentioribus Feuardentius, & nonnulli alii existimant. Certe illorum sen-

Vt Artaxerxes, de quo hoc libro non potest esse Astyages, nec Ciaxares, nec Darius Medus, nec Cambyses, nec Darius Histaspis, vt multi opinantur.

tentiæ fauere videtur; quod Darius sub initium regni sui, fecit conuiuium magnum omnibus Principibus suis, sicut & Assuerus, quod vterque 127. Prouinciis imperasse dicatur, vterque ab India vsque ad Æthiopiam, vt patet initio Esther & lib. 3. Esdræ cap. 3. vterque Susis habitauit, & per Principes, ac Præfectos bella gessit, vterque Iudæis beneuolus fuit, cum sub Dario constet Templum iamdiu inchoatum fuisse absolutum, eo non solum permittente, sed iuuante, de Assuero quidem, siue Artaxerxe tota historia id testatur: denique vterque Deum verum agnouit, at nec illius nuptiæ cum Esthere, nec Vasthi Reginæ, primariæ vxoris, ab eo facta repudiatio, satis conueniunt: nam Herodotus lib. 3. scribit Darium quatuor habuisse vxores, quarum duæ erant filiæ Cyri, Atossa, & Atistona, tertia eiusdem Cyri neptis, & Smerdis filia, cui nomen Parmis, quarta Phædima, filia *Otanis*, Persis, qui fuit vnus de septem qui Smerdem Magum, Persico regno exturbarunt: addit & quintam Herodotus lib. 7. sub finem nomine Phataguunam Atarnis fratris sui filiam, quarum quæ Vasthi esse potuerit non apparet, nulla quippe earum repudiata est, multo minus quæ Esther. Addo quod Herodoti qui res Darii copiose persecutus est, silentium de rebus Aman, eiusque memorando interitu, qui tam sæpe in multa minuta & parerga studiose digreditur, valde probabile reddit, alium esse Darium Histaspis, ab Assuero, seu Artaxerxe Estheris marito, quem igitur præterea liceat comminisci? an Xerxem? ita sentit Scaliger, & Genebrardus vult hunc genuisse, ex Esthere Darium, seu potius Artaxerxem Longimanum, quæ sententia eo potissimum niti videtur, quod lib. 1. Esdræ cap. 4. vers. 6. Iudæi dicantur accusati apud Assuerum, qui ibidem dicitur Artaxerxes; sed ea accusatio nec ab Aman facta est, nec quæ recensetur Esther cap. 3. authore Aman, facta fuit pro ædificatione Templi, vel vrbis, neque in principio regni Assueri, quæ tamen omnia loco Esdræ citato designantur, neque possunt Hebræi, aut quisquam alius, vllum idoneum authorem producere, qui alienigenam, ne dum Hebræam, qualis fuit Esther, matrem Longimani asserat. Adde quod illis ipsis annis, quibus Assuerus, Susis cum Mardo-

IX.

In multis conuenire Dario Histaspidi cũ Artaxerxe licet diuersi sint.

Refellitur eorum sententia, qui Xerxem pro Artaxerxe statuunt, eundemque Assuerum cum Xerxe fuisse comminiscuntur.

chæo, & Esthere fuisse traditur, perspicue ex Herodoto, & aliis. constat Xerxem in Græcia expeditione fuisse, nam anno 6. Sardeia venit, vbi & hyemauit, anno septimo traiecit Hellespontum, & pugnauit apud Thermopylas, anno nono Sardibus mansit? an cum Serano, aliisque post eum Assuerum, Regem Persarum, eundemque Reginæ Estheris maritum, Artaxerxem Ochum fuisse dicas? at huic sententiæ mirum quam aduersetur D. Augustinus lib. 18. de ciuitat. 36. cum ait rem gestam ab Esthere in laudem Dei non longè distare à temporibus, Aggæi, Zachariæ, Malachiæ, & Esdræ, nam vt alios taceam, à primo anno Artaxerxis Longimani, sub quo Esdras floruit, ex communiori sententia, vsque ad primum Ochi, anni centum ab Eusebio numerantur, nec parum fit improbabilis eadem sententia ex eo quod neminem habet antiquum patronum, quodque, ne vnam quidem actionem Assueri, aut Mardochæi, aut Estheris afferre queat, quæ Ocho, aut regno eius commode conueniat, nam quod aiūt, vicinum fuisse, Ochum Macedonum imperio, ideoque in Estheris historia, Assuerum accusare Aman, quod vellet Persarum imperium in Macedones transferre; non videtur illorum sententiæ multum fauere, nec vicinitas, aut longinquitas imperii Macedonum, ad causæ discepationem facit, si quidem, qui Astyagem, aut Darium Medum, volunt esse Assuerum respondere possent cum Bellarmino, non obiici Amano ab Assuero eum velle Regnum Persarum transferre in Macedones, quasi iam Macedones cum Persis de imperio contenderent, sed contra potius voluisse Amanum, gentem suam, tum obscuram, & ignobilem, translato imperio nobilitare, sicut Persas iampridem obscuros, translato à Babyloniis, & Medis imperio, clarissimos reddiderat. Sed fortasse reliquum vnum ex omnibus Persarum Regibus mauis pro Assuero, Artaxerxem Mnemonem? sic sentiunt quidam Hebræi teste Hieronymo, in quartum Ezechielis, & cum illis Eusebius, in Chronico suo, Olympiad. 94. & Beda in lib. de sex ætatibus, & inter recentiores noster Pererius lib. 13 in Daniele sub initium cap. 11. & lib. 10. vbi de 70 hebdomad. sin ita sentis, vide quid respondeas, quod faciat satis Bellarmino obiicienti nihil omnino in vita Artaxerxis Mnemonis reperiri, apud Plutarchum, quod sapiat Assuerum Estheris, aut in eum vllo modo conueniat: concede item, si ita res habet, atque Assuerum non Artaxerxem Longimanum vti diximus, sed Mnemonem fuisse contendit, non forte eum librum Esther, in Canone Hebræorum, qui ab Esdra confectus est, quem tamen in eo fuisse, ex Iosepho constat, libro primo contra Appionem, vbi ait, à Moyse vsque ad Artaxerxem, filium Xerxis, duos & viginti numeratos esse sacros libros, primariæ authoritatis, inde autem scripta fuisse alia, quæ non paris essent fidei (in illis autem viginti duobus, D. Hieronymus in prologo Galeato, ponit Estheris librum, sicut & Genebrardus lib. 2. Chronolog. sub initio, vbi ex Hebræis refert editum fuisse Canonem Hebræorum de sacris Scripturis in magna Synodo, cuius scriba fuerit Esdras, qui eius authoritate in ordinem hodiernum veteris testamenti libros reduxerit; quod autem opponit Pererius stantibus pro Longimano lib. 11. in Danielem quæst. 4. incredibile esse finitimos illos populos hostesque Iudæorum, qui Persis parebant, ausuros fuisse impedire ædificationem vrbis, quod narratur 2. & 6. cap. huius libri 2. Esdræ, & tantopere vexare Iudæos, cum scirent Reginam esse Iudæam, & qui Princeps omnium erat, apud Regem, esse Iudæum, Mardochæum scilicet, præsertim vero, cum recens adhuc esset cædes innumerabilium hominum, qui quod Iudæis inimici essent, procurante Esther, & iubente Rege, occisi fuerant, facile responderi potest, hostes Iudæorum non ignorasse Nehemiam, à Rege, & Regina missum fuisse, ad ciuitatem ædificandam, vt patet ex cap. 6. huius libri, vbi etiam dicitur latas à Nehemia epistolas Regis, ad Duces, regionis trans flumen, quod si illi nihilominus Nehemiæ restiterunt, non minus restitissent propter Estherem Reginam, & Mardochæum, præsertim cum ipsi, præ se ferrent, non ex odio Iudæorum, aut contemptu Regis, se resistere, sed ex studio conseruandi imperium regium in Iudæa, ideoque criminabantur Iudæos, velle rebellare cum Nehemia, cumque Regem constituere; quoniam tamen sciebant, Iudæos in aula plurimum posse,

Marginalia: X. — *Nec Assuero cum Artaxerxi Ocho conuenire potest.* — *Refelluntur qui Assuerum, Artaxerxem Mnemonem statuunt.* — *Liber Estheris in Canone Hebræorum recensetur qui ab Esdra confectus ex Iosephi sententia.* — XI. *Dissoluuntur argumenta quæ proponi solent contra sententiam Assuerum, Estheris maritum fuisse Artaxerxem Longimanum.*

eis illi non præfracta, & armata manu A restiterunt, sed irrisionibus, minis, & terroribus, citra cædem, & sanguinem; nec Iudæi Duce Nehemia propterea ab opere destiterunt, vt olim regnante Cambyse, ex quo patet, & in Iudæis plus fiduciæ, & in eorum hostibus, minus audaciæ tunc fuisse. Sed inquies, si res ita haberet, vt dicimus; videri Nehemiam, per Reginam, vel Mardochæum, petiturum fuisse, facultatem reparandæ vrbis, quos sciret apud Regem gratiosissimos, cuius rei nullam facit mentionem hoc suo libro, ego vero sic argumento huic satisfacio, forte conuenisse, vt in ipsa B textus expositione indico, inter Estherem, & Nehemiam, vt ipse id à Rege peteret, & Regina petitionem adiuuaret, prout expedire sibi videretur; non enim sine causa Reginæ mentio est, hoc 2. Nehemiæ capite iam sæpius citato vers. 6. & cum dubium esset, quam in partem Rex Nehemiæ petitionem esset accepturus, repulsæ periculum subire, Reginam non decebat. Iam quod Eusebius in Chronico de Artaxerxe Longimano, sic ait: *Ea quæ de Esthere, & Mardochæo scripta sunt quidam affirmant sub hoc Rege gesta, quod ego non puto, numquam enim Esdras de Esthere siluisset, qui scribit hoc tempore, Esdram, & Nehemiam reuersos è Babylone*: Minimo item negotio dissolui potest, si dicas propterea Esdram, de Esthere siluisse, quia sciebat librum ex professo, ea de re scriptum fuisse, sic in libro Iudicum, nulla est mentio Ruthæ, quæ tamen tempore vnius Iudicum vixit, nec Tobiæ, nec Iudithæ in libris Regum, licet eorum temporibus floruerint, saltem Tobias, quia, propriis voluminibus, illæ historiæ scriptæ erant. Habent etiam nonnulli, vt Torniellus ann. 144.6. ætat. num. 7. quod obiiciant, Assuerum, vt ex Scriptura constat, initio Regni dominatum fuisse 127. Prouinciis, non autem Artaxerxem Longimanum, quoniam Xerxes, illius pariter, & Darij filius, plurimas amiserat Prouincias, inquiunt, nimirum Mediam, & Assyriam, ab Arphaxad, & Nabuchodonosor occupatas, Ægyptij quoque eius initio rebellarunt: sed esto sanè, quod assumunt, licet quæ ad Arphaxat & Nabuchodonosor pertinent, à plerisque Chronologis, ad anteriora longe tempora referantur, nihil tamen hoc argumento concluditur, quis enim nescit

Esdras de Esthere siluit quia sciebat librum ex professo de ea scriptũ.

A cit Reges etiam amissorum Regnorum titulos, retinere, in quæ ius se habere contendunt, vt hodiernis quoque Regni, in quo nati sumus, & alterorum quibus hinc inde ambimur, exemplis manifestum est. Tandem magnam veluti machinam, huic nostræ sententiæ opponit Seracius, cum ait, Artaxerxis Longimani ingenium mite, & clemens fuisse, Assueri autem seuerum, & immite, sed vt hanc disiiciat, respondet Salianus omnes quidem Persarum Principes, fere austeriores fuisse natura, vsque ad mulieres ipsas, vt patet in Amestri, Xerxis vxore, apud B Herodotum lib. 9. in fine, & maxime in Patysatide, matre Artaxerxis Mnemonis, apud Plutarchum in eius vita, nec tamen defuisse in Artaxerxe seueritatis exempla, neque in Assuero mansuetudinis, si diligenter expendantur historiæ; fuit sanè ingenio mitissimo Longimanus de quo sic Ammianus Marcellinus lib. 30. *Artaxerxes*, inquit, *Persarum ille Rex potentissimus quem Macrochira membri vnius longitudo cognominauit, suppliciorum varietates, quas semper natio exercuit cruda, lenitate gemina castigans, Tiaras ad vicem capitum, quibusdam noxiis amputabat, & ne ferirer, nuces, more* C *Regio, pro delictis, ex galeris fila pendentia; qua temperantia morum, ita tolerabilem eum fecit, & verecundum, vt admittentibus cunctis, multos & mirabiles actus impleret, Græcis scriptoribus celebratos*: de eodem pœne eadem Plutarchus in apophthegmatis; *Primus*, inquit, *his ducibus qui deliquissent, has pœnas statuit, vt pro flagellandis corporibus, detracta flagellarentur vestimenta, & pro euellendis capillis, depilandeque capite, deposita Tiara depilaretur.* Sed cum ex his satis se prodat mitissimum Artaxerxis ingenium, placet quoque mihi supra modum Sanctius, qui ex D rebus etiam ipsis, quæ paulò crudeliùs ab Assuero gestæ videntur, lenitatem ipsius & mansuetudinem luculenter probat his argumentis; in lib. Esther Prolegomeno, *Accusatur*, inquit, *immanis in vxorem Vasthi sæuitiæ, cum illam in conuiuio de Regia dignitate deposuit, at in eo mite Regis ingenium intueri licet, qui, cum grauis esset, oblata sæuiendi causa, nihil tamen fecit, nisi consultis prius illis, quorum, in rebus grauibus vtebatur consilio, neque tam furori paruit licet non leuiter indignatus, quam illorum prudentiæ, quorum autho-*

Reges etiam amissorum regnorum titulos retinẽt in quæ ius se habere contendunt.

XII.

Omnes Persarum Principes fere austeriores natura licet in Assuero seu Artaxerxe Longimano non defuerint exempla mansuetudinis.

Artaxerxes siue Assuerus ex lenitate & mansuetudine reis quibusdam amputari tantum volebat Tiaras pro capillis, & vestimẽta flagellari pro corporibus.

ritati repugnare non poterat, quod factum videtur improbasse statim vt constat ex cap. 2. Esther vers. 1. vbi hæc habentur, *his ita gestis, postquam Regis Asueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi, & quæ fecisset, vel quæ passa esset*, si quid postea videtur fecisse crudeliter, non tam fecit illorum odio quos malè mulctauit, aut mulctari permisit, quàm ne amicis quod postulabant negasse videretur, & eos à conspectu minus beneuolè dimitteret, sic tradidit & anno Iudæorum genus, hostiliter tractandum, & postea Estheri, & Mardochæo, totam Amani ipsius familiam euertendam, qua scilicet ingenii facilitate erat, vt in suos, quos amabat, beneuolentia singulari, in quo licet fortè nimium quam par esset obsecutum sit, aut aliorum cupiditati, aut suæ in illos propensæ voluntati, tamen inde colligitur illius ingenium nec durum, aut inhumanum fuisse, nec ad vltionem pronum. Quod autem ait Serarius, à A Longimano prohibitam fuisse Templi molitionem, nihil habet difficultatis, neque enim id prohibuit Longimanus, sed illius pater. Immo, is ipse, vt in superiori nostro in 1. Esdræ librum commentario aduertimus, vt in hoc secundo obseruare etiam licet, vehementer promouit Templi ciuitatisque ædificium, dimissis cum amplissima potestate, Esdra atque Nehemia, qui sacra prophanaque componerent; & de Esdra quidem apertè narratur lib. 1. cap. 6. de Nehemia hoc lib. 2. cap. 2. vbi Regina quoque suam in illum beneuolentiam, & studium aperit, quæ propterea non videtur fuisse B ex alio genere, neque alia ab Esthere. Positum ergo sit, atque constitutum, tanquam minus dubiæ fidei, neque alium hic censendum esse Artaxerxem, quàm Asuerum, nec vllibi alium quærendum esse Asuerum siue Artaxerxem vt 70. nominant quàm Artaxerxem Longimanum. Et hæc de proposita quæstione sufficiant.

VII. QVÆSTIO SEV ANNOTATIO Procœmialis ad cap. 2.

De Regina sedente iuxta Regem Artaxerxem in conuiuio cap. 2. vers. 6. Et quibus virorum coniugijs fœminæ adesse solerent apud Persas.

VIII. T hanc disceptationem paucis expediam, & quod in ea dubium est, nitide dissoluam, statuẽdum primo nobis est, duo fere vniuersim, apud omnes distingui conuiuiorum genera, vnum commune, ac quotidianum, siue domesticum, ac priuatum: alterum lætum, ac geniale, quo conuiuiorum discrimine sic constituto, ex eruditis scriptoribus, obseruandum in conuiuiis lætis, & genialibus, vbi scilicet magnus conuiuarum est numerus, & ab intemperantia, & vino, maior libertas, non solere, fœminas, nisi impudicas, & vulgares, idem cum viris inire conuiuim. Certe apud Romanos fuisse hoc insuetum, & turpe, docet Macro- *A conuiuiis virorũ in quibus maior est ab intẽperantia, & vino libertas absunt fœminæ, nisi sint vulgares, & impudicæ.* *Apud Romanos.*

C bius lib. 3. Saturnalium cap. 17. & lib. 7. cap. 1. de Parthorum conuiuiis hæc habet, *Doceat nos*, inquit, *vel peregrina institutio, & disciplina a Parthis petita, qui solent cum concubinis, non cum coniugibus, inire conuiuia, tanquam has, & in vulgus produci, & lasciuire quoque, illas non nisi, abditas, tueri, deceat tectum pudorem*: quin & Cicero Actione 3. in Verrem, negat, moris esse Græcorum, accumbere fœminas in virorum conuiuiis, aitque iisdem dedecori datum esse si vnquam eiusmodi genialibus epulis interessent. De Chaldæis indicat Daniel. cap. 5. vers. 10. vbi Regina, tunc solum dicitur ingressa locum conuiuii, quod Rex Balthazar regia magnificentia instruxerat optimatibus suis, quando omnia erant timoris, & conturbationis plena. De Persarum more docet Vasthi *Parthos.* *Chaldæos.* *Persas.*

Vasthi Regina, quæ Esther cap. 1. pro fœminarum conuiuio, parauit locum diuersum ab eo, quem pro viris instruxerat Assuerus, & licet ab Assuero aduocata, in locum conuiuii sui genialis, eo tamen ingredi noluit, & neglecto eius imperio, ab ipsius quoque regalis thori consortio excidere maluit, quam virorum conspectum subire. Quod, Hebræis etiam fuisse fa-
Hebraeis. miliare, suadet conuiuium illud natalitium, quod Herodes instruxit, ex Hebræorum sine dubio communi more, atque instituto, Matth. cap. 14. vbi Herodiadem, seorsum à viris cum fœminis aliis, epulatam fuisse indicat, puellæ egressus ad matrem, vt ab illa disceret, quid pro saltationis præmio, ab Herode reposceret; atque institutum illud, ita gentibus olim probatum esse comperio, vt in domibus paulo splendidioribus, locus esset distinctus, pro viris, qui ἀνδρωνῖτις, & locus pro fœminis, qui γυναικωνῖτις dicebatur; quæ quidem
XIV. omnia, cum per se se vera sunt, tum etiam, illud verissimum, nec minus obseruatione dignum, etiam olim apud Persas, vt vbique nunc apud omnes alias gentes, si conuiuium esset inter domesticos, vbi nulla esset conuiuiorum iactandorum libertas, aut propudiosorum carminum vsus, nec turpe nec indecorum fuisse, si fœminæ simul cum viris mensæ accumberent, quod fecit Esther, quæ ad conuiuium Regem inuitauit, & Aman, vt narratur Esther cap. 5. & filii Iob simul cum sororibus communem habebant mensam. Quare etiã si Regina, in hoc Nehemiæ libro, siue eadem Esther ipsa sit, siue alia, simul in mensa assideat, Regi Artaxerxi proxima, nihil in hoc toto negotio indecorum est, nihil regio pudori, atque modestiæ contrarium, nec probri denique aut contumeliæ quidquam, ex eo Reginæ allini potest; quia cum coniuge sedet eo loco qui dignitatis plenus est, & à quo omnis abest turpitudo, & morum intemperantia: Et quidem, vt ait Æmilius Probus, in sui operis proœmio, apud Græcos fœmina non adhibebatur in conuiuium nisi propinquorum, neque sedebat, nisi in interiori parte ædium, quã supra Gynæceum, seu Gynæconitidẽ appellari diximus, quo accedebat nemo, nisi propinqua cognatione & sanguinis cõmunione coniuncti: ex quo videas, propinquorum conuiuia ab aliis discerni, neque vero in familiis, ad omnem honestatem, sobrietatemque compositis, vt in aliis intemperantiũ hominũ conuiuiis, mensæ erant splendidę frequentibus ferculis, & immodicis oneratæ poculis, sed frugales, quæ temperantem vitam sustentarent potius, quam inflammarent libidinem, atque adeo nihil fuit, quod ab eiusmodi conuiuiis, fœminarum honestus pudor cauere debuerit.

In cõuiuiis honestis & domesticis vbique & apud omnes gentes accumbunt

fœminæ cum viris, vt apud Persas in exemplo Esther perspicuũ est.

VIII. QVÆSTIO SEV ANNOTATIO proœmialis ad cap. II.

De paternorum sepulchrorum curâ, et Religione, de quâ Nehemias cap. 2. vers. 3. & 5.

XV. CERTVM est id vehementer doluisse Nehemiæ, quod ciuitas, domus sepulchrorum patris sui, vt ipse loquitur, atque in textu est, deserta esset funditus, atque deleta; & iure quidem meritissimo tanta, tamque acerba clades illi doluit; sicut ab omni æuo, omnes omnino gentes ægrè admodum tulere, si qua maiorum suorum, aut parentum sepulchris inferretur iniuria: vt mirum non sit, quod Artaxerxes responsionem, seu excusationem Nehemiæ mœroris sui, ac tristitiæ causam, apud ipsum in eo statuentis, beneuolentissimo animo exceperit: Nouerat siquidem ille quid Scythæ olim auo suo Dario respondissent, licet inculta gens esset, & ingenii alioquin stolidioris, ex communi omnium sensu, aut stupidioris, vt enim post Herodotum refert Valerius, lib. 5. cap. 4. Dario totius Regni sui viribus, in eorum regiones subinde

Gẽtes omnes, ac nationes etiã barbaræ, ægrè semper tulerũt, maiorum suorum sepulchris iniuriam inferri.

impetum facienti, paulatim cedentes, ad vltimas Asiæ solitudinis peruenerunt, interrogati deinde ab eo, per legatos, quem fugiendi finem, aut quod initium pugnandi, facturi essent; Responderunt, se neque vrbes vllas, neque agros cultos pro quibus dimicarent habere: ceterùm, cum ad parentum suorum monumenta venisset, sciturū, quemadmodū Scythæ præliari solerent. Hæc ille, tanti scilicet, barbaræ etiam gentes, parentum suorum sepulchra faciebant &c. Hac de re apud profanos authores plura reperias. Neque de externis populis, aut Gentilibus, fere quisquam est, qui pro paternis sepulchris dubitarit bella suscipere, & cui non ægrè admodum fuerit, si quid ab hoste grauius, paterni manes, aut sepulchra subiere. Audis Didonem apud Virgilium lib. 4. Æneidos, indicantem grauissimam hanc esse iniuriam, quæque in filiis hostile odium excitaret, parentum sepulchra diruere, aut illis insultare, seu illudere?

Tantum pro parentum sepulchris pugnare se Scithæ aiebant.

Non ego cum Danais Troianā exscindere gentē,
Aulide iuraui, classemque ad Pergama misi,
Nec patris Anchisæ cineres manesue reuelli,

inquit, sic illa ad Æneam suis votis repugnantem. Eam ob causam in mortuorum cineres, à barbaris sæuitum fuisse, sæpe animaduersum est. Certe inter alia incommoda, quæ à bellorum iniuriis accidere solent, illud in maximis numerabat Horatius in Epodis, Ode 16. si quid maiorum cineres ignominiosum, & barbarum ab hoste paterentur.

A barbaris sæpe in mortuorū cineres sæuitum.

Barbarus heu cineres insistet victor, & vrbem
Eques sonante verberabit vngula,
Quaque carent ventis & solibus ossa Quirini
Nefas videre, dissipabit insolens.

XVI. Adde iteratam sepulchrorum mentionem, quam facit Nehemias cum Artaxerxe coloquens vno & eodem capite 2. vers. 3 & 5. cum ait, *Si videtur regi bonum, & si placet seruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudæam ad ciuitatem sepulchri patris mei*, postquam paulo ante dixit: *Quare non mæreat vultus meus, quia ciuitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni.* Satis innuere non Iudæis modo, sed & Persis etiam commendabilem, & valde religiosam censeri sepulchrorum curam: scilicet rigidam illam, ac seueram priscorum quorumdam philosophiam non amabant, de qua Seneca epist. 92. sed, illos peræque ac Iudæi, Persæ horrebāt, quorum hæc vox erat, *facilis iactura sepulchri.* Cœlo tegitur, quia nō habet vrnam, *Nec tumulum curo, sepelit natura relictos*: Ingenitum quippe à natura est, vt iustam quisque, ac legitimam proprij cadaueris curam suscipiat, vt sic quamdam erga corpus pietatem exerceat: hinc nulla fere gens fuit tam barbara, quæ de proprio sepulchro alicubi extruendo non cogitauerit. Fideles potissimum, atque vnius veri Dei cultores, vt docet D. Augustinus libro de cura pro mortuis agendā, idque vel imprimis, apud Ægyptios antiquissimum fuit, qui vel in suis domibus, sepulchra sibi parabant, vel suorum defunctorum cadauera loculis, aut arcis ligneis condita domi asseruabant, vt indicatur, Genes. cap. 50. vers. 25. vbi de Iosepho Patriarchā, *Conditus est aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto*: & ab hac ipsa nota describuntur Ægyptij Psal. 67. vers. 6. *Qui habitant in sepulchris*, id est, vt optimè quidam interpretes exponunt, qui in suis ipsis domibus, vbi habitant sepulchra sibi parant & defunctos asseruant cuius Ægyptiorum instituti, meminerunt Diodorus lib. 2. cap. 5. Herodotus lib. 2. & alij recentiores permulti. Ab Ægyptiis postmodùm ad Romanos, cœterasque gentes plurimas, hæc sibi, suisque sepulchri parandi cura permanauit, inualuitque plurimum: Vnde Tertullianus lib. de gest. animæ cap. 4. *Quis non hodie*, inquit, *memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, vt literaturæ operibus, vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulchrorum ambitione, nomen suum non seruet.* In Syria vero, & etiam inde ab Abrahamo, apud veræ religionis cultores, solemne id ac perpetuum fuisse videas Genes. cap. 23. vers. 4. 5. 6. & deinceps Et certè cum in antiqua veterum Hebræorum sepulchra, non vnum tātum inferretur cadauer, sed tota familia in illa ius haberet quasi hæreditarium, sicut in sepulchro Abrahæ conditi sunt posteà Isaac, & Iacob, & sæpe scriptura teste, posteri inclusi esse dicantur in parentum monumentis; inde natum existimant viri eruditiores, modum illum dicendi familiarem, & vsitatum in sacris paginis, *Dormire cum patribus suis, appositi ad parentes suos.* Quod sanè perhonorificum fuit; & contrà male fortunatus ille atque admodum infœlix, vulgo existimabatur, qui à cineribus

Inditum à naturā cuique, vt propriis sepulchri curam suscipiat.

Ægyptiorum studiū erga sepulchra, qui & habuarein sepulchris dicuntur, quod in suis ipsis domibus sepulchra sibi pararent, & mortuos asseruarent

XVII. Ægyptiorum cura erga sepulchra ad Romanos, Syros, & alios populos permanauit.

Summo infortunij loco habitum apud Iudaeos, non recondi post mortem in sepulchro parentum.

maiorum suorum, & tanquam ab amplexu parentum esset in morte distractus; ex quo fit, vt summi infortunij loco habeat ipse in publica Iudæorum calamitate, deploretque vehementius Psaltes Regius, quod Iudaïci nominis hostes, *effuderunt sanguinem sicut aquã in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret*, Psalm. 78. siquidem vel extremæ impietatis, vel grauissimæ pœnæ, atque ærumnæ argumentum esse apud Hebræos credebatur, insepultum iacere alicuius cadauer; vel non proprio iustoque monumento conditum fuisse, quod Ioachim filio Iosiæ Regi Iuda, propter summam eius improbitatem, minatur Hieremias capit. 22. vers. 18. & 19. vbi sepultura asini sepeliẽdus, & extra portas Hierusalem proiiciendus, prædicitur; id est non ut Reges alii, honorem sepulchri assecuturus, aut tumulo condẽdus, sicut pater eius Iosias; sed fore vt in aperto loco extra Hierusalem iaceat, atque putrescat Regium illius cadauer, non aliter atque asinus in sterquilinio assolet; id verò cùm adeò propudiosum apud omnes censeretur, & aliunde tanta esset erga suorum monũmenta Hebræis Religio, iure etiam (quod ante significaui) parentum suorum sepulchra condita in Hierusalem, aut ab hostibus violari, prophanarique, aut à popularibus sui, minus religiosè haberi, dolenter ac fastidiosè hoc libro aduertit, & ingemiscit Nehemias.

IX. ANNOTATIO PROOEMIALIS, ad Cap. III.

De sepulchro Dauid, cuius mentio lib. 2. cap. 3. vers. 16.

XVIII.



PRÆ cæteris omnibus Regum omnium, qui Iudæis olim imperauerũt, insigne fuit, & multo visendum opere sepulchrum Dauidis, in ipsa Hierusalem vrbe Regiâ.

Authores qui de sepulchro Dauid scripserũt.

De hoc sepulchro, multa Sebastianus Seitius lib. 5. de Architecturâ, vbi illius optimè exprimitur Ichnographica forma & Sanctius in Acta Apostolorum cap. 2. ad illud vers. 29. *Sepulchrum eius apud nos est, vsque in hodiernum diem*: Iosephus item lib. 7. Antiquitat. cap. vltimo, & lib. 13. cap. 16. & lib. 16. cap. 11. ex quibus aliisque passim authoribus hæc depromere licuit, quæ si placet lector æqui bonique consule.

Rex Salomon Dauidi parenti sepulchrum exstruxit.

Primum est, Regem Salomonem, Dauidi parenti sepulchrum exstruxisse splendidum imprimis, & Regio opere & munificentia insigne, in quod Reges Iuda magno numero inferebantur; vt ex libro 3. & 4. Regum constat, in quibus, omnes penè Reges Iuda sepulti dicuntur in ciuitate Dauid. De Dauide eiúsque sepulchro sic Iosephus, *Tantas diuitias hæredi reliquit, quantas nullus alius Rex vel Hebræorum, vel aliarum gentium: sepeliuit autem eum filius Salomon Hierosolymis magnificè*, vbi præter solemnia illa in Regum funeribus fieri solita, addit etiam multa alia fuisse adiuncta, ac splendidiorem apparatum ac magnificentiam.

De magnificentia sepulchri Dauidis, & in eo multa talentorum millia recondita, quæ postmodum vel à Iudæis, vel ab hostibus Iudæorum extracta sint.

Alterum est, quod Iosephus tradit citato iam lib. 7. Antiquit. cap. vlti mo de eodem sepulchro, nimirum multa talentorum millia, in eo fuisse recondita; quod vt verum esse concedamus, atque ibi in honorem Regii monumenti, multi, atque exquisiti pretii, munera multa reposita fuisse fateamur. Obseruandum tamen est dubiæ semper, ac suspectæ fidei visum bonis authoribus, quod tradit idem Iosephus ibidem, & lib. 13. post mille, ac trecentos annos, tria talentorum millia inde extracta fuisse, ab Hircano Pontifice, cum oppugnaretur ab Antiocho cognomine Pio, Demetrii filio, quem ad abducendum aliò exercitum, soluendamque obsidionem, promissa, & numerata pecunia volebat inducere, & multo post, vt refert lib. 16. mundi pretiosi, & aureorum ornamentorum, vim quoque maximam ab Herode auri, argentique aui-

diutimo sublatam: cùm prius accuratè cauisset, ne hoc resciret populus, assumptis tantum, vt ait, amicorum fidissimis, & depositas pecunias sicut Hircanus non inuenisset. Et sanè iam ante Chaldæorum aduentum, vt narratur 4. Regum 14. *Ioas, Rex Israel, tulit omne aurum, & argentum, & vniuersa vasa, quæ inuenta sunt in domo Domini, & in thesauris Regis.* Et postea Chaldæi quidquid pretiosum erat, siue aureum, siue æneum secum abstulerunt, vt docet Hieremias cap. 52. Cui ergo æneis vasis, & columnis non pepercerunt, aureis talentis, quæ in regio condebantur tumulo, quomodo pepercisse credendi sunt? aut ignorasse in regiis, ac nobilibus tumulis, magni pretii munera recondi solita? neque alio consilio scrutati fuerant Regum sepulchra, quam vt thesauros, quos ibi latere suspicabantur, auferrent: neque aliam ob causam, ossa Regum Iuda effoderunt è sepulchris, quod futurum prædixerat Hieremias, cap. 8. *Eycient*, inquit, *ossa Regum Iuda, & ossa Principum de sepulchris suis:* quod suo tempore impletum esse dicit Baruch, cap. 2. *Statuisti*, ait, *verba tua, quæ locutus es in manibus puerorum tuorum, & Prophetarum, vt transferrentur ossa Regum nostrorum, & ossa patrum nostrorum de loco suo, & ecce proiecta sunt in calore solis, & in gelu mortis.* Quid, quod incredibile etiam prorsus videtur, etsi concedamus Chaldæos à Regiis abstinuisse monumentis, intacta fuisse tam longo captiuitatis tempore, in quo ciuitas Hierusalem adeo fuit ab habitatoribus deserta, vt in monte Sion, id est in parte nobilissima, quæ dicebatur ciuitas Dauid, vbi eius, & aliorum Regum Iuda commune erat Mausolæum, vulpes habitauerint, quod deplorat Hieremias Threnorum, cap. 5. *Mæstum*, inquit, *factum est cor meum propter montem Sion, quia disperiit, vulpes ambulauerunt in eo*; Ex quo sic disputare, ac ratiocinari queas, scilicet, deserta sepulchra, rapinæ, atque ludibrio exposita, tot opes reseruarent tamdiu, Hircani Pontificis insanæ cupiditati, inexplebili Regis Herodis auaritiæ? profectò vix est, vt quisquam sibi facile hoc persuadeat.

Nihil è sepulchro Dauid eduxerunt, nec Hircanus, nec Herodes, quod tamē scribit Iosephus.

XIX.

Non fuerunt dissipata ab hoste Chaldæo Dauidis ossa, in eius sepulchro recondita, sicut aliorum Regum Iuda.

Tertium quod aio de Dauidis sepulchro, ex iisdem authoribus, istud est; ossa illius in eo recondita, ab hoste Iuda, de quibus Hieremias loco ante citato, licet ipsum sepulchrum resignatum fuerit, thesaurique in eo reconditi, quæsiti, atque effossi, siue id diuino quodam auxilio supremæ prouidentiæ, ac prope miraculo factum fuerit, siue humana eorum opera, qui in Iudæa remanserunt, etiam post extremum sub Sedecia, ciuitatis Hierosolymitanæ excidium, vt huc, illuc dispersa Dauidis ossa, vt & aliorum sanctorum Regum (si ab illis non abstinuere Chaldæi) in suis iterum loculis, in quibus antea fuerant, reposuerint.

Quartum denique ac postremum, de sepulchro Dauidis, quod habeo dicere, hoc est: perseuerasse illud quidem integrum, & augustum specie, non modo vsque ad ætatem D. Petri, qui illius meminit Actorum 2. sed etiam vsque ad Adriani Imperatoris tempora; nam tunc sepulchrum Dauidis, magna ex parte corruisse, author est Dio in Adriani vita. Sic pepercit Regio monumento, Chaldæorum furor & flamma, licet Regum aliorum ossa, inde fuerint extracta, disiectaque; cum subterraneum esset ædificium in excauato lapide, vt tradit ipso huius annotationis initio citatus author Sebastianus Sertius lib. 3. vbi illud multis describit, & quod etiam ante monui, suis egregiè lineamentis efformat: quare natura loci, satis munitum erat, contra hostium vim, & flammarum incendium; pepercerunt eidem quoque sepulchro Romani, in extrema quam ab ipsis Iudæi passi sunt calamitate, atque vrbis euersione, siue propter rationes supra allatas, siue propter opinionem tanti Regis; cuius nomen forte etiam apud externos populos, sanctum erat, & fama in veneratione: nisi mauis eò referre quod quæcumque demùm sepulchra violare, populo Romano admodum in ea re superstitioso, magna semper fuit Religio, hinc tam multæ ab illis leges scriptæ olim, ac fixæ contra prophanantes sepulchra, & sepultos spoliantes, quas vide apud Harmenopulum Iurisconsultum lib. 6. cap. 9. ac Marcellum, qui hoc crimen refert ad legem Iuliam de vi publica, & in Cod. titul. 7. lib. 3. de Episc. Audien. l. 1. & l. 4. de sepulch. violat. Hinc Iulianus ipse Imperator, sepulchra honesto sanè, & specioso nomine, *Aggeres consecratos* appellat, vt mirum non sit, si lege lata præcipiatur, à Galerio, & Arcadio Imperatoribus locis iam proximè citatis, *Vt nullam accipiat vinculorum requiem, qui*

Sepulchrū Dauidis perseuerauit, vsque ad Adriani Imperatoris ætatem.

Violare sepulchra apud Romanos magna semper fuit Religio.

quiescere sepultos quadam sceleris immanitate non finit. Et hæc in gratiam sepulchri Dauidis, quod tamdiu intaA ctum, ac inuiolatum permansit dicta sint.

X. QVÆSTIO PRÆAMBVLA, ad cap. V.

In *illud cap. 5. vers. Ecce subiugauimus filios nostros, & filias nostras in seruitutem, & de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus vnde possint redimi.* An, & apud quas gentes, olim filij à parentibus in graui necessitate vendi potuerunt, & quando, & à quibus redimi.

XX. FACIT ille quidem Nehemiæ locus, mox in proposita quæstione citatus, vt vsitatum fuisse, apud Hebræos, sicut & apud alias plerasque nationes, graui vrgente necessitate, filios à parentibus vænire, ac distrahi pretio, dici omnino oporteat: indicat item illud ipsum non obscurè alius Isaiæ locus cap. 50. vers. 1. *Quis est creditor meus, cui vendidi vos, &c.* Licet enim quidam Interpretes, ibi de filiis Iudæorum venditis, agi minimè existiment, sed de seruis, qui propter ingenium durum ac pernicax, seu quia minus erant aut fideles, aut vtiles, à prioribus Domini vendi solebant, & foras excludi: tamen de filiis ipsis, non seruis, nec mancipiis, sermonem esse, textus ipse satis apertè docet, nam Deus Iudæorum matrem, suam ipse Prophetæ voce dixit vxorem, dum ei repudii librum se dedisse negat. Vnde consequens est illum Iudæos nomine filiorum suorum appellare, cùm ex ea, quam vxorem nominat suam, natos ostendit. Ait ergo Deus eo loco, nihil obstare quominus ipse, captiuos filios ab exilio vendicet, quando id quidem ius nullum vetat, cum non fuerint à se, id est à parente venditi, & ab ipsius abalienati potestate, creditoribus traditi mancipio, quod nisi parentibus aliquando liberos suos vendere licuisset, omnino non diceret. Quin & Leuitici cap. 21. vers. 7. lex ipsa, rem totam haud dubiam facit, *Si quis*, inquit, *vendiderit filiam suam, aut famulam, non egredietur sicut ancilla consueuerunt, &c.* Vbi sancit Deus, in fauorem fidei, & gentis Hebræorum, vt Hebræa filia, licet empta sit in seruam, nisi ab hero, aut heri filio in vxorem ducatur, libera tandem dimittatur, vt ita, filiabus Hebræis paupereulis, de nuptiis, & statu prouideret. Et clarè B Leuitici cap. 25. vers. 39. *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum, sed quasi mercenarius, & colonus erit vsque ad annum Iubilæum, &c.* Quo loco sancitur, vt si Iudæus, qui se alteri Iudæo in seruum vendidisset, anno septimo, qui erat libertatis, & Sabbaticus, è domo heri sui liber à seruitute non fuerit egressus, egrediatur in Iubilæo; nec vltra illud in seruitute detineri possit. Redimi autem nonnunquam solitos à parentibus, immò & cognatis, atque adeo à se ipsismet quoque venditos filios; aut certè, ex ipsa legis sanctione licuisse, vt alia scripturæ loca taceam, expressum habes, C Exod. cap. 21. & Leuitic. cap. 25. vers. 47. *Si inualuerit apud vos manus aduenæ, atque peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe eius, post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum, & patruus, & patruelis, & consanguineus, & affinis, sin autem & ipse potuerit, redimet se.* Iam vero apud Romanos legem fuisse, eamque longè antiquissimam, vt pote ab vsque Romulo deductam, refert Dionysius Halicarnasseus, lib. 2. Antiquitatum Romanorum; quæ iuris tantum in liberos parentibus concederet, vt illos, si vellent à se, pacta mercede, atque accepto pretio distrahere liberè, atque

Apud Iudæos, vt apud alios plerosque populos, in graui necessitate, filij à parentibus vænire soliti, & pro pretio in seruitutem tradi.

Redimi etiã apud Iudæos interdum à parentibus soliti, venditi filij.

XXI.

Apud Athenienses & Romanos, ius item filios vendendi

liberos, sed a Constantino sancitum etiam ne filius perpetuò obnoxius esset seruituti, sed redimi possit

impunè valerent: quam etiam legem apud Athenienses viguisse tradit, Plutarchus in vita Solonis, à quo legem illam abrogatam fuisse etiam ibi commemorat. A Constantino quidem postea sancitum esse reperies, ne filius perpetuò esset obnoxius seruituti, sed vt aliquando redimi posset l. 2. de patrib. qui fil. distrax. lib. 4 tit. 43. Ex quo, liquet, ante hoc Constantini edictum, filium semel à patre venditum, ab ipso postmodum, in pristinam libertatis conditionem reuocari non potuisse. Quid quod D. Ambrosius lib. de Tobia cap. 8. suo etiam tempore id frequenter fieri authoritate publica, grauiter conqueritur, vt paternis debitis, in auctionem, & licitationem deducerentur, & sub hasta venderentur, cum scilicet, parentes ære alieno obstricti, soluendo non essent creditoribus. Et quoniam diui Ambrosii verba in eam rem plena succi, ac neruorum eloquentiæ sunt, huc adducere operæ pretium videtur, vt pote dignissima, quæ legantur, & audiantur. Sic igitur ille. *Vidi ego miserabile spectaculum*, inquit, *liberos pro paterno debito in auctionem deduci, & deduci calamitatis hæredes, qui non essent participes successionis, & hoc tam immane flagitium non erubescere creditorem instat, vrget, addicit: mea*, inquit, *nutriti pecunia pro alimoniâ seruitutem recognoscant, pro sumptu licitationem subeant: agitetur hasta de pretiis iugulorum, non immerito hasta agitetur, vbi caput quæritur, non immerito ad auctionem peruenitur, vbi sors possessur: hæc est fæneratoris humanitas, hæc debitoris stultitia, vt filiis, quibus non reliquit pecuniam, libertatem auferat; pro testamento, chirographum dimittat; pro emolumento hæreditatis, Syngrapham obligationis; quid sibi vult paterni in liberos scriptura maledicti, vbi nulla est impii offensa peccati? an potest durius aliquod esse maledictum, grauiusque, quam seruitus? & illa sæpe post mortem habet defunctus compendia, quod non spectat miserias filiorum; vendit plerumque vt pater liberos authoritate generationis, sed non voce pietatis, ad auctionem pudibundo vultu miseros trahit, dicens soluite filii, gulæ meæ sumptum, soluite paternæ mensæ pretium; vomite quod non deuorastis; reddite quod non accepistis, hoc meliores quod vestro redimetis patrem, vestra seruitute paternam emitis libertatem.* Hactenus verba D. Ambrosii, quibus, & miserandum parentibus, & intolerandum in filiis, ius paternum in filios, vt cætera omnia eleganter, suo more explicat, sanctus Pater: vt sane mirum non sit, si Iudæi à captiuitate Babylonica in patriam reuersi, tam ægrè, atque adeo iniquo animo ferant, eo se redactos angustiæ, vt filios suos, & filias à se distrahere, & seruituti subiicere cogantur; nec spes illis sit, in eo quo sunt rerum cardine constituti, fore, vt redimere eos vnquam possint. Et reuera, cum erepta quoquo modo libertas, ciuilis quædam mors existimari soleat, iure merito, dura illis cùm sua, tum suorum sors, ac conditio videbatur; propterea, præceperat Dominus, qua est animi lenitate, ac clementia, ne Hebræorum esset apud suos, perpetua, immo, neque diuturna seruitus, quæ mortis instar censeri solet; hinc illud Exodi 21. vers. 2. *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis*, & Deuteron. 15. vers. 12. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis seruierit tibi: in septimo anno dimittes eum liberum; & quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patiaris; memento quod & ipse seruieris in terra Ægypti, & liberauit te Dominus*: quam ipsam legem minus obseruatam, a Iudæis potentioribus sui temporis, grauiter conqueritur Hieremias, cap. 34. vers. 14. Et hæc hactenus, de venditione filiorum Hebræorum apud Hebræos à parentibus, per legem antiquam permissa, atque institui solita, quam lex Christiana vt pote mitior, & humanior pridem abrogauit.

Olim etiã apud Romanos pro paternis debitis liberi vendi ti.

Insigne diui Ambrosii testimonium de ea re.

Erepta libertas mors ciuilis existimatur.

Vetitum à Deo in lege antiqua, ne perpetua Hebræorum esset apud suos seruitus.

Ius in parentibus vendendi filios lex Christiana abrogauit.

X. QVÆSTIO PRÆAMBVLA. ad cap. VI.

An tota murorum Hierusalem instauratio inchoata, & perfecta fuerit, non amplius duorum & quinquaginta dierum interuallo, vti narratur cap. 6. vers. 15. Et quomodo illud minus incredibile videatur.

HVIVS quæstionis proponendæ ansam præbuerunt, qui difficile ad credendum sibi persuadent, tam angusto, ac breui temporis spatio tantam ciuitatem, muro, eoque vt apparet firmissimo, immo & triplici (vt plerique volunt) circumuallari potuisse. Sed & credendum, & facilius etiam creditu quam existiment, sentiunt Dionysius, Lyranus, interpres Eusebius, Villalpandus in apparatu vrbis, ac Templi, p. 1. libro tertio capit. 23. Tornialius sextæ ætatis anno 164. num. 1. Pererius lib. 10. in Danielem, quibus accedo perlibenter. Horum præcipua ratio est, quia videlicet id videtur in textu non obscurè expressum; sic enim loco citato capite nono Completus est murus vigesimo quinto die mensis Elul quinquaginta duobus diebus, ita sine vlla ambiguitate, aut varietate voluminum legitur in Hebræis, Græcis, ac Latinis; vt necesse fuerit, quod notat Salianus ad annum mundi 3609. num. 57. singularem in Iosepho fingendi, ac comminiscendi licentiam esse, qui ita scribit lib. 11. Antiquitatum cap. 5. *Atque in hunc modum perauravit (Nehemias puta) duobus annis, & tribus mensibus, tantum enim temporis elapsum est donec absoluerentur mœnia, vigesimo octauo Regni Xerxis anno, mense nono.* Sic ille, & ita habetur in Græcis ipsius, Latinisque codicibus. Ac licet prædictus author, in carpendo Iosepho nonnullis forte in locis, paulo videatur esse seuerior, tamen hîc rite, ac meritissimo iure cum suggillat. Primò enim quantum erratum est, quod viginti octo annos Xerxi tribuit; qui ne vigesimum quidem secundum expleuit, iuxta fideliorem Chronologiam; vt nihil dicatur de Xerxe, quem pro Artaxerxe posuit. Deinde cuiusmodi tandem alterum illud commentum est, quod dies quinquaginta duos in octingentos & viginti prolatauit, duos scilicet annos cum quadrante: veritus forte ne non faceret fidem Lectori suo, aut ne is perexiguam tum fuisse vrbem suspicaretur, non animaduertens, se tantum detrahere de diuina gloria, quantum tempori adderet. Notat enim Nehemias, eodem cap. vers. 16. vniuersas nationes circumpositas audisse tam breui tempore, tantum opus absolutum fuisse; & animo intra semetipsas concidisse, conliteri coactas à Deo factum esse opus hoc. Ad superiorem rationem, pro firmanda opinione quam sequimur, accedit & alia, nempe quod breuissimo tempore dicantur ædificandi, excisi, ac diruti Hierosolymitanæ ciuitatis muri, Danielis cap. 9. vers. 25. hic enim Propheta ibi vaticinatur. *Et rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum, &c.* Id quod accipi potest, vel de vexatione hostium Iudæorum, & qui eos ita vexarunt, vt armis succincti (quod 3. capite narratur) ædificare cogerentur; vel de breuissimo, angustissimoque tempore, quo ædificatio fuit absoluta nimirum duobus diebus, & quinquaginta. Neque satis vrbanè, aut prudenter fecisset Nehemias, si cum tam esset Regi, & Reginæ charus, vt constat ex cap. 2. ægreque laturi crederentur, si longam apud suos traheret moram, tantum temporis poneret in vrbe munienda, quantum nonnulli authores post Iosephum existimant. Iam vero, nec videri etiam omnino ad credendum difficile, quod ex scripturæ testimonio asserimus, vel ex eo conuincitur, quod nullum a labore vacuum tempus abirê

Qui nam authores sentiant vere ex scriptura confici, murorum Hierusalē absolutam perfectamque fuisse instaurationem, duobus & quinquaginta diebus.

Error Iosephi qui viginti octo annos Xerxi tribuit cum ne vigesimum quidem secundum expleuerit, & tantum duobus annis, & tribus mensibus, absoluta fuisse mœnia ciuitatis asseris.

In angustia stia temporum, hoc est breuissimo tempore ædificandos muros Hierusalem prædicit Daniel capite 9. versu 25.

Rationes ob quas creditu etiam difficile est tam breui tempore muros ciuitatis instauratos.

fuerit Nehemias; quòd in opere faciendo multa hominum millia laborarent dies noctesque summo studio, & diligentia: & Iosephus ipse, ait, præceptum fuisse à Nehemia, vt nec die, nec nocte, operis structura intermitteretur; sed omni cura, id opus continuaretur: Quod Principes ipsi Iudæorum aderant, qui ipsi præsentia sua, voce, manu etiam, cum referret, vrgebant; sic ædificantium multitudo, & ardor, & eo modo distributus labor, vt multis locis eodem tempore ferueret opus, effecit quoque, vt singulis penè momentis procederet, augereturque vehementius. Nec putes, mœnia ipsa omni ex parte (quod etiam in ipsa textus explanatione obseruamus, ab imis fundamentis excitata fuisse, sed cum interrupta fuissent, multis locis continuata tantum, & redintegrata. Quam expositionem ipsa scripturæ verba, cap. 4. vers. 7. de obducta murorum cicatrice, & cap. 6. vers. 1. de eorumdem interruptorum conclusione manifestè confirmant. Et certè licet olim Idumæi, Babylonios hortarentur, vt à fundamentis ciuitatem diruerent, iuxta illud Psalm. 136. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Hierusalem, qui dicunt, Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*, tamen, verisimile non est Chaldæos, negotium illud, etiã ad exsaturandũ odiũ, tam molestum, atque inutile, assumere voluisse; quare à iaciendis de nouo murorum fundamentis, in quibus ponendum fuisset multum laboris, atque operæ, liberati fuere ædificatores illi, sub Nehemia. Prætereà lapides quoque reliqui fuerant, ex antiqua ruina, & ad manus parata materia. Neque forsan necesse fuit quadrari, aut poliri saxa, cum è rediuiuo lapide impleri possent ruinæ; & quæ concussa fuissent, aut collapsa facili negotio ex eo restitui. Vnde sic disputo; tam multa hominum millia, quæ Hierosolymis erant, dies noctesque laborantia, à quo labore ne mulieres quidem, vt credibile est, abessent non fuisse necessaria, vt duobus annis & tribus mensibus opus perficeretur, quemadmodum somniasse videtur Iosephus. Nec est, quod quis templum Salomonis, aut eiusdem palatium nonnisi post multos annos exædificatum obiiciat; nam in illis nonnisi pretiosi lapides adhibebantur, & multa arte expoliti; quin & maiori etiam artificio, omnes ædificii partes

A disponebantur; at muros hosce firmo potius quam eleganti opere, vel artificio peractos esse, par est existimare. Adde Iosephum (quod eidem ipsi exprobrat iam ante citatus Salianus) ex Alexandri Magni gestis discere potuisse, eum ad Tanaim nouæ Alexandriæ muros 60. stadiorum longitudine, longe breuiore spatio temporis excitasse. Nam Quintus Curtius septemdecim duntaxat dies numerat. Arianus 20. vt mirum adeo non sit, nec incredibile totam ciuitatem Hierosolymitanam intra dies duos, & quin-

Alexãder muros nouæ Alexãdriæ 60. stadiorum longitudine septemdecim vt aliqui, viginti, vt alij volunt dierũ spatio excitauit.

B quaginta mœnibus circumuallatam fuisse. Sunt quidem, cum Vatablo, & Sa, recentiores etiam aliquot alii, qui hos quinquaginta duos dies numerant, à tempore quo missa est epistola illa, à Sanaballat ad Nehemiam, qua eum pertrahere conantur hostes Iudaici nominis in locum insidiis paratum, vt habetur ipso statim sexti capitis initio; sed id (quod bona illorum venia dictum sit) sine vllo scripturæ fundamento asserunt, immò scriptura non obscurè repugnat, quæ ait missos quater nuncios ad Nehemiam, & postremò epistolam à Sanaballat. *Cum audisset*, inquit Nehemias, *quod ædificas-*

C *sem ego murum, & non esset in ipso residua interruptio*. Quid quod eadem scriptura dicit factum esse toto hoc opere absoluta, *Vt vniuersæ gentes quæ erant in circuitu Iudæorum, timerent, & conciderent intra semetipsas; Et scirent quod à Deo factum esset opus hoc*: At hæc superiorum authorum expositio, omnem aufert timoris, siuè admirationis occasionem. Quid enim habet insigne, aut quod literis notari mereatur; quod intra dies quinquaginta duos murus absolutus fuerit? ab accepta epistola à Samaritanis; immò

Non sunt numerandi dies 52. quibus perfecta est murorum ædificatio à tẽpore quo missa est epistola à Sanaballat ad Nehemiam vt quidam opinantur.

D si intra decem, aut quinque, aut duos dies? Et si ab illa epistola extrema, à Sanaballat ad Nehemiam data, ad murorum, portarumque perfectam conclusionem, tot supererant dies, quot, ex scriptura depromunt; quid erat, cur tam essent Samaritani solliciti, atque anxii; cum per illud tempus cogere possent inimicas acies commodissime, & in tot locis nondum munitis aut instauratis, apertam ciuitatem inuadere? Denique si quis tempora dimetiatur à mense primo *Nisan*, quo obtinuit Nehemias facultatem instaurandæ ciuitatis, murique eius extruendi, vsque ad vigesimum quintum

tum

tum sexti mensis, & ex eo tempore & apparatum itineris. & iter ipsum à Perside in Babylonem, à Babylone Hierosolymam auferat, facile intelliget non plus temporis ædificationi datum fuisse quàm diximus; nisi quis vnum annum, aut duos cum Iosepho, non maiore quam ille fundamento interserat, quos ex supradictis expungere facile est. Stet igitur illud ratum, fixumque ex communi meliorum authorum sententia, intra duos dies supra quinquaginta, totam murorum Hierusalem structuram diuino auxiliante numine perfectam fuisse.

XII. ANNOTATIO PROOEMIALIS ad Cap. VIII.

De inuentione ignis sacri à Nehemia, aliisque nonnullis, quæ celebritatem Tabernaculorum peractam à Iudæis vrbe iam reædificata celebriorem reddiderunt, de qua cap. 8. libri 2. Esdræ.

XXIV.

Multiplici miraculo celebrior reddita festiuitas scenopegiæ facta à Iudæis, postquam reædificata est ciuitas à Nehemia.

INSIGNEM illam Tabernaculorum celebritatem, de qua Nehemias fusè in textu cap. 8. multiplici miraculo redditam à Deo celebriorem, sentiunt nonnulli authores non infimæ notæ, in quibus Torniellus in 6. ætate ann. 164. num. 13. Et Ribera l. 5. de templo cap. 17. Ac primum per scenopegiæ dies, ignem de cœlo allatum, quo crassa illa aqua inflammata est; cuius mentionem facit scriptura l. 2. Machabæorum cap. 1. vers. 18 & sequentibus. *Facturi*, inquit, *quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem templi, in memoriam scilicet templi à Machabæo emundati, necessarium duximus, significare vobis, vt vos quoque agatis diem scenopegiæ, & diem ignis qui datus est, quando Nehemias ædificato templo, & altari, attulit sacrificia, &c.* Ex quo sic ratiocinari licet, cum scriptura diem ignis, & scenopegiæ simul coniungat, non obscurè significari, hoc ignis miraculum, eodem tempore contigisse. Scio quidem Serarium in 2 Machabæorum existimare diem illum ignis, fuisse diem encæniorum, seu renouationis, & dedicationis templi secundi, qui dies incidebat in tertium mensis *Adar*, anno sexto Darij Regis, vt scriptum est 1. Esdræ 6. vers. 15. cumque celebratum fuisse, in morem festi Tabernaculorum, vt constat ex 2. Machab. 10. vers. 6. & ex eo confirmari videtur, quod dicatur Nehemias obtulisse sacrificia, ædificato templo, & altari; sed temporum ratio, satis cum eo non conuenit: nam noster hic Nehemias, Dux & Sacerdos, non fuit missus à Rege Persarū Hierosolymam, nisi post duos circiter & septuaginta annos, ab illa dedicatione templi, totidem enim anni fere numerantur in nostra Chronologia, à 6. Darij vsque ad 20. Artaxerxis, vnde longæuus nunc esset, supra communem hominum ætatem, & centenario multò prouectior; qui tamen multos adhuc vixit annos, vt patet ex cap. 13. huius libri vers. 6. Celebritas autem illa purificationis templi, quæ 2. Machab. cap. 10 memoratur, & dicitur facta diebus octo, in modum Tabernaculorum, specialiter hoc modo facta est, vt ibidem quoq; dicitur, in recordationem, quod non longo ante tempore, festum ac solemnem Tabernaculorum diem in mōtibus, ac speluncis more bestiarum egissent, vt habet sacer textus vers. 6. ex quo sanè inferri non potest, tempore Darij, vel Artaxerxis, eodem modo tēpli dedicationem factam fuisse. Adde, verba illa supra allata, ad firmandā Serarii sentētiam, *Quando Nehemias ædificato templo & Altari obtulit sacrificia*, non significare, Nehemiam ædificasse templum, & altare, qui ne tùm quidem erat Hierosolymis, vti diximus; sed tantum sacrificasse post ædificatum

In illam festiuitatem scenopegiæ incidit inuentio ignis sacri contra Serarium, qui eam ad diem Encæniorum seu renouationis & dedicationis templi secundi refert.

Fundamentum sententiæ Serarij euertitur.

templum, & altare, non ab ipso quidem, sed à Iosue, & Zorobabele, quibus tantùm in Ecclesiastico capite 49. vers. 13 atque 14. ædificatio templi tribuitur, excluso Nehemia; cui statim consequenter, murorum euersorum erectio assignatur: stet igitur, habeaturque pro certo, illis scenopegiæ diebus, quos enarrat ipse Nehemias hoc suo libro, iuxta superiorem scripturæ assertionem, loco Machabæorum proxime citato, miraculum ignis sacri contigisse. Cæterum totam historiam de prodigiosa illa ignis sacri inuentione à Nehemia conscriptam 2. Machabæorum eleganti paraphrasi persequitur & illustrat diuus Ambrosius lib. 3. Officiorum cap. 14. quàm hîc adducere operæ pretium erit forte non exiguum. Sic igitur ille: *Cum in Persidem ducerentur patres nostri, qui tunc Dei omnipotentis cultores erant, acceptum ignem de altari, Sacerdotes Domini in valle absconderunt; erat illic veluti patens puteus aquæ, secessu infrequens, nec populari vsui patens, ignoto & ab arbitris remoto loco: ibi obsignauerant indicio sacro pariter, ac silentio, ignem reconditum: Non illis studio fuit aurum defodere, argentum abscondere, quod seruarent posteris suis, sed inter extrema sua, honestatis curam habentes, sacrum ignem seruandum putarunt, ne eum vel impuri contaminarent, vel defunctorum sanguis extingueret, vel deformium ruinarum aceruus aboleret: abierunt itaque in Persidem, sola religione liberi, quoniam sola illis per captiuitatem extorqueri nequiuit. Post plurimum vero temporis, quando placuit Deo, dedit hanc mentem Regi Persarum, vt instauraret in Iudæa templum, & legitimos reparari Hierosolymis ritus iuberet; cuius gratia muneris Nehemiam Sacerdotem Rex Persarum direxit. At ille, secum deduxit illorum Sacerdotum nepotes, qui profecturi de patrio solo, sacrum ignem absconderant: Venientes autem, vt patrum sermone est proditum, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, & cum deesset ignis, quo adolerent altare, haurire eos aquam Nehemias Sacerdos, sibique deferre, & aspergere super ligna iussit. Tunc, visu mirabile; cum esset cælum tectum nubibus, sol repente illuxit, & accensus est magnus ignis, ita vt omnes in tam euidente Dei gratia factum stupentes lætitia perfunderentur. Orabat Nehemias, psallebant Sacerdotes hymnum Deo, vsquequo consumptum est sacrificium: Iussit iterum Nehemias residua aqua maiores perfundi lapides, quo facto flamma accensa est; lumen autem refulgens ab altari consumptum illicò est. Hoc patefacto indicio, Rex Persarum, in eo loco in quo ignis fuerat absconditus, ac postea reperta est aqua, templum fieri mandauit, cui inferebantur dona plurima.* Hæc Ambrosius, quæ licet apertam satis historiæ expositionem continent, tamen in textu ipso 2. Machabæorum retexendo, cursim aliqua obseruanda sunt, & breuiter explananda. Ergo, *Cum in Persidem*, inquit sacer author, *adducerentur patres nostri, Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, &c.* id est præ cæteris pietate præstabant, *acceptum ignem de altari absconderunt in valle, vbi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita vt omnibus ignotus esset locus, &c.* Persidem vides hic pro Chaldæa positam; vel quia in Persidem rursus deducebantur captiui; vel quia reuera plerique eorum in Persidem, Cyro rerum potiente profecti sunt; vel quia Babylonia ipsa, Persidis nomine & appellatur, & iudicatur; quod hæc illam deuicerit, & vt iugum, sic & nomen illi suum quodammodo, veteri abrogato imposuerit. Obseruasa item in Græco distinctius haberi partem ignis ex altari incensi acceptã, & in cauerna sicci putei repositã, sequitur mox, *Cum autem præteriissent anni multi*, tres videlicet supra 160. puta 93. ab initio imperii Cyri, & 70. desolationis; *Et placuit Deo vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis, nepotes Sacerdotum illorum qui absconderant misit, ad requirendum ignem, & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam.* Hoc iam primum miraculum est, atq; annotatione dignum; vt ignis in aquam, & quidem crassam verteretur, &c. Pergit, &c. *Et iussit eos haurire & afferre sibi, & sacrificia quæ imposita erant iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua & ligna & quæ erant superposita, &c.* quo loco aduerte (quod etiam alibi obseruamus) etsi in textu Græco, Nehemias non vocetur Sacerdos, sed tantum dicatur, iussu Nehemiæ Sacerdotes inspersisse aqua tam ligna, quam hostias; tamen quia tota hæc administratio sacrificii plane Sacerdotalis est, satis superque, vel ex eo conuinci, de Sacerdotali genere fuisse Nehemiam. Nec sanè si non fuisset, temeritatem illam admiscendi se in re

Elegans Ambrosii paraphrasis de inuentione ignis sacri.

XXV. Explicatur loci Machab. 2 de sacri ignis inuentione.

Persis pro Chaldæa posita.

Per miraculum ignis in aquam conuersus.

sacrificali, ipsisque Sacerdotibus dum suum ipsi munus obirent, imperando, sicut nec olim Ozias impune tulisset. cũ è contrario nouo miraculo alterum fuerit confirmatum, *Nam vt hoc factum est, & tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur*, nempe animaduertebant renouata tum Eliæ miracula, de igne cœlitus aduocato 3. Reg. 18. vers. 34. vnde hoc quoque tempore ex admiratione orationem fecerunt, & in Dei laudes effusi sunt, donec consumptum esset sacrificium. *Tunc autem Nehemias ex residua aqua iussit lapides maiores perfundi*; At B qui essent maiores hi lapides, non satis constat. forte intelligit lapides inferiores altaris, ad quos sæpe hostiarum sanguis, vt nunc aqua, fundebatur vsque ad imam crepidinem eius; quod si (vt notat Salianus, ex quo extrema hæc obseruatio fere deprompta est) κατεχεῖν vertas, infundi, capi, contineri, vt recte potest, tum sensus esse poterit, reliquum aquæ crassæ immistum, intra lapideas venas, indeque rursum ignem emicuisse; vnde sequitur, *quod vt factum est*, vide etiam hic iterari miraculum, *flamma accensa est, sed ex lumine quod refulsit ab altari consumpta est*. Vbi lumen pro igne sumitur, significatque ignem, qui erat perpetuus in altari, ita exarsisse, vt aqua, quæ in lapidibus erat, inflammaretur, ac consumeretur. Sic igitur intellige, cum peractum esset rite sacrificium, iubente Nehemia, aspersos fuisse lapides, ea aqua crassa, quæ ex prædicto puteo fuerat extracta; ex qua lapides, quasi admoto igne, conceperunt incendium, quod ignis, qui supra altare fuerat suo splendore confestim oppressit. Existimat autem proxime citatus author, hoc ipso tempore, non solum ignem, siue aquam illam crassam, pro eo, inuentam esse. sed & Tabernaculum quoque, & Arcam, & altare incensi, cum Torniello, & nonnullis Hebræis; sed vt complures alios taceam, illis aduersantur pleriq; etiam Hebræi, qui fatentur quinque defuisse in posteriori templo, quæ in Salomonico fuerant, nimirum, Vrim & Thumim. id est rationale iudicii, arcam, ignem, diuinitatem, & spiritum propheticum. De Arca non alibi diximus. Cæterum delato ad Artaxerxẽ Longimanũ seu Assuerum nuncio, de igne tot annis in subterraneo loco abscondito, & in a- A quam crassam, & inde rursus, in ignem conuerso, & rei nouitatem vehementer admiratus est Rex, tantoque magis, quo maiore apud Persas in veneratione ignis semper fuit; Itaque veritatem primum diligenter inquiri iussit, atque examinari, tum cum locum sanctum & religiosum haberi voluit, cumque ac Sacerdotes ipsos multis donariis, & muneribus locupletauit, idque significant illa scripturæ verba 2. Mach. 1. v. 33. & 34. *Considerans autem Rex, & rem diligenter examinans fecit ei templum, vt probaret quod factum erat, & cum probasset, Sacerdotibus donauit multa bona, & alia atque alia munera, & accipiens manu sua tribuebat eis, &c.* Hic dubitant interpretes quodnam sit templum illud, quod ædificatum dicitur, & extructum ab Artaxerxe Persarum Rege. Quidam interpretantur de templo Hierosolymitano vehementius exornato, & nouis muris ad loci tutelam exterius circumsepto; eo quod aliud templum, præter Hierosolymitanum, in solitudine extrui nisiquam passurus fuisset Nehemias. Et licet templum, sub Cyro, primũ inchoatum, deinde sub Dario absolutum fuerit; est tamen in Hebræorum idiomate C non infrequens, vt is dicatur fecisse illud opus, quod extructum ab aliis ornauit, & amplificauit. Sic Danielis 4. Nabuchodonosor, dicit, ædificatam à se Babylonẽ, cum ab aliis multis ante sæculis esset constructa, quia scilicet illã ampliorem reddiderat. & ornatiorẽ. Certè vt ad Artaxerxem redeamus, magnum illum miraculum, aquæ in ignem conuersæ, ad sanctum, atque legitimum altaris vsum, quod in ædificato à Zorobabele templo, pro sacrificiis erectum fuit, merito quidem iure eum commouere potuit, vt templum magnificaret, & donis non vulgaribus D locupletaret; atque ita sentiunt Sancti Thomas, Lyranus, Dionysius, Hugo, quod etiam mihi non displicet. Alii ædificatum tradunt templum ab Artaxerxe, vbi puteus erat, in quo absconditus fuit ignis. Ita Ambrosius loco supra à nobis citato, *Rex, inquit, Persarum in eo loco in quo ignis fuerat absconditus, & postea reperta est aqua, templum fieri mandauit*. Idem Genebrardus, in Notationibus Chronicis, vbi hoc templum, suspicatur fuisse probaticam Piscinam, cuius in Euangelio mentio est, Ioan. 5. sed ex Græco quãtũ opinor, res tota satis clara est. sic enim fideliter vertitur, *Rex autẽ approbata re*

Lumen pro igne sumitur.

Ex Hebræorum sententia quinque defuerunt in secundo temploque in Salomonico fuerunt.

XXVI.

Quid sit templum illud, quod dicitur ædificatum ab Artaxerxe post ignẽ sacrum inuentum.

locum circumscriptum sacrum reddidit, & quib gratificabatur Rex, multa excellentia accipiebat & dabat,* διάφορα enim pro δωρήματα, positũ Serarius putat. Quæstiuncula 14. in hunc locum 2. Machab. nec vero absurdum est, exiguum etiam locum alioqui sacrum, tẽplum dici, vt de lucis, asylis, & similibus notum est, sed nec illius absurdum, locum aliquẽ extra templum à Iudæis sanctum æstimari, & eo nomine honorari. præsertim in quo Deus aliquid præter naturæ ordinem perpetrasset; vt probaticam piscinam, immò & sua oratoria. An autem Artaxerxes ignem honorari, gentis suæ ritu, & Persica superstitione voluerit, an potius mirabilem omnium effectorem Deum, qui & aquam ardere faceret, & eandem ex igne produceret, & si non est facile de eo rectè, & certò statuere; tamen in meliorem partem, vt propendeam facit, Esther tũm Regina, & Mardochæus, qui hanc occasionem non omiserint, Regem ad pietatem propensum, & veri Dei non ignarum, vt ex eius decreto pro Iudæis, cap. vltimo, Esther vers. 16. perspicuum est, rectè dirigere. Sic tanta Dei bonitas est, vt quemadmodum ait S. Augustinus, è malis etiam bonum eliciat: Nam cum ex delapso cœlitus igne, qui memoratur in sacris Scripturis aliquoties, etiam apud se, lapsum ignem, vel excitatum diuinitus, Gentiles fabularentur, apud Plinium l. 2. c. 110. Seruius lib. 12. Æneid. omnium vero maximè, Persæ, apud Ammianũ l. 23. quibus etiam ignis sacer & perpetuus erat, multaque item Pyrithea & πυρὸς ναοὶ, seu ignis templa, vt vocat in Cosroë Cedrenus, istam Persarum Regis huius, vel opinionem, vel superstitionem potius, in bonam iam conuertit Deus, suumque verum opus, ac beneficium, à Barbaro etiam coli ornarique voluit vehementer. Et de his hactenus.

Locus aliquis sacer licet exiguus tẽplum dici potest.

XIII. QVÆSTIO PRÆAMBVLA. ad cap. VIII.

An festum Tabernaculorum à Iudæis celebratum instauratis iam mœnibus ciuitatis Hierusalem, de quo narratur cap. 8. Alterum sit ab eo de quo supra libro primo, capite tertio.

XXVII

CERTVM est de huius Quæstionis materia, aut nullo modo, aut breuiter admodum, atque obscurè loqui Authores, vt ei proponendæ, tractandæue supersedere sine vlla nota facile potuerim: Cum tamen attentius legendo, deprehenderim videri quibusdam, de ea re dubitari posse, non immerito, quædam hic à nobis delibanda sunt, & certo statuenda: ac primùm quidem fateri Sanctium se olim in ea opinione fuisse, vt crederet, satis esse probabile, cap. 8. huius libri Nehemiæ, sermonem tantum esse de festo Tabernaculorum, quod celebratum longe ante à Iudæis fuerat, statim à primo reditu è Babylone in Iudæam, sub Zorobabel, & Iesu filio Iosedech, de quo Esdræ lib. 1. capite tertio, non autem de altero, vt plerique omnes sentiunt, quod, secundo, sub Duce Nehemia, maiori sumptu atque apparatu peractum sit, atque ita nihil adduci eo capite, aut describi nouum, ab authore sacro, sed quod ante paucis perstrictum fuerat ab Esdra, id tantum pluribus & explicatius narrari à Nehemia. Eius porro, vt & aliorum, qui in eo dubio versati, adhuc etiamnum quærit rationes in speciem magis graues, hæ sunt, opinor, quod in hoc Nehemiæ libro, quemadmodum toto ferme cap. 7. quod scriptum est ab Esdra cap. 2. lib. 1. de eorum numero, & censu, qui redierant in Iudæam, ex decreto & concessione Cyri repetit Nehemias, sic etiam quæ narrat idem ipse Nehemias, capite 8. admodum

Rationes eorum qui censent vtrobique eandem celebritatem narrari.

nihil, distare videantur, ab iis quæ ab Esdra cap. 3. narrata sunt; cum principium capitis octaui Nehemiæ, idem omnino sit, cum tertii capitis Esdræ exordio, & eodem omnino filo, ac textu coniungatur: vt enim libro superiore finis capitis secundi est. *Habitauerunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, & de populo, & Cantores, & Ianitores, & Nathinæi in vrbibus suis, vniuersusque Israel in ciuitatibus suis.* Et statim in principio capitis tertii dicitur. *Iamque venerat mensis septimus, & erant filii Israel in ciuitatibus suis. Congregatus est ergo populus quasi vir vnus in Hierusalem,* sic in hoc libro idem finis est capitis septimi, idem octaui principium, iisdemque omnino verbis vtrumque expressum, vnde concludi probabiliter possit; cum vtrobique festi Tabernaculorum celebrati à Iudæis fiat mentio, nihil à Nehemia nouum dici, sed eorum tantum narrationem retexi, quæ multo ante, authore, & hortatore Esdra, perfecta fuerant. Altera ratio est; quod cum iam diu, ante hoc tempus Nehemiæ, id est, antequam populo præesset, ac muros Hierusalem ædificasset, Esdras Legis peritissimus, idemque Sacerdos Hierosolymæ fuerat, cui id datum esset negotii, ab Artaxerxe Rege Persarum, quod ex superiori libro cap. 7. vers. 15. liquet, vt disciplinam collapsam restitueret, & mores Iudæorum ex longa, cum Chaldæis consuetudine corruptos corrigeret, minus vt apparet credibile est, tamdiu continuisse zelum suum, & ad hunc vsque articulum, populo, neque legisse librum, quem ipse tanto studio, aut dissipatum collegerat, aut emendarat corruptum; neque explicuisse legem, aut mandata eius, ac ceremonias docuisse, vti factum ab eo dicitur, instaurata iam ciuitate, cap. 8. huius libri, quem non temere, quidam opinantur, hunc ideo secundum Esdræ librum inscribi posse ac dici, licet à Nehemia scriptus fuerit, vt supra in Quæstionibus præambulis ostendimus, quod, in eo, quid fecerit Esdras, continetur scriptum luculentius, & quid breuiter scripserit, proditur explicatius. Sed a communi sententia recedere non licet, quæ diuersam à diuersis authoribus narrationem contentam ponit, & duplex vario tempore festum Tabernaculorum à Iudæis celebratum; alterum sub Cyro, Templo nondum inchoato; alterum sub

XXVIII. Sententia communis probabilior de duplici festo Tabernaculorũ variis temporibus peracto.

A Artaxerxe Longimano, ædificata iam ciuitate. Hanc sententiam tuetur multorum authoritas, & suis etiam rationibus firmari potest: nam præterquam in vtraque narratione, variæ locorum, temporum, ac personarum etiam circumstantiæ, aut adiunguntur, aut iudicantur. quæ rem omnino variam ab authoribus describi satis significant, vt legenti facile patebit, ex omnium optimis, vna mihi videtur hæc esse ratio, quod ex magna capitis septimi parte, & ex initio capitis octaui, manifeste constat, & censum populi factum à Nehemia, & videri etiam B eundem populum ab eo coactum fuisse, ad sacram festi Tabernaculorum celebritatem, eo consilio, vt ex tota Iudæorum multitudine, qui magis essent idonei ad vacua ciuitatis spatia complenda, seligeret, ciuemque numerosiorem deinceps, ac ciuibus potentiorem intra mœnia, quotidianis hostium insultibus opponeret, hinc iam citato capite septimo, inspiratam dicit sibi à Deo illam cogitationem, vt populum congregaret, post absolutam videlicet murorum ædificationem: *Deus autem dedit in corde meo*, inquit, C *& congregaui optimates, & magistratus*, vers. 5. Deinde cap. 8. vers. 1. *Congregatusque est omnis populus quasi vir vnus, ad plateam, quæ est ante portam aquarum, &c.* Vbi de lege, multis diebus, ab Esdra edocentur, & de festo Tabernaculorum celebrando præmonentur, sub cura ac præfectura Nehemiæ, vti eodem capite recensetur. Alterum igitur fuit hoc festum Tabernaculorum ab eo quod sub Zorobabele, centum prope annis ante fuerat celebratum, atque adeo optima ratio fuit aduocandi Iudæos in Hierusalem huc illuc per vicinas ciuitates dispersos, quod per Sacerdotes, ac Leuitas fe- D stum Tabernaculorum omnibus indixerit Nehemias, ac vulgari imperarit, nec enim eiusmodi celebritas, alibi vspiam celebrari poterat, præterquam in Hierusalem, vt habetur Exodi 34. vers. 23. & 23. vers. 17. Quod autem in vtrisque vtriusque libri, primi scilicet, & secundi Esdræ citatis capitibus, huius 7. & illius 8. eadem verba sint, quid mirum? si re, aut pene, aut omnino simili, sed quæ variis temporibus facta sit, explicanda, varii authores, eiusdem gentis, atque idiomatis, iisdem verbis vsi sint? Quod de Esdra opponebamus, non videtur hominem arden-

Refelluntur rationes contrariæ sententiæ.

tissimo legis Dei zelo flagrantem, vt credere par est, incensoque diuini cultus propagandi desiderio, tamdiu fuisse populum, e captiuitate reducem, in ipsa legis ignoratione, vel contemptu, permanere, vt extremo hoc reditu, sub Nehemia sacros libros ab eo legi, exponique, & de festis diebus, aliisque sacris cæremoniis ritu legitimo obseruandis, sic edoceri oportuit, quasi nihil antea de rebus ad legem, & religionem pertinentibus vsquam audissent. Respondeo, bene id quidem, si toto illo tempore, quod inter Cyrum, immo inter Darium, cuius regni anno sexto Templum perfectum est, & Artaxerxem intercessit, pacata, ac tranquilla fuissent omnia apud Iudæos; sed quàm confusa, & perturbata erant? adde Esdram, vt multi existimant, cum Zorobabele, iam absoluto Templo in Babylonem rediisse, licet de tempore non constet; at tum in iis quæ ad sacra & Religionem pertinerent præesse non potuit; quin & alii è Iudæis subinde è Iudæa in Babylonem, è Babylone

A in Iudæam alii transmigrabant, sic vt ab illis nec quæ legis essent sciri aut condisci commode, nec multo minus etiam obseruari vsquam possent. At inquies 7. anno Artaxerxis Longimani Esdras è Babylone Hierosolymam reuersus est: ita sane, sed ab eo tempore vsque ad annum Regni Artaxerxis vigesimum, forte etiam adhuc è Iudæa in Persidem rursum remigrauit, ibique aliquantum est commoratus: deinde Iudæi ipsi reduces soluta licet captiuitate tamen tunc temporis, vt nec ciuitatem Hierusalem mœnibus cinctam, sic nec in ea sedem omnino fixam habuere. Quare muris iam in-

B stauratis, & ciuitate ædificata, opus fuit populo, cum sedem ibi iam fixam, statamque haberet, & Duce Nehemia vt in officio contineretur, & Doctore Esdra Legis peritissimo, vt in iis quæ ad res sacras religiose obeundas spectarent Instituerentur. Et hæc soluendæ supra à nobis propositæ difficultatis satis.

XIII. ANNOTATIO PROOEMIALIS, ad cap. X.

De Primitijs & Decimis quas olim ex lege, Templo, Templique ministris debebant Iudæi, quasque in Iudæam reduces è captiuitate religiosius se persoluturos pollicentur, cap. 10. vers. 35. 36. 37.

XXIX. *Quinque expendenda de Primitiis, ac Decimis.*

NEC erit opus tam multa in textus explanationem congerere, locis citatis, vbi hæc lector audieris Primò quidnam propriè fuerint Primitiæ? quid Decimæ? 2. an multiplices fuerint? 3. in quorum vsum & commodum cesserint? 4. qua lege & quo iure instituta? 5. quinam & num omnino omnes hac lege tenerentur.

Quid Primitiæ, & quemodo à Decimis distincta. Quoad primum, vt quid Primitiæ fuerint, & quemadmodum, a Decimis distinguerentur intelligas, primo nominis ipsius notationem expende, &

C aduerte variis passim nominibus in scriptura tum hoc libro Nehemiæ, tum in libro Numerorum eas appellari, modo enim Primitiæ, modo primitiua, modo primogenita, modo frugum initia, dicuntur, Græcis ἀπαρχαί, Hebraice, *Therumoth*; *Leuationes*, seu *Eleuationes*, quoniam eleuabantur sursum, quando Domino offerebantur, sicut & aliæ oblationes, quæ paulo latius accepto nomine vocantur etiam Primitiæ, Græcis quoque πρωτογεννήματα, vnde Primitiæ proprie dictæ, quod, ex vocibus istis, varii licet idiomatis, pleræque omnes indicant, fruges sunt, seu fructus primi, prodeuntes e terra, qui *Primitiæ variis nominibus in scriptura appellata.* *Quid propriè Decimæ, quid Primitiæ.*

primum colliguntur, ex arbore puta, aut vite, immo & quæ primitus sumuntur de fructibus, ex agro deductis, atque ita sic Primitiæ distinguūtur à Decimis, vt Primitiæ primi quidem fructus, Decimæ vero decima pars fructuum dicantur, illæ iuxta legem, immediate offerantur Deo in gratiarum actionem, pro frugibus terræ, hæ proximè Sacerdotibus dentur, in stipendium sustentationis pro ministerio, quo Templo deseruiunt. Primitias autem aliquando late accepto nomine, sumi pro quouis oblationis genere monstrat is locus Numerorum 18. vers. 11. vbi sic Deus ad Aaronem, *Primitias quas voluerint & obtulerint filii Israel, tibi dedi, & filiis tuis*, Primitias, id est oblationes, ita enim habent Hebræa: *Oblationem doni eorum, omnes oblationes quas obtulerint filii Israel dedi tibi*: quasi dicat, dedi etiam tibi, ô Aaron, & filiis tuis, Sacerdotibus, quidquid ad immolandum, dono dederint, & obtulerint, filii Israel, nam de sacrificiis, hoc loco, agi patet, ex eo quod sequitur. *Omnis mundus vescetur ex eo*, ex Primitiis enim, Decimis, & aliis sponte oblatis, nec tamen immolatis, poterunt vesci etiam immundi, supra item vers. 8. *Ecce dedi tibi custodiam Primitiarum mearum &c.* Primitiarum, id est oblationum, vnde sequitur, velut explicationis causa, omnia quæ sanctificantur à filiis Israel, id est omnia quæ mihi segregantur, & offeruntur, *tradidi tibi &c.* nam Hebraicè est: *dedi tibi custodiam oblationum mearum*, puta omnium sanctitatum, id est sanctificatorum filiorum Israel, vt videlicet custodias, id est custodiri iubeas, & cures omnia quæ filii Israel Deo offerunt & consecrant. Sed ad Primitias proprie dictas redeamus, & quam multiplices, seu quàm varii generis fuerint in lege Mosaica videamus. Ex scriptura quadruplices, seu in quadruplici genere Primitias fuisse comperio, quas pendere olim solerent Iudæi. 1 Primitias spicarum, die secunda Azymorum, vt habetur Leuitic. 2. vers. 10. *Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum Primitias messis vestræ ad Sacerdotem qui eleuabit fasciculum coram Domino &c.* Spicarum scilicet hordei, quod, illo tempore, puta in Martio, vel Aprili, sub Pascha, maturescit in Palæstina, vbi obseruandum ex bonorum authorum sententia, non fuisse istas spicarum Primitias vniuersales, ita vt omnes obligarentur earum manipulum offerre, sed offerebant, quotquot volebant offerre, sponte sua, & ex deuotione. Ex quibus omnibus, Sacerdos accipiebat vnum quem Deo offerebat, oblatum, torrebat, & siccabat, siccatum excutiebat, granaque excussa comminuebat, atque ex farina comminuta, imposito simul thure, & oleo, pugillum accipiebat, quem cremabat, & adolebat Domino, vt præscriptum est cap. 2. Leuitic. vers. 14. Reliqui vero manipuli spicarum, earumque grana, & farina, cedebant in ius, & vsum Sacerdotum 2. pendebant etiam Iudæi Primitias panum in Pentecoste, sic enim Leuitic. 23. & 17. *Offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes Primitiarum duos*, scilicet, erant hi panes, Primitiæ messis triticeæ, quæ dabantur Sacerdotibus, & singulæ familiæ, hasce panum Primitias in Pentecoste offerre debebant, vti lege sancitur, contra quam de manipulo spicarum in Paschate diximus. Ac licet Abulensis intelligat singulos non ex proprio quidem agro, vel domo hos panes attulisse Hierosolymam, sed emisse Hierosolymæ, eosque Templo obtulisse, vt ibidem columbæ, oues & boues, ac victimæ aliæ vendebantur. Tamen scriptura Hebræa contrarium hic significat, sic enim habet: *Ex omnibus habitaculis vestris adducetis panes eleuationis duos*, quæ verba satis indicant, vnumquemque, proprios panes, ex sua domo adducere debuisse ad Templum, vt videlicet singuli suarum frugum Primitias, in gratiarum actionem Deo dependerent. Hæc enim vna fuit causa, cur festum Pentecostes sit institutum, scilicet vt in eo Primitias panum Deo offerrent, teste Iosepho lib. 3. Antiquit. cap. 10. ad quam accedit & altera vt Hebræi recordarentur, legis datæ in Pentecoste, & pro ea gratias agerent, atque adeo dum legem ipsi recolerent, diligentius, eam quoque ac studiosius ipsi obseruarent. Tertium Primitiarum genus fuit panum quos hebdomadatim pinsebant Iudæi, vti significatur Numerorum cap. 15. vers. 18. & sequentibus. *Cum veneritis in terram quam dabo vobis, & comederitis de panibus Regionis illius, separabitis Primitias Domino de cibis*, id est, *de panibus vestris, sicut*

Primitiæ aliquando sumuntur pro quouis oblationis genere.

XXX. *Quadruplicis generis Primitiæ a Iudæis pendi solita.*

Primitiæ spicarum die 2. Azymorum.

Primitiæ panum in Pentecoste.

Quisque ex sua domo panes offerebat in Pentecoste offerendos pro Primitiis, quæ vna fuit causa festi illius institutionis, sicut & in memoriam legis datæ.

Primitiæ panum quæ singulis hebdo-

madis esse rebantur, & pulmenta vocantur: quia Veteres cum Romanis, tum Hebræi pultibus pro pane vtebantur.

ac areis Primitias separatis, ita & de pulmentis dabitis primitias Domino. Primitiæ erogandæ erant, id est, de pulmentis, id est, de panibus, ita Hebræi, Chald. & 70. panes autem eo loco vocantur, pulmenta, quia prisci, tam Romani, quam Hebræi, pultibus, pro pane vtebantur. Et cum de illis omnibus cibis, Primitias quotidie dare Deo penè fuisset impossibile, tantummodo cum panes pinserent Hebræi panem aliquem loco Primitiarum dabant Sacerdotibus, aut Leuitis iis, qui in illorum vrbe erant constituti. Obseruarunt etiam nonnulli, inter quos Cornelius à Lapide, in caput proximè citatum, libri Numerorum, adhuc hodie Iudæorum mulieres quoties pinsunt, challa, id est, placentam, aut tortellam, aut à reliqua pasta, vt aiunt, seu massa farinæ subacta separare, & quasi Domino consecrare. Verum, quia non habent amplius Templum, nec Sacerdotes, quibus illa olim tradebatur, hinc eam in Clibanum coniiciunt, atque comburunt, quod scilicet, ea vesci cuiquam licere non existiment. Porro formula, seu orationis, seu benedictionis, qua vtitur mulier in consecratione huius placentæ, hæc est (aiunt authores illi) *Benedictus sis tu Domine Deus noster Rex mundi, qui sanctificasti nos præceptis, & præcepisti nobis separare placentam de pasta.* Quartum tandem ac postremum Primitiarum, quas offerre Deo iubebantur Hebræi, genus fuit in mense septimo cum circa festum Tabernaculorum, collectis omnibus frugibus tam ex messe, quam ex vuis eorum omnium Primitias dabant; & hæ quartæ Primitiæ passim intelliguntur, cum in scriptura fit mentio Primitiarum. Etenim, licet harum Primitiarum quantitas, non fuerit à Deo per Moysem in Lege definita, ex consuetudine tamen & maiorum decreto, sic definitam fuisse apud bonos authores comperio, vt scilicet Iudæi darent inter quadragesimam & sexagesimam partem, vt refert ipse D. Hieronymus in Ezechiel. 45. Hebræorum traditionem, vt ait, non lege præceptam, sed magistrorum arbitrio inolitam fuisse, vt qui plurimum quadragesimam partem darent Sacerdotibus, qui minimum sexagesimam, inter quadragesimam autem & sexagesimam licuisse offerri quodcumque libuisset: addit quoque quod in Pentateucho dubium derelictum est, spe-

Adhuc hodie mulieres Iudæorum quoties pinsunt à massa farinæ placentam separant, & quasi Deo consecrant, eam in Clibanum coniiciendo, & comburendo.

XXXI. Primitiæ omnium frugum tam ex messe quam ex vuis in mense septimo, circa festum Tabernaculorum.

Ex consuetudine & maiorum decreto dabant Iudæi inter quadragesimam & sexagesimam partem de frugibus.

A cialiter in Ezechiele, prædicto capite, definitum fuisse, per sextam partem Ephi, de coro frumenti, & sextam partem Ephi de coro hordei, & sextam partem Ephi de coro olei, propter Sacerdotum auaritiam, ne amplius à populo exigerent in Primitiis deferendis, quam ipsis deberetur ex lege, aut ne populus ipse tenacior esset, & auarior, quàm Religio pateretur, id est, vt sexagesimam partem offerrent eorum quæ gignerentur è terra, nam si Ephi, & Batus, decima pars fuerunt cori, vt nos etiam alias superiori Esdræ libro obseruauimus, consequens est vt B sexta pars Ephi, ac Bati, fuerit pars cori sexagesima, de Hebræorum traditione ac consuetudine quoad illam quadragesimam aut sexagesimam Sacerdotibus soluendam, Hieronymum sequitur Lyranus in caput 10 Nehemiæ. Abulensis in cap. 18 Num. q. 14. & Ribera lib. 3. de Templo iam citato, cap. 2. vt satis colligitur ex iure Canonico c. Decimam tit. de Decimis.

XXXII. In quorum vsum cesserint Primitiæ & Decimæ.

Iam vero in quorum vsum & commodum cesserint & Primitiæ & Decimæ, etsi ex prædictis colligi vtcumque potest, tamen vt res explicatior fiat & apertius intelligatur, dico summatim, Primitias, C seu strictè pro primis fructibus, seu late acceptas, pro quibuscumque oblationibus, cessisse in vsum Sacerdotum, illisque iure perpetuo ac legitimo destinatas. Decimas autem Leuitis, id est, inferioribus ministris, attributas quidem fuisse, sed ita vt Decimarum quas à populo acciperent Decimam partem Sacerdotibus largirentur: in cuius rei probationem lex ipsa à nobis consulenda, vt super singulis hisce capitibus, verba legis expendenda. Ac primum, sic Deus ad Aaron Numerorum 18. vers. 8. *Omnia quæ sanctificãtur a filiis Israel tradidi tibi, & filiis tuis pro officio Sacerdotali legitima* D *sempiterna.* En oblationes & sacrificia, de quibus iterum vers. 9. 10. 11. & sequentibus. Audi de Primitiis seu primis frugibus, quæ non immolarentur, vers. 12. *Omnem medullam olei & vini ac frumenti quidquid offerent Primitiarum Domino dedi tibi: omnium medullam*, inquit, Hebraicè, *pinguedinem*, quasi dicat, quod pinguissimum, & optimum est, inter frumenta, vina, & oleum, nam Hebræi, pro Primitiis, debebant offerre non pessima, sed optima, vti præcipitur versu vigesimo nono. *Omnia quæ offeretis*

XXXIII.

Pro primitiis non pessima sed optima quæque, offerri debebant ex legis decreto.

offeretis ex decimis & in donaria Domini separabitis optima & electa erunt: deinde vers. 13. *Sic rursus de Primitiis Aaronicæ familiæ attributis, vniuersa frugum initia quas gignit humus & Domino deportantur, cadent in vsus tuos.* De iure decimarum Leuitis attributo, qui Sacerdotes non erant, vt nomine Leuitarum, solent intelligi, satis aperte expressum habes versu 2. *Filiis autem Leui dedi omnes decimas Israëlis in possessionem pro ministerio quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis,* & vers. 24. *Nihil aliud possidebunt decimarum oblatione contenti,* in quem locum sic vulgo disserunt Interpretes, huc vsque citato capite Leuitici, Deum Sacerdotibus, pro eorum ministerio, victimas, primitias, aliasque oblationes votiuas, & spontaneas, assignasse: hic vero Leuitis decimas attribuere, Leuitis, inquam, solis & inferioribus ministris, licet non desint authores nec infimæ notæ, qui asserant, communes fuisse omnibus Leuitis, seu, vt in lege est, omnibus filiis Leui, id est vt interpretantur, non minoribus duntaxat, templi ministris, verum etiam maioribus, seu Sacerdotibus; ita Ribera, libro tertio de templo, capite secundo, Serrariusque in Tobiam 1. Iustinianus in epistol. ad Hebræos, Torniellus ad ann. 1548. & alii quos citat, & quibus consentit Lorinus in Leuiticum, sed quidquid demum illi sentiant. Certè decimas non fuisse datas Leuitis, & Sacerdotibus, hinc non obscurè videtur constare, quod Leuitæ, ex iis, rursum darent decimas Sacerdotibus, vt eodem loco dicitur, docetque Iosephus, & hoc libro noster Nehemias, capite decimo, & versibus supra citatis, quod enim ibi dicit, *Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Leuitis in decimis Leuitarum,* mox explicat subdens, *Et Leuitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri ad gazophylacium in domum thesauri,* vt scilicet, in ea, custodiatur, distribuaturque Sacerdotibus, quamquam alii sic explicant, sed minus accommodatè, vt existimo, ad verba, sensumque Nehemiæ, sic communem fuisse omnibus, & Sacerdotibus & Leuitis vsum decimarum, vt omnes etiam ex sua portione quam à populo acciperent, decimam partem, seu decimam decimæ summo Sacerdoti pendere tenerentur, sic autem de Leuitis ad Moysem præcipitur Numeror. 18. vers. 16. *Præcipe Leuitis, atque denuntia cum acceperitis à filiis Israel decimas quas dedi vobis primitias eorum offerte Domino,* id est decimam partem decimæ: nimirum, vt Leuitæ pares essent aliis Tribubus, quæ ex labore suo offerebant decimas Domino, sic enim indicatur, vers. 27. *Vt reputetur vobis in oblationem primitiuorum tam de areis quam de torcularibus.* De his ita Hieronymus, in illud Ezechielis 45. vers. 3. *Et hæ sunt Primitiæ quas tolletis, &c.* ἀπαρχὰς, inquit, *hoc est decimam partem omnium frugum Leuiticæ tribui populus ex lege debebat:* Rursus ex ipsis decimis Leuitæ, hoc est inferior ministrorum gradus, decimas dabat Sacerdotibus, & hæc est quæ appellabatur δευτεροδεκάτη. Cæterum existimant aliqui, vt Lyranus & Abulensis, hanc decimam decimæ, id est centesimam omnium fructuum, totius populi Israëlitici à Leuitis, datam fuisse summo Pontifici, videri quippe hoc ipsum indicari Numerorum 18. vers. 28. his verbis, *Date ea Aaron Pontifici:* quod si ita est fuisse profectò ditissimum pontificem oportet, vtpote qui centesimam partem frugum totius Iudææ, quotannis receperit. Atque hinc, id est ex ea sententia, de decimæ decima soluenda soli Aaroni, seu summo Sacerdoti à Leuitis inferunt, docentque Diuus Thomas, aliique Doctores, par esse, vt clerici omnes, etiam Episcopi decimas bonorum suorum dent Romano Pontifici, quas Pontifex non exigit quidem, sed loco earum in maioribus beneficiis, annatam, vt vocant, id est fructus primi anni, cum beneficium alicui confert, exposcit. Quidquid sit, de hac re, quam non disputo, ius illud pendendæ, aut exigendæ de decimis decimæ à Clericis Ecclesiasticisue, ex præsenti exemplo non colligitur, si, quod sentimus, decimam decimarum, Leuitæ non summo Sacerdoti solum, sed aliis præterea Sacerdotibus tenebantur persoluere, quamquam per comparationem à minori ad maius, quod aiunt, facile argumentari licet, si debita fuit, illa decima in veteri Testamento, longe magis rationi consentaneum esse, vt iam in noua lege, eam persoluerent Clerici, summo Pontifici, si exigeret, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæst. 87. artic. 4. ad 3. vbi æquum esse contendit, vt qui ha-

Primitiæ debantur à populo Sacerdotibus, decima Leuitis & à Leuitis rursum decimarum Sacerdotibus.

Decima decimæ vocabatur decima secunda.

Non soli summo Sacerdoti vt sentiunt nonnulli, sed aliis præterea Sacerdotibus decima decimæ persoluebatur.

fuerit Nehemias; quòd in opere faciendo multa hominum millia laborarent dies noctesque summo studio, & diligentia: & Iosephus ipse, ait, præceptum fuisse à Nehemia, vt nec die, nec nocte, operis structura intermitteretur; sed omni cura, id opus continuaretur: Quod Principes ipsi Iudæorum aderant, qui ipsi præsentia sua, voce, manu etiam, cum referret, vrgebant; sic ædificantium multitudo, & ardor, & eo modo distributus labor, vt multis locis eodem tempore ferueret opus, effecit quoque, vt singulis penè momentis procederet, augereturque vehementius. Nec putes, mœnia ipsa omni ex parte (quod etiam in ipsa textus explanatione obseruamus, ab imis fundamentis excitata fuisse, sed cum interrupta fuissent, multis locis continuata tantum & redintegrata. Quam expositionem ipsa scripturæ verba, cap. 4. vers. 7. de obducta murorum cicatrice & cap. 6. vers. 1. de eorumdem interruptorum conclusione manifestè confirmant. Et certè licet olim Idumæi, Babylonios hortarentur, vt à fundamentis ciuitatem diruererent, iuxta illud Psalm. 136. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Hierusalem, qui dicunt, Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*, tamen, verisimile non est Chaldæos negotium illud, etiã ad exsaturandũ odiũ, tam molestum, atque inutile, assumere voluisse; quare à iaciendis de nouo murorum fundamentis, in quibus ponendum fuisset multum laboris, atque operæ, liberati fuere ædificatores illi, sub Nehemia. Prætereà lapides quoque reliqui fuerant, ex antiqua ruina, & ad manus parata materia. Neque forsan necesse fuit quadrari, aut poliri saxa, cum è rediuiuo lapide impleri possent ruinæ; & quæ concussa fuissent, aut collapsa facili negotio ex eo restitui. Vnde sic disputo; tam multa hominum millia, quæ Hierosolymis erant, dies noctesque laborantia, à quo labore ne mulieres quidem, vt credibile est, abessent non fuisse necessaria, vt duobus annis & tribus mensibus opus perficeretur, quemadmodum somniasse videtur Iosephus. Nec est, quod quis templum Salomonis, aut eiusdem palatium nonnisi post multos annos exædificatum obiiciat; nam in illis nonnisi pretiosi lapides adhibebantur, & multa arte expoliti; quin & maiori etiam artificio, omnes ædificii partes

Rationes ob quas creditu etiam difficile est tam breui tempore muros ciuitatis instauratos.

A disponebantur; at muros hosce firmo potius quam eleganti opere, vel artificio peractos esse, par est existimare. Adde Iosephum (quod eidem ipsi exprobrat iam ante citatus Salianus) ex Alexandri Magni gestis discere potuisse, cum ad Tanaim nouæ Alexandriæ muros 60. stadiorum longitudine, longe breuiore spatio temporis excitasse. Nam Quintus Curtius septemdecim duntaxat dies numerat. Arianus 20. vt mirum adeo non sit, nec incredibile totam ciuitatem Hierosolymitanam intra dies duos, & quin-

Alexãder muros nouæ Alexãdriæ 60. stadiorum longitudine septemdecim vt aliqui, viginti, vt alij volunt dierũ spatio excitauit.

B quaginta mœnibus circumuallatam fuisse. Sunt quidem, cum Vatablo, & Sa, recentiores etiam aliquot alii, qui hos quinquaginta duos dies numerant, à tempore quo missa est epistola illa, à Sanaballat ad Nehemiam, qua eum pertrahere conantur hostes Iudaici nominis in locum insidiis paratum, vt habetur ipso statim sexti capitis initio, sed id (quod bona illorum venia dictum sit) sine vllo scripturæ fundamento asserunt, immò scriptura non obscurè repugnat, quæ ait missos quater nuncios ad Nehemiam, & postremò epistolam à Sanaballat. *Cum audisset*, inquit Nehemias, *quod ædificassem ego murum, & non esset in ipso re-*

C *siqua interruptio.* Quid quod eadem scriptura dicit factum esse toto hoc opere absoluta, *Vt vniuersæ gentes quæ erant in circuitu Iudæorum, timerent, & conciderent intra semetipsas; Et scirent quod à Deo factum est opus hoc*: At hæc superiorum authorum expositio, omnem aufert timoris, siuè admirationis occasionem. Quid enim habet insigne, aut quod literis notari mereatur, quod intra dies quinquaginta duos murus absolutus fuerit? ab accepta epistola à Samaritanis; immò

D si intra decem, aut quinque, aut duos dies? Et si ab illa epistola extrema, à Sanaballat ad Nehemiam data, ad murorum, portarumque perfectam conclusionem, tot supererant dies, quot, ex scriptura depromunt; quid erat, cur tam essent Samaritani solliciti, atque anxii, cum per illud tempus cogere possent inimicas acies commodissime, & in tot locis nondum munitis aut instauratis, apertam ciuitatem inuadere? Denique si quis tempora dimetiatur à mense primo Nisan, quo obtinuit Nehemias facultatem instaurandæ ciuitatis, murique eius extruendi, vsque ad vigesimum quintum

Non sunt numerandi dies 52. quibus perfecta est murorum ædificatio à tẽpore quo missa est epistola à Sanaballat ad Nehemiam vt quidam opinantur.

tum

tum sexti mensis, & ex eo tempore & A apparatum itineris. & iter ipsum à Perside in Babylonem, à Babylone Hierosolymam auferat, facile intelliget non plus temporis ædificationi datum fuisse quàm diximus; nisi quis vnum annum, aut duos cum Iosepho, non maiore quam ille fundamento inferat, quos ex supradictis expungere facile est. Stet igitur illud ratum, fixumque ex communi meliorum authorum sententia, intra duos dies supra quinquaginta; totam murorum Hierusalem structuram diuino auxiliante numine perfectam fuisse.

XII. ANNOTATIO PROOEMIALIS ad Cap. VIII.

De inuentione ignis sacri à Nehemia, aliisque nonnullis, quæ celebritatem Tabernaculorum peractam à Iudæis vrbe iam reædificata celebriorem reddiderunt, de qua cap. 8. libri 2. Esdræ.

XXIV.

Multiplici miraculo celebrior reddita festiuitas scenopegia facta à Iudæis, postquam reædificata est ciuitas à Nehemia.

INSIGNEM illam Tabernaculorum celebritatem, de qua Nehemias fusè in textu cap. 8. multiplici miraculo redditam à Deo celebriorem, sentiunt nonnulli authores non infimæ notæ, in quibus Torniellus in 6. ætate ann. 164. num. 13. Et Ribera l. 5. de templo cap. 17. Ac primum per scenopegiæ dies, ignem de cœlo allatum, quo crassa illa aqua inflammata est: cuius mentionem facit scriptura l. 2. Machabæorum cap. 1. vers. 18 & sequentibus. *Facturi*, inquit, *quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem templi, in memoriam scilicet templi à Machabæo emundati, necessarium duximus, significare vobis, vt vos quoque agatis diem scenopegiæ, & diem ignis qui datus est, quando Nehemias ædificato templo, & altari, attulit sacrificia, &c.* Ex quo sic ratiocinari licet, cum scriptura diem ignis, & scenopegiæ simul coniungat, non obscurè significari, hoc ignis miraculum, eodem tempore contigisse. Scio quidem Serarium in 2 Machabæorum existimare diem illum ignis, fuisse diem encæniorum, seu renouationis, & dedicationis templi secundi, qui dies incidebat in tertium mensis *Adar*, anno sexto Darij Regis, vt scriptum est 1. Esdræ 6. vers. 15. cumque celebratum fuisse, in morem festi Taberna- B culorum, vt constat ex 2. Machab. 10. vers. 6. & ex eo confirmari videtur, quod dicatur Nehemias obtulisse sacrificia, ædificato templo, & altari; sed temporum ratio, satis cum eo non conuenit: nam noster hic Nehemias, Dux & Sacerdos, non fuit missus à Rege Persarũ Hierosolymam, nisi post duos circiter & septuaginta annos, ab illa dedicatione templi, totidem enim anni fere numerantur in nostra Chronologia, à 6. Darij vsque ad 20. Artaxerxis, vnde longæuus nunc esset, supra communem hominum ætatem, & centenario multò prouectior; qui tamen multos adhuc vixit annos, vt patet ex cap. 13. huius libri vers. 6. Celebritas autem illa purificationis templi, quæ 2. Machab. cap. 10 memoratur, & dicitur facta diebus octo, in modum Tabernaculorum, specialiter hoc modo facta est, vt ibidem quoq; dicitur, in recordationem, quod C non longo ante tempore, festum ac solemnem Tabernaculorum diem in mõtibus, ac speluncis more bestiarum egissent. vt habet sacer textus vers. 6. ex quo sanè inferri non potest, tempore Darij, vel Artaxerxis, eodem modo tẽpli dedicationem factam fuisse. Adde, verba illa supra allata, ad firmandã Serarii sentẽtiam, *Quando Nehemias ædificato templo & Altari obtulit sacrificia*, non significare, Nehemiam ædificasse templum, & altare, qui ne tùm quidem erat Hierosolymis. vti diximus; sed tantum sacrificasse post ædificatum

In illam festiuitatem scenopegiæ incidit inuentio ignis sacri contra Serarium, qui eam ad diem Enceniorum seu renouationis & dedicationis templi secundi refert.

Fundamentum sententiæ Serarij euertitur.

templum, & altare, non ab ipso quidem, sed à Iosue, & Zorobabele, quibus tantùm in Ecclesiastico capite 49. vers. 13 atque 14. ædificatio templi tribuitur, excluso Nehemia; cui statim consequenter, murorum euersorum erectio assignatur: stet igitur, habeaturque pro certo, illis scenopegiæ diebus, quos enarrat ipse Nehemias hoc suo libro, iuxta superiorem scripturæ assertionem, loco Machabæorum proxime citato, miraculum ignis sacri contigisse. Cæterum totam historiam de prodigiosa illa ignis sacri inuentione à Nehemia conscriptam 2. Machabæorum eleganti paraphrasi persequitur & illustrat diuus Ambrosius lib. 3. Officiorum cap. 14. quàm hîc adducere operæ pretium erit forte non exiguum. Sic igitur ille: *Cum in Persidem ducerentur patres nostri, qui tunc Dei omnipotentis cultores erant, acceptum ignem de altari, Sacerdotes Domini in valle absconderunt; erat illic veluti patens puteus aquæ, secessu infrequens, nec populari vsui patens, ignoto & ab arbitris remoto loco: ibi obsignauerant indicio sacro pariter, ac silentio, ignem reconditum: Non illis studio fuit aurum defodere, argentum abscondere, quod seruarent posteris suis, sed inter extrema sua, honestatis curam habentes, sacrum ignem seruandum putarunt, ne eum eum vel impuri contaminarent, vel defunctorum sanguis extingueret, vel deformium ruinarum aceruus aboleret: abierunt itaque in Persidem, sola religione liberi, quoniam sola illis per captiuitatem extorqueri nequiuit. Post plurimum vero temporis, quando placuit Deo, dedit hanc mentem Regi Persarum, vt instauraret in Iudæa templum, & legitimos reparari Hierosolymis ritus iuberet; cuius gratia muneris Nehemiam Sacerdotem Rex Persarum direxit. At ille, secum deduxit illorum Sacerdotum nepotes, qui profecturi de patrio solo, sacrum ignem absconderant: Venientes autem, vt patrum sermone est proditum, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, & cum deesset ignis, quo adolerent altare, haurire eos aquam Nehemias Sacerdos, sibique deferre, & aspergere super ligna iussit. Tunc, visu mirabile; cum esset cælum tectum nubibus, sol repente illuxit, & accensus est magnus ignis, ita vt omnes in tam euidente Dei gratia factum stupentes lætitia perfunderentur. Orabat Nehemias, psallebant Sacerdotes hymnum Deo, vsquequo consumptum est sacrificium: Iussit iterum Nehemias residua aqua maiores perfundi lapides, quo facto flamma accensa est; lumen autem refulgens ab altari consumptum illico est. Hoc patefacto indicio, Rex Persarum, in eo loco in quo ignis fuerat absconditus, ac postea reperta est aqua, templum fieri mandauit, cui inferebantur dona plurima.* Hæc Ambrosius, quæ licet apertam satis historiæ expositionem continent, tamen in textu ipso 2. Machabæorum retexendo, cursim aliqua obseruanda sunt, & breuiter explananda.

Elegans Ambrosii paraphrasis de inuentione ignis sacri.

XXV. *Expiscatur loci Machab. 2. de sacri ignis inuentione.*

Ergo, *Cum in Persidem*, inquit sacer author, *adducerentur patres nostri, Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, &c.* id est præ ceteris pietate præstabant, *acceptum ignem de altari absconderunt in valle, vbi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita vt omnibus ignotus esset locus, &c.* Persidem vides hic pro Chaldæa positam; vel quia in Persidem rursus deducebantur captiui; vel quia reuera plerique eorum in Persidem, Cyro rerum potiente profecti sunt; vel quia Babylonia ipsa, Persidis nomine & appellatur, & iudicatur; quod hæc illam deuicerit, & vt iugum, sic & nomen illi suum quodammodo, veteri abrogato imposuerit. Obseruata item in Græco distinctius haberi partem ignis ex altari incensi acceptã, & in cauerna sicci putei repositã, sequitur mox, *Cum autem præterissent anni multi*, tres videlicet supra 160. puta 93. ab initio imperii Cyri, & 70. desolationis; *Et placuit Deo vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis, nepotes Sacerdotum illorum qui absconderant misit, ad requirendum ignem, & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam.* Hoc iam primum miraculum est, atq; annotatione dignum; vt ignis in aquam, & quidem crassam verteretur, &c. Pergit, &c. *Et iussit eos haurire & afferre sibi, & sacrificia quæ imposita erant iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua & ligna & quæ erant superposita, &c.* quo loco aduerte (quod etiam alibi obseruamus) etsi in textu Græco, Nehemias non vocetur Sacerdos, sed tantum dicatur, iussu Nehemiæ Sacerdotes inspersisse aqua tam ligna quam hostias; tamen quia tota hęc administratio sacrificii plane Sacerdotalis est, satis superque, vel ex eo conuinci, de Sacerdotali genere fuisse Nehemiam. Nec sanè si non fuisset, temeritatem illam admiscendi se in re

Persis pro Chaldæa posita.

Per miraculum ignis in aquam conuersus.

sacrificali, ipsisque Sacerdotibus dum suum ipsi munus obirent, imperando, sicut nec olim Ozias impune tulisset. cũ è contrario nouo miraculo alterum fuerit confirmatum, *Nam vt hoc factum est, & tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur*, nempe animaduertebant renouata tùm Eliæ miracula, de igne cœlitus aduocato 3. Reg. 18. vers. 34. vnde hoc quoque tempore ex admiratione orationem fecerunt, & in Dei laudes effusi sunt, donec consumptum esset sacrificium. *Tunc autem Nehemias ex residua aqua iussit lapides maiores perfundi*; At qui essent maiores hi lapides, non satis constat. forte intelligit lapides inferiores altaris, ad quos sæpe hostiarum sanguis, vt nunc aqua, fundebatur vsque ad imam crepidinem eius; quod si (vt notat Salianus, ex quo extrema hæc obseruatio fere deprompta est) κατέχειν vertas, infundi, capi, contineri, vt recte potest, tum sensus esse poterit, reliquum aquæ crassæ immissum, intra lapideas venas, indeque rursum ignem emicuisse; vnde sequitur, *quod vt factum est*, vide etiam hic iterari miraculum, *flamma accensa est, sed ex lumine quod refulsit ab altari consumpta est*. Vbi lumen pro igne sumitur, significatque ignem, qui erat perpetuus in altari, ita exarsisse, vt aqua, quæ in lapidibus erat, inflammaretur, ac consumeretur. Sic igitur intellige, cum peractum esset rite sacrificium, iubente Nehemia, aspersos fuisse lapides, ea aqua crassa, quæ ex prædicto puteo fuerat extracta; ex qua lapides, quasi admoto igne, conceperunt incendium, quod ignis, qui supra altare fuerat suo splendore confestim oppresit. Existimat autem proxime citatu author, hoc ipso tempore, non solum ignem, siue aquam illam crassam, pro eo, inuentam esse. sed & Tabernaculum quoque, & Arcam, & altare incensi, cum Torniello, & nonnullis Hebræis; sed vt complures alios taceam, illis aduersantur pleriq; etiam Hebræi, qui fatentur quinque defuisse in posteriori templo, quæ in Salomonico fuerant, nimirum, Vrim & Thumim, id est rationale iudicii, arcam, ignem, diuinitatem, & spiritum propheticum. De Arca non alibi diximus. Cæterum delato ad Artaxerxẽ Longimanũ seu Assuerum nuncio, de igne, tot annis in subterraneo loco abscondito, & in aquam crassam, & inde rursus, in ignem conuerso, & rei nouitatem vehementer admiratus est Rex, tantòque magis, quo maiore apud Persas in veneratione ignis semper fuit; Itaque veritatem primum diligenter inquiri iussit, atque examinari, tum cum locum sanctum & religiosum haberi voluit, cumque ac Sacerdotes ipsos multis donariis, & muneribus locupletauit, idque significant illa scripturæ verba 2. Mach. 1. v. 33. & 34. *Considerans autem Rex, & rem diligenter examinans fecit ei templum, vt probaret quod factum erat, & cum probasset, Sacerdotibus donauit multa bona, & alia atque alia munera, & accipiens manu sua tribuebat eis, &c.* Hic dubitant interpretes quodnam sit templum illud, quod ædificatum dicitur, & extructum ab Artaxerxe Persarum Rege. Quidam interpretantur de templo Hierosolymitano vehementius exornato, & nouis muris ad loci tutelam exterius circumsepto; eo quod aliud templum, præter Hierosolymitanum, in solitudine extrui nũquam passurus fuisset Nehemias. Et licet templum, sub Cyro, primũ inchoatum, deinde sub Dario absolutum fuerit; est tamen in Hebræorum idiomate non infrequens, vt is dicatur fecisse illud opus, quod extructum ab aliis ornauit, & amplificauit. Sic Danielis 4. Nabuchodonosor, dicit, ædificatam à se Babylonẽ, cum ab aliis multis ante sæculis esset constructa, quia scilicet illã ampliorem reddiderat, & ornatiorẽ. Certè vt ad Artaxerxem redeamus, magnum illum miraculum, aquæ in ignem conuersæ, ad sanctum, atque legitimum altaris vsum, quod in ædificato à Zorobabele templo, pro sacrificiis erectum fuit, merito quidem iure eum commouere potuit, vt templum magnificaret, & donis non vulgaribus locupletaret; atque ita sentiunt Sancti Thomas, Lyranus, Dionysius, Hugo, quod etiam mihi non displicet. Alii ædificatum tradunt templum ab Artaxerxe, vbi puteus erat, in quo absconditus fuit ignis. Ita Ambrosius loco supra à nobis citato, *Rex*, inquit, *Persarum in eo loco in quo ignis fuerat absconditus, & postea reperta est aqua, templum fieri mandauit.* Idem Genebrardus, in Notationibus, Chronicis, vbi hoc templum, suspicatur fuisse probaticam Piscinam, cuius in Euangelio mentio est, Ioan. 5. sed ex Græco quãtũ opinor, res tota satis clara est, sic enim fideliter vertitur, *Rex autẽ approbata re*

Lumen pro igne sumitur.

Ex Hebræorum sententia quinque defuerunt in secundo templo quæ in Salomonico fuerunt.

XXVI.

Quid sit templum illud, quod dicitur ædificatum ab Artaxerxe post ignẽ sacrum inuentum.

locum circumscriptum sacrum reddidit, & quibus gratificabatur Rex, multa excellentia accipiebat & dabat, διάφορα enim pro διαφέροντα, positū Serarius putat. Quæstiuncula 14. in hunc locum 2. Machab. nec vero absurdum est, exiguum etiam locum alioqui sacrum, tēplum dici, vt de lucis, asylis, & similibus notum est, sed nec illius absurdum, locum aliquē extra templum à Iudæis sanctum æstimari, & eo nomine honorari: præsertim in quo, Deus aliquid præter naturæ ordinem perpetrasset, vt probaticam piscinam, immò & sua oratoria. An autem Artaxerxes ignem honorari, gentis suæ ritu, & Persica superstitione voluerit, an potius mirabilem omnium effectorem Deum, qui & aquam ardere faceret, & eandem ex igne produceret, & si non est facile de eo rectè, & certò statuere, tamen in meliorem partem, vt propendeam facit, Esther tūm Regina, & Mardochęus, qui hanc occasionem non omiserint, Regem ad pietatem propensum, & veri Dei non ignarum, vt ex eius decreto pro Iudæis, cap. vltimo, Esther vers. 16. perspicuum est, rectè dirigere. Sic tanta Dei bonitas est, vt quemadmodum ait S. Augustinus, è malis etiam bonum eliciat: Nam cum ex delapso cœlitus igne, qui memoratur in sacris Scripturis aliquoties, etiam apud se, lapsum ignem, vel excitatum diuinitus, Gentiles fabularentur, apud Plinium l. 2. c. 110. Seruius lib. 12. Æneid. omnium vero maxime, Persæ, apud Ammianū l. 23. quibus etiam ignis sacer & perpetuus erat, multaque item Pyrithea & πυρὸς ναοί, seu ignis templa, vt vocat in Cosroe Cedrenus, istam Persarum Regis huius, vel opinionem, vel superstitionem potius, in bonam iam conuertit Deus, suumque verum opus, ac beneficium, à Barbaro etiam coli ornarique voluit vehementer. Et de his hactenus.

Locus aliquis sacer licet exiguus tēplum dici potest.

XIII. QVÆSTIO PRÆAMBVLA. ad cap. VIII.

An festum Tabernaculorum à Iudæis celebratum instauratis iam mœnibus ciuitatis Hierusalem, de quo narratur cap. 8. Alterum sit ab eo de quo supra libro primo, capite tertio.

XXVII ERTVM est de huius Quæstionis materia, aut nullo modo, aut breuiter admodum, atque obscure loqui Authores, vt ei proponendæ, tractandæue supersedere sine vlla nota facile potuerim: Cum tamen attentius legendo, deprehenderim videri quibusdam, de ea re dubitari posse, non immerito, quædam hic à nobis delibanda sunt, & certo statuenda: ac primùm quidem fateri Sanctium se olim in ea opinione fuisse, vt crederet, satis esse probabile, cap. 8. huius libri Nehemiæ, sermonem tantum esse de festo Tabernaculorum, quod celebratum longe ante à Iudæis fuerat, statim à primo reditu è Babylone in Iudæam, sub Zorobabel, & Iesu filio Iosedech, de quo Esdræ lib. 1. capite tertio, non autem de altero, vt plerique omnes sentiunt, quod, secundo, sub Duce Nehemia, maiori sumptu atque apparatu peractum sit, atque ita nihil adduci eo capite, aut describi nouum, ab authore sacro, sed quod ante paucis perstrictum fuerat ab Esdra, id tantum pluribus & explicatius narrari à Nehemia. Eius porro, vt & aliorum, qui in eo dubio versati, adhuc etiamnum quærit rationes in speciem magis graues, hæ sunt, opinor, quod in hoc Nehemiæ libro, quemadmodum toto ferme cap. 7. quod scriptum est ab Esdra cap. 2. lib. 1. de eorum numero, & censu, qui redierant in Iudæam, ex decreto & concessione Cyri repetit Nehemias, sic etiam quæ narrat idem ipse Nehemias, capite 8. admodum

Rationes eorum qui censent vtrobique eandem celebritatem narrari.

nihil, distare videantur, ab iis quæ ab Esdra cap. 3. narrata sunt; cum principium capitis octaui Nehemiæ, idem omnino sit, cum tertii capitis Esdræ exordio, & eodem omnino filo, ac textu coniungatur: vt enim libro superiore finis capitis secundi est. *Habitauerunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, & de populo, & Cantores, & Ianitores, & Nathinæi in vrbibus suis, vniuersusque Israel in ciuitatibus suis.* Et statim in principio capitis tertii dicitur. *Iamque venerat mensis septimus, & erant filii Israel in ciuitatibus suis. Congregatus est ergo populus quasi vir vnus in Hierusalem*, sic B in hoc libro idem finis est capitis septimi, idem octaui principium; iisdemque omnino verbis vtrumque expressum, vnde concludi probabiliter possit; cum vtrobique festi Tabernaculorum celebrati à Iudæis fiat mentio, nihil à Nehemia nouum dici, sed eorum tantum narrationem retexi, quæ multo ante, authore, & hortatore Esdra, perfecta fuerant. Altera ratio est; quod cum iam diu, ante hoc tempus Nehemiæ, id est, antequam populo præesset, ac muros Hierusalem ædificasset, Esdras Legis peritissimus, idemque Sacerdos Hierosolymæ fuerat, cui id datum esset negotii, ab Ar- C taxerxe Rege Persarum; quod ex superiori libro cap. 7. vers. 15. liquet, vt disciplinam collapsam restitueret, & mores Iudæorum ex longa, cum Chaldæis consuetudine corruptos corrigeret, minus vt apparet credibile est, tamdiu continuisse zelum suum, & ad hunc vsque articulum, populo, neque legisse librum, quem ipse tanto studio, aut dissipatum collegerat, aut emendarat corruptum; neque explicuisse legem, aut mandata eius, ac ceremonias docuisse, vti factum ab eo dicitur, instaurata iam ciuitate, cap. 8. huius libri, quem non temere, quidam D opinantur, hunc ideo secundum Esdræ librum inscribi posse ac dici, licet à Nehemia scriptus fuerit, vt supra in Quæstionibus præambulis ostendimus, quod, in eo, quid fecerit Esdras, continetur scriptum luculentius, & quid breuiter scripserit, proditur explicatius. Sed à communi sententia recedere non licet, quæ diuersam à diuersis authoribus narrationem contentam ponit, & duplex vario tempore festum Tabernaculorum à Iudæis celebratum; alterum sub Cyro, Templo nondum inchoato; alterum sub

XXVIII. *Sententia communis probabilior de duplici festo Tabernaculorũ variis temporibus peracto.*

A Artaxerxe Longimano, ædificata iam ciuitate. Hanc sententiam tuetur multorum authoritas, & suis etiam rationibus firmari potest: nam præterquam in vtraque narratione, variæ locorum, temporum, ac personarum etiam circumstantiæ, aut adiunguntur, aut iudicantur, quæ rem omnino variam ab authoribus describi satis significant, vt legenti facile patebit, ex omnium optimis, vna mihi videtur hæc esse ratio, quod ex magna capitis septimi parte, & ex initio capitis octaui, manifeste constat, & censum populi factum à Nehemia, & videri etiam eundem populum ab eo coactum fuisse, ad sacram festi Tabernaculorum celebritatem; eo consilio, vt ex tota Iudæorum multitudine, qui magis essent idonei ad vacua ciuitatis spatia complenda, seligeret, ciuemque numerosiorem deinceps, ac ciuibus potentiorem intra mœnia, quotidianis hostium insultibus opponeret, hinc iam citato capite septimo, inspiratam dicit sibi à Deo illam cogitationem, vt populum congregaret, post absolutam videlicet murorum ædificationem: *Deus autem dedit in corde meo*, inquit, *& congregaui optimates, & magistratus*, vers. 5. Deinde cap. 8. vers. 1. *Congregatusque est omnis populus quasi vir vnus, ad plateam, quæ est ante portam aquarum, &c.* Vbi de lege, multis diebus, ab Esdra edocentur, & de festo Tabernaculorum celebrando præmonentur, sub cura ac præfectura Nehemiæ, vti eodem capite recensetur. Alterum igitur fuit hoc Festum Tabernaculorum ab eo quod sub Zorobabele, centum prope annis ante fuerat celebratum, atque adeo optima ratio fuit aduocandi Iudæos in Hierusalem huc illuc per vicinas ciuitates dispersos, quod per Sacerdotes, ac Leuitas festum Tabernaculorum omnibus indixerit Nehemias, ac vulgari imperarit, nec enim eiusmodi celebritas, alibi vspiam celebrari poterat, præterquam in Hierusalem, vt habetur Exodi 34. vers. 23. & 23 vers. 17. Quod autem in vtrisque vtriusque libri, primi scilicet, & secundi Esdræ citatis capitibus, huius 7. & illius 8. eadem verba sint, quid mirum? si re, aut pene, aut omnino simili, sed quæ variis temporibus facta sit, explicanda, varii authores, eiusdem gentis, atque idiomatis, iisdem verbis vsi sint? Quod de Esdra opponebamus, non videri hominem arden-

Refelluntur rationes contraria sententia.

tissimo legis Dei zelo flagrantem, vt credere par est, incensoque diuini cultus propagandi desiderio, tamdiu fuisse populum, e captiuitate reducem, in ipsa legis ignoratione, vel contemptu, permanere, vt extremo hoc reditu, sub Nehemia sacros libros ab eo legi, exponique, & de festis diebus, aliisque sacris cæremoniis ritu legitimo obseruandis, sic edoceri oportuit, quasi nihil antea de rebus ad legem, & religionem pertinentibus vsquam audissent. Respondeo, bene id quidem, si toto illo tempore, quod inter Cyrum, immo inter Darium, cuius regni anno sexto Templum perfectum est, & Artaxerxem intercessit, pacata, ac tranquilla fuissent omnia apud Iudæos; sed quàm confusa, & perturbata erant? adde Esdram, vt multi existimant, cum Zorobabele, iam absoluto Templo in Babylonem rediisse, licet de tempore non constet; at tum in iis quæ ad sacra & Religionem pertinerent præesse non potuit; quin & alii è Iudæis subinde è Iudæa in Babylonem, è Babylone A in Iudæam alii transmigrabant, sic vt ab illis nec quæ legis essent sciri aut condisci commode, nec multo minus etiam obseruari vsquam possent. At inquies 7. anno Artaxerxis Longimani Esdras è Babylone Hierosolymam reuersus est: ita sane, sed ab eo tempore vsque ad annum Regni Artaxerxis vigesimum, forte etiam adhuc è Iudæa in Persidem rursum remigrauit, ibique aliquantum est commoratus: deinde Iudæi ipsi reduces soluta licet captiuitate tamen tunc temporis, vt nec ciuitatem Hierusalem mœnibus cinctam, sic nec in ea sedem omnino fixam habuere. Quare muris iam in- B stauratis, & ciuitate ædificata, opus fuit populo, cum sedem ibi iam fixam, statamque haberet, & Duce Nehemia vt in officio contineretur, & Doctore Esdra Legis peritissimo, vt in iis quæ ad res sacras religiose obeundas spectarent Instituerentur. Et hæc soluendæ supra à nobis propositæ difficultatis satis.

XIII. ANNOTATIO PROOEMIALIS, ad cap. X.

De Primitijs & Decimis quas olim ex lege, Templo, Templique ministris debebant Iudæi, quasque in Iudæam reduces è captiuitate religiosius se persoluturos pollicentur, cap. 10. vers. 35. 36. 37.

XXIX.

Quinque expendenda de Primitiis, ac Decimis.

EC erit opus tam multa in textus explanationem congerere, locis citatis, vbi hæc lector audieris Primò quidnam propriè fuerint Primitiæ? quid Decimæ? 2. an multiplices fuerint? 3. in quorum vsum & commodum cessserint? 4. qua lege & quo iure instituta? 5. quinam & num omnino omnes hac lege tenerentur.

Quid Primitiæ, & quomodo à Decimis distincta.

Quoad primum, vt quid Primitiæ fuerint, & quemadmodum, a Decimis distinguerentur intelligas, primo nominis ipsius notationem expende, & C aduerte variis passim nominibus in scriptura tum hoc libro Nehemiæ, tum in libro Numerorum eas appellari, modo enim Primitiæ, modo primitiua, modo primogenita, modo frugum initia, dicuntur, Græcis ἀπαρχαί, Hebraice, *Therumoth*; *Leuationes*, seu *Eleuationes*, quoniam eleuabantur sursum, quando Domino offerebantur, sicut & aliæ oblationes, quæ paulo latius accepto nomine vocantur etiam Primitiæ, Græcis quoque πρωτογεννήματα, vnde Primitiæ proprie dictæ, quod, ex vocibus istis, variis licet idiomatis, pleræque omnes indicant, fruges sunt, seu fructus primi, prodeuntes è terra, qui

Primitiæ variis nominibus in scriptura appellata.

Quid proprie Decima, quid Primitiæ.

primum colliguntur, ex arbore puta, aut vite, immò & quæ primitus sumuntur de fructibus, ex agro deductis, atque ita sic Primitiæ distinguũtur à Decimis, vt Primitiæ primi quidem fructus, Decimæ vero decima pars fructuum dicantur, illæ iuxta legem, immediate offerantur Deo in gratiarum actionem, pro frugibus terræ, hæ proximè Sacerdotibus dentur, in stipendium sustentationis pro ministerio, quo Templo deseruiunt. Primitias autem aliquando late accepto nomine, sumi pro quouis oblationis genere monstrat.is locus Numerorum 18. vers. 11. vbi sic Deus ad Aaronem, *Primitias quas voluerint & obtulerint filii Israel, tibi dedi, & filiis tuis*, Primitias, id est oblationes, ità enim habent Hebræa: *Oblationem doni eorum, omnes oblationes quas obtulerint filii Israel dedi tibi*: quasi dicat, dedi etiam tibi, ô Aaron, & filiis tuis, Sacerdotibus, quidquid ad immolandum, dono dederint, & obtulerint, filii Israel, nam de sacrificiis, hoc loco, agi patet, ex eo quod sequitur. *Omnis mundus vescetur ex eo*, ex Primitiis enim, Decimis, & aliis sponte oblatis, nec tamen immolatis, poterunt vesci etiam immundi, supra item vers. 8. *Ecce dedi tibi custodiam Primitiarum mearum &c.* Primitiarum, id est oblationum, vnde sequitur, velut explicationis causa, omnia quæ sanctificantur à filiis Israel, id est omnia quæ mihi segregantur, & offeruntur, *tradidi tibi &c.* nam Hebraicè est: *dedi tibi custodiam oblationum mearum*, puta omnium sanctitatum, id est sanctificatorum filiorum Israel, vt videlicet custodias, id est custodiri iubeas, & cures omnia quæ filii Israel Deo offerunt & consecrant.

Primitiæ aliquando sumuntur pro quouis oblationis genere.

Sed ad Primitias proprie dictas redeamus, & quam multiplices, seu quàm varii generis fuerint in lege Mosaïca videamus.

XXX.

Quadruplices genere Primitiæ a Iudæis pendi solitæ.

Ex scriptura quadruplices, seu in quadruplici genere Primitias fuisse comperio, quas pendere olim solerent Iudæi. 1 Primitias spicarum, die secunda Azymorum, vt habetur Leuitic. 2. vers. 10. *Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum Primitias messis vestræ ad Sacerdotem qui eleuabit fasciculum coram Domino &c.* Spicarum scilicet hordei, quod, illo tempore, puta in Martio, vel Aprili, sub Pascha, maturescit in Palæstina, vbi obseruandum ex bono-

Primitiæ spicarum die 2. Azymorum.

A rum authorum sententia, non fuisse istas spicarum Primitias vniuersales, ita vt omnes obligarentur earum manipulum offerre, sed offerebant, quotquot volebant offerre, sponte sua, & ex deuotione. Ex quibus omnibus, Sacerdos accipiebat vnum quem Deo offerebat, oblatum, torrebat, & siccabat, siccatum excutiebat, granaque excussa comminuebat, atque ex farina comminuta, imposito simul thure, & oleo, pugillum accipiebat, quem cremabat, & adolebat Domino, vt præscriptum est cap. 2. Leuitic. vers. 14. Reliqui vero mani-

B puli spicarum, earumque grana, & farina, cedebant in ius, & vsum Sacerdotum 2. pendebant etiam Iudæi Primitias panum in Pentecoste, sic enim Leuitic. 23. & 17. *Offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes Primitiarum duos*, scilicet, erant hi panes, Primitiæ messis triticeæ, quæ dabantur Sacerdotibus, & singulæ familiæ, hasce panum Primitias in Pentecoste offerre debebant, vti lege sancitur, contra quam de manipulo spicarum in Paschate diximus. Ac licet Abulensis intelligat singulos non ex proprio quidem agro, vel do-

Primitiæ panum in Pentecoste

C mo hos panes attulisse Hierosolymam, sed emisse Hierosolymæ, eosque Templo obtulisse, vt ibidem columbæ, oues & boues, ac victimæ aliæ vendebantur. Tamen scriptura Hebræa contrarium hic significat, sic enim habet: *Ex omnibus habitaculis vestris adducetis panes eleuationis duos*, quæ verba satis indicant, vnumquemque, proprios panes, ex sua domo adducere debuisse ad Templum, vt videlicet singuli suarum frugum Primitias, in gratiarum actionem Deo dependerent. Hæc enim vna fuit causa, cur festum Pentecostes sit institutum, scilicet vt in eo Primitias panum Deo offerrent,

D teste Iosepho lib. 3. Antiquit. cap. 10. ad quam accedit & altera vt Hebræi recordarentur, legis datæ in Pentecoste, & pro ea gratias agerent, atque adeo dum legem ipsi recolerent, diligentius, eam quoque ac studiosius ipsi obseruarent.

Quisque ex sua domo panes offerebat in Pentecoste offerendos pro Primitiis, quæ vna fuit causa festi illius instituendi, sicut & in memoriam legis datæ.

Tertium Primitiarum genus fuit panum quos hebdomadatim pinsebant Iudæi, vti significatur Numerorum cap. 15. vers. 18. & sequentibus. *Cum veneritis in terram quam dabo vobis, & comederitis de panibus Regionis illius, separabitis Primitias Domino de cibis*, id est, *de panibus vestris*, sicut

Primitiæ panum quæ singulis hebdo-

madis offerebantur, & pulmenta vocantur: quia Veteres cum Romani, tum Hebræi pultibus pro pane vtebantur.

ac areis Primitias separatis, ita & de pulmētis dabitis primitiua Domino. Primitię erogandæ erant, id est, de pulmentis, id est, de panibus, ita Hebræi, Chald. & 70. panes autem eo loco vocantur, pulmenta, quia prisci, tam Romani, quam Hebræi, pultibus, pro pane vtebantur. Et cum de illis omnibus cibis, Primitias quotidie dare Deo penè fuisset impossibile, tantummodo cum panes pinserent Hebræi panem aliquem loco Primitiarum dabant Sacerdotibus, aut Leuitis iis, qui in illorum vrbe erant constituti. Obseruarunt etiam nonnulli; inter quos Cornelius à Lapide, in caput proximè citatum, libri Numerorum, adhuc hodie Judæorum mulieres quoties pinsunt, challa, id est, placentam, aut tortellam, aut à reliqua pasta, vt aiunt, seu massa farinæ subacta separare, & quasi Domino consecrare. Verum, quia non habent amplius Templum, nec Sacerdotes, quibus illa olim tradebatur, hinc eam in Clibanum coniiciunt, atque comburunt, quod scilicet, ea vesci cuiquam licere non existiment. Porro formula, seu orationis, seu benedictionis, qua vtitur mulier in consecratione huius placentæ, hæc est (aiunt authores illi) *Benedictus sis tu Domine Deus noster Rex mundi, qui sanctificasti nos præceptis, & præcepisti nobis separare placentam de pasta.*

Adhuc hodie mulieres Iudæorum quoties pinsunt à massa farinæ placentam separat, & quasi Deo consecrat, eam in Clibanum coniiciendo, & comburendo.

XXXI. *Primitiæ omnium frugum tam ex messe quàm ex vuis in mense septimo, circa festum Tabernaculorum.*

Quartum tandem ac postremum Primitiarum, quas offerre Deo iubebantur Hebræi, genus fuit in mense septimo cum circa festum Tabernaculorum, collectis omnibus frugibus tam ex messe, quam ex vuis eorum omnium Primitias dabant; & hæ quartæ Primitiæ passim intelliguntur, cum in scriptura fit mentio Primitiarum. Etenim, licet harum Primitiarum quantitas, non fuerit à Deo per Moysem in Lege definita, ex consuetudine tamen & maiorum decreto, sic definitam fuisse apud bonos authores comperio, vt scilicet Iudæi darent inter quadragesimam & sexagesimam partem, vt refert ipse D. Hieronymus in Ezechiel. 45. Hebræorum traditionem, vt ait, non lege præceptam, sed magistrorum arbitrio inolitam fuisse, vt qui plurimum quadragesimam partem darent Sacerdotibus, qui minimum sexagesimam, inter quadragesimam autem & sexagesimam licuisse offerri quodcumque libuisset: addit quoque quod in Pentateucho dubium derelictum est, specialiter in Ezechiele, prædicto capite, definitum fuisse, per sextam partem Ephi, de coro frumenti, & sextam partem Ephi de coro hordei, & sextam partem Ephi de coro olei, propter Sacerdotum auaritiam, ne amplius à populo exigerent in Primitiis deferendis, quam ipsis deberetur ex lege, aut ne populus ipse tenacior esset, & auarior, quàm Religio pateretur, id est, vt sexagesimam partem offerrent eorum quæ gignerentur è terra, nam si Ephi, & Batus, decima pars fuerunt cori, vt nos etiam alias superiori Esdræ libro obseruauimus, consequens est vt sexta pars Ephi, ac Bati, fuerit pars cori sexagesima, de Hebræorum traditione ac consuetudine quoad illam quadragesimam aut sexagesimam Sacerdotibus soluendam, Hieronymum sequitur Lyranus in caput 10 Nehemiæ, Abulensis in cap. 18 Num. q. 14. & Ribera lib. 3. de Templo iam citato, cap. 2. vt satis colligitur ex iure Canonico c. Decimam tit. de Decimis.

Ex consuetudine & maiorum decreto dabant Iudæi inter quadragesimam & sexagesimā partem de frugibus.

XXXII. *In quorum vsum cesserint Primitiæ & Decimæ.*

Jam vero in quorum vsum & commodum cesserint & Primitiæ & Decimæ, etsi ex prædictis colligi vtcũque potest, tamen vt res explicatior fiat & apertius intelligatur, dico summatim, Primitias, seu strictè pro primis fructibus, seu late acceptas, pro quibuscumque oblationibus, cessisse in vsum Sacerdotum, illisque iure perpetuo ac legitimo destinatas. Decimas autem Leuitis, id est, inferioribus ministris, attributas quidem fuisse, sed ita vt Decimarum quas à populo acciperent Decimam partem Sacerdotibus largirentur: in cuius rei probationem lex ipsa à nobis consulenda, vt super singulis hisce capitibus, verba legis expendenda. Ac primum, sic Deus ad Aaron Numerorum 18. vers. 8. *Omnia quæ sanctificãtur à filiis Israel tradidi tibi, & filiis tuis pro officio Sacerdotali legitima sempiterna.* En oblationes & sacrificia, de quibus iterum vers. 9. 10. 11. & sequentibus. Audi de Primitiis seu primis frugibus, quæ non immolarentur. vers. 12. *Omnem medullam olei & vini ac frumenti quidquid offerent Primitiarum Domino dedi tibi: omnium medullam*, inquit, Hebraicè, *pinguedinem*, quasi dicat, quod pinguissimum, & optimum est, inter frumenta, vina, & oleum, nam Hebræi, pro Primitiis, debebant offerre non pessima, sed optima, vti præcipitur versu vigesimo nono. *Omnia quæ offeretis*

Pro primitiis non pessima sed optima quæque offerri debebant ex legis decreto.

offeretis ex decimis & in donaria Domini separabitis optima & electa erunt: deinde verſ. 13. *Sic rurſus de Primitiis Aaronicæ familiæ attributis, vniuerſa frugum initia quas gignit humus & Domino deportantur, cadent in vſus tuos.* De iure decimarum Leuitis attributo, qui Sacerdotes non erant, vt nomine Leuitarum, ſolent intelligi, ſatis aperte expreſſum habes verſu 2. *Filiis autem Leui dedi omnes decimas Iſraëlis in poſſeſſionem pro miniſterio quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis*, & verſ. 24. *Nihil aliud poſſidebunt decimarum oblatione contenti*, in quem locum ſic vulgo diſſerunt Interpretes, B huc vſque citato capite Leuitici, Deum Sacerdotibus, pro eorum miniſterio, victimas, primitias, aliaſque oblationes votiuas, & ſpontaneas, aſſignaſſe: hic vero Leuitis decimas attribuere, Leuitis, inquam, ſolis, & inferioribus miniſtris, licet non deſint authores nec infimæ notæ, qui aſſerant, communes fuiſſe omnibus Leuitis, ſeu, vt in lege eſt, omnibus filiis Leui, id eſt vt interpretantur, non minoribus duntaxat, templi miniſtris, verum etiam maioribus, ſeu Sacerdotibus; ita Ribera, libro tertio de templo, capite ſecundo, Serrariuſque in Tobiam 1. Iuſtinianus in epiſtol. ad Hebræos, C Torniellus ad ann. 1548. & alii quos citat, & quibus conſentit Lorinus in Leuiticum, ſed quidquid demum illi ſentiant. Certè decimas non fuiſſe datas Leuitis, & Sacerdotibus, hinc non obſcurè videtur conſtare, quod Leuitæ, ex iis, rurſum darent decimas Sacerdotibus, vt eodem loco dicitur, docetque Ioſephus, & hoc libro noſter Nehemias, capite decimo, & verſibus ſupra citatis, quod enim ibi dicit, *Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Leuitis in decimis Leuitarum*, mox explicat ſubdens, *Et Leuitæ offerent decimam partem decimæ ſuæ in domo Dei noſtri ad gazophylacium in domum theſauri*, D vt ſcilicet, in ea, cuſtodiatur, diſtribuaturque Sacerdotibus, quamquam alii ſic explicant, ſed minus accommodatè, vt exiſtimo, ad verba, ſenſumque Nehemiæ, ſic communem fuiſſe omnibus, & Sacerdotibus & Leuitis vſum decimarum, vt omnes etiam ex ſua portione quam à populo acciperent, decimam partem, ſeu decimam decimæ ſummo Sacerdoti pendere tenerentur, ſic autem de Leuitis ad Moyſem præci-

Primitiæ dabantur à populo Sacerdotibus, decimæ Leuitis & à Leuitis rurſum decimarum Sacerdotibus.

A pitur Numeror. 18. verſ. 16. *Præcipe Leuitis, atque denuntia cum acceperitis à filiis Iſrael decimas quas dedi vobis primitias eorum offerte Domino*, id eſt decimam partem decimæ: nimirum, vt Leuitæ pares eſſent aliis Tribubus, quæ ex labore ſuo offerebant decimas Domino, ſic enim indicatur, verſ. 27. *Vt reputetur vobis in oblationem primitiuorum tam de areis quam de torcularibus.* De his ita Hieronymus, in illud Ezechielis 45. verſ. 3. *Et hæ ſunt Primitiæ quas tolletis, &c.* Δεκάδα, inquit, *hoc eſt decimam partem omnium frugum Leuiticæ tribui populus ex lege debebat*: Rurſus ex ipſis decimis Leuitæ, hoc eſt inferior miniſtrorum gradus, decimas dabat Sacerdotibus, & hæc eſt quæ appellabatur Δευτεροδεκάτη. Cæterum exiſtimant aliqui, vt Lyranus & Abulenſis, hanc decimam decimæ, id eſt centeſimam omnium fructuum, totius populi Iſraëlitici à Leuitis, datam fuiſſe ſummo Pontifici, videri quippe hoc ipſum indicari Numerorum 18. verſ. 28. his verbis, *Date ea Aaron Pontifici*: quod ſi ita eſt fuiſſe profectò ditiſſimum pontificem oportet, vtpote qui centeſimam partem frugum totius Iudææ, quotannis receperit. Atque hinc, id eſt ex ea ſententia, de decimæ decima ſoluenda ſoli Aaroni, ſeu ſummo Sacerdoti à Leuitis inferunt, docentque Diuus Thomas, aliique Doctores, par eſſe, vt clerici omnes, etiam Epiſcopi decimas bonorum ſuorum dent Romano Pontifici, quas Pontifex non exigit quidem, ſed loco earum in maioribus beneficiis, annatam, vt vocant, id eſt fructus primi anni, cum beneficium alicui confert, expoſcit. Quidquid ſit, de hac re, quam non diſputo, ius illud pendendæ, aut exigendæ de decimis decimæ à Clericis Eccleſiaſticiſue, ex præſenti exemplo non colligitur, ſi, quod ſentimus, decimam decimarum, Leuitæ non ſummo Sacerdoti ſolum, ſed aliis præterea Sacerdotibus tenebantur perſoluere, quamquam per comparationem à minori ad maius, quod aiunt, facile argumentari licet, ſi debita fuit, illa decima in veteri Teſtamento, longe magis rationi conſentaneum eſſe, vt iam in noua lege, eam perſoluerent Clerici, ſummo Pontifici, ſi exigeret, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 87. artic. 4. ad 3. vbi æquum eſſe contendit, vt qui ha-

XXXIII.

Decima decimæ vocabatur decima ſecunda.

Non ſoli ſummo Sacerdoti vt ſentiunt nonnulli, ſed aliis præterea Sacerdotibus decima decimæ perſoluebatur.

bent curam animarum, de communi multitudinis statu, ipsis prouideatur, vnde possint exequi ea quæ pertinent ad communem omnium salutem. Melius igitur, quantum assequi possum, existimant authores illi, qui decimam decimæ, quam Leuitæ debebant, datam fuisse non soli Pontifici, sed omnibus Sacerdotibus assueuerant: alioqui enim, Pontifex valde diues, vti iam dixi, & Sacerdotes, vt pote plurimi, valde pauperes fuissent, atque ita docet Iosephus oculatus testis, & ipse Sacerdos, lib. 4. Antiquit. capite 4. & Hieronymus in capite 45. Ezechielis, & Philo, libro de honoribus Sacerdotii, atque ex iis Ribera, loco supra citato; verisimile tamen est ex hac decima decimæ, bonam partem, pro dignitate tantæ personæ, cessisse Pontifici, seu summo Sacerdoti. Quo pacto autem distribuerentur decimæ, tum primæ inter Leuitas, tum secundæ inter Sacerdotes, ipsumque summum Sacerdotem, & quis esset veluti diribitor, ac distributor, & an æquales singulorum partes forent, vel potius, iuxta diuersos gradus, & munere inæquales, per formam distributiuæ, ac simul etiam commutatiuæ iustitiæ, nescire me nec piget fateri nec pudet, cum de eo nihil in scriptura, nec in authoribus, vel antiquis, vel recentioribus, scriptum reperias. Sed qua lege inquies, seu quo iure tenebantur Iudæi, siue primitias, siue decimas persoluere? Aio primum, iure naturali merè, nec Iudæos olim, nec Christianos modo teneri ad primitias dandas, vti nec ad decimas, nisi quantum eæ necessariæ sunt ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ: sic fere Theologi: Iudæi ergo tenebantur ad primitias, & decimas iure diuino, quod, vt patet, cùm in multis scripturæ locis, su-

XXXIV. Quo iure tenebantur Iudæi ad primitias & decimas persoluendas, & Christiani ipsi hodie.

A pra allatis, tum ex Leuitico capite vltimo, sancitum est: Christiani vero ad decimas tenentur iure Canonico, (seu Ecclesiastico) dico tamen 2. solutionem primitiarum, vti & decimarum iuri, & rationi naturali valde consentaneum fuisse: ratio enim naturalis dictat, decens esse, vt Deo prima quæque offerantur, hinc apud veteres etiam Romanos, antequam nouas fruges aut vina quisquam gustaret, Sacerdotes primitias ex eis libare solitos, refert Plinius libro 17. capite 2. pari modo decimas quoque Ethnicos soluisse, testis est idem author, libro decimo nono, capite

B decimo quarto. Hinc & ante legem Abraham, ex Dei & naturæ instinctu decimas dedit Melchisedecho Genesis 4. & Iacob vouit decimas cunctorum quæ ab eo acciperet, Genesis 28. recta igitur ratio dictat, vt iusta, & decens portio bonorum offeratur Deo, qualis decima vulgo existimanda est, nec de causa symbolica admodum moror, quam multi obseruant, denarium scilicet, significare perfectionem, cum sit terminus numerorum simplicium, & omnes illos complectatur; & cæteri ex ipso semel, vel sæpius repetito, & ex alio simplici componi, atque ita, qui

Abraham ante legem ex Dei, & naturæ instinctu decimas dedit Melchisedecho.

C decimam Deo, in ministris soluit, cum sibi nouem retineat significare se esse imperfectum, & expectare perfectionem à Deo, per eius ministros: Mysticam, inquam, rationem nihil moror, tantum id statuo, ius diuinum, aut Ecclesiasticum, in imperandis exigendisque decimis iuri naturæ valde esse conforme, quod si voles ad amussim Theologicam diligentius expendere, vnum ex omnibus recentioribus, Suarem consule, Tomo primo de Religione, Tractatu secundo, libro primo.

Ius diuinum & Ecclesiasticum in imperandis exigendisque decimis, iuri naturæ valde conforme.

XV. ANNOTATIO PROOEMIALIS, ad cap. X.

De siclo cuius mentio est, capite 10. Nehemiæ versu 33.

XXXV. VONIAM Iudæi, A vt è longa captiuitate in Iudæam, sic è pristino legis contemptu, cúm in externa, tum in patria regione, ad meliorem mentem reuersi, Deo spoponderunt, solemni cum eo percusso fœdere, se non modo quod lege præscriptum erat, in posterum obseruaturos, sed etiam, supra quam lex ab ipsis exigeret, multam pecuniam, ad templi vsum ac ministeria, & speciatim tertiam sicli partem, quotannis pensitaturos. De siclo ex variis authori- B bus, qui de eo plura scripsere, tria, aut quatuor, summatim, hic annotanda sunt, quæ si in textus explanationem inferantur, prolixiorem eam facient, ac forte, eo nomine, lectori minus iucundam. 1. quid fuerit, 2. cuius ponderis, 3. cuius formæ, ac figuræ, seu consignationis, 4 denique, cuius pretii, ac valoris. Quod ad primum spectat, ex omnium calculo siclus, genus monetæ seu pecuniæ fuit olim apud Hebræos vsitatissimum, idem, quod apud Græcos, stater, *Hebraicè* dicitur *Sechel*, id est appensum, seu ponderatum, radix enim *Sakal appendere*, seu *ponderare* significat: Et sane vti Romani primis temporibus, C sic prisci etiam Iudæi, rudem massam æris, argenti, vel auri, ad certum pondus vice pretii, & pecuniæ, adhibebant in commerciis, & negotiationibus qui postea consignarunt, conflaruntque pecuniam dictam, propterea signatam, sed quam iusto semper, ac certo pondere appenderunt, testatum id habes apud Plinium de Romanis lib. 3. cap. 3. vbi ait eos primum argento signato vti cœpisse post Pyrrhum deuictum, quod contigit anno vrbis 583. ideoque ante primum bellum Punicum; aureum deinde nummũ post annos 62. cusum fuisse. Æs vero, si eundem authorem audimus, prius signatum est, nempe apud Priscos heroum temporibus à Saturno; apud Latinos, à Numa Pompilio secundo Rege Romanorum, qui illud certis imaginibus, & titulo nominis sui inscripsit, indéque nonnulli authores, à Numa numum, siue nummum nomen accepisse aiunt, in quibus lib. 16. cap. 17. Cedrenus & Epiphanius lib. de ponderibus: quando autem apud Iudæos æs primum, aut cusum, aut signatum est, non ita inuenitur apud authores exploratum. Quod ad secundum pertinet à nobis exquirendum, cuius ponderis siclus fuerit, inuenio pondus sicli communiter fuisse 4. drachmarum atticarum, siue semunciæ, teste Iosepho lib. 3. Antiquitat. cap. 9. Ita etiam Hieronymus ad caput 4. Ezechielis, *Siclus*, inquit, *id est stater, habet drachmas 4. octo autem drachmæ, Latinam vnciam faciunt.* Quare pondus sicli, communis saltem, rectè dicitur tetradrachmam fuisse, seu semunciale. Communis dixi, quia video, verti in dubium, disputarique à quibusdam authoribus, num duo siclorum genera, fuerint, quorum alter communis seu prophanus, alter vero sacer siue sanctuarii diceretur; quam distinctionem antiquiores non probant. Certe Ezechielis cap. 4. vers. 12. de pondere sicli sic habetur: *Porro viginti sicli & viginti quinque sicli, & quindecim sicli minam faciunt.* Quo significatur sexaginta siclos in vna mna, seu mina contineri, seu, quod idem est, siclum, esse sexagesimam partem vnius minæ. Erant autem & aurei, & argentei sicli, paris quidem omnes ponderis, sed pro materia, inæqualis pretii, vt quiuis facile intelligit, nam drachma vna auri, valet decem, vel duodecim drachmas argenti, cum pretium auri vulgo sit decuplum, vel duodecuplum, ad pretium argenti, vnde siclus au-

Quatuor de siclo expenduntur, eius natura, pondus, forma, pretium.

Siclus genus monetæ apud Hebræos, idem quod apud Græcos stater.

Apud Romanos & Hebræos primum æs rude, & postea signatũ & cusum in vsu fuit in cõmerciis.

Pondus sicli fuit communiter quatuor drachmarum atticarum siue semunciæ.

Siclus sexagesima pars vnius minæ.

Pretium auri vulgo decuplum aut duodecuplum argenti.

reus, valebat vt minimum, decem siclos argenti; sed de illius pretio, ac valore mox dicemus, vbi prius figuras, atque illius indices notas expresserimus, quod tertium in annotandis posuimus. Sic igitur (vt rem paucis expediamus) Arias Montanus, libro de mensuris sicli consignationem describit, vt scilicet, siclus in vno latere, habuerit vrnam, cum manna, adiecta hac inscriptione, literis, seu characteribus, priscis Samaritanis, efformata, *Sekel Israel*, id est *Siclus Israel*, in altero vero latere virgam Aaronis floridam, cum hac inscriptione *Hierusalem Kedoscha*, id est, *Hierusalem sancta*. Nunc ad eius pretium & valorem veniamus, de quo postremo dicendum proposuimus; rem scriptura aperte declarat, Exodi 30. vers. 13. *Siclus viginti obolos habet*, en pretium sicli, & rursus iisdem prorsus verbis iam proxime, citato capite Ezechielis 45. vers. 12. *Siclus viginti obolos habet*, Iudaicos scilicet, nam atticos habebat viginti quatuor, tot enim obolos efficiunt quatuor drachmæ atticæ, quas valet siclus. Erat ergo obolus vigesima pars sicli, & siclus valens viginti obolos, si ad nostratem monetam referatur, pretii ac valoris assium fere viginti fuisse existimari potest, vt quidam authores iudicant. Obseruandum tamen est, ex iis qui duplicem, seu duplicis generis siclum statuunt, sacrum alterum, alterum communem: multos in ea esse opinione, vt siclus sacer siue sanctuarii, diuersus fuerit & pondere, & pretio a siclo communi, sic vt sacer minor fuerit communi: Ita Rabbi Salomon, & Lyranus, communi siclo dant 24. obolos, sacro vero viginti. Alii vero contra censuerunt siclum sacrum fuisse maiorem communi, ita Pagninus siclo sanctuarii dat 40. obolos, communi vero 20. quin & tanta, in ea re, opinionum est diuersitas, vt Vatablus, & ex eo Lipoman. & Couarru. libro de monetis cap. 2. numer. 9. communi siclo dent 10. obolos, sacro vero 20. verum, vt iam supra innui, hæc distinctio sicli sacri, & communis veteribus, puta Iosepho, Hieronymo, & aliis fuit incognita, immo æquales fuisse hos siclos, patet ex Ezechielis 45. vers. 15. vbi dicitur, siclus communis habere 20. obolos, quot dicitur habere sacer in loco Exodi supra allato: loquitur enim Ezechiel de communi, laicorum

XXXI. *Sicli figura & consignatio.*

Sicli pretium 20. obolorum Iudaicorū 24. atticorum.

Sicli pretium assiū fere viginti nostra moneta.

Magna opinionum diuersitas de valore sicli apud eos qui alterum sacrum, alterum communem statuunt.

A duntaxat, & pauperum siclo, vt patet ex antecedentibus & Moyses aperte, de siclo templi, seu sanctuarii. Ita Ribera in Amos, cap. 8. num. 15. Villalpandus, parte 2. de apparatu templi, lib. 2. cap. 28. Sed, inquies, si idem erat siclus sacer, & communis, quid est quod tam sæpe scriptura, cum de siclo loquitur, cum limitat, ex adiecto, vocatque siclum sanctuarii, siue iuxta mensuram templi, & in pondere sanctuarii: vt huic obiectioni breuiter satisfiat, ex meliorum interpretum sententia in Leuiticū. Respondeo ideo fieri, quod in sanctuario, quasi in B loco sacro, & tuto, seruaretur, siclus iustissimi ponderis, ad quem appendi possent & examinari reliqui omnes, ne fraudi, puta decurtationi, aut diminutioni locus pateret, sicut apud Romanos publica extabat peris mensura, velut prima, & certissima reliquorum, & amphoræ mensuram publicam extitisse, in Capitolio, indicat illud veteris Poëtæ Prisciani credo, *Amphora fit cubus, quam ne violare liceret: Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.* Sic igitur Moyses in Exodo supra vocat verbi causa siclum iuxta mensuram C templi, siclum iustissimi ponderis, seu qui nec augeri, nec diminui, nec fraudi vlli subesse potest. Quod patet manifestè ex Leuitici vltimo vers. 25. vbi dicitur, *Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur*, nam si siclus hic sacer, pluris valuisset, quam communis, contrarium dicendum fuisset: quare & 70. vertunt hoc loco, *Et omne pretium erit mensuris sanctis*; quasi dicant, omnis siclus & omne pondus ac pretium ponderabitur siclo & mensura iustissima, quæ seruatur ad hoc in sanctuario; vnde & Exodi capite trigesimo versu 24. legitur, *Sumes tibi* D *casiæ quingentos siclos in pondere sanctuarij*, quibus verbis Moyses significat accipere se siclum illius ponderis, cuius erat siclus sanctuarii, siue siclum qui tanto sit pondere quantum appendit siclus sanctuarii, non quod is communi siclo sit maior, sed quod ipse iustissimæ sit mensuræ. neque propterea necesse est (quantum opinor) ponere alium siclum ponderis diuersum à siclo monetæ, quasi siclus ille fuerit genus quoddam ponderis, quod monetæ sicli non esset a quilibet, sed diuersum ab eo pondus haberet, licet id sentiant Arias Montanus in Exodi locum citatum & Sanctius noster in Ezech 45.

XXVII. *Cur virgo in scriptura ad vocem sicli nasciatur, iuxta mensuram templi seu in pondere sanctuarii.*

nam scriptura huius diuersitatis sicli neque vllam facit mentionem, neque vllum exhibet indicium, aut significationem. Et sane longe verisimilius est, Hebræos pondus monetæ sicli ad alias etiam res transtulisse, vt & apud nos subinde fieri assolet dum res medicæ aut pretiosæ dicuntur appendere duos, tres, aut quatuor nummos aureos. Sed
XXXVII. vt ad pretium & valorem sicli reuertam, nodum hunc etiam in iis quæ de eo à nobis dicta sunt, soluendum inueniunt nonnulli, quod 70. passim vt Leuitici 23. Numerorum 3. & alibi siclum interpretantur, *didrachmum*, vnde concludi videtur, siclum sacrum minorem fuisse siclo communi, hic enim teste Iosepho, vt antea diximus, appendebat quatuor drachmas; hinc Epiphanius siclum sacrum vocat dimidium stateris, id est, vt videtur sicli communis, *sic enim ille siclus*, inquit, *qui & quadrans dicitur, quarta pars est vnciæ dimidium stateris, habens drachmas duas*, & paulo ante. *Libra est 12. vnciarum, vncia habet stateres duos, stater dimidium est vnciæ, habet autem duo didrachma.* Proponit, & soluit hanc difficultatem
70. Cum siclum pro didrachmo sumunt more Hebræo di- Cornelius à Lapide in Exodum, & ex eo prorsus fere sic respondeo. 70. didrachma, accipere more Hebræo, non Attico, cum didrachmum Hebræum fuerit tetradrachmum Atticum, siue vnum, duplum alterius, vna A enim drachma Hebræa faciebat duas Atticas, quare cum 70. ponunt didrachmum, intelligunt, & didrachmum vocant duos argenteos Hebræos, quorum quisque duas pendebat drachmas Atticas, teste Budæo lib. 5. de asse, licet argenteus etiam alius fuerit maior eiusdem cum siclo, & statere valoris, ac pretii, scilicet valens didrachmum, vt patet ex versione 70. collata cum nostra Genes. 20. vers. 16. ibi enim vulgatus interpres vertit *mille argenteos* 70. vero *mille didrachma*, è contrario Matth. 17. vers. 24. Tributum quod Publicani petebant à Christo, didrachma Atticum erat, media pars sicli, soluit enim ibi Christus, vnum siclum, siue staterem, scilicet dimidium pro se, & dimidium pro Petro. Iam vero ad Epiphanii authoritatem supra memoratam, quid commode responderi possit, aliud non video, quam quod ab eodem Cornelio asseritur, vel eum memoria esse lapsum, vel in codicem eius irrepsisse mendum aliquod, siquidem tam aperte contradicit 70. interpretibus, qui didrachmum vocant, staterem, vel siclum &c. Et hæc de siclo, cuius tertiam partem se daturos quotannis, per singula capita, in vsum Templi, Iudæi reduces, in Hierusalem solemni cum Deo fœdere percusso spoponderunt. B

drachmum intelligendum quod duplum Atticiras seu tetradrachmum Atticum.

XVI. QVÆSTIO PRÆAMBVLA. ad cap. XII.

An Nehemias peruenerit vsque ad ætatem Alexandri Magni, vt apparet ex textu ipso Nehemiæ cap. 12. vers. 22. vbi Darij vltimi Persarum Regis mentionem facit.

D hanc quæstionem clarè ac nitide dissoluendâ, mutuari tantum magnam partem & huc inferre necesse est, quæ à Petauio nostro, tomo 2. de doctrina temporum longa C dissertatione aduersus Scaligerum disputantur lib. 12. cap. 25. cuius titulus *De Persarum Regum serie, quæ in sacris libris expressa legitur.* Sic enim, affirmantem sententiam, firmis conuellit argumentis, vt qui legerit, & ea paulum expenderit, negantem ei minime dubiam esse oporteat. Ergo, capite citato, postquam animaduertit, Scali-

Verior ſententia negans Nehemiam ad ætatem vſque Alexandri Magni perueniſſe.

geium, dum ex libris Eſdræ ac Nehe A miæ, Perſidis Regum ſeriem exponit, conſpectare, vt Darii noſtri anno ſecundo, non Hyſtaſpis, vt habetur vulgo filiis Templum à Zorobabele ac Ioſue conditum probari velit; itemque Artaxerxis Mnemonis, non Longimani tempore, Nehemiam è Babylonia in Iudæam veniſſe. Primùm, eius argumenta profert in medium, quæ omnino in quæſtionem noſtram cadunt, tum deinde confutat, vt mox audiemus. Primum, inquit, Scaligeri argumentum eſt, vltimus Perſarum Rex cuius in ſcriptura mentio fit, eſt B Darius, Nehemiæ cap. 12. verſ. 22. ſub quo Nehemias ait, Ïadduam Pontificem fuiſſe, *Ïadduas vero iſte* (verba ſunt Scaligeri) *quod nemo negare poſſit, is eſt qui Alexandro Hieroſolyma ingredienti, obuiam in Pontificio ornatu venit: Darius ergo iſte, æqualis Alexandri Magni fuit, & conſequenter Darius iſte, eſt is, quem Alexander vicit, vltimus Rex Perſarum, quod cum ita ſit, Nehemias peruenit ad Alexandri tempora:* Alterum argumentum eſt, eiuſdem authoris, vt in multis, ſic in eo grauiter hallucinantis, Sanaballetes Samaritanus, Nehemiam Hieroſoly- C mitanum mœnia reficientem prohibere conatus eſt, Nehemiæ 4. Is Alexandri caſtra ſecutus, Gazam oppugnanti, cum auxiliis præſto fuit, vt refert Ioſephus inquit: ergo Sanaballetes Nehemiæ, ætate vixit, adeoque fuit vterque Alexandri Magni σύγχρονος. Tertio demum hoc argumento vtitur Scaliger Sanaballetes filiam ſuam Nicaſo in matrimonium dedit Manaſſæ, fratri Ïadduæ Pontificis, authore Ioſepho, lib. 11. ob id Nehemias Manaſſen expulit, Nehem. cap. vltimo, verſ. 28. *De filiis autem Ioiadæ filii Eliaſib Sacerdotis magni gener erat Sanaballat Horonites quem fugaui à me, at Ïaddas* D *filius erat Ioannis Ioiadæ filii.* Quare Nehemias Alexandri Magni temporibus vixit. Hactenus Scaliger: omittimus enim quæ ex illa ſua argumentatione, tanquam vero principio, cum falſum ſit, de Dario Notho, & Artaxerxe Mnemone concludit. Iam quod ad rem noſtram propius pertinet, nos cum Petauio ſupra nominato, in ea Scaligerianæ diſputationis ſumma, primum illud longè incommodum eſſe reperimus quod longæuos vltra humanæ vitæ modum, Duces aliquot Hebræorum fuiſſe, fateri cogitur, nam

Rationes Scaligeri pro ſententia affirmante.

Refelluntur Scaligeri rationes.

A Zorobabel Dux fuit Iudæorum qui à Cyro dimiſſi ſunt, quod contigit, anno periodi Iulianæ circiter 4177. annus ſecundus Darii Nothi eſt period. Iul. 4291. interuallum anni 114. totidem igitur annis Principatum geſſit Zorobabel, & iſtis amplius, neque enim ſcimus, quando mortem obierit, addatur iam ætas, quam habuit, cum Iudæorum laxata captiuitas eſt, quæ 20. vel 30. aut amplius fortaſſis annorum fuit, vixit ergo circiter 140. præterea liber 3. Eſdræ cap. 3. & 4. nec non Ioſephus lib. 11. cap. 4. teſtantur B Zorobabelem anno Darii ſecundo, quo Templum ædificatum eſt, in Perſidem reuerſum σωματοφύλακα, regii corporis cuſtodem fuiſſe, quem & iuuenem Eſdræ liber appellat, atqui 140. ſaltem annum, ex Scaligeriana opinione tum agebat. Idem & in Ioſue filio Ioſedech, ſummo Sacerdote, & aliquanto etiam manifeſtius abſurdum: neque enim ad Pontificatum, niſi matura iam ætate prouehebantur, itaque Ioſue, quo tempore Iudæi à Cyro dimiſſi ſunt, Pontifex erat & forte iam plures annos, in ea functione verſatus fuerat, nam pater eius Ioſe- C dech, cum Sedecia in Babyloniam adductus, diu ante ſolutam captiuitatem mortuus eſt, vt ex longinquo huius interuallo conijcimus, quare annum ſaltem quadrageſimum, huic imputandũ eſſe, cũ Iudæi à Cyro dimiſſi ſunt, nemo diffitebitur, ita 160. fere annis in viuis fuit, & hæc ſunt, quæ ex Scaligeri ſententia deducuntur: quæ profecto fidem à quoquam vix obtineant. Addit idem ille author, à quo Scaliger perſtringitur, quæ à nobis initio poſita ſunt, & quibus falſa Scaligeri Chronologia innititur, tanti non eſſe vt ad hæc Paradoxa & incredibilia lectorem adigant. Primum enim quod D ex Nehemiæ cap. 12. petitur, in quo Darii fit mentio, explicatu perfacile exiſtimat, ex eo quod Pericopen illam, quæ Ïeddoæ Pontificis, & Darii meminit, non ab ipſo Nehemia ſcriptam, ſed ab alio quopiam, adtextam nonnulli ſentiunt, quod & probabile eſt, id enim pleriſque aliis in libris ſcriptuæ apparet eſſe factum, vt in fine Deuteronomii, quæ ad Moſis obitum ſpectant, ab alio vtique ſunt adiecta, quod & de aliis quoque locis, aliàs obſeruauimus, quocirca in catologo illo Leuitarum, & Sacerdotum, quem ad tempus ſuum perduxerat Nehe-

In ſententia Scaligeri longæui fuiſſent aliquot Hebræorum duces ſupra humanæ vitæ modum.

IXL.

Ex nonnullorum ſententia qui locus in Nehemia Ïeddoa Pontificis, & Darii meminit non ab ipſo Nehemia ſcriptus, ſed ab alio quopiam reliquæ hiſtoriæ attextus.

mias, quidam appendicem illam forte intexuit: reliqua duo argumenta, quæ Iosephi authoritate nituntur, nihilo probabiliorem Scaligeri sententiam faciunt, cum neque sibi ipsi, in hac historia consentaneus sit Iosephus, sed secum ipse pugnet sæpissimè, neque cum Scriptura sacra consentiat; sed ei passim aduersetur, vt legenti constabit: nam vt alia taceam, sub Artaxerxe, non Xerxe, vt ille vult, lib 11. cap. 5. Nehemias Hierosolymam venit, quod manifestè scriptura testatur: præterea ab anno vltimo Xerxis, quo Templum absolutum esse, scribit Iosephus ad Alexandrū Magnum anni sūt 135. tot igitur annos Sanaballetes habuit, qui Nehemiam cum vrbem conderet, hostiliter vexauit, & idem ipse postea Alexandri castra secutus est, teste Iosepho, vt ante audiuimus. Adde iam annos 30. aut etiam plures, quibus vixit Sanaballetes antequam præfectus, ac vir inter viros esset, & sic 166. annum circiter agebat, cum ad Alexandrum defecit. Quare vt hæc videntur incommoda duos omnino Sanaballetos fuisse, par est arbitrari, quorum vnus

Duplex.

A Nehemiæ, & Artaxerxis Longimani: alter Darii Codomanni, & Alexandri ætate vixit, quos ambos perperam, vt apparet, miscuit Iosephus, & quod prioris erat, id posteriori tribuit; nimirum affinitatem cum Pontificia familia, nisi fortè bis cum Samaritanis affinitatem iunxisse, Pontificiam illam domum putemus. Primum, Nehemiæ, & Artaxerxis Longimani tempore quempiam ex filiis Ioiadæ, Sanaballoti filiam duxisse, ob idque à Nehemia reiectum esse, postea Manassem Iaddoæ fratrem, Sanaballeti minoris, & prioris nepotis filiam, itidem in matrimonium habuisse. Hactenus fere B Petauius, ex cuius rationibus, tota hac dissertatione passim deductis, variæ ac futiles Scaligeri argumentationes ostendantur, atque ex consequenti, firmatur ea sententia, quam initio proposui de Nehemia, qui ad ætatem vsque Alexandri Magni non peruenit, sed multis ante annis mortem obierit, centum puta, aut circiter, si Saliani calculus non exerrat, qui eam ad annum Artaxerxis 40. refert.

Sanaballetes, quorū alter Nehemiæ & Artaxerxis, alter Darii Codomanni & Alexadri ætate vixit.

XVII. ANNOTATIO PROOEMIALIS ad Cap. XII.

De numero Regum Persarum, & quot annis illorum Monarchia steterit.

XL. VONIAM frequens in Esdra incidit mentio Cyri, primi Regum Persarum, aliorumque, quos suis designat nominibus sacer author, immo & duodecimo quoque huius libri Nehemiæ capite vers 22. vt iam superiori quæstione posuimus. Darius ipse, qui ab Alexandro victus est, Regum videlicet omnium vltimus in textu, & iudicatur, & nominatur, iuxta probabilem multorum opinionem, certè vt prophana historia cum sacra cohæreat, & altera ab altera lucis aliquid accipiat, quot & quinam fuerint Reges Persarum toto tempore Persici imperii, hic inuestigare C non erit à nostro instituto alienum.

De numero itaque qui apud Persas regnarunt, quoad stetit eorum Monarchia, varie varii sentiunt, nec vna est, aut sanctorum Patrum, aut scripturæ interpretum, seu veterum, seu recentiorum super hac re sententia.

Varii varii sentiūt de numero Regum Persarum.

Petrus Galatinus lib. 4. cap. 15 quosdam Rabbinos nominat, qui dixerunt hos tantum fuisse Reges in Perside, Cyrum, Assuerum, Manthum, Esther, & Darium qui victus ab Alexandro perdidit imperium: verum his tribus, Rabbi, Salomon, & Lyranus, quartum Regem adiungunt inter Cyrum, & Assuerum, interponentes Cambysem Cyri filium.

Rabbinorum quorumdam sententia apud Galatinum de tribus tantum Regibus Persarum.

Et hanc quidem opinionem fuisse

Aliqua tuor tantū ponunt. per quam vetustam argumento est quod D. Hieronymus in cap. 7. & 11. Danielis infert quosdam existimasse, non plures quatuor Regibus post Cyrum apud Persas regnasse, in quo multum a vero aberrarunt.

Tertullianus quinque commemorat. Tertullianus in eo libro quem scripsit aduersus Iudæos quinque tantum Reges Persarum commemorat.

Isidorus octo. Isidorus lib. 5. Etymologiarum, octo admodum numerat, qui cum consentiunt, plerique non infimæ notæ huius sæculi scriptores.

Ex sacra Historia primum sex Reges Persarum colliguntur. Pererius noster lib. 13. in Danielem exponens illud cap. 11. *Ecce tres adhuc Reges stabunt in Perside &c.* vt eruditè hic verè quidem obseruat. Primum ex ipsa sacra Historia sex omnino Persarum Reges posse colligi, quos ex eodem authore sic perstringimus. Primus fuit Cyrus, author libertatis Iudæorum, & Persarum Monarchiæ conditor, cuius amplissima fit mentio apud Isaiam cap. 45. extrema parte libri 2. Paralipomenon, atque adeo lib. superiori Esdræ.

Secundus Rex fuit qui inchoatam Templi ædificationem Iudæos prosequi vetuit, dictus ab Esdra cap. 5. lib. 1. Assuerus, & Artaxerxes variæ quippe, vt alias fusè annotauimus, illis Regibus erant nomina, ante, & post susceptum imperium, hunc plerique existimant fuisse Cambysem Cyri filium.

Tertius Rex fuit Darius Histaspis, cuius secundo regni anno repetita est, Templi ædificatio, & sexto anno absoluta, hunc Regem suo nomine, vt vidimus, appellat Esdras, lib. 1. cap. 5. & 6. Zacharias, item & Aggæus, qui sub eo prophetarunt.

Quartus Rex ab ipso Esdra cap. 7. & à Nehemia cap. 1 & 2. nominatur Artaxerxes, cuius gratia & præsidio Nehemias profectus in Iudæam, extructis mœnibus, Hierosolymam vrbem refecit, atque communiuit; hunc Artaxerxem multi censent fuisse eum, quem externi scriptores, cognomento Longimani appellare solent, & nos alibi multis argumentis confirmauimus.

Quintus Rex, opinione Pererii, fuit maritus Esther, qui in principio huius libri Nehemiæ vocatur Assuerus, postea vero cap. 10. dicitur Artaxerxes, is videlicet, vt placet multis, qui ab Ethnicis cognominatus est Mnemon, sed nos longiori disputatione Assuerum illum eundem fuisse cum Artaxerxe Longimano, non cum Mnemone, superiori libro ostendimus.

Sextus Rex videtur fuisse Darius, qui ab Alexandro victus est, siquidem in hoc libro Nehemiæ, qui vulgo inscribitur, secundus Esdræ, cap. 12. vers. 22. nominatur Darius Rex Persarum, cuius tempore fuerit Iaddus Pontifex Iudæorum, hic autem Iaddus, qui hoc libro, Ieddoa dicitur, teste Iosepho lib. 11. Antiquit. cap. 8. Pontificatum gerebat, quo tempore Alexander Magnus venit Hierosolymam, à quo etiam præter opinionem omnium mirè honoratus est. Darius vero vltimus Rex Persarum eodem anno quo Alexander, si verum scribit Diodorus lib. 17. iniuit principatum.

Hic ferè Pererius, loco supra citato, de Regibus Persarum, quorum in sacris Paginis mentio est, qui & addit, quod longè verissimum iudico, cum recentioribus Chronologiis, & Saliano præsertim, in Annalibus Ecclesiasticis Tomo 5. præter hos Reges iam nominatos, fuisse alios octo vt in summa quicumque à Cyro vsque ad Alexandrum Persico imperio præfuerunt, quatuordecim fuerint, atque id ipsum confirmat D. Hieronymus, in cap 7. & 11. Danielis, & manifestis quidem, firmisque argumentis sic probari potest. *Quatuordecim omnino fuere Reges Persarum.* Primum enim Herodotus, & Thucidides, qui vixerunt cum maxime floruit imperium, omnes Reges qui apud Persas regnarunt, à Cyro vsque ad suam ætatem, nominatim, expresseque commemorarunt, Herodotus quidem Cyrum, Cambysem, Magos, Darium, & Xerxem, Thucidides vero Artabanum, Artaxerxem, Longimanum, Xerxem, Sogdianum, & Darium Nothum, reliquos 4. Artaxerxem Mnemonem, Ochum, Arses, & Dariū Arses tradiderūt, Etesias Guidius, Diodorus Siculus, Strabo, Trogus Pōpeius, seu Iustinus, Iulius Africanus, in Annalibus, Clemens Alexandrinus, in primo libro Stromatum, Eusebius in Chronicis, D. Hieronymus, locis iam supra sæpius citatis, Seuerus Sulpitius, in libro 2. sacræ Historiæ, Orosius in sua Historia, Beda in libro de sex ætatibus mundi, & quidem Etesias Guidius magno in honore habitus est à Rege Persarum Mnemone, à quo etiam præfectum fuisse ferunt, Bibliothecis Persicis, e quibus fatetur Etesias ipse, Historiam quam scripsit, fuisse deprom-

XLI. Ex historicis confirmatur numerus Regum Persarum.

Ordo & series Regum Persarum. depromptam; quare ex superiorum Authorum sententia, Regum omnium nomina, qui Persico imperio præfuere, licet hoc pacto suum in ordinem distribuere: Primus Cyrus, 2. Cambyses, 3 Smerdes Magus. 4. Darius Histaspis, 5. Xerxes Darij filius, 6. Artabanus, 7. Artaxerxes Lõgimanus, 8. Xerxes 2. 9. Sogdianus, 10 Darius Nothus, 11. Artaxerxes Mnemon, 12. Artaxerxes Ochus, 13. Arses, 14. Darius Arses seu Arsani. Cæterum obseruandum hic occurrit nonnullos prædictorum Regum à quibusdam Authoribus in Historia Regum Persidis tacitos præteriri; tùm quod non legitimè, sed per vim, tùm etiam quod breuissimo tempore imperium tenuerunt. Eiusmodi sunt, Smerdes Magus, qui absente Cambyse, bellaque in Ægypto gerente, per fraudem occupauit Regnum, simulans se esse fratrem Cambysis, quem nocturno viso deceptus Cambyses, necari iusserat; vixitque in Regno septem menses; Artabanus Præfectus militiæ Xerxis Darij Histaspis filii, qui Xerxem ipsum per dolum peremit; & sexto loco, Regnum Persarum tenuit, septem item menses duntaxat. Xerxes 2. & Sogdianus, qui duo etiam per dolum, & vim, *Quidam ex prædictis Regibus à nonnullis Historicis connumerantur tum quod breuis admodum tempore, tum quod per vim aut* A Regnum inuaserunt, occuparuntque, duos ille menses, hic 7. tantum. Iam vero quot ex omnibus, quisque annos regnauerit, atque adeo quamdiu illorum Monarchia steterit, & si non est ita præsentis negotii, nec ad interpretationem Nehemiæ omnino necessarium, dicam tamen obiter, & in summa, ex probabiliori, Historicorum & Chronologorum sententia, stetisse eam Monarchiam, annos circiter 8. supra ducentos quod ex annis, quibus singuli prædictorum quatuordecim Regum Persidis regnarunt, sic conficitur: Rex Cyrus regnauit in Monarchia 7. annos B cum antea 23 vixisset in regno; Cambyses cum Smerde 8. Darius Histaspis, 36. Xerxes vnum de viginti, Artabanus 7. menses, Artaxerxes Longimanus quadraginta annos, Xerxes 2 duos menses. Sogdianus 7 Darius Nothus annos 19. Artaxerxes Mnemon quadraginta. Artaxerxes Ochus 26. Arses 4. vltimus Rex Darius sex, ex quibus omnibus vnam in summam conflatis, numerus annorum prædictus exurgit, plura si voles lege apud Historicos qui de Regum Persarum vita, & imperio fuse, & data opera tractarunt. *dolum Regnum occuparunt.* *Ex annis quibus singuli Reges regnarunt cõstat Persarum Monarchiam stetisse annos circiter 8 supra ducentos.*

XVIII. QVÆSTIO PRÆAMBVLA. ad cap. XIII.

Quo tempore & anno sub Artaxerxe, extremùm redierit è Perside in Iudæam Nehemias, vt collapsam & labantem disciplinam restitueret, iuxta illud cap. 13. vers. 6. *In fine dierum rogaui Regem, & veni in Hierusalem, &c.*

XLII. ERTVM est Nehemiam è Iudæa profectum fuisse in Persidem ad Regem Artaxerxem, anno 32. eiusdem Artaxerxis, sic enim habes aperte expressum cap. 13. vers. 6. vbi Nehemias ipse, *Anno*, inquit, *trigesimo secundo Regis Babylonis veni ad Regem*, Artaxerxem scilicet, qui Rex etsi Persis imperaret ac dominaretur, Rex tamen Babylonis dicitur, quia reuera, ei Babylonii parebant, ac forte erat tunc Babylone, C cùm ad eum profectus est Nehemias. Hæc igitur Nehemiæ profectio, quo tempore contigerit, vt vides, minimè dubium cuiquam esse potest; sed illud paulo obscurius est, quando, seu in quonam dierum fine, vt ibidem ipse loquitur, Nehemias, dicatur postulasse, & impetrasse à Rege, reditum in Hierusalem; vt quæ passim eo absente vitia apud Iudæum populum inoleuerant, corrigeret & contractas ex violata Religione sordes animorum repurgaret. Torniellus in Annalibus finem dierum de quibus loquitur Nehemias inter-

pretatur finem Regis Artaxerxis, qui si magis certam & exactam Chronologiam consulis 8. circiter ab hinc annis contigit: ex quo dicendum esset Nehemiam qui anno trigesimo secundo rediit ad Regem, totidem annis apud eum permansisse. Et certè in eadem sententia est Sanctius in Chronico, Genebrardus item lib. 2. in Artaxerxe 3 & in Eliasib, vbi ex loco iam supra à nobis citato Nehemiæ cap. 13. vers 6. ait, Eliasib summum Pontificem vixisse diebus extremis Artaxerxis, vti tribuit ei tantum 33. annos regni, in quo peccat; ad 40. enim Regnum perduxit: paulo tamen postea, reliquos ei annos restituit. Huic quoque sententiæ non parum fauere videtur, quod sacer textus videtur exigere maiorem quam vnius anni Nehemiæ absentiam, qua durante Eliasib ea mala fecerit, quæ referuntur cap. vltimo Nehemiæ vers. .& 7. Alii finem dierum interpretantur finem illius anni 32. quo venit ad Regem, vt significet Nehemias integrum annum, omnibus suis diebus constantem apud Regem mansisse & expleto anno obtinuisse commeatum à Rege, & facultatem in patriam remigrandi. Atque ita sentiunt Vatablus & Emmanuel Sa; immo & Genebrardus ipse, de quo proxime, lib. 2. in Ionatham, vbi ait per reliquos annos octo ex quo rediit in Iudæam, non fuisse abdicatum: præfectura ab Artaxerxe, cui erat charissimus, sed an totos illos octo annos, præfecturam gesserit, & licet penes ipsum, Ducis ius, ac potestas esset, toto illo tempore, à Rege abfuerit, & Hierosolymis egerit, certis argumentis demonstrare difficile est: sunt enim qui hæc verba, *In fine dierum rogaui Regem*: sic interpretantur, in fine videlicet meæ præfecturæ, quæ anno 32. Regis finiebatur, & sic duodecim tantum annos Ducatum gesserit Nehemias; quare Salianus noster in Annalibus, ad annum mundi 3621.

Alij finē dierum & tempus quo Nehemias e Perside in Iudæam extremum rediit de fine Regis interpretantur anno regni eius 40. alij de fine anni 32. quo Nehemias venit ad Regem.

Probabile est Nehemiam aliquot annis præfecturā suam per vicarium Esdrā vel Eliasib administrasse dum maneret ipse apud Regem.

A num. 5. addit ad superiorum authorum sententiam, potuisse Nehemiam, aliquot annis suam præfecturam retinere, & per vicarium Esdram, vel Eliasib potius, eam administrando, apud Regem manere. Quæ profecto sententia, vt illi, sic mihi videtur probabilior, eo nomine, quod interea detur tempus Eliasib, & Tobiæ, grande Gazophylacium ædificandi, contra fas, & Religionem: male administrandi reditus Templi, & eius ministros effugandi, vnumquemque in regionem suam, vt dicitur 13. Nehemiæ vers. 10. Adde quod deprauatio morum, quæ toto capite narratur, & præuaricatio legum, quæ maximè fiebant, apud Iudæos, vt violatio Sabbati, & iterum contractæ affinitates cum alienigenis, & susceptæ ex eis proles, quæ Azoticè & Moabiticè loquerentur, omnino diuturnam Nehemiæ absentiam, & plures annos malæ administrationis exigere videntur; Cæterum vt rectè etiam obseruauit, eodem loco prædictus author, credibile est, immo constans omnino ac certum, ex capite 10. 11. & 12 huius historiæ Nehemiam primis saltem duodecim vel pluribus etiam Ducatus sui annis, non solum beneficentiam erga populum exercuisse, sed etiam omnia promouisse diligenter, quæ ad C Dei cultum, ac legis obseruationem pertinerent: quibus exactis, cum abesset ab vrbe diutius, in Iudæorum animis, studia pietatis at Religionis obseruandæ sensim refrixerint: vt propterea tanto iustius, postea zelus eius exarserit, contra violatores legis, quemadmodum in fine huius libri narratur; vt eos non solum obiurgarit, ac execratus sit, sed verberarit etiam, & depilarit; quod simul arguit, illum etiamnum adhuc, in eadem qua antea Ducis populi authoritate perseuerasse. Sed hæc melius in ipsa textus explanatione comprehensa, suumque in ordinem digesta comperies.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CVM Susis, quæ vna de Persici imperij primariis sedibus fuit, versaretur Nehemias, gratiosus maxime apud Regem Artaxerxem Longimanum, siue Assuerum, Regem Persarum, forte inaudiit, ex Contribulibus suis, è Hierusalem in Persidem reuersis, variis incommodis conflictari, Iudæos è captiuitate reduces, qui tùm in ea prouincia, et in patriis sedibus commorabantur, à vicinis populis passim illos haberi ludibrio, murum Hierusalem quem vtcumque construxerant, esse dissipatum, & illius portas incendio conflagrasse: quo rei tam funestæ nuncio, mirùm quantum perculsus est, vix dum enim, bene denunciatur illi, calamitosus is Hierosolymorum status, cum statim ad orationem gemebundus se conuertit, & lacrymis quibus Deum ad misericordiam inflectat facilius, ieiunij quoque asperitatem adiungit. Sic vero, mærens licet, ac tristis, totam suam orationem belle componit, vt in ea primum diuina commendetur humanitas, deinde fiat peccatorum totius populi quasi legitima confessio, ad quam tandem accedit extrema petitio, seu deprecatio, longa quidem, & ardens, quæ huc spectat, vt quod à Rege Persarum obtinere studet, felicem successum habeat: nimirum vt in pace & otio Gentiles suos conseruet, & rem Iudaicam, quam externorum odio, atque incursionibus exagitarri videt, ita constituat sua apud Regem gratia, vt deinceps, contra hostium omnium vires, atque insidias, vndecumque communitam relinquat.

CAPVT PRIMVM ESDRÆ.

1\. VERBA Nehemiæ filij Helciæ. Et factum est in mense Casleu, anno vigesimo, & ego eram in Susis castro.

2\. Et venit Hanani vnus de fratribus meis, ipse & viri ex Iuda, & interrogaui eos de Iudæis, qui remanserant & supererant de captiuitate & Hierusalem.

3\. Et dixerunt mihi: qui remanserunt, & relicti sunt de captiuitate ibi in Prouincia, in afflictione magna sunt, & in oppro-

brio, & murus Hierusalem dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igni.

4. Cumque audissem verba huiuscemodi sedi, & fleui, & luxi diebus multis ieiunabam; & orabam ante faciem Dei Cœli.

5. Et dixi, Quæso Domine Deus cœli fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum & misericordiam, cum his qui te diligunt, & custodiunt mandata tua.

6. Fiant aures tuæ auscultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem serui tui, quam ego oro coram te hodie nocte & die, pro filiis Israël seruis tuis, & confiteor pro peccatis filiorum Israël, quibus peccauerunt tibi, ego & domus patris mei peccauimus.

7. Vanitate seducti sumus, & non custodiuimus mandatum tuum & ceremonias, & iudicia, quæ præcepisti Moysi famulo tuo.

8. Memento verbi quod mandasti Moysi seruo tuo, dicens: Cum transgressi fueritis ego disperdam vos in populos.

9. Etsi reuertamini ad me, & custodiatis præcepta mea & faciatis ea, etiamsi abducti fueritis ad extrema Cœli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi vt habitaret nomen meum ibi.

10. Et ipsi serui tui, & populus tuus quos redemisti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida.

11. Obsecro Domine sit auris tua attendens ad orationem serui tui, & ad orationem seruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum, & dirige seruum tuum hodie, & da ei misericordiam ante virum hunc: ego enim eram pincerna Regis.

EXPOSITIO LITERALIS.

v.1. ERBA *Nehemiæ filij Helciæ, &c.* Bene quidem, ac vere, & quãuis (vt in Quæstionibus Præambulis annotauimus) ea loquendi ratione, *verba Nehemiæ*, satis indicetur huius libri authorem esse Nehemiam, tamen licet, & alio modo, sic bifariam interpretari, vt *verba Nehemiæ*, dicantur, siue quæ scripsit, siue quæ gessit ipse: verbum enim apud Hebræos *Dabar*, scilicet tam sermoni & locutioni ipsi quam rei in genere cuilibet significandæ æquiuocum est: quod autem adiungit, *Et factum est anno vigesimo Regis*, etiam suppresso nomine, non est difficile intelligere, vigesimum annum fuisse Artaxerxis, siquidem idipsum deinde narratur capite proxime sequenti vers. 1. his verbis, *Factum est anno vigesimo Artaxerxis*, vbi fusius erit de eo disserendi locus.

Verba Nehemiæ dici possunt siue quæ scripsit siue quæ gessit.

In mense Casleu, &c. Vt concilietur hic locus cum initio capitis proxime sequentis, iam citati, vbi sic habetur, *Factum est autem in mense Nisan anno vigesimo*, non parum est elaborandum; Nam cum ea quæ hoc primo capite narrantur, & prius gesta sint, quã quę 2. c. recensentur, ad vicesimũ etiam annum Artaxerxis pertineant, vt antea diximus, qui fieri potest, vt in eodẽ anno mensis Casleu, qui est 9. & Nouẽbri respondet, & mensis Nisan qui est primus, nobis Martius, sic contineantur, vt Casleu antecessisse Nisan censendus sit, cum semper consequatur, & quæ facta in mense Nisan eiusdem anni, memorantur, posteriora esse iis quæ gesta sunt in mense Casleu intelligantur: Sic igitur ei cui

salebrosum hunc locum præteruehi velit, & nodum explicare difficilem, dicendum censeo. Licet Nisan, in decursu anni, apud Iudæos præcesserit Casleu, intelligendum tamen initium regni Artaxerxis, & anni incœpisse computari, circiter à mense Casleu: Nam quod aiunt aliqui, ex communi Iudæorum opinione sentientium, mundum creatum fuisse in mense, qui vocatur apud eos Tisri, & partim Septembri nostro respondet, secundum morem computandi anni communis apud Hebræos, incipiendo ab illo mense, Casleu esse tertium mensem, Nisan septimum, & sic vtrumque locum à nobis allatum nullo negotio conciliari, cum in hac computatione mensis Casleu, Nisan præcesserit, parum videtur probabile, cum hoc libro, vt & superiori fere, de mensibus sacri anni, qui à Nisan incipit, agi vbique liquido constet: Hinc est cur ex hoc loco, rectè notet Torniellus, in sacris Annalibus, menses anni Regis Artaxerxis, non cōcurrisse cum mensibus anni Iudaici, siquidem in eius anno vigesimo mensis Casleu, præcedebat Nisan, qui est primus anni Iudaici, id est Nouember, Martium, quippe qui regnare cœperat, sub mensem quintum anni Iudæorum, vt significatur verbis illis 1. Esdræ cap. 7. vers. 8. *Et venerunt in Hierusalem mense quinto, ipse est annus septimus Regis.*

Initiū regni Artaxerxis & anni sic cōputari cœperunt vt secundum illam computādi rationē Casleu qui in anno sacro Iudaico primus est præcesserit Nisan qui primus est & annum inchoat ex quo intelligitur in eodem anno vigesimo Regis qui tanto ... Casleu incepit, sic vtrumque mensem cōprehendi vt qua prius in Casleu quæ posterius in Nisan gesta censeantur.

Et ego eram in Susis castro, &c. Susis, vel Susa, vt ex historicis constat, Metropolis fuit Persarum, sic eam vocat Iosephus lib. 10. Antiquitatum, cap. vltimo, & præcipua totius regni ciuitas; quo fit vt mirari iure quis possit, cur castri nomine in textu nuncupetur, Hebraicè, *Habirah*, quam vocem in sua transitione retinuere septuaginta: cum fuerit amplissima ciuitas, difficultatem hanc soluit Glossa ordinaria, sicque appellari vult, quod tam fortis esset, & valida, tantis, tamque firmis munita præsidiis, vt castrum esse videretur seu, vt loquitur Lyranus, quia hinc & inde fortiter, ad modum arcis aut castri esset ædificata, illius satis crebra mentio est in sacris literis, sed præsertim Esther cap. 1. & Danielis 8. vers. 2. quibus in locis semper *Habirah*, hoc est. arx, castrum, seu propugnaculum Persici imperii compellatur. Hebræi Susan nominatam esse putant à Liliorum multitudine: Susan enim, siue Susanna illis Lilium est. Plinius à Dario Histaspis ædificatam esse dicit, sed fallitur, quia ante huius Darii ætatem iam fuerat ædificata, vt plane ex sacris literis conuincitur. fortasse ornatam atque amplificatam à Dario significare voluit, quod minime insolens est apud authores, cum sacros, tum prophanos, qui constructam ab illo ciuitatem scribunt, qui illam accessione aliqua, aut ornamento auctiorem, atque illustriorem fecerunt. In hac ciuitate Susan, quæ forte etiam arx est appellata, ab arce, quæ ibi munitissima erat, regiæ asseruabantur gazæ, vt pote in loco, quem minus inuadere poterat inimicorum, prædonumue, aut crudelitas, aut cupiditas, sic enim Quintus Curtius lib. 5. *Vbi vero,* inquit, *vrbem intrauit*, de Alexandro loquitur Susan ingrediente, *incredibilem ex thesauris summam pecuniæ egessisit; quinquaginta millia talentorum argenti, non signati forma, sed rudi pondere, multi Reges tantas opes longa ætate cumulauerant, liberis, posterisque, vt arbitrabantur, quas vna hora, in externi Regis manus intulit.* Addo Polybium, docere item, quam fuerit arx illa Susiana, firmis munita præsidiis lib. 5. vbi tradit Molonem cum multas Antiocho magno vrbes abstulisset, venisse Susam, & vrbem quidem cœpisse, non magno negotio, arcem vero diu, multumque tentatam, capere non potuisse.

Susa Metropolis Persarum, Castri nomine vocata ob fortitudinem, aut quia inea arx erat validissima.

A Liliorum multitudine Susa nominata Hebræis quibus Susan siue Susanna, Lilium est.

Male Plinius à Dario Histaspis ædificatam tradit ornatam atque amplificatam dicere potuit.

In Susis asseruabantur Regia Gaza.

II. Vers. 2. *Et venit Hanani, &c.* Obseruatio est Lyrani in hunc locum, aliquos libros habere. *Et venit ad me:* sed hæc verba esse ad textum addita, vnde nec qui è Iudæa in Persidem venisse hic narrantur, Legatos à Iudæis ad Nehemiam missos fuisse vllo modo putem, certè ex textu non constat, immo & Nehemiam vidisse istos, tanquam peregrinos intrantes ciuitatem, & cum Hebraicè loquentes audiuisset, tunc eos fuisse allocutum, & de statu populi & ciuitatis Hierusalem sciscitatum, vt mox dicitur, refert Iosephus lib. 11. Antiquitatum Iudaicarum cap. 5. porro quod additur in hoc textu, *vnus de fratribus meis*, de cognatione aut potest, aut vero etiam debet intelligi, vt iam infra ostendam.

Qui venerunt è Iudæa in Persidem non erant Legati à Iudæis ad Nehemiā.

Ipse & viri ex Iuda &c. In Hebræo quoque est, *& viri de Iuda*, nimirum, profecti Hierosolymis, & aliis locis, in quibus Iudæ tribus habitabat, vt habent Vatablus, & Sa. At

septuaginta, qui habent *viri Iuda*, significant, eos fuisse de Tribu Iuda, quod eodē ferme redit; nam Tribus Iuda in Iudæa habitabat, nec tamen sequitur, aut *Hanani*, aut *Nehemiam* fuisse de Tribu Iuda, sed contrarium potius, si quis verba ipsa, in quauis lingua considerет; alioqui dicendum fuisset, *Ipse & alij viri ex Iuda* præsertim, cum in 2. Machabæorum cap. 1. vers. 18. & sequentibus, apertè vocetur Nehemias Sacerdos, & sacrificasse memoretur: nemo autem ignorat, Sacerdotium ad solam Tribum Leui, immo ad solam Aaronis familiam pertinuisse. Quare hic Hanani qui vnus de fratribus Nehemiæ dicitur, ex Tribu videtur fuisse Leuitica, ex qua etiam, vt ante diximus, erat Nehemias, licet enim Israëlitæ, omnes omnino, ex suo genere, appellarent fratres, quia ex vno prognati Iacob, seu Israële, à quo Israëlitæ nominati. Hoc tamen nomine se præcipue compellabant qui contribules erant.

Hanani qui vnus de fratribus Nehemiæ dicitur de Tribu fuit Leuitica cum apud Hebræos præcipue contribules se inuicem fratres appellarent.

Et interrogaui eos de Iudæis qui remanserant, & superérant de captiuitate & Hierusalem, &c. Notandum hic in Græco, & Hebræo, legi, *& de Hierusalem*, repetita particula *de* quæ in Latino subintelligitur: Est autem hæc, huius loci sententia, vt quibusdam placet, interrogaui de rebus ac statu Iudæorum, qui euaserant & salui redierant in terram sanctam, & de statu vrbis Hierusalem: rectius alii intelligendum putant, viros illos interrogatos fuisse à Nehemia de Iudæis qui superstites erant, & remanserant in viuis, ex eo tempore, quo Hierosolymam venerant, ex captiuitate partim, anno septimo Artaxerxis; partim secundo Darii Histaspidæ; partim denique, si qui adhuc supererant, ex tempore Cyri, quæ sane expositio, à 70. Interpretibus, confirmari videtur, qui habent, *Et interrogaui eos de superstitibus* περὶ τῶν σωζόντων, vel διασωθέντων, qui salui, & incolumes remanserant, ex captiuitate: qui scilicet maiores erant natu, & reliquorum curam gerebant, in quos communes calamitates maxime incumbebant & à quibus, maxime populus, tanquam à patribus, expectabat auxilium. Porro ex eo quod de his qui remanserant in Prouincia Nehemias interrogat, non male etiam colligi posse existimat Sanctius, multos Iudæis, qui cum Zorobabele primum, deinde cum Esdra in patriam redierunt, cum duram in patria ipsa, experti essent, difficilemque fortunam cum eodem Zorobabele, rursus in Babylonem remigrasse, quod si fecit ipse Nehemias, eò certè fecit, vt afflictæ Iudæorum fortunæ consuleret, quia nimirum sperabat se Regi Artaxerxi fore non ingratum, & ab eo facile quod in gentis suæ commodum esset impetraturum.

Multi qui cum Zorobabel aut Esdra in Iudæam redierant rursus cum Zorobabele in Babylonem remigrarunt III.

Vers. 3. *Et dixerunt mihi. Qui remanserunt & relicti sunt de captiuitate ibi in Prouincia, in afflictione magna sunt & in opprobrio, &c.* Iure hic Iudæi de sua suorumque in Iudæa commorantium afflictione, apud Nehemiam conqueruntur, nam Gentiles in regno decem Tribuum habitantes, & circumpositi populi, Samaritæ scilicet, Arabes, Ammonitæ, Idumæi, Palæstini, multas molestias eis inferebant, multa passim ingerebant opprobria, vt fusius describitur cap. 4. huius libri, Iudæam porro Prouinciam hic vocat, sacer author, quod in Prouinciæ formam redacta esset à Persis, sicut post annos plurimos à Romanis, cum hoc tamen priuilegio, vt Duces, & Gubernatores haberent de gente sua, vt de Zorobabele, Esdra & Nehemia constat.

Cur Iudæa Prouincia vocatur.

Et murus Hierusalem dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igni, &c. Est sane locus hic si diligenter expenditur, satis ad interpretandum difficilis, per murum dissipatum, primam murorum ciuitatis dissipationem intelligi nondū instauratam à Nehemia, ait Estius, & cum eo alii nonnulli; Nam quod aliqui interpretantur de dissipatione facta per Samaritas, & alios hostes Iudæorum, de quibus libro superiori, nusquam legitur, inquiunt, ergo iuxta illorum opinionem, *Murus Hierusalem dissipatus est*, quia à tempore, quo Nabuzarden incendit ciuitatem, & muros eius disrupit, illam reædificandi facultas concessa non fuerat, sed solum Templum & ad ipsum pertinentia, ex Cyri, & Darij mandato, vt patet ex dictis superiori libro, cap. 5. & 6. sic illi: verum si nihil noui accidit muro, & portis Hierusalem, à quo tempore Chaldæorum ignibus conflagrarunt, vt authores isti arbitrantur, quid est quod nunc auditis nunciis, magis luget quam antea Nehemias, vt versus sequens indicat: neque enim vnus ignorabat, quæ Nabuchodonozor iampridem fecerat, Hierosolymis, ne-

De qua murorum dissipatione fiat hic mentio an antiqua, an nupera.

quæ solùm Hieremiæ threnos flebilibus modis non decantarat. Quare, dicendum meo iudicio videtur, Iudæos forte, partem aliquam murorum, tacito principum consensu restaurasse, & mótem Sion inprimis, & Templum circumdedisse muris, super antiqua fundamenta, rudi operæ reædificando, lapsantesque adhuc parietinas fulciendo, adhibitis etiam portis idoneis locis, quæ quidem, vicini illi populi, facta coniuratione diruerint, huc illucque disiecerint, aditus multos vbique patefecerint, portas denique, cum turrium tectis, & tabulatis incenderint; Atque hæc vbi Hierosolymis facta sunt, Iudæos aliquot, Duce Hanani, aut sponte sua, aut à cæteris missos, venisse in Persidem, qui de his, apud Nehemiam conquerantur vt is pro sua apud Principem gratia, remedium aliquod hisce malis inueniret; nec tamen quenquam accusaret, nulla enim fit hic mentio accusationis, quoniam non poterant Iudæi ostendere, sibi permissum fuisse, muros ciuitatis extruere, sed Templum duntaxat, aduersum quod, illi nondum manus sacrilegas admouerant: Certe ex modernis authoribus, noster Pererius in Danielem cap. 4. vers. 12. fatetur ciuitatem, quoquo modo ante hoc tempus clausam, vt 1. Esdræ significatur, vicinorum incursiones sustinere non potuisse, sed sæpenumero ab illis perruptam, incensam, vastatam, atque habitatoribus vacuatam, à quo non longe dissentit Salianus in Annalibus Ecclesiasticis ad annum mundi 3608. numero 9.

Partem aliquam murorum tacito principum consensu à Iudæis reædificatam & à vicinis populis iterum dissipatam probabile est.

Vers. 4. *Cumque audissem verba huiuscemodi, sedi, & fleui, diebus multis ieiunabam, & orabam ante faciem Dei cæli. &c.* Hæc tanta tristitia Nehemiæ & fletus, & lamentatio satis ostendunt, vt iam antea monui, nouam aliquam in his nunciis, quæ ad eum deferuntur causam tristitiæ cõtingere. Nouerat ille quidem antea, aliquid suæ genti ab hoste vicino aduersum accidisse, suspicari tamen non poterat, rem Iudæorum tam esse turbatam, & afflictam, sicut ab his qui passi fuerant, inaudiebat. Quare statim ad preces, & lamenta supplex se conuertit, & ad lachrymas, & complorationes quò Deum ad misericordiam posset inflectere potentius, ieiunium quoque libens, ac volens adiungit: Quod autem ait, *Et orabam ante faciem Dei cæli*, idem est ac si diceret, orabam ante Deum: nam quocumque loco ac situ positus quispiam erat, orat ante Deum, quia Deus nusquam abest, nisi, si forte Nehemiam ante Deum, siue ante faciem Dei cœli orasse dixeris, quia scilicet orauit facie ad Hierusalem, templumque conuersa, quod fecisse Danielem legimus, Daniel. cap. 6. vers. 10. & moris illud fuisse credibile est; apud alios Iudæos, quocumque demum loco, ipsos ab Hierosolymis abesse contingeret, sic enim à Salomone acceperant, lib. 3. Reg. cap. 8. vers. 44. *Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam quocumque miseris eos, orabunt te, contra viam ciuitatis, quam elegisti, & contra domum, quam ædificaui nomini tuo, & exaudies in cælo orationes eorum.*

Dici potest Nehemias orasse ante faciem Dei cæli, quia orauit facie ad Hierusalem, Templumque conuersa quod solemne erat Iudæis quocumque loco essent.

Vers. 5. *Quæso Domine Deus cæli fortis & magne, &c.* Quam pia, tam elegans est hæc Nehemiæ ad Deum pro populo supplicantis oratio; elegans, inquam, nam scite in ipso ingressu, & velut orationis capite, præmissa Dei laude verbis sane præclaris, & ad mouendum aptissimis, illum ad misericordiam inclinat, dicens: *Quæso Domine Deus cæli, fortis & magne atque terribilis qui custodis pactum, & misericordiam cum his qui te diligunt, & custodiunt mandata tua.* Vides totam illam verborum seriem egregiè contextam, beneuolentiam Dei, conciliare aptéque illum disponere, vt propitius postulata concedat. Hinc sequitur.

Pia & elegans Nehemiæ oratio ostenditur.

Vers. 6. *Fiant aures tuæ auscultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem serui tui, quam ego oro coram te nocte & die pro filiis Israel seruis tuis, & confiteor pro peccatis filiorum Israel quibus peccauerunt tibi. &c.* Patet hinc vniuersam Nehemiæ orationem eodem plane artificio compositam, quo aliæ quæ à Prophetis, aut ab aliis, qui amaro sunt animo, ad Deum diriguntur: vbi enim primum in ea diuinam beneficentiam commendauit, postea publicam veluti, ac solemnem peccatorum confessionem instituit, ad quam tandem extremam petitionem adiungit, quæ proprie dicitur oratio, quod autem ait: *Ego & domus patris mei peccauimus*, in Hebræo est, *peccando peccauimus tibi*, quod de sola idolatria accipiendum esse non sentio, quicquid contra existiment nonnulli, qui vanitatem de qua agitur, in versu proxime sequenti, de eo crimine interpre-

Peccatum quod confitetur Nehemias ad Idololatriam minime referendum,

tantur: neque enim credibile est Nehemiam idololatria inquinatum fuisse, nec forte vllo alio scelere; ergo vt de Esdra pro populo orante, superiori libro indicauimus, sic de Nehemia accipe; licet enim esset innocens, tamen coniungit se peccatoribus, inquinatum erat membrum populi præuaricantis, qua in re vtriusque, cum Esdræ, tum Nehemiæ, par omnino ingenium, animique indolem cum Moyse aduertere est; qui vt in Exodo passim legitur, tanto ardore ac sedulitate, orando, deprecando, obtestando, crimen agnoscendo, in gratiam diuinam pro populo Israelitico multorum criminum reo demerendam totus incumbebat. Idem prope factum aduerte à Tobia cap. 3. & Daniele cap. 9. Porro quemadmodum iusti inter peccatores participes fiunt peccati ipsorum, & per consequens etiam vindictæ, & afflictionum temporalium, explicat doctè D. Augustinus lib. 1. de ciuitate Dei multis capitibus præsertim 8. 9. & 10.

Nehemias licet innocens, tamen coniungit se peccatoribus in quantum membrum est populi præuaricantis, vt olim Moyses, Esdras, Tobias, Daniel.

VII. Vers. 7. *Vanitate seducti sumus, & non custodiuimus mandatum tuum, & ceremonias, & iudicia quæ præcepisti Moysi famulo tuo &c.* Quod in vulgata est *vanitate seducti sumus*: Hebraicè legitur, *corrumpendo corrupti sumus*, *vel corrupimus tibi*, id est, *contra te deliquimus*. 70. habent, *dissolutione dissoluimus erga te*. Sed quæ demum hæc est vanitas, aut corruptio, aut dissolutio? vanitatem, idololatriam appellat Nehemias, inquit Lyranus, quæ vanitas est, eo quod, *idolum nihil est*, secundum Apostolum 1. Corinthiorum. Sed pace ipsius dixerim, si vanitatis nomen, quod vitiis omnibus cuiuscumque demum generis sint, commune est, specialiter restringendum est; Nehemiæ vocem ad superiora tempora referri oportet: nam à soluta captiuitate, multis annis Iudæos diuini numinis legem deseruisse, aut in idolorum cultum relapsos vspiam esse non constat: quare melius hic vanitas ad alia quoque peccata pertinet, quæ promittunt, quam præstare non possunt solidam gloriam, diuitias, voluptatem,

A soluta captiuitate multis annis in idolorum cultum Iudæi non sunt relapsi, vnde vanitas quam confitetur Nehemias melius de quolibet peccato quam de idololatria intelligitur.

VIII. Vers. 8. *Memento verbi quod mandasti Moysi seruo tuo, dicens: cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos &c.* Per verbum quod Deus mandauit, id est, dixit Moysi, illud intellige quod continetur Deuteronom. 29. & 30. de benedictionibus quas populo præce- A ptis suis obedienti promittit, & maledictionibus quas præuaricanti interminatur. *Cum transgressi fueritis*, inquit, *ego dispergam vos in populos*, vti scilicet iam adimpletum fuerat in captiuitate Babylonica tempore Nehemiæ, & in captiuitate decem Tribuum apud Assyrios. Verba Moysis loco citato Deuteron. 28. hæc sunt vers. 64. *Disperget te Dominus in omnes populos, à summitate terræ vsque ad terminos eius*, quod 29. vers. 28. fore vt à gentibus Iudæis ipsis iam factum exprobretur prædicit, & 30. vers. 17. & 18. *Si auersum fuerit cor tuum, & audire nolueris &c.* B *Prædico tibi hodie quod pereas, & paruo tempore moreris in terra ad quam Iordane transmisso ingredearis possidendam.*

XI. Vers. 9. *Et si reuertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea, etiamsi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, & inducam in locum quem elegi, vt habitet nomen meum ibi.* Hoc tandem erat quod nondum adimpletum videbant Iudæi, licet fuisset inchoatum per Cyrum, Darium, & Artaxerxem, vt patet ex superioribus Esdræ 1. & 7. Quare enixè optat Nehemias, vt pollicitatio Dei ad exitum perducatur, restituta scilicet in C integrum ciuitate Hierusalem, & pace à Gentilibus populo concessa; cum enim minatus fuisset Deus dispersionem, & fugam, si à præscripta sibi lege deficerent, promiserat etiam idem ipse, si pœnitentia ducti resipiscerent, & de meliori frugе, ac strictiori legum obseruantia cogitarent, quamuis ad vltimos terræ fines extorres abiissent, ad locum tamen à Deo destinatum, & à parentibus multo ante possessum, fore reuocandos. Orat ergo Dominum Nehemias, vt stet promissis, ignoscendo peccatoribus, sicut stetit puniendo peccantes: quod autem ait textus in promissione Dei ad D populum pœnitentem: *Etiamsi abducti fueritis ad extrema cæli*, per extrema cæli, regiones vltimas, aut plagas intelligit, quæ in extremo Orizonte apparent, quæ cælum aut cæli extremitatem videntur contingere, eo quod distantia cæli à terra nobis obtegatur. Et certe verba Moysis Deuteronom. loco iam supra à nobis citato cap. 30. vers. 4. eandem fere loquendi formam continere videntur, quæ sic habent: *Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus.* Placet etiam notatio Sanctii in hunc locum obiter perstrin-

Extrema cæli dicuntur in scriptura regiones vltimæ aut plagæ, quæ in extremo Orizonte apparent quæ extremitatem cæli videntur contingere.

perstringenda, ad sensum quem attulimus confirmandum, quia extrema cæli eadem esse ait, atque extrema terræ, de quo loquendi modo satis familiari, atque vsitato in scriptura, pluribus agit in suis commentariis in Isaiam, ad illud cap. 13 vers. 5. *Deterra procul à summitate cæli*, vbi docet, cum vulgo homines iudicium oculorum secuti, existiment sphæricum non esse cælum, sed hemisphæricum, & in extremis terræ finibus deficere, quibus inniti videtur cælorum extremitas, & summitas, à cæli summitate venturos dici hostes, id est, ab extrema terra, quod indicat translatio Septuaginta, qui vertunt, *in summitate fundamenti cæli*, id est, ab ea parte, vbi cælum videtur fundari. Hic igitur dicendi modus videtur esse prouerbialis, quo significamus locum, qui à nobis quam longissime distat, eodem sensu dicitur Math. 24. *a summo cælorum, vsque ad terminos eorum*, id est ab extremis vsque terræ finibus.

X. Vers. 10. *Et ipsi serui tui, & populus quos redemisti in fortitudine tua magna & in manu tua valida &c.* Præter confessionem peccatorum, & diuinorum promissorum obstestationem, aliam quoque addit rationem Nehemias ad flectendam diuinam misericordiam, quod scilicet Israelitæ ad ipsum pertineant, vt serui ad dominum, populus ad Principem, clientes & liberti ad patronum. Et sane populum Israeliticum Deus præcipua quadam ratione ex omnibus aliis tanquam sibi charissimum separauit, vt iam olim ex seruitute Ægyptiaca liberauit, ac deinde alias sæpe, postquam in terra promissionis, stabili in loco & propria possessione collocauit, ex qua tam propensæ in suos voluntatis significatione magnam spem concipit, & facilem sibi aditum aperiri ad exorandum diuinum numen existimat Nehemias.

XI. Vers. 11. *Obsecro Domine, sit auris tua attendens ad orationem serui tui, & ad orationem seruorum tuorum qui volunt timere nomen tuum &c.* Dixerat olim Deus Iudæis per Moysem Deuteron. cap. 30. vers. 2. & 3. *Si reuersus fueris ad eum, ad Deum scilicet, & obediens eius imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi cum filiis tuis in toto corde tuo, & in tota anima tua, reducet Dominus Deus tuus captiuitatem tuam, ac miserebitur tui, at rursum congregabit te de cunctis populis ad quos te ante dispersit*: & eius rei me-

A mor nunc perstat in incœpto Nehemias, & hac promissione cum Deo agit, diuinamque illius fidem his Moysis verbis populo obligatam implorat, obtestaturque, vt quos antea exleges, atque ingratos excedere coegit, ex patriis sedibus, & data sibi olim hæreditate, nunc parere cupientes, & mandatis omnibus subesse, promptos, ac paratos, in eandem possessionem restituat, & restitutos pacificè conseruet, *Sit auris tua, inquit, attendens ad orationem seruorum tuorum qui volunt timere nomen tuum*, Oratio scilicet humiliantis, ac subiicientis se, facile penetrat nubes, Deum ama, Deum audi, si vis à Deo exaudiri, alioqui vt monet Sapiens, Prouerb. cap. 28. vers. 1. *Si declinas aures tuas ne audias legem, oratio tua erit execrabilis*: Sed hæc melius in morali dissertatione pertractantur cap. 2. Illud modo subiungam quod notat Dionysius Carthusianus in hæc verba, *Qui volunt timere nomen tuum*, id est, qui volunt timere teipsum filiali amore, itaut etsi nondum sint in charitate, nec filialiter timeant te tamen misericorditer illos præuenias obicemque gratiæ tollas, de corde ipsorum, & tuum spiritualem amorem, ac filialem timorem ipsis infundas. Sic ille.

Et dirige seruum tuum hodie, &c. XII. De se ipso loquitur, quasi dicat, dirige meipsum, peculiari autem in ea re quam meditabatur animo, Dei auxilio & directione indigebat Nehemias, quia nimirum volebat supplex regem adire, eidemque petitionem proponere, de reædificatione ciuitatis Hierusalem vt posset populus, hac illacque dispersus postmodum ibi securius congregari, vnde subdit, in ea quem ad Deum fundit precatione, quod sibi imprimis ad regendum negotium feliciterque conficiendum necesse esse intelligebat, *Et da ei*, scilicet seruo tuo, mihi, *misericordiam*, id est, vt placeam, *ante virum hunc*, id est *Artaxerxem*: nempe, vt in illius gratiam commode me insinuem, atque ab eo tandem, quod petiturus sum extorqueam. *Dirige*, inquit, *seruum tuum hodie, & da ei misericordiam ante virum hunc*, terribilem scilicet, & formidolosum, ad quem ne regina quidem ipsa si Assuerus fuit, quod probabilissimum ducimus, audebat accedere, vt habetur Esther, cap. 4. vers. 11. & 16. Et hæc est totius orationis

Petit Nehemias Regem aditurus peculiare Dei auxilium quia difficile erat & formidolosum ad Artaxerxem siue Assuerum accedere vt ex Estheris historia constat.

Nehemiæ conclusio: Nam, quod sequitur, & totum caput absolute, *Et ego enim pincerna Regis*, id ego eo tantum additum existimo, vt ostendatur, ex ipso quo apud Regem munere fungebatur, quam facilem ad eum accessum habuerit, & quanta spes illi effulgeret, fore, vt ab eo postulata impetraret, nimirum, ad Regem aditum habebat Nehemias, quia erat ei à poculis, quod officium, forte ipsi apud Regem conciliauerant, Esther, & Mardochæus, quos sibi fidissimos expertus fuerat Rex, & prædicabat ipse, vt legere est, A Esther. cap. 2. vers. 22. & cap. 16. vers. 13. Nec tamen quæ Saliani coniectura est ipsimet postularunt quo à Nehemia petita sunt, veriti forsan, difficillimum hominis ingenium; cui si ingratam esse petitionem contigisset, periculum adibant eius gratiæ, in perpetuum amittendæ. At alio petente, poterant ipsi facile omnem aduersus Iudæos offensionē tollere, aut certe mitigare, sin autem grata fuisset, eam sine periculo efficaciter promouere, vt capite sequenti iterum indicabimus.

Facilem ad Regem aditū habuit Nehemias quia erat ei a poculis.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis primi.

Allegoria in illud vers. 1. *Verba Nehemiæ, &c.*

De Nehemia, & cuius typus fuerit.

I. PLACET quod notat Salianus, in Annalibus Ecclesiasticis, ad annum Mundi 3629 num. 9 non minima in laude Nehemiæ poni posse, quod figura Christi Domini fuerit haud obscura. Et certè, vt ante ipsum, significauit Beda, lib. expositionis Allegoricæ in Esdram cap. 15. *Nehemias* interpretatur, Latinè, *Consolator Dominus*, vel *Consolator à Domino*, qui cum renouauerit muros Hierusalem, & populum Dei, ab hostium insultatione liberatum, vt ipse loquitur in diuinæ legis obseruantia sublimauerit, profectò constat, quia ex vocabulo, & opere, & persona sua, non inconuenienter mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum designet, qui se ad consolationem pauperum, à spiritu missum insinuat, cum ascensurus in cœlum discipulis ait, *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis*, hoc est consolatorem dabit vobis, à quo ædificandam ciuitatem Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, simul & consolandos esse mœrentes, ostendit Psalmista, cum dicebat, *Ædificans Hierusalem Dominus, & dispersiones Israelis congregans*: congruit etiam, eodem Beda teste, sanctis Prædicatoribus figura Nehemiæ, quorum ministerio, B superna nobis cōsolatio præstatur dum post lapsum peccati, spem veniæ, ac propitiationis diuinæ pœnitentes, quasi diruta ab hostibus, Hierosolymorum mœnia, murosq; restaurant Hactenus Beda, nec inconcinnè, sic autem Salianus supra citatus, Nehemiæ allegoriā, seu illius similitudinem cum Christo ad octo vel nouem capita paucis reuocat quæ sic complector & in ordinem distribuo.

Nehemias figura fuit ac typus Christi Domini.

Praeterea Nehemias figura praeconum diuini Verbi. In quibus consistit similitudo Nehemiæ cum Christo.

I. 1. Nehemias, consolator populi fuit iuxta nomen suum, vt interpretatur Hieronymus, etiam supra ex Beda indicauimus, Christus Dominus, se quoque consolatorem vocat, cum ait, *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis*, quod illud ipsum ex scri- C ptura pathetica Ioann. cap. 14. vers. 16. Iam quoque ante ex Beda audiuimus.

Vterque populi cōsolator.

II. 2. Vterque Dux populi, & Sacerdos fuit, inquit, vt de Nehemia sacra id à parte testatur historia sic de Christo, verum illud quidem maxime, Christus enim ex munere suo, & naturæ suæ cōditione, Deus, inquam, homo Christus Iesus, & Rex, & Pontifex fuit, atque in eo statu constitutus est supra montem sanctum suum, id est Ecclesiam.

Vterque Dux populi & Sacerdos.

III. 3. Vterque sacrum ignem deuorauit à cœlo, Nehemias ad incendendum sacrificia; Christus ad animos incendendos, ac inflammandos, nam ait ipse ignem se venisse mittere in ter-

Vterque sacrum ignem deuorauit e cœlo.

ram, nec velle aliud quidquam nisi vt accendatur. Alterum igitur, de Christo Domino patet ex illius operibus, & tota Euangelii luce collustratur, alterum de Nehemia lib. 2. Machabæorum recensetur.

IV. Vterque Hierusalem instauraturus per portã vallis egreditur.

4. Nehemias è Hierosolyma per portam vallis egreditur cum vrbis restaurationem animo agitat cap. 2. Christus per eandem portam, cruce onustus egreditur Hierosolymæ cœlestis restaurationem facturus, sic accommodatè quantum licet hac in parte, alterum cum altero committimus.

V. Vterque ciuitatem Hierusalẽ ædificat resistentibus aduersariis & fabricam impedire molientibus.

5. Nehemias construit ciuitatem Hierusalem, multis omni studio molientibus eius fabricam impedire, adeo vt armati ædificare cogerentur ciues eius, cap. 4. & cap. 6. Christus construit Ecclesiam ciuitatem sanctam Hierusalem nouam, per multas persecutiones & tribulationes quas passa est à Iudæis, Hæreticis atque Gentilibus, perpetuoque patitur, vt tunsionibus, pressuris expoliti lapides, quod canit Ecclesia, suis coaptentur locis, per manus artificis; interea ciues sanctorum, & domestici Dei pugnant simul contra inimicos suos, & promouent opus suum; &c. Par vbique inter vtrosque pugna, par vbique inter vtrosque victoria.

VI. Vterque populum obæratum subleuat & ei remissionem facit debitorum.

6. Nehemias populum pauperem, obæratum & iniquis exactionibus pressum subleuat; & remissionem populo facit vti narratur capite 5. Remissionem facit Christus Dominus populo suo; *Donans ei omnia delicta*, vt Paulus loquitur; *& delens eius chirographum*; quoniam soluendo non erat, sed iugo seruitutis opprimebatur, quid alteri cum altero similius?

VII. Vterque suis sumptibus populi inopiæ subuenit & de suo illi donat.

7. Nehemias non grauat populum exactionibus, sed suis sumptibus eorum inopiæ subuenit capite 6. Christus omnes labores suos & merita donauit nobis, vt iis quasi re nostra vteremur, *vt eius inopia*, quod ait Diuus Paulus: *diuites efficeremur*, *& onera nostra portaret*, vt loquitur

A Isaias, quid est cur vtrumque suo in genere quod aiunt populi seruatorem & vindicem fuisse non asseramus?

VIII. Vterq; segregauit populum Dei ab alienigenis.

8. Nehemias segregauit populum Dei & mundauit ab omnibus alienigenis capite 9. & capite 10. Christus segregauit sibi populum Christianum ab omnibus gentibus, quæ ambulant secundum desiderium cordis sui, & mundauit sibi populum ab omni iniquitate, populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Dux vterque populi, sed in populi salutem tantum constitutus.

IX. Vterq; prophanatores de Templo eiecit.

9. Nehemias eiecit prophanos & B prophanatores de Templo capite 13. & eiecit eorum suppellectilem, sanè in apertam, vt vides, Christi figuram, eiicientis negociatores de Templo, & mensas nummulariorum euertentis, &c. Ioann. 2.

X. Quæ in re iuxta Bedã cum diuini Verbi ministris componendus Nehemias.

Addo ego ad Coronidem, quoniam Beda, Nehemiam quoque ipsum, supra cum Sanctis diuini Verbi præconibus composuit, duodecim annis, Ducem illum eximium, non modo non grauasse populum exactionibus sed etiam cum fratribus suis, ita in Ducatu suo vixisse, vt annonas quæ Ducibus debebantur ipse non comederet, quod narratur cap. 5. quo per hoc mysticè insinuaret, vere Apostolicum illud C esse opus, cum quis in regimine plebis Dei promotus, opus quidem Rectoris nobiliter Ecclesiam ædificando exercet, sed quæstum exercitii, ab eis quos prædicando, ac bene viuendo regit, terrena commoda expectando non quærit, sic Paulus nobilissimum illud quidem Prædicatorum, ac vitæ Apostolicæ sectatorum exemplar, 1. Corinthior. 9. vers. 13. *Ordinauit Dominus*, inquit, *eos qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere, ego autem nullo horum vsus sum*, sed de eo rursum à nobis dicetur infra commodius suo loco. Et hæc de typica Nehemiæ Ducis adumbratione dicta sunto.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis primi.

Expoſitio myſtica in illud verſ. 3. *Qui remanſerunt & relicti ſunt de captiuitate in afflictione magna ſunt, &c.*

11. TSI inpace verſari videbantur Iudæi, qui de captiuitate remanſerant, & gratioſi quoque eſſe, apud Regem Perſarum, vt pote quibus multo ante Eſdram Sacerdotem, cum epiſtolis miſiſſet, qui ſummam in omni regione trans flumen poteſtatem haberet, in afflictione tamen magna erant, animique mœrore non exiguo, quod paſſim, Iudaici nominis hoſtes eis exprobrarent, ciuitatem ſanctam, etiamnum adhuc deſtructam remanere, &c. ſic, & nunc, in ſancta Eccleſia (vt rectè hoc loco obſeruat Beda, cum è literali ſenſu ad ſpiritualem aſſurgit) merito affliguntur, ac triſtitia ſalutari compunguntur, qui reſipiſcentes ipſi à præteritis ſceleribus, fratres ſuos, adhuc, & proximos, vitiis implicari, ac ſub iugum dæmonis, duci miſerrimè animaduertunt, itaut per negligentiam eorum, qui correctis multis prodeſſe poterant, quaſi per muros vrbis diſſipatæ, humanæ ſalutis hoſtis infenſiſſimus, liberum in Eccleſia habeat introitum, quis tam ferreus, amabo, cui res tam acerba non doleat? enimuero, Deum amantibus, ideò, magis dolere neceſſe eſt, quod & ipſi, qui, aliis doctrina, vel exemplo, prodeſſe debuerant, exemplum interitus, ſe ſe cernentibus, flagitioſè viuendo ſubminiſtrant, duplex illa prorſus, ac gemina clades eſt, quæ lachrymas iure, & gemitus ciet, à ſpectantibus, vel audientibus & aliis nocere, & ſibi non prodeſſe, *in afflictione magna ſunt & in opprobrio, & murus Hieruſalem, diſſipatus eſt, & portæ eius combuſtæ ſunt igni,* aiebant, de ſociis ſuis, Iudæi, quorum

Dolent in Eccleſia qui reſipiſcunt à vitiis, cum proximos adhuc illis implicari animaduertunt, quemadmodum dolebant e captiuitate reduces qui in Iudæa non remanſerant cum viderant ipſi adhuc deſtructam remanere ciuitatem Hieruſalem.

A ſcilicet miſeratione commouebantur, &c. Hoc eſt enim, ſi ad myſterium mentem reuoces, portas Hieruſalem flammis hoſtilibus eſſe peruſtas, cum eos contingit, qui bene viuendo, ac docendo, dignos in cœtum electorum introducere, indignos vero arcere debuerant auaritiæ, luxuriæ ſuperbiæ, contentionis, inuidiæ cæterorumque quæ hoſtis malignus inſerere ſolet, vitiorum incendio perire, vnde nil mirum, ſi textu ſtatim conſequenti, quid nobis in tanta rerum calamitate præſtandum ſit ſuo ipſe, Myſticus Nehemias exemplo demonſtrat, cum B ait, verſ. 4. *Sedi, & fleui, & luxi diebus multis*, fleuit & luxit Nehemias, audita popularium ſuorum qui in Iudæa erant calamitate, qui muro, & tectis priſtinis, & ciuitate carebant, ciuitate, inquam, illa Hieruſalem quam olim tam multis illuſtrem notis, tantis, tamque eximiis diuinæ beneficentiæ locupletatam muneribus, fuiſſe nouerant, *Murus Hieruſalem diſſipatus eſt*, inquit, *& portæ eius combuſtæ ſunt igni, &c.* Iam ad Allegoriam, ſi vir ſanctus, audiens deſtructa lapidum, ac lignorum ædificia, rectè lugebat, C ieiunabat, & orabat, ante faciem Dei cœli, & hoc, multo tempore ſedens in triſtitia, quanto magis, in deſtructione ac ruina animarum, quæ per peccatum committitur, continuis luctibus, & lachrymis orationibuſque inſiſtendum? quatenus Deo miſerante, ad priſtinam erigantur ſoſpitatem, quæ in opprobrium religionis & triumphante diabolo, in vitiorum ſordibus, & ſquallore deiiciebant Sed hoc commodius nos, ex ſequenti diſſertatione morali condiſcemus: Sin autem breuem hic rerum & compendiariam totius primi capitis Nehemiæ Myſtagogiam voles, accipe ex Dio-

Si Nehemias luxit ruinã terreſtris Hieruſalem, multo magis ſpiritualis Hieruſalem, hoc eſt animæ ruina lugenda eſt.

Iudæi ædificātes electos fideles Nehemias æmulatores legis muri Hierusalem auctores portæ virtutes & merita representant per quæ aditus patet in Ecclesiam triumphātem.

nysio Carthusiano. Iuxta mysticum A sensum inquit, *Per Iudæos in angustiis constitutos, & ipsam Hierusalem construere cupientes intelliguntur electi fideles qui Ecclesiæ reformationem desiderant & eius ruinam deplangunt qui ab inuisibilibus hostibus, atque à prauis hominibus multipliciter affliguntur per Nehemiam designantur æmulatores legis diuinæ, ac zelatores diuinæ iustitiæ qui videntes se propriis viribus Ecclesiæ reformationem procurare non posse per orationes, ieiunia lachrymas ad Deum confugiunt, quatenus ipse suam dignetur reformare Ecclesiam. Muri autem Ecclesiæ sunt Prælati, Doctores, & Prædicatores, quorum est gregem dominicum circumuallare, custodire, munire, qui dum scandalose atque carnaliter conuersantur muri Hierusalem dissipantur, de quorum deiectione est maxime contristandum, & pro eorum erectione orandum: portæ autem Hierusalem sunt virtutes & merita per quæ patet ingressus in triumphantem Ecclesiam quæ igne concupiscentiæ, & carnalis amoris flammaque iracundiæ & vitiorum incendio comburuntur in eis qui corruunt.* Sic ille.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA
Capitis primi.

Mysticum & morale in hæc verba, vers. 4.
Cumque audissem verba huiuscemodi, sedi, & fleui, & luxi, diebus multis, &c.

Summum Dei amorem, ac gloriæ eius zelum ardentissimum, ex dolore, de alienis criminibus, animarumque pernicie concepto eminere admodum, atque illustrem fieri maxime.

III.
CILICET quod B in ipso aditu, huius dissertationis, illustrandum ponimus, in persona Nehemiæ testatissimum est, qui, *Orat ante faciem Dei cæli*, vt ipse loquitur versu citato cum fletu, & lachrymis, & v. 6. *Confitetur pro peccatis filiorū Israel quibus peccauerunt Deo*, quod zeli eius, & amoris in Deum non vulgaris, insigne esse indicium, qui & sanctorum mores atque ingenium consuluerit, & zeli ipsius, amorisque indolem nouerit, inficiari omnino non potest. Hinc Beda, capite sequenti, in C hæc verba vers. 17. *Quia Hierusalem deserta est, Doctores*, inquit, *immo omnes, qui zelo Dei feruent, in afflictione maxima sunt, quamdiu Hierusalem*, id est, *visionem pacis, quam Deus nobis reliquit & commendauit, &c.* puta Ioann. 14. *Belius dissensionum cernunt esse desertam, & portas virtutum*, quas iuxta Isaiam cap. 60. *laudatio occupare debuerat, praualentibus inferorum portis, deiectas, & opprobrio habitas*, & certe, cum zelus, si vim vocis propius inuestigemus, ferè designet, animi æstum, conceptum, ex indignatione, de iis quæ indignè fiunt, vel aduersus Deum ipsum, vel aduersus homines, quos diligimus, ægrè, vt apparet, malo quouis conflictari cum videmus, qui nobis charus sit, quin illico dolor erumpat, & proferat se se exterius, zeli nostri, & amoris, in animo latentis, veritas. At malorum omnium summum, vt ipsi nouimus fatenturque vltro, peccatum est, sola quæ Deo, supra omnia à nobis diligendo, inferri potest iniuria; quare non diu zelus, in aliquo est, aut viget vehementius, quin sæpe, cum ingenti animi mœrore coniunctus sit, & is mœror, beatas efficit, & fortunatas in hoc

Quid proprie sit zelus ex vi vocis ipsius.

Vix potest zelus vigere in aliquo vehementius

seculo hominum mentes, si Christum audimus, sanctitatemque illorum indicat, qui eo contabescunt; *Beati qui lugent*, ait Christus, Matth 5. non sua tantum peccata, sed aliena, vt passim exponunt sancti Patres, aliique scripturæ Interpretes, *Tabe cere me facit zelus meus quia obliti sunt verba tua inimici tui*, Psalm. 118. Quis ex eo sanctum Dauidem nō intelligat? *tristitia mihi magna est, & continuum dolor cordi meo*, inquit Apostolus Roman. c. 9. vers. 2. quid ita? aut quorum causa? pro fratribus suis a Christo segregatis, vt mox ipse addit vers 3. *Optabam enim ego ipse anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem &c.* Ergo dolet vehementer, exulceratur animo supra modum, intus in corde altùm ingemiscit, flet, lugetque etiam. Paulus nec horret, aut verecundatur dicere variis in locis vbertim, se lachrimas effundere ex zelo amoris Dei, & ob impendentem, ac proximam, quam spectat ipse oculis, aut animo prospicit ruinam animorum. Ad Philippenses cap. 3. vers. 18. *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem, & flens dico inimicos Crucis Christi &c.* Aduerte lector, flens loquitur, atque inter ipsa verba ex imo pectore alta mittit suspiria: *quid ita tandem? quoniam malum creuerat*, ait D Chrysostomus, *flens dico*, quasi diceret, ait Theophylactus: *quia propagatum est malum, & passim diffusum, neque hoc sine lachrimis possum commemorare, nunc flens dico, tum de perditione eorum, tum de subuersione simplicium:* addit Anselmus, nempe, horrenda vitiorum huc, illuc, erumpētium imagine perculsus, eamque ob rem animo saucius, à lachrimis sibi temperare non poterat, qui vnius Dei cultum, & obsequium diligebat vnice, & pro eius gloria animarum saluti procuranda, se, suaque penitus deuouerat; sed obiecerit quispiam, vt ait D. Basilius, Homilia quarta, ex variis, quæ est de gratiarum actione, quonam pacto, hęc concinunt Apostolicæ sententiæ, Philippens. 4. vers. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, lachrimæ enim, & gaudium, haud quaquam sortiuntur originem ex iisdem principiis, lachrimæ enim exoriri solent ex impetu quodam, & impressione minus prauisa, ac si allata esset plaga, qua contraheretur, anima compresso, & coangustato spiritu circa cor. Gaudium autem, exultatio est*

Sanctitas Dauidis, & D Pauli ex luctu, ac dolore de alienis peccatis mōstratur.

IV. *Quomodo continuum gaudium à D. Paulo imperatum cum tristitia, & lachrimis stare potest.*

A *quadam, veluti subsilientis animæ, & se diffundentis, quod ex sententia aliquid obuenerit; vnde tristitia corpus pallescit, & gaudens, sub rubro colore aspergitur: vnde Sanctorum lamenta, lachrimæque prosiliunt ex feruore charitatis, qua toti erga Deum flagrant; oculis enim cordis in eum indiuulse coniectis quem diligunt, lætitiam sibi illinc accumulant, dumque moderantur, ac regunt, qua ad conseruos suos attinent, in peccatis deprehensos lugent, & eosdem suis lachrimis, reuocant ad meliorem vitæ frugem.* Audistandem, obseruasque Sanctorum fletus, & lachrymas zeli sui, & amoris B in Deum indices esse, atque ex feruore charitatis, tanquam ex perenni fonte profluere? Pergit D. Basilius, vt iustis, dum lugent ex charitate, & aliorum peccata lamentantur, de vero, atque interno gaudio, nihil deperire ostendat, hac eleganti similitudine: *vt enim, inquit, qui consistunt in littore, eorum inaduertunt vicem, qui maxime fluctibus immerguntur, neque interim illam adeunt iacturā propriæ securitatis, ob anxiā, qua periclitantibus condolent, cogitationem itidē, & qui vltroneo mærore se afficiunt, ob peccatum proximorum, haud* C *quaquam per id lætitiam exinaniunt suam, verum auctiorem eam, & cumulatiorem reddunt, vt qui per sins merentur Domini sui gaudio, ob lachrimas in gratiam fratris effusas &c.* Sic ille, vides igitur ex Basilio, eam esse spiritualis, veræque lætitiæ naturam, vt ob iustum de proximorum peccatis, atque animorum iactura dolorem, non exinanitur, immo potius crescat, & cumuletur, cum & inde magnum Deo obsequium, cui æternum gloriæ pondus respondeat, præstare se nouerint viri sancti & nihil propriæ animorum suorum tranquillitati, & securitati deperire animaduertant. sicque, & gaude- D re, & mœrere simul possint, quando quidem hi gaudii, & mœroris affectus, à diuersis principiis, seu motiuis, vt aiunt, proficiscuntur. Pia omnino hæc, omnique laude digna tristitia, & (si ita loqui fas est) fœlix plane, fortunataque miseria! vitiis alicuius tribulari, non implicari, mœrere, non hærere, dolore contrahi, non amore attrahi; beata, inquam, miseria, hanc ex dolore de alienis peccatis concepto, persecutionem pati viuentes, idque tantò amarius, quantò interius &c. Et solemne quidem hoc æuo fuisse viris sanctis, vt sine lachrimis, ac

V.

peracerbo doloris sensu pereuntes miserabiliter, offenso numine, intueri non possent, luculentum Isidori Pelusiotæ testimonium est, lib. 2. Epistolarum Epistola 10. cum ad quosdam sui temporis Christianos, aut flagitiosè, aut minus castigatè viuentes sic scribit, *Quoniam vita vestra perennium lachrymarum causam, & materiam sanctis viris prabent, &c. Hac Epistola vos moneo, vt ab improba vita ratione animum abducentes; & vos ipsos probris, atque infamia, futurique iudicii severitate, & sanctos viros, ea in qua, vestra causa versantur, mœstitia liberatis &c.* Ita legimus sanctum Ambrosium, sanctum Bernardum, sanctum Dominicum, pœnitentes audiuisse, & monuisse cum lachrimis; sic quoque D. Hieronymus, Diaconum Sabinianum luget, eiusque sortem infœlicem, ad quem Epistola 48. scribit his verbis: *O funestos oculos meos, hoc plango, quod te ipse non plangis*: nunc ad eum, qui natura sanctus est, hoc est, Christum ipsum, sanctitatis omnis perfectissimam ideam, & exemplar absolutissimum venio, ea verba Lucæ cap. 19. vers. 20. *Videns ciuitatem, fleuit super illam*: sic periphrasticè exponit Titus Bostrensis Episcopus, tomo 1. biblioth. Patrum: *fleuit super Hierusalem hominum amator Dominus*, vt hinc discamus vero doloris sensu, eius causa factum fuisse, si ei tamen, qui est Deus super omnia, dolorem tribuere fas est, at fas est: nā qua ratione sceleratorum miseria affici cognosceremus, nisi per opus humanum, plenum nobis illud faceret. Ad has, tam pias, tamque insigni amoris sacri, & diuinæ charitatis nota illustres, Christi lachrimas respexit D. Basilius Seleuciensis orat. 41. cum adductis in medium his Michææ verbis cap. 7. vers. 2. *Væ mihi quia periit Sanctus, & rectus in hominibus non est*, sic edisserit, hoc quotidie inculcandum est, *sed si neque precationibus, neque consilio, neque admonitu quidquam proficimus, flere tandem reliquum est, hoc fecit Christus, cum ex suis ad Iudæos monitis, nihil illi repertarent lucri.* Meministi lachrimas eiusdem etiam assertoris nostri, ad sepulchrum Lazari copiose olim profusas? Audi quid de illis cum Augustino tractat. 49. in Ioannem; Irenæo lib. 5. cap. 13. Bernardo sermone 4. in Assumptione, sentiat D. Ambrosius lib. 2. de pœni-

Sancti Ambrosi', Bernardi', Dominicus, Hieronym', aliorū peccata luxerunt.

Christus ipse fleuit super Hierusalem peccatorem Luc. 19.

A tentia cap. 7. *Videns*, inquit, *graue onus peccatoris, illachrimat Dominus Iesus, solam enim flere non patitur Ecclesiam, compatitur dilecta sua, & dicit defuncto, veni foras*, nimirum ex sanctorum Patrum sententia, ad mortui Lazari conspectum, vel ex eo solum, quod peccatoris imaginem, ac typum præ se ferret, lachrimari Christum oportuit. Quo fit, vt nec mirer, quod de superioribus Pauli, qui se tam perfectum Christi imitatorem exhibebat, lachrimis, differens Basilius Homilia in martyrē Iulittam, sic ait, *fles super peccato, peccatum animæ est ægritudo, peccatum*
B *mors est animæ, aliòqui immortalis, peccatum luctus est, & implacabilibus lamentis dignum, ob peccatum profluant effusissima lachrimæ, nec desinat ex imo pectoris recessu iugiter prosilire suspiciosus gemitus.* Nosti Dauidem secundo Regum capite decimo octauo, versu 3. Absalonis filii casum præcipitem, mortemque horrendam magnis vocibus lamentantem, cum fletu, & lachrimis tota facie manantibus, de quo sic scriptura: *Contristatus Rex ascendit cœnaculum porta, & fleuit, & sic loquebatur vadens, fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te &c.* Quid tu porro lugere, potissimum
C in hoc casu, Dauidem existimes, mali filii bonum parentem, cum tam miserabili oratione parricidam Absalonem lethali vulnere confossum deplorat? dicam si nescis, non tam eius mortem, quam peccatum, & parricidium, non tam corporis, quam animi stragem, sane luctu, & lachrimis dignissimam, quod sic expendit Augustinus libro 3. de Doctrina Christiana cap. 21. his verbis. *Dauid Rex cum hoc ab impio, atque immani filio passus esset, non solum ferocientem tolerauit, sed etiam planxit extinctum, non enim carnali zelo irretitus tenebatur, quem nullo*
D *modo iniuria sua, sed peccata filii commouebant.* Flagrantem ergo diuini amoris zelo, vbique passim Regium vatem, cum nemo sit qui ignoret, si quando erumpit in lachrimas, luctuque sordidatur, id profecto potissimum offensi numinis causa, & ob miserandam peccati, peccatorisue conditionem, quam oculis, animoque contemplatur, facere comperitur, quam in rem, cum si doles, de se ipso loquentem, attende, Psalmo 118. versu 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi*

Ad conspectum Lazari mortui vel ex eo solū quod peccatoris typum exhiberet, lachrimari Christum oportuit.

In Absalonis morte Dauid non tam filii mortem lugebat quam eius peccatum.

mei, quorsum tandem? *quia non custodierunt legem tuam*: dolebat scilicet vehementer legem Dei, Deumq; ipsum tam indigne violari, ac negligi ab impiis, & sceleratis hominibus, atque vt lachrimas illas, ex zelo quo incendebatur, sic tanquam riuos ex fonte deduci intelligas, audi vers. 139. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*, & vers. 158. *Vidi praeuaricantes, & tabescebant, quia eloquia tua non custodierunt*, quasi dicat, piè cum Deo colloquens, non mea mihi dolet afflictio, cum inimicorum meorum incursibus pateo, sed tua Deus offensa, pactique tui violatio turpis, & foederis indigna transgressio &c. Vis res quoque ipsas inanimas proferam quadā sanctitatis imagine, atq; vmbra perfusas, hoc est, sanctas, & consecratas Deo, quae impios lugeant, & in suo scelere obstinatos lamententur, accipe ex D. Cyrillo Alexandrino lib. 12. in Ioannem cap. 37. id in Templi velo à summo vsque deorsum discisso Math. cap. 27. vers. 51. hunc in modum obseruante: *Cum Christus*, inquit, *expirasset, velum quasi vestem suam, ad contemnendam Iudaeorum impietatem illico scidit, quod diuinitus ideo dixerim factum, vt sanctum Dei Templum, populi causam lugere intelligeretur.* Tandem ad calcem huius dissertationis, eximium illud sane, sed acceptum ex D. Chrysostomo libet attexere concione 1. de Lazaro, vbi ex parentum indole, atque ingenio deducta comparatione, qui filiis licet profligatis, desperatisque, lachrymantes assident, fideles

VI. Res quoque inanima Deo consecrata in scelere obstinatos suo more lamentantur.

A omnes adhortatur, vt ad Sanctorum exemplum, pro fratribus peccato obnoxiis, nec poenitentibus, assiduè fleant, quod eiusmodi lachrymae momenti, ac ponderis plurimum ad eorum animos permouendos habere censeantur. *An non vides parentes, quomodo filiis suis, licet desperatis frequenter assident lachrimantes, lamentantes, exosculantes, omnia quae possunt admonentes, ad supremum vsque halitum, hoc tu quoque facito pro fratribus, & tamen illi non possunt lachrimis ac lamentis, neque morbum depellere, nec mortem imminentem abigere, tu vero frequenter poteris animam deploratam, assiduitate, instantiaque, per lamenta reuocare, & suscitare, dedisti consilium, nec persuasisti, illachryma, punge frequenter, ac*
B *suspira paululum, vt tua sollicitudo incutiat illi verecundiam, conuertes illum ad salutem.* Sic ille. Quilibet igitur Vir bonus, ac frugi (si Sanctorum dicta, factaque sectari volet impensè) quilibet Praelatus muneris sui studiosus, immo quiuis magistratus, nostri Nehemiae suppar, & non absimilis, ardens zelo diuini obsequii, vbicumque res feret, velut ex affectu paterno, quod ait Sapiens Ecclesiastici cap. 3. vers. 7. *Pro animabus aliorum, tanquam filiorum, colligabit vulnera sua; & super omnem vocem turbabuntur viscera eius*, id est, pro peccatoribus contristabitur; & lugebit coram Deo, & eorum animos, vitiis irretitos, distractosque à diuino officio lachrimis suis, si verbis non potest, ad meliorem vitae frugem reuocare contendet.

ALLEGO-

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis primi.

Morale in illud, verſ. 7. *Vanitate ſeducti ſumus, & non cuſtodiuimus mandata tua, &c.*

De rerum præſentium, & ſpectabilium vanitate, eaque, tanquam illecebra, homines induci ad peccandum, cuius fucum, ac mendacium cum agnoſcunt, facile ab eo auocantur, & effugiunt.

VII.

QVAM verè illud A dictum eſt, ſi rite intelligitur, Sapientiæ 14. verſ. 11. *Creatura Dei in odium facta ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium!* Notat quidem S. Thomas 1. parte, quæſtione 65. articulo 11. ad 3. creaturas natura ſua ducere homines ad creatorem, quod vero ab eo abducant, ducantque ad malum, & ruinam, id fieri, non creaturarum vitio, ſed culpa eorum, qui inſipienter eis vtuntur, & 1. 2. quæſt. 79. B art. 1. ad 2. quod hoc loco dicitur, *in tentationem animabus hominum*; ſic exponit, τὸ in, inquit, *non ponitur cauſaliter, ſed conſecutiuè, non enim Deus fecit creaturas ad malum hominum, ſed hoc conſecutum eſt, propter inſipientiam hominum, vnde ſubditur, & in muſcipulam pedibus inſipientium, qui ſcilicet per ſuam inſipientiam vtuntur creaturis ad aliud, quam ad quod facta ſunt: creaturæ ergo hoc ſenſu, in vitium facta ſunt, & in tentationem animabus hominum*, Græcè, *in ſcandalum animabus*, iuxta verſionem Syriacam, *in offendiculum, vel oſtenſam animarum hominum*, iuxta A· C rabicam, *ſeduxerunt animas hominum*: ſuper ea re, audi complorantem Nehemiã, *vanitate ſeducti ſumus* Heb. *cabel tabalnu*, Græcè, *diſſolutione diſſoluimus*, Hebraicè iuxta Pagninum, *corruptione corrupti ſumus, vel corrupimus*,

Creatura natura ſua ducunt ad Creatorem, ſed hominum vitio, qui eis male vtuntur, ab eo abducunt, ducuntque ad malum.

A nempe opera noſtra; vulgata verſio Hieronymi, qui legit verbum Hebraicum per *He*, non per *Chet*: *Vanitate ſeducti ſumus*, inquit, *& non cuſtodiuimus mandatum tuum*, *Hebel* enim, vanitas eſt, vnde ſunt, qui notant Adamum, primum humani generis parentem, indidiſſe nomen hoc, *Hebel*, quod Hebræis vanitatem ſignificat, alteri ex filiis ſuis, Abeli ſcilicet, vt ex eo, in memoriam rediret vitam hominum, meram eſſe vanitatem: *Vanitate ſeducti ſumus*, ait Nehemias. Bellè omnino: nam rerum omnium humanarum, ac ſpectabilium imagines, cum peccato B deſeruiunt, aut ad peccandum alliciunt, veræ illuſiones ſunt, meræ præſtigiæ, ac veriſſimè, mendaci fuco comparantur, verbo omnia complectimur, cum dicimus, *vanitas ſunt, aut vanitates, & inſaniæ falſæ*, vt qui ab illarum ſpecie ſeducitur, ab ipſa vanitate, à mendacio, à peccato ſeductus quoque eſſe cenſeatur: vnde in hæc verba: *vanitate ſeducti ſumus*, expoſitio eſt Dionyſii Carthuſiani paraphraſtica: *Omne peccatum eſt vanitas quædam*, & Prouerb: 14. verſ. 19. ait ſcriptura: *Stultus illudet peccatum, &* C *qui peccat, errat, atque ſeducitur iudicans male, ſaltem in particulari: propter quod omnis peccans dicitur eſſe ignorans*, vnde & Salomon proteſtatur Prouerbiorũ capite vigeſimo primo, verſu ſecũdo: *Omnis viri via recta in oculis eius*, hinc per Hieremiam Dominus loquitur: *quid inuenerunt patres veſtri iniqui-*

Adam Abeli filio nomen impoſuit, quod vanitatem ſignificat, vt vitam hominum meram eſſe vanitatem meminiſſet.

tatis in me, quia ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt: insuper omnia ista terrena, transitoria, & caduca dicuntur vana, & vanitates, quibus seducuntur iniqui. Sic ille. *Filii hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*, ait Propheta Psal. 4. Vides attextum vanitati mendacium, nec alterum ab altero seiungi nisi ægre vnquam posse? A mendacio quam parum abest vanitas: immo quam verè vanitas, mendacium est, si peccatum est, aut ad peccatum prolectat? ab initio, diabolus, primus ipse præuaricator, & peccantium princeps. *mendax est, & pater eius*, Ioann. 8. vers. 45. mendacii scilicet, & vanitatis, quæ in peccato est, & intus in corde peccantis delitescit: Hinc bonum opus ac studiosum, cuiuscumque demum virtutis illud sit, veritatis nomine nuncupatur, *Qui male agit odit lucem qui autem facit veritatem, venit ad lucem*, Ioann 3. *Odisti observantes vanitates, superuacuè*, Hebraicè *mendacij*, Psalm. 30. & Psalm. 39. *Beatus vir cuius nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas, impius fecit opus instabile*, Prou. 1. vers. 18 Hebraicè. *Facit opus mendax*, siue opus falsitatis: Nempe quibus in rebus, externa facies, similem intus latentem pollicetur (interna si non subsit) vtique externa vana est, & splendide mendax sic apud prophanos etiam authores, veritati vanitas opponitur: *Nihil proficiunt, nisi admodum mentiuntur*, ait Tullius de officiis dum de mercatoribus loquitur, *nec vero*, vt ibidem addit, *quidquam turpius est, vanitate*, idem ipse 3. Tuscul. *ita variis imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni, confirmata natura ipsa cedat.* Iam vero, quid peccato magis vanum, aut solidum minus? quod ipsum nihilum est, *sine ipso factum est nihil*, Ioann. 1. hoc est, peccatum, vt post Augustinum & Origenem, quidam interpretantur; cuius quia nihil est aut malum est, Deus author esse non potest: *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*, ait Christus Ioan. 14. vers. 30. quia scilicet, in eo peccatum non inuenit, de mendaci rerum omnium fuco, quæ passim incautis, ac minus prudentibus ad peccandum illecebræ sunt. idem censeri par est, vt meritissimo iure, ad insanos miserosque delusos mortales exclamet, Regius Vates, *Filij hominum vt quid diligitis*

Idem vanitas, ac mẽdacium immo peccatum, & vanitas est, & mendacium & nihilum.

Passim in scriptura bonũ opus veritatis nomine nuncupatur malum falsitatis & mendacij.

Etiã apud prophanos authores veritati vanitas opponitur.

VIII.

A *vanitatem & quæritis mendacium?* Certè, ad vocem Prophetæ, se accommodans D. Gregorius Nazianzenus, in ea oratione, quam dixit Iuliano, censuum æquatori, ait apposite, διὰ τί ἀγαπᾶτε τὰ μάταια, καὶ ἀνύπαρκτα πράγματα, vbi res vanas, eleganti voce, nihilum vocat, ἀνύπαρκτα πράγματα. hoc est, res minus existentes, nec subsistentes, ex se se, quem in locum, sancti doctoris, Nicetas eius commentator, sic etiam excurrit erudite, μάταιον λέγεται τὸ κενόν, quod vanum dicitur, ipsum quoque vacuum est, vis in exemplo, quasi oculis ipsis intueri, vbi vanum vacuumque sit? B Vis scire quando, quibusue in rebus potissimum, defixum sit? audi, eundem commentatorem, ὅταν ὄνομα δὲ ᾖ, πρᾶγμα δὲ μὴ ᾖ. cum rei quidem nomen est, sed res subiecta nomini, non subsistit, vt in diuitiis, honore, dignitatibus, voluptate, vitæ huius præsentis, ac fluxæ, videre est; quæ specioso, ac splendido nomine, homines illudunt, ac decipiunt, ἴδιον, ὄνομα δὲ πλοῦτος, πρᾶγμα δὲ ἰδιωμοῦ, ὄνομα δὲ ἔχει, καὶ δυναστείας, καὶ μόνον τὸ ὄνομα φίλοι, ... καὶ ... ἐξουσίας, ψεύδοντα, καὶ ἀπατῶσι. *Quidquid*, vt D. Bernardi verbis vtar Serm. de Circumcisione, *humanum dixeris, nomen vacuum, & inane portat: quicquid* C *magnificentissimum obtuleris, de eo dicam; in eo nomine, magnæ quidem rei vmbra est, sed non veritas*; Ad Gregorium Nazianzenum, placet Nyssenum adiungere? Is cap. 6. in Psalmos, caduca hæc omnia quæ adeo sensus nostros feriunt, animosque alliciunt, φαντασιώδεις ἀπάτας phantasticas deceptiones, illusionesque appellat; qui, & idem ipse cap. 7. ait, quæ ad hanc vitam mortalem spectant, & tam ambitiosè conquiruntur, omnia in hominum duntaxat opinione posita, in reipsa ac veritate, eorum nihil solidum esse, nec vere sub D sistere, dilabi, decidere, corruere, omnia ex se se, πάντα τὰ κατὰ τὴν ζωὴν, ταῦτην ... ἐστιν, καὶ οὐχ ὑπάρξεις; ὅπως, ὁ πλοῦτος, τὸ ἀξίωμα, τὸ γένος, ὁ τῦφος, ὁ ὄγκος, ὁ πλοῦτος; vt nimirum, nihil sit, quòd, rursum Nazianzenus, in suis versibus, res temporaneas, adeoque omnia quæ vanitati subiecta sunt, aut vanitatis nomine comprehenduntur, colores vocat ... quod refertur in Concilio Niceno secundo, septimo generali, actione sexta, *Quibus ... coloribus obtecti, vani sunt* id est mendaces, res quippe humanæ, fluxæ scilicet & caducæ quæcumq.

Res humana nihili censendæ ac minus subsistentes.

Quod vanum idem quoque vacuum.

Vanum est quod speciosum quidem habet nomen, rem autem nomini subiectam non habet.

Caduca omnia, phantasticæ illusiones & deceptiones à D. Gregorio Nysseno nominantur.

Res humanæ & vanæ colores vocantur à D. Gregorio Nazianzeno.

demùm coloribus obtectæ sint, aut A apparêant, quocumque ad speciem splendore, ac cultu, fulgere videantur, vanæ sunt, mendaces, insidiosæ, rem solidam putas, dum ambis, vix possides cum eo quod sperabas vacuam inanemque experiris, aut pretium operæ, aut requiem ex labore expectas, dum sudas in humanis, & ecce totus adhuc in labore, & contentione versaris, nec præsto est, quod quæris nec vsquam inuenis adeo vana rerum imagine spes mortalium illuditur. Et vero quis non intelligit, nisi digitum in cœlum intendis, Deumque ipsum tanquam scopum B tibi ipsi præfigis, in humanis occupationibus, sudari frustra, honestam in eis cessationem nullam, sed laborem perpetuum, non requiem, sed iugem defatigationem inueniri, neque aliquid quod ad rem & salutem faciat, extare in illis, proindéque, esse inutilem laborem, miseramque defatigationem? Quo sensu eleganter à Salomone dictum est Ecclesiastis cap. 1. vers. 2. omnia humana esse vanitatem, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*, id est inutilia, & minime conducentia, vt postea de illis, qui sic insano sese, atque inutili pro rebus vanis, labore consu- C munt, iure sciscitetur vers. 3. *Quid habet amplius homo de immenso labore suo, quo laborat sub sole*: quasi dicat, quid fructus? tandem, quid meriti, aut boni, inueniet ille, qui pro terrenis, & caducis voluptatibus, in tota vita laborault? vanus vtique labor, vanitas item laborantis; Hinc Athanas. in illud Psalm. 30. *Odisti obseruantes vanitates*, sic ait, *vanitates appellat Propheta huius vitæ distractiones, quas qui operatur in vanum laborat*: addit Origenes ad dictum locum Psalmi; propterea Dauidem apposuisse particulam *superuacuè*, quod quantumuis homo in occupationibus huius vitæ versetur, & pro- D gredi sibi videatur, nunquam ad finem studiorum suorum poterit peruenire, quæ porro maior miseria, aut esse aut excogitari potest, quam mercenariorum conditionem vilitate, & miseria excedere? mercenarius siquidem, mercede sua, pro labore impenso, non fraudatur, inimo promissum præmium iure exigit, & merito accipit, & miser peccator, in vanum laborat, & vacuum mercede se constituit, quia sub peccato laborat, sanè identidem nobis illud occinendum est, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*, ne falsa rerum imagine, aut adumbrata pulchritudine, vel dulcedine illecti, delusique, in peccatum prolabamur, quid tu ad hæc mi homo? nondum etiam, quid propriè, vani aut vanitatis nomine comprehendi oporteat, satis apertè intelligis? audi iterum D. Gregor. Nissen. superiora item Salomonis verba interpretantem, *Vanitas eorum dicitur quorum nullus vsus, quæ magno studio & contentione facta sunt, nullo scopo proposito, vt quæ in campo arenoso sunt ædificia, quæ fit aduersus stellas iaculatio ventorum, venatio cursoris, aduersus suam vmbram concertatio, quando contenait quispiam, vmbræ suæ, verticem ascendere, & si quid eiusmodi inuenimus, in iis, quæ facta sunt temerè, quæ quidem omnia vanitatis verbo subiiciuntur, vanitas enim est, res inutilis, vel consilium quod non potest consistere, vel studium, quod non peruenit ad finem*, in hac igitur vanitate versatur miser homo, dum laborat sub sole & nihil sibi cœleste proponit, nihil æternum meretur, sed dum terrenis se dedit & immergit inanem se reperit, deceptum, & omnino lassatum, malo suo se sentit, sic seducuntur, sic miserè decipiuntur homines, sic vanitas incautis imposturam facit, vt merito sane dicat, deploretque Nehemias, *Veritate seducti sumus*, vis audire delusum deceptumque diuitem, dum is, de diuitiis suis gloriaretur? En tibi apud Oseam cap. 8. vers. 12. *Diues effectus sum*, inquit, *inueni idolum mihi*, quo loco Hebræa vox, *On*: luctum, & sollicitudinem insuper, & *vanitatem*, & *concupiscentiam* significat, vt qui vanitatem ambit quæritque, luctum inuenit, *diues effectus sum inueni idolum mihi*: nempe, qui diuitiarum idolum, & vanitatem, post innumeros labores, & immensa itinera inuenit, dum requiem sibi pollicetur, in recentes incidit labores, in nouos impingit luctus, nouasque vanitates experitur, durioresque concupiscentiæ ictus patitur, quibus ad laborandum denuo inducatur & compellatur: neque vero difficile intelligi potest, qua ratione creata omnia quæ bona ipsa sunt, per se se, atque in bonum finem, bonumque vsum à creatore condita sunt, passim in scripturis vana appellari solent, non secus ac si omni bonitate, fructu & opportunitate, ad honestum & vtilem aliquem vsum, vacua destitutaque esse viderentur, quemadmodum supra, in ipso dissertationis in-

IX. Explicatur locus Salomonis Ecclesiastis 1. quo humana omnia vanitatem esse dixit.

Qui sub peccato laborat, in vanum laborat.

gressu, de creaturis, in odium & tentationem hominum factis dicebamus, nimirum vt recte notat Diuus Chrysostomus in illud Ephesiorum 4. vers. 17. *In vanitate sensus, &c.* non tam res ipsæ vanæ sunt quam hominum in rebus ipsis, opera, studia, curæ, exercitationes.

X. *Quo sensu creata omnia quæ bona sunt per sese vana passim in scripturis & appellantur, & intelliguntur.*

Quæ, inquit ille, *à Deo facta non sunt, ea nostri opificij, cælum non est vanum, neque terra, neque sol, neque ipsum corpus nostrum. (absit hoc) sed quid vanum est? quod ait ille, Plantaui mihi vineas, constitui mihi cantores, coaceruaui aurum & argentum &c.* hæc dum intuetur Salomon exclamat, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*, sicq; vt eleganter addit Chrysost. *Rerum tuetur naturas solidas, & in bono constantes, humanas vero, deprauatæ nostræ naturæ artes, & inuentiones sugillat, quæ non solum animos nostros, sed creaturas ipsas corrumpunt, atque deprauant, &c.* Hac ergo ratione, rebus ipsis vanitas attribuitur, deriuata scilicet, ex vanitate humani cordis, & sensus, siue etiam, ex collatione quadam, cum rebus diuinis, quarum comparatione, variæ & vacuæ, instabiles & inconstantes, ac nihili pene censeantur: Dic, amabo, vita mortalis hæc tota, quanta quanta est, quid est nisi, *Vapor ad modicum parens*: Iacobi 4. vers. 15. hoc est, aura tenuis, caducum & fragile nescio quid, nihilum, vanitas? Quid quod homo ipse qui, qui sit, aliud nihil est, quam vmbra, quam imago, quam simulachrum, & quasi fallax adumbratio veritatis? *verumtamen in imagine pertransit homo* Psal. 38. Hebraicè, *Betselem, in vmbra homo vmbraticus est, dum humanis obuersatur oculis aliud repræsentat, apparetque, quam ipse sit*, immo vt eodem Psalmo dicitur vers. 6. *Vniuersa vanitas omnis homo viuens, scilicet, nisi Deum & cælum spirat, si quid aliud, quam æterna cogitat, si quidquam præter Deum aut non secundum Deum amat, totum quod in homine est vanitas est: Deum time:* ait Ecclesiastes, cap. 12. vers. 13. *Et mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo*; ergo sine hoc, & vanitas est, & nihil est, omnis homo; quare? cum humana omnia vanissima, ac fallacissima sint, atque adeo, vanitate ipsa quodammodo leuiora, cum nihil in mundo sit, quantumuis pretiosum in speciem & illustre quod fucatum non sit, ac velut, ex vanitate, & mendacio compositum, conflatumque, studia nostra & cogitationes, alio conuertamus, nec ab illis illudi nos diutius patiamur, sed quod verum æternumque est vnum illud intueamur spectemusque perpetuo, certè cum ad rerum ipsarum, quas natura ipsa duce, intuemur auidè, quas ambimus, nonnunquam indefessè, quas denique summo atque ardenti sæpe studio exquirimus, viscera ipsa, & in internam substātiam penetrare oporteat, neque tantum in externa facie consistere, vbi occurrunt colligendi sunt animi nostri, ac velut in specula constituendi ne subrepat, seu umque in nos illabatur pro syncera veritatis imagine; mendax veritatis species cuius amore cum alterius odio capiamur; frequenter etiam orandus nobis Deus est, cum Regio Psalte. Psalm. 118. vers. 37. atque identidem pronunciandа illius vox, repetendaque sententia, *Auerte oculos meos ne videant vanitatem*, siue vt legit Chaldæus, *ne videant falsitatem*, vel mendacium, quo loco, eruditè quærit Diuus Hilarius; *Quos oculos intelligit, & à qua vanitate erat auerti*, sibique respondet, *orat, & animi, & corporis oculos, eos scilicet qui theatralibus ludis captiui incubant, eos qui vestium pretia mirantur, eos quos auri splendor & gemmarum varietas occupat.* Ne igitur decipi nos postmodum, ne illudi sensibus nostris, immo animis nostris, sinamus imprudenter, à varia ac futili rerum humanarum specie, & mentis, & corporis oculos auertamus; ne aliquando, summo etiam cum animi dolore, nobis contingat, illud dicere, quod de se, popularibusque suis deplorat Nehemias, *Vanitate seducti sumus, & non custodiuimus mandatum Dei.*

CAPVT SECVNDVM

SYNOPSIS CAPITIS.

CVM apud Regem Artaxerxem pocillatoris ministerio fungeretur, eique vinum reapse porrigeret aliquando Nehemias, vultu quidem subtristiori, mœsta, et pallenti facie, ac toto denique corpore, ex animi, immoderatè dolentis ægritudine, & longiori mensium aliquot inedia confecto, sinistri quidpiam de ipso suspicatus Rex, vt ad omnia expauescunt, & leui rerum mutatione facile perturbantur principum ingenia, veretur, ne quid secum tacite machinetur insidiosum, & fraudulentum, quod illius mentem anxiam teneat, atque sollicitam, sed eam statim, ex animo suo suspicionem expungit, securusque dè omni proditionis metu conquiescit, cum illius, in vultu Nehemiæ, mutationis, atque extantis tristitiæ causam esse condiscit quod de euersa patria, de male iactata Iudæorum fortuna, de impedita, aut collapsa ciuitatis Hierusalem molitione, de parentum suorum sepulchris partim dirutis, partim hostium ludibrio, ac contumeliæ impune passim expositis, vehementer animo angeretur. Quare primum ipsè, quid sibi, ac suis, à Regia liberalitate concedi velit, rogatus Nehemias, facultatem orat, exoratque ab Artaxerxe, ciuitatis quamprimum ædificandæ, ab eodem, & viæ subsidia impetrat, & itineris comitatum, & literas etiam ad Principes regionis trans flumen, quibus Iudæorum causam magnopere commendat. Aduectus in Iudæam primum ipsè rerum statum explorat diligenter, clam & nullis conscijs omnia perlustrat, quid in ciuitatis munimento collapsum, quid parum firmum, aut ruinæ proximum, quid hostili insultationi peruium magis, quid primo quoque tempore instaurandum sit studiosè considerat, tum populi magistratus, & principes, vt serio se ad opus accingant, verbis hortatur grauissimis, Regem Artaxerxem fauere illis impensius, nihil esse in re tanta cunctandum, cum, Deo, hominibusque laborantibus, nihil tentari ab aduersariis posit, quod ipsorum conatus frangat, aut impediat. Qua Nehemiæ oratione confirmati, Iudæi omnes,

cum iam ad ciuitatis instaurationem maximè inflammantur, opponunt se viri quidam principes, quâ minis intentatis, quâ iactis conuitiis quos constanter, ac fortiter repellit Nehemias, atque ita conuersus ad contribules suos, eorum animos, ad incœptam, operis molitionem, ardentiori quam antea studio pertexendam cõfirmat.

CAPVT SECVNDVM ESDRÆ.

1. Actum est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis Regis, & vinum erat ante eum, & leuaui vinum & dedi Regi, & eram quasi languidus ante faciem eius.
2. Dixitque mihi Rex: Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est; Et timui valde ac nimis.
3. Et dixi Regi; Rex in æternum viue, quare non mœreat vultus meus, quia ciuitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni.
4. Et ait mihi Rex; Pro qua re postulas? & oraui Deum cœli.
5. Et dixi ad Regem; Si videtur Regi bonum, & si placet seruus tuus, ante faciem tuam, vt mittas me in Iudæam, ad ciuitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam.
6. Dixitque mihi Rex & Regina quæ sedebat iuxta eum; Vsque ad quod tempus erit iter tuum? & quando reuerteris? & placuit ante vultum Regis, & misit me, & constitui ei tempus.
7. Et dixi Regi; Si Regi videtur bonum, epistolas det mihi, ad Duces regionis trans flumen, vt traducant me, donec veniam in Iudæam.
8. Et epistolam ad Asaph custodem saltus Regis vt det mihi ligna, vt tegere possim portas turris domus, & muros ciuitatis, & domum quam ingressus fuero: Et dedit mihi Rex, iuxta manum Dei mei bonam mecum.
9. Et veni ad Duces regionis trans flumen, dedique eis epistolas Regis. Miserat autem Rex mecum principes militum, & equites.
10. Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammonites, & contristati sunt afflictione magna, quod venisset homo qui quæreret prosperitatem Israël.
11. Et veni Hierusalem, & eram ibi tribus diebus.
12. Et surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicaui cuiquam, quid Deus dedisset in corde meo, vt facerem in Hierusalem, & iumentum non erat mecum, nisi animal cui sedebam.
13. Et egressus sum per portam vallis nocte, & ante fontem Draconis, & ad portam Stercoris, & considerabam murum Hierusalem dissipatum, & portas eius consumptas igni.
14. Et transiui ad portam Fontis & ad aquæ ductum Regis, & non erat locus iumento cui sedebam vt transiret.
15. Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam murum, & reuersus veni ad portm Vallis, & redij.

16. Magistratus autem nesciebant quo abiissem, aut quid ego facerem, sed & Iudæis & Sacerdotibus, & Optimatibus & Magistratibus, & reliquis qui faciebant opus, vsque ad id loci nihil indicaueram.

17. Et dixi eis; Vos nostis afflictionem in qua sumus, quia Hierusalem deserta est, & portę eius consumptæ sunt igni, venite & ædificemus muros Hierusalem, & non simus vltra opprobrium.

18. Et indicaui eis manum Dei mei, quod esset bona mecum, & verba Regis quæ locutus esset mihi, & aio: Surgamus, & ædificemus; Et confortatæ sunt manus eorum in bono.

19. Studuerunt autem Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammonites, & Gosem Arabs, & subsannauerunt nos, & despexerunt, dixeruntque; Quæ est hæc res quam facitis, nunquid contra Regem vos rebellatis?

20. Et reddidi eis sermonem, dixique ad eos; Deus cœli ipse nos iuuat, & nos serui eius sumus, surgamus & ædificemus, vobis autem non est pars, & iustitia, & memoria in Hierusalem.

EXPOSITIO LITERALIS.

I.

v. 1. 

ACTVM est autem in mense Nisan anno vigesimo Artaxerxis Regis; &c. Hic est mensis primus apud Hebræos; secundum festa, quod aiunt, siue anni sacri, vt iam sæpius annotauimus, cum autem Nehemias orare cœperit mense nono, Hebræis Casleu, vt superiori capite vidimus, inde patet mensem hunc fuisse quartum ab illo, sicque totos tres menses, & amplius Nehemiam in oratione, & afflictione fuisse, vel vt Beda loquitur, sacræ deuotioni institisse, expectando scilicet, quando, & quemadmodum posset quam opportune Regi desiderium suum aperire: nam licet Regi poculum porrigeret, atque adeo officium lætitiæ, inquit, foris ageret, interius tamen lugebat; quia ciuitatem sanctam dirutam, & populum Dei inimicorum opprobrio afflictum meminerat; vnde illud: *Super flumina Babylonis sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Sic Beda. Non obscure igitur ex hoc loco intelligitur, totum trimestre positum à Iudæis, partim in propitiando numine, precibus, ieiuniis, cæterisq; corporis afflictationibus, partim in consultãdo, quomodo, quando, per quos, qua occasione petendum esset decretum, de ædificanda ciuitate, ne eos repulsam pati contingeret, aut, vt eam saltem, sine grauiore damno paterentur. Adde illud quoque expectandum fuisse, dum hybernum tempus, & itineri, & ædificationi parum opportunum efflueret, vel ordo vicis, & administrationis eius aduentaret.

Totos tres menses & amplius in oratione, & afflictione fuit Nehemias.

Ad petendum decretum de ædificanda ciuitate, expectandum fuit, vt hybernum tempus efflueret, & ordo vicis, & administrationis Nehemiæ aduentaret.

II.

Et vinum erat ante eum, & leuaui vinum, & dedi Regi, &c. Leuaui vinum, id est vini calicem, *& dedi Regi*, id est, officio pincernæ, seu pocillatoris defungens; quod verbis multo etiam clarius conceptis expressum voluit, in fine præcedentis capitis, dicens: *Et ego eram Pincerna Regis*, appetente ergo vere, cum aliquando Rex, post cœnam, vt ait Iosephus, factus esset hilarior, vinumque etiamnum adesset in conspectu Regis; in Græco est ἐπῆρα οἶνον, quod eodem redit, *leuaui*, ait Nehemias, *vinum, & dedi Regi*, hoc est, eleuatum calicem porrexi Regi: nimirum alludere videtur ad morem, quem obseruant pincernæ Principum, qui humili corporis inflexione Regem honorant, priusquam potionem libent, aut ei porrigant. Porro duæ hic Sancti obseruationes,

quæ ad præsens Artaxerxis conuiuium, eiusque apparatum pertinent, leuiter nobis perstringendæ sunt, & quid de illis sentiamus aperiendum. Prima est, prandium hoc fuisse, in quo porrectum est à Nehemia poculum, non cœnam, contra quam sentit Iosephus, quia, inquit, de nocte non tam facile Rex discernere potuisset in pincerna suo mœrorem, pallorem, & maciem, quæ non solent ad lucernæ lumen facile notari, sed vt obseruentur, Solis radios, & cæli lumen desiderant, quæ mihi quidem paulo frigidior videtur esse ratio, ne quid amplius dicam. Altera obseruatio est, vinum illud, quod Regi propinatum esse dicitur, Chalibonium fuisse, quod aduehebatur è Syria, neque ad mensam suam, Reges Persarum aliud admisisse, Strabone teste, lib. 15 & Athenæo, libro primo, capite vigesimo sexto: quod ego facile concesserim, neque huic obseruationi vnquam repugno; sicut etiam iidem Persarum Reges aquam tantum bibebant è Choaspe fluuio, quam secum portabant, quocumque terrarum incederent, vt refert Herodotus libro primo, Athenæus libro secundo, capite secundo, Solinus & Ælianus, de varia historia, libro decimo secundo, qui stupendam hanc Regum illorum, circa fluuium illum superstitionem, his verbis enarrat. *Cum alii, inquit, commeatus magnificentia, & ostentatione pœni sequebantur Xerxem, tum etiam, aqua è Choaspe simul vehebatur, cum vero in loco deserto sitirent, neque siti remedium vllum inueniretur, proclamatum in exercitu est, si quis aquam ex Choaspe haberet, vt Regi eam bibendam daret, & inuentus est quidam, qui pauxillum haberet, idque putridum, bibit igitur illam Xerxes, & eum qui dederat, in benefactoris loco habuit: quoniam nisi illa fuisset inuenta, periisset siti.*

Conuiuiū Regis in quo Nehemias ei poculum porrexit. Prandium fuit, non cœna ex opinione Sanctii cōtra Iosephum.

Ratio eius non admodum firma.

Vinum propinatū Chalibonium fuit e Syria aduectum: quod vinum ad mensam Regum Persarum adhibebatur sicut aquam tantū e Choaspe fluuio bibebant.

III. *Et eram quasi languidus ante faciem eius, &c.* Videlicet præter solitum, sed vnde? vt ex Hebræo, & sequentibus intelligitur, ex metu & sollicitudine suscepti negotii, aiunt nonnulli, Hebraicè est, *& non eram malus*, id est, vt interpretantur aliqui, non solebam illi displicere, gratus erat illi aspectus meus, sed quia 70. sic vertunt οὐκ ἦν ἕτερος ἐνώπιον αὐτοῦ non eram alter coram eo, non abs re fuerit suspicari, vitiatum hunc locum, & forte pro ἕτερος legendum ἑταῖρος, id est socius amicus, nam vox Hebræa, *rangh* pro

Vnde, & qua ex causa languidus erat Nehemias.

A punctorum varietate, & malum, & socium significat. Ita 70 posteriorem significationem secuti, dixerunt & non eram *socius*, id est gratus coram eo, quod D. Hieronymus vertit, eram quasi languidus, hanc suspicionem firmat Mariana, seruata tamen communi 70. Interpretum lectione, sensum huic, aut penitus, aut pœne contrarium, quem primo loco retuli astruere, operosum non est, *Non eram alter coram eo*, id est, non eram ignotus Regi, familiaris & domesticus eram, non erat mihi insolens aut peregrinum ante faciem eius apparere. Aliter hunc
B locum, vt in vulgata est, explicat Lyranus, aut potius, ad aliud, istum animi languorem refert, de quo Nehemias, & satis commodè, ad contextum historiæ, meo quidem iudicio, *Eram quasi languidus*, ex fletu scilicet, & ieiunio, & oratione quæ multis ante diebus præcesserant, subtristis & mœrens apparebat, & vt verisimile est solito languidior, quia nimirum, inedia, longæque vigiliæ, corpus ipsius extenuauerant, pallentemque reddiderant faciem, vnde sequitur.

Variæ interpretationes huius vocis languidus.

Vers. 2. *Dixitque mihi Rex: Quare vultus tuus tristis est cum te ægrotum non videam non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est, &c.* Verba IV.
C sunt Artaxerxis, ad Nehemiam, de causa tristitiæ quam præ se in vultu ferebat sciscitantis, sed quid potissimum Regem ad sciscitandum mouerit, ex textu, non ita liquidum est, miratus scilicet mœrorem illum, & maciem in facie cum nullum aliud aspiceret, in sano corpore, ægritudinis signum, suspicari potuit, aut ægritudinem esse animi immodice dolentis; aut ipsum tacite secum aliquid meditari, insidiosum, & iniquum, quo angeretur, & bonæ corporis habitudini magnum
D crearetur incommodum. Certe Lyrani sententia est Regem hæc dixisse, non quidem Nehemiæ compatiendo, aut ex propensa, qua in illum esset voluntate, sed magis sibi timendo ne ab ipso Nehemia, veneno perimeretur, vel aliquis de suis asseclis, atque idipsum esse quod cogitabundus meditaretur, & in facie mutatus, ac subtristiori corporis habitu significaret: Est enim illud fere, Regum ac principum ingenium, vt omnia tuta timeant, & cum, pacata maxime, ac secura sunt omnia, insidias tamen vbique suspicentur, quia multos habent, de quibus non semper officio-

Quid Regem mouerit ad sciscitandum de causa tristitiæ Nehemiæ, an compassio, an metus insidiarum.

officiose aut benigne meriti, quia multi illorum fortunæ inuident, quia denique, non pauci, ex imperij mutatione, aliquid in rem suam deriuaturos sperant vtilitatis, & compendii: Cur autem Artaxerxes à Nehemia pincerna suo aliquid infestum sibi forte pertimuit, hæc potissimum ratio esse potuit, quia scilicet nouerat multos principes veneno periisse, quod propinari posset, à nullo quam à pocillatore commodius, quo munere, cum apud ipsum fungeretur Nehemias, eius sane rei metu Artaxerxes percelli potuit. humani us; Cæterùm à veneno Regibus maximum esse periculum, quia occulte porrigitur & author cædis facilius occultatur; *venenum*, quod aiebat ille, *in auro bibi, in auro, & gemmis*, hoc est in Regiis & splendidis mensis, *venena propinari*, sic in familiari sermone teritur, vt pœne iam in prouerbium abierit, & notius est quam vt dicatur, *Et timui valde, & nimis, &c.* Scilicet admodum, ac vehementer (hoc est enim valde, nimis) timuit; ne Rex

A veneno maximum Regibus periculum.

V. mali, aut sinistri quidpiam, de ipso suspicaretur, puta porrectum à se ad mensam accumbenti, in aureo vasculo venenum, maxime si oblatum vinum, quod non est credibile, potare noluit, ait Sanctius; Cuius interpretationem repudiare nolim, tamen ad eum sensum quem iam superius attigi, libet hoc adiungere, aliud quoque à Nehemia, iure merito timeri potuisse, quam ne Rex paratas sibi ab ipso insidias suspicaretur, & vero, timorem illum, etiamnum explico, de incertitudine euentus rei, quam meditabatur, apud Regem exequi, an feliciter, & prosperè, an vero infeliciter cederet: forte enim aliquanto etiam tempore, mœrorem suum celari voluisset, ne tam cito spissum, ac difficile negotium, aggredi cogeretur, sed captandæ commodum occasioni diligentius studeret. Cum igitur, ex quæstione, sibi à Rege facta, videret, aperiendam esse mœroris sui causam, tractandumque negotium, de reædificanda Hierusalem, timebat, valde nimis, ignarus, quorsum res euaderet, an quæ petiturus esset, ab Artaxerxe impetraret, an repulsā pateretur.

Timoris in Nehemia causa.

VI. Vers. 3. *Et dixi Regi; Rex in æternum viue*, hæc est Nehemiæ ad Artaxerxem Regē responsio, *Rex in æternū viue*, quasi diceret, vt explicat Lyranus, de morte tua non cogito, sed magis vitam desidero, & id quidem ad amouendam insidiarum suspicionem, de qua antea ex quo, vt arbitror, ait Sanctius, credere, se quoque, Nehemiam sic, voluisse, respondere tacitæ Regis cogitationi, de insidiis, ac dicere, tantum abesse, vt eius vitæ moliatur insidias, vt contra, optet illi, preceturque diuturnam, sed vt facessat longius, hæc interpretatio, quis non intelligit, formam hanc esse felicis imprecationis & salutationis, orationi, aut potius responsioni, quam facturus erat Nehemias, percōmodæ, immo etiam vbiuis fere gētium, olim in omnibus eiusmodi sermonibus, qui ad summæ dignitatis, & potestatis Principes viros haberentur, præmitti solitæ? Quis nescit tam Hebræis quam Chaldæis & Persis morem illum his verbis Reges salutandi Rex in æternum viue, viuat Rex, viuat Dominus meus, passim vsitatum atque communem fuisse, in exemplis producendis, non immoror, quibus abundant sacræ paginæ: Vide Danielem cap. 2. vers. 4. cap. 3. vers. 9. cap. 5. vers. 10. cap. 6. vers. 6. & 3. Regum cap. 1. vers. 27. & vers. 31. & vers. 39.

Rex in æternum viue, vsitata forma apud Hebræos, Chaldæos, & Persas salutandi Reges.

VII. *Quare non mœreat vultus meus, quia ciuitas domus sepulchrorum patris mei, deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni, &c.* Præmissa de more solemni salutatione, causam mœroris eam reddit Artaxerxi Nehemias, quod Iudæa, quod Patria qua ingenuis hominibus nihil debet esse carius; quod ciuitas ipsa Hierusalem vastata sit, neque illius quidquam reliquum esse, præter inane quoddam bustum, & ciuitatis nobilissimæ argumentum ignobile, triste hoc spectaculum, vel sola cogitatione conceptum, mœrorem animo suo, corpori maciem, & langorem inferre, *Quia ciuitas*, inquit, *domus sepulchrorum patris mei deserta est*, id est, cum ciuitas quæ est domus, siue locus sepulchrorum, in quibus conditi sunt maiores mei, funditus euersa sit, atque deleta, cum parentum sepulchra, aut diruta sint, & mortuorum ossa, ignominiosè huc & illuc dispersa, aut eo loco habita, post ciuitatem in solitudinem redactam, vt distarent nihilà locis prophanis, atque siluestribus Et sane, futurum aliquando vt hæc paterentur Reges Iuda, cæterique de populo, & illorum ossa dirutis, ac dissipatis sepulchris, fœdè ab hostibus conculcarentur, prædixerat Hierem. cap. 8. vers. 1. *Eiicient ossa Regum Iuda & ossa Principum eius, & ossa Sacerdotum, & os-*

Prædicta sepulchrorum quæ erant in Hierusalem ruina ab Hieremia.

ſa Prophetarum, & oſſa eorum qui habitauerunt Hieruſalem, de ſepulchris ſuis, quæ quidem omnia à Chaldæis poſtea fuiſſe completa, ſicut ab Hieremia prędicta fuerant audi ex Baruch Propheta c. 2. verſ. 24. qui ſic orationem ſuam ad Deum conuertit, *Statuiſti*, inquit, *verba tua, quæ locutus es in manibus puerorum tuorum Prophetarum, & transferentur oſſa Regum noſtrorum, & oſſa patrum noſtrorum, de loco ſuo, & ecce proiecta ſunt in calore ſolis, & in gelu noctis.* Neque vero ex ſuperioribus verbis ſuſpicetur quis Nehemiam non fuiſſe ex Sacerdotali genere, quod parentes ſuos Hieroſolymæ ſepultos eſſe dicit, quæ ſita erat in ipſo Iudæ Beniaminque confinio atque adeo, non videri in ea, Nehemiæ parentes, ſepeliri debuiſſe, quandoquidem ex Tribu Sacerdotali propagati erant, facilis enim & prompta ad hæc reſponſio eſt: Primum quod Sacerdotalis & Regia Tribus id eſt, Iuda & Leui ſimul coniungi poterant, & inire connubia, & paſſim conſtat ex ſacris paginis, deinde, quod cum Leuitarum, Sacerdotumque ingens multitudo eſſet Hieroſolymæ, quæ res curaret ſacras, & templi miniſterio inſeruiret, qui in ciuitate vixerant, rebus ſacris & Templi miniſteriis illigati, illos eodem etiam loco honorem ſepulturæ nactos fuiſſe opportuit, & conſentaneum eſt credere.

Sacerdotalis, ac Regia Tribus, id eſt Iuda & Leui, ſimul coniungi poterant.

Sacerdotes, qui in ciuitate vixerant Templi miniſteriis illigati ibidem ſepulti.

VIII. Verſ. 4. *Et dixit mihi Rex; Pro qua re poſtulas, &c.* Sic excuſationem, ſeu reſponſionem Nehemiæ beneuolentiſſimo animo excipit Artaxerxes. in quo, inſignis profecto diuini numinis, elucet prouidentia. quippe quæ tã cito, & tã facile, Regium animũ ſedauerit, & adbene, de afflicto populo merendum induxerit. Nam, poſtquam Nehemias, pauciſſimis verbis, extantem in vultu, languorem, & triſtitiam excuſauit, apud Regem, eiuſq; cauſam, ingenue aperuit, petitam, ex deſtructione ciuitatis, Hieruſalem, mirùm quàm beneuolè quàmque propenſa in eum voluntate, Rex illico reſponderit, *Pro qua re poſtulas*, rogans ſcilicet, quid velit ſibi, à Regia liberalitate, & magnificentia, concedi, quaſi negaturus quidpiam nihil eſſet, quod ſibi ac ſuis futurum eſſet, ex vſu, *Pro qua re poſtulas*, inquit, quaſi diceret, paratus ſum concedere, fidenter aperi quid velis, quodcumque demum iſtud fuerit, impetrabis, hanc diuini numinis

A gratiam & beneuolentiam in conciliando Rege demeruerat Nehemias, oratione trimeſtri, & longo ſueroque ieiunio, cuius apud Deum non erat immemor, vnde ſequitur.

IX. *Et oraui Deum Cæli, &c.* Nimirum, ex Regis propenſa voluntate, atque illius promiſſione, tam prolixa, cognouit Nehemias Deum ſibi ac populo, iam eſſe propitium, & quia ſibi perſuadet diuinum hoc eſſe beneficium, antequam Regi reſpondeat, orat Deum Cœli, credo pro anguſtiis temporis, & vt loci ratio poſtulat, conuerſo in Cœlum vultu, mente potius, B quam voce, ei gratias agens, quod Regis animum, ad pietatem inflexerit, contendenſque ſuppliciter, vt pergat eſſe ſibi populoque propitius, *Et oraui Deum Cæli*, inquit, quaſi diceret, oraui, tacita ſcilicet prece cordis mei, vt dirigeret linguam meam, & flecteret cor Regis, ad acquieſcendum poſtulationi meæ, vides hic exemplum orationis, quam vocant, iaculatoriæ, quam vſurpat Nehemias, inter alloquendum Regem, priuſquam animi ſui ſenſum & deſiderium illi aperiat.

Quomodo Deum orauerit Nehemias in tantis temporis anguſtiis.

X. Verſ. 5. *Et dixi ad Regem; Si videtur Regi bonum, & ſi placet ſeruus tuus ante faciem tuam vt mittas me in* C *Iudæam ad ciuitatem ſepulchri patris mei, & ædificabo eam, &c.* Nulla mora interpoſita, ſtatim poſt breuem illam, & iaculatoriam orationem, atque impetrata, in eam rem (vt credi par eſt) diuini numinis ope, animi ſui ſenſum aperit Artaxerxi Nehemias. votum ſuum explicat, & cuius rei maxime potiundæ, maiori ardet deſiderio: placet autem mihi, ne quid diſſimulem, Sancti Annotatio, qui quidem in hac ſupplicantis oratione, ſummum atque excellens, ſummi oratoris artificium obſeruari vult, quod extat atque eminet, ex cauſis ab ipſo in medium adductis. D quibus, Regium animum ad concedẽda poſtulata permoueri neceſſe ſit, Prima eſt. Regis ipſius grata animi inductio, ſpontaneaque voluntas, qua repugnante, obſtanteque, nihil ſibi, ab illo concedi deſiderat, id enim, inquit, valet illud, *Si videatur Regi bonum*, deinde ſua proponit merita, modeſte tamen, ſicut tanti Regis nomen atque maieſtas exigebat, eo refertur illud, *& ſi placet ſeruus tuus ante faciem tuam*, id eſt (vt interpretor) & ſic alibi dicitur, *ſi inueni gratiam in conſpectu tuo.* Tandem honeſtam, & piam,

Artificiũ orationis Nehemiæ ex multis capitibus.

docet esse petitionem, dum laborare se ostendit, pro paternis cineribus, quibus aliquid obseruantiæ debeat, & quos si contemnere contingat, vix possit, cuiusdam barbaræ impietatis, infamem maculam effugere, atque execrandum nomen. Neque enim, si eius verba diligenter attendantur, dixit absolutè, ædificandam esse ciuitatem, sed ciuitatem paterni sepulchri, quod proinde videtur esse, ac si diceret, tantum ædificandam esse ciuitatem, ad excitandum parentis sepulchrum, sic ferè Sanctus in hunc locum, quod vti dixi non displicet. Cæterum hoc loco pro his verbis, *Si placet seruus tuus*, legit Dionys. Chartus. *Si placet seruis tuis*, & sic exponit, id est septem consiliatoribus tuis tibi astantibus de quorum consilio, omnia agis, iuxta morem Regum Persarum, atque Medorum, sed versio communis retinenda est.

XI. Vers. 6. *Dixitque mihi Rex & Regina, &c.* Placet etiam hic Saliani coniectura, in Annalibus Ecclesiasticis, ad annum Mundi 3590. num. 13. qui ait, non sine causa Reginæ mentionem fieri, à Nehemia, & cum velit ipse, Reginam hanc, Estherem fuisse, & Assuerum eius maritum, eundem cum Artaxerxe Longimano faciat, aduersariis huius sententiæ aientibus, si ita res haberet, Nehemiam, per Reginam vel Mardochæum, petiturum fuisse facultatem, reparandæ vrbis, quos sciret apud Regem Assuerum gratiosissimos, sic commodè respondet, fortasse conuenisse, inter Estherem, & Nehemiam, vt ipse id à Rege peteret, & sanè Regina petitionem adiuuaret, prout expedire sibi videretur, & cum dubium esset, quam in partem, Rex postulationem Nehemiæ esset accepturus, non conueniebat, Reginam repulsæ periculum subire, vbi vero Regem in eam propensum, aut certe non alienum animaduertit, ipsam quoque, in toto negotio maturando, firmandoque, multum promouisse, credi potest, propterea dici in textu, *Dixitque mihi Rex & Regina quæ sedebat, iuxta eum, &c.* Idem qui supra Salianus anno Mundi 3609 enarrans item, & expendens hunc locum, *non potest*, inquit, *certo affirmari hanc Reginam fuisse Estherem admodum tamen probabile est, posito, Assuerum Estheris esse Artaxerxem Longimanum vt supra probauimus, atque vnicam fuisse vxorem Reginam loco Vasthi constitutam*, vt patet Esther. cap. 2. vers. 17. *eam vero huic causæ Nehemiæ non leue momentum attulisse dicendum videtur, ne sine causa mentio eius facta videatur.* Sic ille. Ex quo sequitur, si rectè litteram hic attendimus, & copulam in textu adhibitam, videri sermonem, qui sequitur, *vsque ad quod tempus, &c.* & continet facultatē, concessam Nehemię, eundi in Iudæam, Regis esse, & Reginæ simul, ita vt ad vtrumque, ex æquo pertineat, quanquam sic interpretari possumus. *Dixit Rex annuente Regina atque id gratum sibi esse indicante.* Et in Hebræo quidem sic habetur, *Dixitque mihi Rex, & Regina sedebat iuxta eum*, vt notat Lyranus, atque ita sensus est, quando Rex loquebatur Nehemiæ, Reginam sedisse iuxta eum, ac proinde, verba quæ sequuntur, esse solius Regis, cui interpretationi magis congruit, & consonat, inquit, litera sequens in qua dicitur, *Et placuit ante vultum Regis.*

Reginam, cuius in textu mentio fit, Estherem fuisse qua negotium quoque Nehemiæ non parum promouerit.

XII. *Vsque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reuerteris.* Aut Rex igitur, annuente Regina, atque id optante plurimum, aut Rex simul ipse, ac Regina, quibus vt apparet ingratus non erat Nehemias, rogarunt, quam diuturna ipsius futura esset apud contribules suos commoratio, quod nimirùm ægrè ferrent illius discessum, nec nisi iniquo animo, diu multumque à se abesse paterentur: quid autem ad hanc quæstionem responsi dederit Nehemias, tacet sacer author, è Iudæa tamen in Persidem, non fuisse reuersum, vsque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis, sentiunt non pauci, probantque, ex capite vltimo huius libri vers. 6. vbi sic habetur, *In omnibus autem his non fui in Hierusalem, quia anno trigesimo secundo Artaxerxis veni ad Regem*, ita vt duodecim annos totos posuerit in instauranda constituendaque re Solymitana, quæ omnino composita, ad Regem, iuxta condictum, reuersus fuerit. Aliis sententia hæc non placet quod in summa, Iudæorum negotia varias à Nehemia huc illuc profectiones exegerint, idipsum est, quod aiunt, verisimile esse; Nehemiam sæpe ad Regem Artaxerxem rediisse, illo duodecim annorum spatio, tùm quia Rex grauiter ferebat abesse tamdiu hominem sibi gratum, tùm quia cum dux esset à Rege constitutus, necessario illi ad Re-

Probabilius reuersum e Iudæa in Persidem Nehemiam aliquoties ante annū 32 Artaxerxis quo profectionem eo se instituisse narrat capite vltimo.

gem, sæpe redeundum fuit, vt rationem suæ præfecturæ redderet, & quis esset rerum status illi significaret.

XIII. *Et placuit ante vultum Regis, & misit me, & constitui ei tempus, &c.* Concessionem Regis significat, *Et placuit, & misit me*, id est, consensit in profectionem meam, *& constitui ei tempus*, certum scilicet, vt est in Hebræo, non tamen exprimitur: Constat quidem, vt mox dicebamus, Nehemiam annis duodecim mansisse Hierosolymis, & ibi Ducem populi fuisse: Nec ideo tamen arbitrandum, id tempus constitutum fuisse, inter Regem, & Nehemiam, sed quantum probabile erat, esse necessarium, ad perficiendum opus, quod suscipiebatur, vnius verbi gratia, vel alterius anni, & si res, vt iam ante monui, in quæstionibus præambulis, longè breuiori tempore perfecta fuerit, cum tamen iam abesset, vt res Iudaicas bene gereret, credibile est ei, à Regina, & Mardochæo impetratum fuisse, vt ibi remp. pro Rege administraret, quandiu ipsi Regi videretur, quod, hoc ipso anno vigesimo Artaxerxis, contigisse videtur; vt significant illa verba, cap. 5. vers. 14. *A die autem illa qua præceperat Rex mihi vt essem Dux in terra Iuda ab anno vigesimo vsque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis Regis per annos duodecim: Ego & fratres mei annonas quæ Ducibus debebantur non comedimus, &c.*

Credibile est impetratum ab Esthere & Mardochæo vt Nehemias Regis nomine Iudæorum rempublicam administraret.

XIV. Vers. 7. *Et dixi Regi, Si Regi videtur bonum, epistolas des mihi ad Duces trans flumen vt traducant me donec veniam in Iudæam, &c.* Iam in simili locutione, superiori libro, per flumen, nullo etiam alio adiecto, Euphratem intelligi docuimus, vocarique, Duces regionis, trans flumen, trans Euphratem habitantes, quia scilicet, fluuius is terram promissionis, à Chaldæorum finibus, ex parte Aquilonari distinguebat, atque inde, Hierosolymam vsque porrigebatur, ea Regio, quam Iudæorum hostes, sane infensissimi incolebant, qui sub istud Nehemiæ tempus, si credendum est Iosepho, lib. 11. Antiquitatum, cap. 5. diu noctuque agros excursionibus, & rapinis populabantur, & multos, ex ea regione, atque adeo ex ipsa vrbe captiuos abducebant; ita vt passim, per vias reperirentur, strata Iudæorum cadauera, idem pœne, ac in Iosepho, in authore Historiæ scholasticæ ad cap. 6. Iudith

Flumen, nullo alio adiecto pro Euphrate sumitur.

A legere est, apud quem, à contribulibus audit Nehemias, per diem, vicinos hostes, impetum facere, in miseros ciues, & de nocte in vrbem irrumpere, latrunculos, vt plateas, ipsis occisorum oppleri cadaueribus. Iure igitur Nehemias ab eiusmodi sicariis & grassatoribus, sibi veritus, petit à Rege, commendatitias litteras, ad præfectos Prouinciarũ oratque, iubeat Ducibus quibus credita Syriæ, id est regionis vltra Euphratẽ, custodia, vt cohortẽ aliquam attribuant, cuius ope, ac ductu, tuto ipse inter tot insidias, ac pe-
B ricula, in Iudæam vsque deducatur, quod fecisse Regem perlibenter, immo & ipsum, custodiam illi militum, & equitum dedisse, quæ reduces in via, tot periculis obnoxia, ab hostili odio præstaret incolumes infra vers. 9. videbimus.

Vers. 8. *Et epistolam ad Asaph custodem saltus Regis, &c.* Geminas, vt vides, petit epistolas, alteram ad Duces Syriæ, & aliarum Prouinciarum trans Euphratem, ne scilicet eorum præsidio non munitus, incideret in manus Ammonitarum, Idumæorum,
C Arabum, vel aliorum qui cum Iudæis gerebant perpetuas inimicitias. Alteram, ad custodem saltus Regis, intelligit autem, vt Saliano visum est, locum peramœnum, Regia seruatum custodia, & instar horti, circumseptum, vnde in Hebræo & Græco paradisus, siue hortus appellatur, alioqui, mirum profecto esset, hortenses, & pomiferas arbores, ædificationi, & contignationibus aptas esse, quales hic à Nehemia exquiruntur. Fuisse autem hunc saltum, in Libano, putat Villalpandus, quoniam à Libano, Dauid, & Salomon
D ligna petierunt, ad ædificandum: Ptolomæus, in quarta Asiæ tabula, paradisum oppidum iuxta Libanum collocat in Cœlesyria, Sanctius vero, per saltum hunc Regium, vniuersim Libanum interpretatur, vnde Iudæi olim ligna adduxerant cedrina, ad Templi fabricam: Licet enim Tyrii, ac Sydonii, ligna ceciderint, & ad mare vsque Ioppe deduxerint, vt constat ex lib. 1. Esdræ cap. vers. 7. tamen id fecerunt, magis, conducti pretio, vt serui, quàm vt Domini, ligna illa dono aut mercede accepta distrahentes; sicque suam Templo instaurando operam impenderunt, vt non tam suo studio, quàm Cyri Edicto, ac voluntati obsecuti fuerint, quippe qui loco iam citato,

XV. (beside Vers. 8)

Quid sit saltus Regis.

Saltum Regium Libanum interpretantur nonnulli.

dicuntur id fecisse, *iuxta quod præceperat Cyrus Rex Persarum*: nihil autem hic aliud postulat Nehemias ab Artaxerxe, quam quod concessum ante fuerat à Cyro, nimirum vt è Libano siue saltu Libani, materiam omnem ad ædificandum necessariam, cædi permittat, cum non minus Libanus in Artaxerxis, nunc, quam prius in Cyri potestate fuerit.

XVI. *Vt det mihi ligna vt tegere possim portas turris domus, &c.* Ligna igitur requirit Nehemias primo ad tegendas siue contignandas portas turris domus, & licet, in aliquibus Bibliis legatur, *vt tegere possim portas Templi, turris domus*, eodem sensus recidit: Nam portæ turris domus, idem est, ac portæ domus Templi, iuxta quam scilicet domum statuebat Nehemias, turrim extruere, ad maiorem Templi securitatem, ait Lyranus. Hoc loco Villalpandus putat intelligi, tres turres, quæ super porticuum portas erigebantur, sed vnius tantum fit mentio, in textu. Vnde alii malunt vestibulum ipsum Templi intelligere, quod olim altitudinem habuit 120. cubitorum, cum enim iampridem Templum extructum esset, vocis illius significatum, ad quasdam Templi appendices quæ supererant extruendæ, referri oportet; & quamuis, tempore etiam Darii, inquiunt, perfectum fuerit Templum totum, potuit tamen, si tunc ad eam celsitatem erecta est illa turris, aut vestibulum Templi, intra septuaginta annos, qui intercedunt, à sexto Darii anno, ab Artaxerxis 20. casu aliquo, aut etiam igne conflagrasse; sed neque hoc satisfacit, nam à duodecim fere annis multam pecuniam Esdras acceperat, vt omnia quæ necessaria essent, Templo Domini prouideret; immo & de thesauro, & fisco regio, voluit Rex ei suppeditari, quæcumque placerent: at quis credat vestibulum Templi ab eo fuisse neglectum? si dicant intra illos duodecim annos factum esse de cœlo, dicendum quoque, restaurari etiam potuisse, regiis sumptibus, iuxta decretum Esdræ, datum libro primo Esdræ capite septimo: adde quod in consequentibus, vbi fit mentio ædificationis, nulla Templi extat memoria, sed solius dumtaxat ciuitatis, quare suspicatur Salianus, nec improbabiliter, intelligi domum regiam, quæ erat iuxta Templum, & à qua erat in Templum aditus, quam olim Salomon ædificarat; nam 70. Complutensia, & regia habent, *ad tegendum portas palatii domus, siue Templi*, in Hebræo quoque, Pagninus, *Habira*, vertit, *Palatium*, Arias etiam Montanus inseruit in translationem D. Hieronymi, eandem *palatii* vocem, & capite septimo, versu secundo rursum vbi Hananias dicitur, in vulgata editione *Princeps domus de Hierusalem* à Vatablo vertitur *Princeps palatii Regis*, à Tigurina, *Princeps arcis Hierosolymitanæ*, in ambitu enim arcis continebatur Palatium.

Quid per turrim domus intelligatur.

Male vestibulum templi interpretantur aliqui.

Probabilius domũ Regiam intelligi sitam iuxta Templum, & ex qua in Templũ erat aditus.

XVII. *Et muros ciuitatis, & domum quam ingressus fuero, &c.* Quærit item Nehemias, sibi à Rege dari ligna, ad tegendas & contignandas portas murorum, & turres earum; postremo ad extruendam sibi domum, quod autem ait de muris ciuitatis, interpretantur aliqui vt videre est apud Mariana, de lapidibus, qui solent inter ligna componi, quo structura firmior fit: Alii muros ciuitatis sic intelligunt, id est murorum portas, seu portarum muros, sic Lyranus, sed melius, & planius, meo iudicio, de muris ciuitatis ipsius Hierusalem reædificandæ, quæ vna mens Nehemiæ fuit, interpretaris, quod sequitur, *Et domum quam ingressus fuero*, id est, vt iam significaui, quam ædificare cupio pro habitatione mea.

Varia hoc loco murorum ciuitatis interpretatio.

XVIII. *Et dedit mihi Rex iuxta manum Dei bonam mecum, &c.* Non absimilem huic locutionem, superiori Esdræ libro, fuse exposuimus, verbo dicam impetrata, ab Rege Artaxerxe dimissione, & postulato, etiam, atque obtento, postmodum saluo, quod aiunt, conductu, significat Nehemias, vtramque sibi, *iuxta manum Dei bonam*, hoc est superis fauentibus, Deo authore, atque auspice, concessum fuisse, nimirũ, *omne donum perfectum desursum est, &c.*

Vers. 9. *Et veni ad Duces regionis trans flumen dedique eis epistolas Regis misserat autem Rex mecum Principes militum & equites, &c.* Magnum hîc, sese effert, Regiæ beneuolentiæ, in Nehemiam argumentum; Nec enim solum Artaxerxes, suis literis, Ducibus ac Præfectis regionis trans flumen mandauit, vt data Nehemiæ militum cohorte, in itineris subsidium, eius vitæ atq; incolumitati prospicerent: sed ipse quoq; militũ, atq; equitum custodiã adiunxit quæ ad flumen, vsque euntem, secum deduceret, neque sineret, a

Magnum Regiæ beneuolentiæ argumentum in Nehemiã quod ei cõcessa sit militum & equitum custodia quam secum deduceret.

Chaldæorum Regno, à Chaldæo quoquam siue hoste, siue prædatore, mali quidquam inferri. Porro credibile est, vt recte etiam annotat Sanctius, horum hoc loco meminisse Nehemiam vt ostendat, quomodo, tam facile potuerit, ab illis Ducibus trans Euphrateis, instructam habere custodiam, nam & si valuerunt, plurimum Regiæ literæ plus tamen habuere momenti Principes militum, & equites, quos à Rege secum ducebat, vt pote, qui eiusdem, cum illis, essent ordinis, nec dignitate inferiores, à quibus proinde vrgeri possent, si necesse esset, reluctantes Regis imperio, & cohors etiam armatorum militum à recusantibus extorqueri.

XIX. Vers. 10. *Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammonites, & contristati sunt afflictione magna, quod venisset homo, qui quæreret prosperitatem Israel, &c.* Sanaballat, & Tobias existimantur fuisse de primariis Samaritanorum, iidemque serui, id est, clientes, & beneficiarii Regum Persarum, qui odio prosequebantur Iudæos, & nunc eorum prosperitati inuidebant, veriti scilicet, ne illis subiicerentur. Regis fauore, ac beneuolentia subnixus, nihilominus incolumis peruenit Nehemias in Hierusalem, vt constat ex textu sequenti.

Vers. 11. *Et veni Hierusalem, & eram ibi tribus diebus.* Venit, itinere per Babyloniam suscepto, vt ait Iosephus, non improbabiliter, quoniam id de Zorobabele legebat tertio Esdræ cap. 4. vers. 61. *& venientibus de Perside Hierosolymam non longo interuallo occurrit Babylon, cum igitur Babylonem venisset*, inquit, *& multos è popularibus vitro se adiungentes via comites assumpsisset, tandem peruenit Hierosolyma:* cum autem peruenisset, triduo ibi, vt ait ipse Nehemias, aut latuit, aut ita se gessit, quasi homo esset priuatus, neque plus haberet à Deo, & Rege Artaxerxe, authoritatis, quam quilibet alius è populo aut certe totos tres dies quieti, vt fere fit, & salutationibus dedit, quod in simile fecisse olim Esdram, annotauimus superiori libro capit. 8. versu trigesimo secundo.

In vrbem aduectus tres dies gerit se vt priuatus Nehemias

XX. Vers. 12. *Et surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicaui cuiquam quid Deus dedisset in corde meo, vt facerem in Hierusalem, &c.* Tribus exactis diebus, surrexit postea de nocte cum paucis, vt ciuitatis mœnia perlustraA ret, videretque quo essent in statu, ciuitatis claustra, & portæ, quid in illis instaurari prius oporteret, quid denique in præsenti rerum statu, ac periculo, maxime omnium curam suam, ac studium requireret, clam illud quidem, & silentio, vt vides, *& non indicaui cuiquam quid Deus dedisset in corde meo, vt facerem in Hierusalem*, inquit, id est, quid boni ipsi vrbi facere statuissent, &c. Voluit autem explorare murorum statum per totum ambitum, ne quid temere in non paruo negotio aggrederetur, & vt res tota prius ageretur, quam illius suscipiendo consilium ad aduersarios deferretur.
B
Et iumentum non erat mecum, nisi animal, cui sedebam, &c. Nempe alii qui erant cum Nehemia, & de illius comitatu censebantur, pedites erant, sin huius rei causam exquiris, cur scilicet tam exiguo ad pompam apparatu, processerit Nehemias, vt nullos secum equites habuerit: hanc à Lyrano, si voles, accipe, & expende. *Ne forte*, inquit, *Iudæi ipsi, qui erant in ciuitate, opinarentur eum velle latenter exire de nocte, vt traderet ciuitatem hostibus, & se eis iungere in equis.* Sic ille. Sed quis amabo sanæ mentis Iudæum homi-
C nem, tantumque, atque adeo cuiuis non ignotum, eiusmodi erat Nehemias, id in Iudæos moliri velle, vel leuiter suspicari potuisset? Ego ideo factum crediderim, tantum, quod clam ipse, vt iam dixi, latenter, & in silentio, nullis consciis de populo, vrbem obambulare vellet, & ruinas eius, vt fecit, attentius considerare, id vero vt commodius perficeret, paucis eum, præsertim equitibus, comitatum esse oportuit, & id quidem, verba proxime superiora satis indicant: *Et surrexi nocte*, scilicet vt lateret, *ego, & viri pauci mecum*, ne ex nimio hominum tumul-
D tu, ac strepitu excitatus populus deprehenderet, quod nondum indicari volebat, facile autem deprehenderet, si omnes illius socii iumentis vecti, ciuitatem concursarent, & semiruta mœnia, equitantes obirent, solus igitur Nehemias equitabat, cæteri pedites erant, ne nocturnus equorum strepitus, silentio, & secreto, quod quærebat efficeret, propter quod & noctem elegerat, & modicum comitatum. Adde peditem illum non incessisse, vnumque ex toto numero, quod ait ipse, iumento insedisse, quia senex, & languido iam, atque attenua-

Cur exiguo ad pompã apparatu processerit Nehemias in perlustranda ciuitate.

to corpusculo, latissima illa, & confragosa spatia, metiri pedibus, nec laborem illum longum, atque nocturnum sustinere vix potuisset.

XXI Vers. 13. *Et egressus sum per portam vallis nocte, &c.* Sed quomodo egressus dicitur per portas, quæ nullæ erant, vt pote igne consumptæ, & ad finem huius versus indicat ipse: *Et considerabam murum dissipatum, & portas eius consumptas igne*: vestigia nimirũ supererant, & semirutæ parietinæ portarum antiquarum, & turrium, quæ antiqua nomina retinebant. Nocte igitur egressus est per portam vallis, nocte, inquam, quia volebat, assentiente etiam hic Lyrano, alios de popularibus suis, percipere quod animo agitabat, donec vtrum res ad exitum perduci omnino posset, diligentius secum considerasset. Porta autem vallis, per quam egreditur, ex communi authorum sententia, illa videtur esse, quæ vallem spectat Iosaphath ad Orientem, & aliter Gehenna nominatur, seu vallis Ennon, & Tophet: cum autem vallis Iosaphat bonam partem ciuitatis ambiret, necesse erat, vt plures ciuitatis portæ ad vallem illam pertinerent: quare & necesse fuit, vt rectè obseruat Sanctius, illas certa aliqua nota peculiari distingui; vnde statuitur hic locus, quem porta vallis directè spectat, aut ad quem per illam portam patet facilior exitus, nimirum fons quidam extra vrbem, qui vulgo Draconis vocabatur, quam ob causam, mox infra dicemus: aliis porta vallis ad Occidentem sita est, hunc enim ei situm assignat Vilalpandus, tom. 3. lib. 3. cap. 6. qui in hac tota Topographia diligentissime, laboriosissimeque versatus est, & vult, dictam non a valle Iosaphat, quæ Orientalis erat vrbi, sed à valle Cadauerum, & Caluariæ, cui proxima fuit, vt erat ad Occidentem ciuitatis, idque confirmat ex eo quod 70. Sixti eam vocant portam *Gessia*, quæ Caluariæ, vel stercorum exponi potest, quodque mille cubitis tantum distaret à porta stercoris, siue sterquilinii, quam idem ad Occidentem esse confirmat.

Dicitur Nehemias egressus per portas nondum instauratis manibus, quia supererant vestigia, & parietina semirutæ portarum antiquarum.

Porta vallis dicta quæ vallem Iosaphat spectabat ad Orientem, & aliter Gehenna, seu vallis Ennon vocabatur.

Vilalpando porta vallis ad Occidentem sita, & dicta non a valle Iosphat, sed à valle Cadauerũ, & Caluariæ, cui proxima erat.

Et ante fontem Draconis, &c. Fontem Draconis idem qui supra Villalpandus, ait ad radices Caluariæ montis scaturiisse, in ipsa Cadauerum, siue stercorum valle, ante vrbem, inter portam sterquilinii, & portam fontis, qui nunc, vt pleraque alia, vrbis sordibus, & ædificio cum ruinis, sit obrutus, eum tamen, etiam nunc scaturire ait Adrichomius, in sua Hierusalem, quem Draconis dictum, forte non male existimauerim, propter figuram Draconis lapidei, vel ænei, aquam euomentis, fontem ficuum dixerunt, 70. quia non legerunt *Thenim*, sed *Theanim*, quarum hæc vox ficus, illa serpentes significat, quod pleræque ficus in ea valle, illius aquis irrigarentur.

Fons Draconis ad radices Caluariæ montis situs, forte sic dictus ob signum Draconis aquam euomentis.

Vnde dictus fons ficuum à 70.

XXII. *Et ad portam stercoris &c.* Hæc ad vallem etiam Iosaphat spectabat, vt iam diximus, & erat superiori proxima, quæ quidem, vt vulgo aiunt authores, nomen portæ stercoris, aut sterquilinii accepisse dicitur, ex eo, quod per illam egererentur sordes vel à torrentibus, ab imbre collectis, qui ciuitatem inundabant, & sordes omnes per decliuem locum, in Cedronem, demissam nempe vallem conuehebant, vt putant Adricomius, & Borchardus. Quid si prope portam illam erant aut publica, aut priuatorum hominum congesta fimeta; quæ ad hortos, agrosque fermentandos, inde exportarentur? Quid si per illam portam, stercoris dictam, aut sterquilinii, à rusticis, vel olitoribus, ex communi, & perpetuo more educerentur stercora, vnde sic dicta sit? quia scilicet, vallis proxima, pinguis erat, aptaque leguminibus, & quidem Gethsemani quæ in eo loco erat, vallis dicitur pinguedinis, terra autem pinguis, quæque numquam cessat, vt aiunt, solet ex rustica disciplina fimi, ac stercoris assidua conspersione pinguescere: in re dubia liberum est cuique coniectari; hinc vides (quod obseruatione dignum est) & vero hoc loco, satis curiosè annotat Sanctius, & si obscurum est, neque admodum exploratu necessarium: cur hæc loca, hoc, vel illud nomen sortita sint, cum ex scriptura nihil certum habeamus, & variæ à variis subinde excogitari rationes queant, certum tamen esse, ex multis causis, illisque interdum leuissimis, locis nonnumquam illustribus, imponi sæpe vocabula, non vsque adeo honesta, aut illustria, & de portis vrbium, id potissimum notari, atque obseruari magis, quibus aut vsus alicuius rei frequentior, aut author, & architectus, aut statua, aut imago, aut loci vicinitas, aut locus, cuius regionem spectat, aut euentus aliquis: seu fœlix,

Variæ rationes afferuntur ob quas Porta stercoris sic nominata sit.

Locis illustribus imponuntur nonnunquam vocabula non vsque adeo illustria ex causis leuissimis.

seu aduersus, sæpe nomen indiderunt, sic Romæ olim porta Quirinalis, Collina, Namentana, Viminalis, Esquilina, Campana, Carmentalis, scelerata, nominum habent notationes obscuras, & earum pleræque, non admodum insignes, quod de antiquis ciuitatibus, legimus, idem de aliis dici potest, & de recentibus ipsis, ac nostro seculo ædificatis passim audire est.

Et considerabam murum Hierusalem dissipatum & portas eius consumptas igne, &c. Iam ante significauimus, eam ciuitatis lustrationem, obiisse Nehemiam, vt contemplaretur, quid maxime, hostium pateret insidiis, quid esset minus in ea, vel ab arte, vel à natura munitum, denique quid maxime, aut citius, ex illa ingenti ruina resarciri, atque instaurari oporteret; bene autem vocat murum ciuitatis dissipatum, videbat siquidem, vndique muros ita disiectos, vt non tam muros, quam murorum rudera, dubiasque substructionum reliquias, existimares; murum quidem considerabat, secum expendens, scilicet, quomodo posset reædificari. & portas eius consumptas igne, spectabat oculis, atque animo peruoluebat attentius nimirum exquirens, apud se quemadmodum possent de nouo institui.

XXIII. Vers. 14. *Et transiui ad portam & Fontis, & aquæ ductum Regis, &c.* Fons, hic innominatus, vndè nomen suum porta sortita est, vulgo creditur, esse fons *Siloe*, qui aliter appellatur, *Gihon*, quemque Ezechias, per aquæ ductum, qui hic dicitur, aquæ ductus Regis, in ciuitatem induxit, vt constat ex lib. 2. Paralipomenon cap. 22. 3. & cap. 48. Ecclesiast. vers. 10. vbi sic habetur. *Ezechias muniuit ciuitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificauit ad aquam puteum*. hunc autem fontem Siloe, & aquæ ductum Ezechiæ, in valle quoque fuisse, memini dubium esse potest, vnde non sine causa, portæ quæ vt superiores, etiam ad vallem pertinebat, notam addidit Nehemias, fontis scilicet viciniam, vt eam ab aliis, quæ eodem spectabant secerneret, ex quo existimandum est, vnicam fuisse portam, quæ ad fontem Siloe, & ad aquæ ductum deduceret, immo neque fontem ipsum, ab aquæ ductu, procul fuisse dissitum, sed ab ipsa statim fontis scaturigine, ad puteum, seu piscinam ciuitatis, quam construxit Ezechias, aquam fuisse deductam.

Fons cuius hic mentio, Siloe dicitur alias Gihon.

A *Et non erat locus iumento, cui sederam vt transiret, &c.* Quod hic narratur, ad certam vrbis partem, locum non fuisse iumento, per quem transiret, magnas ibi ruinas extitisse indicat, vt propter dirutas ædificiorum moles, & ingentia rudera, temerè, ac nullo ordine, huc & illuc cōgesta, via illic nec equitibus, nec peditibus, sterni vllo modo posset; ibi nimirum, ad vallem Cedron, quæ vastissima, & obscurissima fuit, erat aquæ ductus Regis, ad deducendum ex superiore fonte B *Gihon*, aquam in Sion per fornices excelsos, quibus valles profundæ, quæ vrbem, & montem Sion cingebant, superari possent; vnde & ad regia torcularia transibatur, propter quem aquę ductum, non erat iumento commodus transitus, quia ruderibus plena erant omnia, vt ambire fontem *Gihon* necesse fuerit, indeque per meridiem circundando montem Sion, venire ad torrentem Cedron, in Orientali parte vrbis.

Vers. 15. *Et ascendi per torrentem nocte & considerabam murum.* Torrentem C Cedron intelligit, quem ideo dicitur ascendisse, quia torrens ille, ex parte Aquilonari, ad quam pergebat Nehemias, versus meridiem, decurrebat, quem ei cursum tribuit etiam Adrichomius. Ibi Nehemias, rursum considerauit murum, sicut & à parte occidua, & inde superata etiam parte Aquilonari, venit ad portam Vallis, vnde vrbem obire cœperat, & peracto circulo, rediit in vrbem vnde subiungit. XXIV.

Torrens Cedron hic indicatur sub communi nomine.

Et reuersus veni ad portam Vallis & redij, &c. Hinc patet, Nehemiam circuisse, atque D obambulasse, totam ciuitatem, siue pomœrium totius ciuitatis, Hierusalem, vt videret, quemadmodum possent muri illius commode instaurari, cum facta obambulatione, dicatur, reuersus ad eandem portam, per quam exierat, quod sane perfecisse non potuit, nisi incommode, cum nox esset, & locus, per quem incederet, parum opportunus, quod in depressa esset valle, & à mœnibus remotus.

Vers. 16. *Magistratus autem nesciebant quo abyssem aut quid ego facerem, &c.* Per Magistratus, hoc loco Gentiles intellige, qui à Rege Persarum, constituti erant, ad custodiendam Iudææ Prouinciam: hoc est, Præfectos Regios, quos statim hoc eodem versu oppo-

Antequam vrbem lustrasset nemini sensit

xx Gentilibus seu ex Iudæis consilium suum aperuit Nehemias

su opponit Iudæis, si consilium ac A mentem Nehemiæ nesciebant, vt pote, qui nec forte illis ipsis, qui cum in via, de mandato Regis conduxerant, ex quibus qui in Iudæa erant, rescire potuissent, haudquaquam aperuerat, vt sentit Lyranus, neque vero prudenter, suum consilium Magistratibus, populiue Principibus, aperire nec quid ab Artaxerxe potestatis, sibi concessum esset, indicare, nec cum popularibus suis, rei gerendæ negotium ad deliberationem adducere debuit, priusquam peruidisset omnia diligenter, & quid in ciuitatis munimento collapsum, quid parum firmum, & ruinæ proximum, quid hostili maximè insultationi peruium, ac proinde, primo quoque tempore, instaurandum foret, oculis ipse perlustrasset.

Sed & Iudæis & Sacerdotibus & Optimatibus & Magistratibus, & reliquis qui faciebant opus vsque ad id loci, nihil indicaueram, &c. Clarè, vt vides, superioribus Magistratibus, cum non essent genere Iudæi, Iudæos opponit Nehemias, quibus etiamnum adhuc consilium ignotum suum esse voluit, quosque quadripartito diuidit, in Sacerdotes, & Optimates, & Magistratus, particulares scilicet, & interiores, sub illis Regiis, de quibus antea, & opifices, quos intelligit per ea verba, *Qui faciebant opus*, vt placet Villalpando, licet Vatablus explicet, qui operabantur, in reparatione murorum, vtique præpropere, neque enim adhuc Nehemias, consilium suum, de illis extruendis, aperuerat: cum autem eos, vnum in locum congregasset, in Templum scilicet, vt ait Iosephus, dixit ad eos quæ sequuntur.

XXV. Vers. 17. *Et dixi eis; vos nostis afflictionem in qua sumus, quia Hierusalem deserta est, & portæ eius consumptæ sunt igni, venite ædificemus muros Hierusalem, & non simus vltra opprobrium, &c.* Hic tandem primum Nehemias, postquam muri reædificationem difficilem quidem, sed possibilem tamen, Deo duce, intellexit, suam de eo negotio aggrediendo Iudæis mentem, ac voluntatem aperit; quin & iisdem ipsis, quam amplam a Rege, per litteras, voluntatis suæ iudices gratiam acceperat, & facultatem, vltro significat, vt sic ardenti hortatione, quæ postmodum consequitur, eos ad opus inducat, & inflammet vehementius; quod autem ait, *Quia Hierusalem destructa est*, ideo dicitur, tùm quia habitatores eius erant pauci, tum quia portæ eius erant destructæ, & muri in pluribus loci disrupti, vnde restaurandam censet, vt à pluribus incolis, & numerosiore populo, firmissimis cincta mœnibus habitetur, & ne aduersarii Iudæorum eam facile possint inuadere.

Vers. 18. *Et indicaui manum Dei mei quod esset bona mecum, & verba Regis quæ locutus est mihi, & aio; Surgamus & ædificemus, & confortatæ sunt manus eorum in bono, &c.* Vt propositum de muro ciuitatis instaurando, consilium ac negotium B Iudæi aggrediantur, audacius, docet Nehemias, quàm Deus rebus suis faueat, quàm pro ipsorum causa, Persarum Regis propensissima voluntas, ac sedulitas, labore impense, nihil esse auspicantè diuino numine, hominibusque fauentibus, quod ab aduersariis formidandum sit, quo ipsorum conatus, aut frangatur, aut impediatur, & certè cum Deum fautorem haberent, & consentientem Regem, nihil præter eorum alacritatem desiderabatur, quam exsuscitat, dicens, *Surgamus & ædificemus*, quæ ardens sane, & incitata Nehemiæ hortantis oratio, eam C contribulium animis mentem indidit, vt omnem ab illis metum, & languorem illico excusserit, hoc enim est, quod ait, *Et confortatæ sunt manus eorum in bono.*

Vers. 19. *Audierunt autem Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammonites, & Gosem Arabs, & subsannauerunt nos & despexerunt, dixeruntque quæ est hæc res quam facitis, &c.* Idem hic mihi, quod & Saliano, in mentem venit, videri hæc aliquantulum, per anticipationem dici, & contigisse, cum populus esset in opere, anteuertit autem Nehemias, hanc narrationem, ne sequentem, pro- D ximo capite, catalogum eorum interrumperet, qui sedulam in vrgenda murorum instauratione operam posuerāt, quo ipso statim initio quarti capitis, fit clarius vbi eadem quæ hic iactantur ab hostibus Iudæorum infensissimis, irrisiones, & comitia iterantur.

Nunquid contra Regem rebellatis, &c. Rectè notat in hunc locum Villalpandus, consuetum Regiis ministris, vt quicquid propriis cōmodis, obesse arbitrantur, id contra Regiam Maiestatem esse contendant, quo non suis viribus tantum, sed Regiis etiam, contra aduersarios, ferocius insurgant, faten-

Familiare Regiis ministris vt quicquid propriis commodis obesse putat id contra

Regiam Maiestatē esse contemdans. dum tamen, istos Artaxerxis in Iudæa ministros cum viderent, tanta celeritate, vndiq; ciuitatem cingi muris, quāta, sequenti capite narratur, nec potestatem a Rege datam, vt videbatur, & quantam ipsi intellexisse poterāt, accepissent, non temere omnino, de defectione aliquid suspicatos fuisse, quia scilicet, non videbātur Iudæi, habita à Rege ædificandi legitima potestate, hac quasi furtiua ædificatione vsuri.

XXVI. Vers. 20. *Et reddidi ei sermonem dixique ad eos; Deus cæli ipse iuuat nos, & nos serui eius sumus, surgamus & ædificemus, vobis autem non est pars & iustitia & memoria in Hierusalem, &c.* Si in verbis ipsis immoramur, & literam strictè attendimus, apparet hinc non esse dignatū Nehemiam, Iudæorū aduersariis, obluctantibus, & conuitiantibus, Regis concessionem patefacere, quos sciret magis obesse velle, quam posse, itaque id tantum respondit eis, *Deus iuuat nos, & nos serui eius sumus, vobis autem non est pars, & iustitia & memoria in Hierusalē,* quasi dicat, nullo estis loco apud nos, nullo numero, nullo merito, nihil vobiscum habere commune capimus, neque opem vestram ad ædificandum requirimus, neque oblatam reciperemus, quibus consentanea sunt, quæ olim patribus eorū dixerat Zorobabel 1. Esdræ cap. 4. vers. 3. quanquā & eadem etiam Nehemiæ verba, sic interpretari possumus, & ad latiorem paulo significatum extendere, *Et reddidi eis sermonem*, inquit, id est, *respondi*, iuxta 70. λόγον, quod A significare potest, reddidi facti rationē, forte igitur dixit ad eos Nehemias, obiectam calumniam refellendo, nihil se de rebellione cogitare, nihil se, Rege inuito, immo nonnisi volente ipso maxime, atque annuēte, aggredi, quicquid ab ipsis fieret, de illius voluntate fieri, se Dei causam suscipere, sua omnium studia, religiosa inprimis, ac pia diuinę gloriæ atque honori seruire, nihil esse quod irrogatam illi sibi putent iniuriā, si illorum hostiles conatus, obtrectationes, & conuitia nihili habeantur, cum nullam in ciuitate, vel ædificanda, vel B ornanda, partem vnquam habuerint; vnquam habuerint, nec vero habituri sint, *Vobis*, inquit, *non est pars*, id est, hęc structura nihil pertinet ad vos, cum sitis alieni à Religione nostra, *& iustitia*, id est, nullum ius habetis, in hanc ciuitatem, iustitia enim ponitur pro iure, *& memoria* id est, nunquam de ea bene meriti estis, sic Estius. Sic vero Lyranus, *Non est vobis pars, & iustitia & memoria*, quia Samaritani, inquit, non poterant ostendere ex vlla Scriptura, quæ deseruit memoriæ, quemadmodum ipsi, vel patres ipsorum, ibi, id est, in Hierusalem, partem habuissent, nec per consequens, ius vllum habebant reclamandi, C nec ad ipsos quicquam pertinebat, de reædificatione ciuitatis, vel eius impedimento, qua facti sui reddita ratione, Nehemias tùm demum populares suos, ad ædificandum denuo inflammat, quo, & quàm felici successu, proxime videbimus. *Estij commoda interpretatio in hunc locum.*

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis secundi.

Factum est autem in mense Nisan, &c. vers. 1.

L

ETSI, iam primo capite in Allegoria, multas rationes adduximus, ob quas Christi Domini typum gesserit Nehemias, adeoque alterum hoc caput totum referri, ad eandem ipsam Allegoriam, vniuersim dici possit, tamen iuuat hic, continenti stylo, atque vna dissertatione, ad singulos versus adhærescere, & quid in vnoquoque mysticum lateat quod D ad Nehemiam, aliosue pertineat, sigillatim exponere petitis, magnam partem ex Beda & Lyrano, in Glossa, interpretationibus, ad quas, nonnulla passim de penu nostro adiiciemus, &c. *Factum est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis*, ait Nehemias, percommodè *in mense Nisan*, huic quippe mensi respondet apud nos Martius & in isto mense passus est Christus qui per Nehemiam adumbratur, quia vero, Christi Passio, ea ... Ioannis decimo octauo versu duodecimo,

Per ta quæ calicem quem dedit mihi pater non vis vt bibam illum? & Matth. 20. vers. 22. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum*, vas autem calicis, seu calix ipse, non bibitur, sed vinum quod in eo continetur, ideo subiungitur, *Et vinum erat ante eum, &c.* scilicet, ante Regem Artaxerxem, qui symbolicè signat Deum Patrem, in cuius conspectu erat Passio Christi, quam disponebat, & acceptabat, & quoniam Christus etiam ipse per Nehemiam mysticè significatus, illam passionem acceptabat, ex obedientia, ad patrem, propterea sequitur proximè in textu, atque eodem versu 1. *Et leuans vinum, & dedi Regi, &c.* id est, acceptaui calicem salutaris, & acerbissimam mortem, aliquando, pro hominum salute oppetendam, quæ calicis nomine designatur, *Et eram quasi languidus, &c.* Optimè omnino, & figura veritati, & veritas figuræ respondet, eximiè, in passione enim videbatur Christus, fortitudinem amisisse, vnde Isaiæ 53. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*: scilicet sub ingenti peccatorum nostrorum pondere, fatiscebat baiulans crucem suam; vt præclare illud Prophetæ huc reuocandum sit, Threnorum, cap. 1. vers. 12. *O vos omnes qui transitis per hanc viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor quo pro miseris peccatoribus languescit & deficit Christus*, quod de sermone Regis Artaxerxis ad Nehemiam versu 2. ponitur, his verbis, *Dixitque mihi Rex; Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam, &c.* Si ad Christum referimus sic explicari par est, ægritudines, quæ causantur, ex inordinatione, & intemperie humorum, vel ex defectu naturæ, aut etiam, ex malo viuendi regimine, non habuerunt locum in Christo vt passim omnes consentiunt Theologi, quia non decebant, nec valuissent, ad opus redemptionis, tamen in eo fuit tristitia, de malo culpæ, non suæ, sed alienæ, vt pote de culpa suorum discipulorum, à rectitudine, fidei declinantium, quia Petrus inter alios primus ipsum in sua præsentia ter negauit, & de culpa malignorum, ipsum innocentem crucifigentium, & similiter in eo fuit tristitia, de malo pœnæ mortis, sibi imminentis, Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: ista tamen tristitia, in nullo rationem perturbabat, sed magis, per rationem excitabatur, in parte sensitiua, vt sic esset meritoria & humanæ naturæ veritatis ostensiua, sic Lyranus; vnde secundum Damascenum tristitia similesque eiusmodi affectus, in Christo, propassiones potius quam passiones censentur dicunturque, pergit Rex, *Non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est, &c.* Nempe consequenter ad ea quæ mox attigimus licet in corde Christi non fuerit malum culpæ, in eo tamen fuit malum pœnæ (sicut dictum est de tristitia) & illud malum, dicitur Deus Pater nescire, quia scilicet noluit, ipsum amouere, orante Christo Matth. 26. *Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste*, sicut fatuis, virginibus dicitur, Matth. 25. *Amen dico vobis nescio vos*, eo quod noluit eis aperire. Iam ad responsionem Regi factam à Nehemia vers. 3. transeamus, *Et dixi Regi, Rex in æternum viue, quare non mæreat vultus meus quia ciuitas, domus sepulchrorum patris mei, deserta est, & portæ eius combustæ sunt, &c.* Vide quam bellè Nehemiæ, cum Christo conueniat, sicut Nehemias fleuit destructionem primam Hierusalem, per Nabuchodonozor factam, ita Christus fleuit destructionem secundam per Romanos aliquando futuram Luc. 19. *Videns Iesus ciuitatem sanctam Hierusalem fleuit super illam*, Et adhuc magis dolebat de destructione eius spirituali, cuius reparationem facere desiderabat, ideo subditur, vers. 5. *Si placet seruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudaam, &c.* iuxta nonnullorum mentem accipitur hic *si* pro *quia*, &c. quia ergo Christus homo fuit & est, Deo Patri valde placens & dilectus, & sic ab eo missus est, ad reparationem spiritualis Hierusalem, ideo dicit Nehemias, in figura, *Si placet seruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudaam, ad ciuitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam.* Audi Messiam ipsum, per os Isaiæ de sua in mundum missione sic intonantem, cap. 61. *Spiritus Domini super me eo quod vnxerit Dominus me ad annuntiandum mansuetis misit me vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, &c.* sed quid, per Reginam mysticè intelligas, de qua sequitur, vers. 6. *Dixitque mihi Rex & Regina,*

Marginalia: *Per ta quæ hic gesta memorantur à Nehemia in mensa Nisan, quì nobis Martius est. Passio Christi, quæ eo mense contigit, adumbratur.* — *Vt Nehemias calicem Regi, sic Christus calicem Passionis suæ Deo Patri offert.* — *Vt Nehemias hic, sic Christus in Passione languens.* — *In Christo non fuerũt morbi, aut ægritudines ex humorum intemperie.* — *Fuit in Christo tristitia de malo pœnæ* — *propria, & de malo culpæ alienæ.* — *Passiones in Christo propassiones dictæ; quia nunquam rationem præueniebant, sed per eã excitabantur in parte sensitiua.* — *Vt Nehemias, sic Christus fleuit destructionẽ ciuitatis Hierusalẽ.* — *Vt Nehemias, sic Christus missus ad reparationem Hierusalem.*

Per Reginā Regi assidentem mystice intelligi potest triumphās Ecclesia ex Lyrano.

&c. Per hanc Reginam, potest intelligi triumphans Ecclesia, quæ magis est coniuncta Deo, quàm militans, quæ tamen dicitur Dei sponsa, Canticorum 4. *Hortus conclusus soror mea sponsa, &c.* illa vero quæ fiunt in terris, & maximè ad salutem pertinentia, procedunt à Deo, mediantibus Angelis, vnde subiungitur hoc loco, *Vsque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reuerteris? & placuit ante vultum Regis, & misit me, &c.* Tempus enim aduentus Christi, ad opus nostræ redemptionis, à Deo fuit præordinatum, ab æterno, & ab Angelis sanctis, in tempore, pro quanto sunt executores diuinæ dispensationis, ait Lyranus, cuius authoris menti consentaneum est quod statim versu 7. petit à Rege Nehemias, *Si videtur Regi bonum, epistolas det mihi ad Duces regionis trans flumen, &c.*

Duces trās flumen Angeli sancti.

Nimirum Duces isti possunt dici Angeli sancti, administratores eorum quæ fiunt hic inferius, vbi habitant homines, & dicitur Regio trans flumen, quia descendendo, est vltra locum aëris, in quo generantur nubes, & pluuiæ, vnde generantur flumina, propter quod locus iste, flumen causaliter potest dici: Epistolæ vero Christi, ad hos Duces sunt authoritas, & potestas Christo datæ, quibus Angeli obediebant ei, nota vox ipsius est Matth. 28. versu, decimo octauo. *Data est omnis potestas in cælo & in terra*, quam propriè ad rem nostram, transfert Diuus Paulus Hebræorum 1. vers. 16. his verbis, *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius*, hinc sequitur, *vt traducant me, &c.* Scilicet ministerialiter iuxta illud Matth. 4. *Angeli accesserunt & ministrabant ei*, sic autem reliqua

III. petitionis suæ argumenta subtexit Nehemias vers. 8. *Et epistolam ad Asaph, custodem saltus Regis, &c.* Per Asaph, qui interpretatur, proficiens, non incommodè significatur Spiritus sanctus, qui facit nos proficere, eo modo loquendi, quo dicitur, Romanor. 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, &c.* scilicet Spiritus sanctus, sanctificator est animorum nostrorum, incentor, & author omnis boni, sine quo præstare nihil dignum laude, nec opus bonum, ac studiosum inchoare, immo

A ne Dominum quidem Iesum dicere possumus, multo minus in bono perstare firmiter, aut in studio virtutis longius prouehi, vnde adiungit, *Vt det mihi ligna vt tegere possim portas*, per quæ possunt intelligi Spiritus sancti dona, quibus Christus texit portas Templi, id est, protexit Ecclesiam, vt muros ciuitatis, id est Apostolos, & eorum successores; cuius rei eximium, atque insigne, est Isaiæ vaticinium cap. 44. vers. 1. 2. & 3. propter quod, è contrario malis prælatis, dicitur Ezechielis 13. *Non opposuistis vos murum pro domo Domini*,

Spiritus sancti donis protexit Christus Ecclesiam.

B quod addit, *& domum quam ingressus fuero, &c.* per eam domum intelligitur, *Virgo beata quæ Spiritus sancti charismatibus præ cæteris fuit tecta, &c.* vt pote ordinata ab æterno, & verius, quam Templum Salomonis, *habitatio, præparata non homini sed Deo*, Verbique incarnati, in plenitudine temporis domicilium facta, nunc ad Nehemiæ, atque adeo Iudæorum, de restauranda Hierusalem cogitantium, hostes infensissimos sermonem conuertamus, & quinam tandem illi sint, qui in mysterio, sub literæ cortice lateant, detega-

Domus in quam ingressus Nehemias typicus B. Virgo.

C mus vers. 10. *Et audierunt Sanaballat Horonites & Tobias Ammonites, &c.* Per istos, vt opinantur nonnulli, intelliguntur Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi, qui Christum, & Apostolos impedire conati sunt, in ædificio ciuitatis Dei, quæ est Ecclesia, sicut patet ex decursu Euangelii, nos cum plerisque, alias, non semel, variis in locis, de hæreticis interpretati sumus, *Et contristati sunt*, inquit, *afflictione magna quod venisset homo qui quæreret prosperitatem filiorum Israel, &c.* Appositè ad sensum nostrum, contristantur hæretici, vt ait Beda, & omnes Ecclesiæ inimici, quoties electos, pro Catholica fide, vel mo-

Iudæorum aduersariis Hierosolymitana ciuitatis instauratione impedire molientes, Scribas olim, & Pharisæos, & huius temporis hæreticos ædificationi ciuitatis Dei quæ est Ecclesia, obsistentes repræsentant.

D rum correctione, quibus Ecclesiæ muri renouentur, conspiciunt laborare, hic porro notanda est animorum rerumque diuersitas, supra enim dicti sunt, qui de captiuitate remanserant, in Iudæa, in afflictione magna, & opprobrio fuisse, Nehemias quoque, longum, cum fletu, & precibus, duxisse ieiunium; quia murus Hierusalem dissipatus, & portæ combustæ: nunc autem, versa vice, hostes contristantur, & affliguntur, quia ædi-

ficia illius restauranda, & ciues ab insultatione hostium intelligunt liberandos, vnde, iam Euangelicæ lucis, ac veritatis illud, vel in vmbra deprehendere est, *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, &c.* Ioannis decimo sexto. Flente autem mundo, qui gaudebat, tristitia Iustorum vertitur in gaudium, cum res Ecclesiæ crescere, & eos, qui peccando errauerant, pœnitendo redire cognoscunt, sic Beda, sed rursum ad Nehemiam typicum redeamus.

IV. *Per tres dies quibus mansit Nehemias in Hierusalem tres anni significantur, quibus Christus prædicauit.*

Et veni Hierusalem, & eram ibi tribus diebus, &c. Tres dies, tres annos significant, iuxta Ezechielis 4. *Diem pro anno dedi tibi*, quibus Christus prædicauit, in Hierusalem, Metropoli Iudeæ & in locis circum adiacentibus, &c. *Et surrexi nocte, &c.* quidni hoc de se dicat Nehemias, & de Christo quoque scribitur, Lucæ sexto, *Et erat pernoctans in oratione Dei*, scilicet pro reparatione Ecclesiæ, quantum ad muros fidei, & virtutum, quam in rem facit concinnè, vehemens Nehemiæ ad populares suos adhortatio infra versu decimo septimo & decimo octauo, *Venite*, inquit, *ædificemus muros Hierusalem, & non simus vltra opprobrium & indicaui eis manum Dei mei quod esset bona mecum, &c.* Verba sunt Christi, ad suos discipulos, quibus eos ad ædificationem Ecclesiæ, per prædicationem, & vitam bonam, & hortatur, & inducit, sed obsistere conantur aduersarij, de quibus ante diximus, quo- A rum hæc, cum subsannationibus, & risu, verba sunt, *Quæ est hæc res quam facitis, numquid contra Regem vos rebellatis*, versu decimo nono; Allegoricè autem, hæc verba sunt, Scribarum, & Pharisæorum, Christo & Discipulis eius rebellionem imponentium. Primo contra Regem cœlestem, imponendo eis diuinæ legis transgressionem, vt patet in pluribus Euangelii locis: Secundo contra Regem terrenum, dicentes Pilato Lucæ decimo tertio, *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem dare tributa Cæsari, & dicentem se Regem* B *Christum esse*, at irritus illorum conatus est, vt ex adiecta mox responsione constat versu vigesimo, *Dixique ad eos, Deus Cæli ipse nos iuuat, & nos serui eius sumus, surgamus & ædificemus &c. Sic fecit dixitque, verus Nehemias propter quod non potuerunt Pharisæi & Scribæ, ædificium prohibere*, sicut dixit Gamaliel Actorum quinto, *Si ex Deo est hoc opus non poteritis dissoluere*, postremo quod hic subiungitur, & Nehemiæ sermonem concludit: *Vobis autem non est pax &* C *iustitia, & memoria in Hierusalem, &c.* Hoc dixisse Christus censendus est quantum ad illos, qui remanserunt in peccatis obstinati, qui sunt exclusi ab Ecclesia militante, & etiam triumphante, de qua dicitur Galat. quarto, *Illa quæ sursum est Hierusalem, libera est quæ est mater nostra, &c.* Et hæc strictim ac breuiter de Allegoria Capitis secundi. Ad Tropologiam veniamus.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis secundi.

Morale in illud vers. 5. *Si placet seruus tuus ante faciem tuam, mittas me in Iudeam, &c.*

Orantis dignitatem, & gratiam, apud Deum multùm conducere, ad effectum orationis consequendum.

VT cum Artaxerxe A hoc loco, sic præcedenti cap. vers. 11. cum Deo ipso, in morem supplicis agit Nehemias, iisque verbis, vtrobique, vt quo potissimum quisque moueatur, ad concedendum, quod ab eo verbis, ac precibus supplices efflagitant, intelligere se manifestè ostendat; sic enim ille supra: *Obsecro, Domine, sit auris tua attendens ad orationem serui tui, & ad orationem seruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum*: hic vero ad Artaxerxem: *Si placet seruus tuus ante faciem tuam, mittas me in Iudæam*, vbi quod notauimus in litera, quidam interpretes, sic exponunt hæc verba: *si placet*, id est, *quia placet seruus tuus*, nimirum contestatio hæc seruitutis, & obsequii, in perpetuum exhibendi ei, quem oras, magnam omnino vim orationi conciliat, ad impetrandum quod postulat: qui Domino gratus est, quiduis ab eo facile obtineat, immo, quid non eliciat, extorqueatue precibus suis, ab eo, cui placere se nouit, ab eo quem ipse amat, & à quo redamari se intelligit? vnde fidenter aiebat Nehemias: *Obsecro Domine sit auris tua attendens ad orationem seruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum*. Quod scilicet orantis dignitas, & gratia, spectetur à Deo, vel maximè, vt facilius, ac citius postulata conce- C dat: sic actionum suarum merita olim obtendebant Deum precaturi, atque ab eo summum aliquid impetraturi sancti Patriarchæ, ac veteres olim prophetæ; sic Ezechias 4. Reg. c. 20. vers. 2. & Isaiæ, cap. 38. vers. 2. & sequentibus, vt oratione sua imminentem sibi, iamque indictam supremi omnium Iudicis sententia morté propellere, aiebat: *Obsecro Domine, memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te, in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim*: quid porro in eam sententiam, hac voce illustrius: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*, Psal. 131. vers. 11. quo loco, siue Salomon, siue populus captiuus, loquens inducitur, certe ab authore, quiqui sit, Dauidis merita allegantur, vnde liquido constat, & manifestè elicitur, quanti referat, & maiorum sanctitas præcedens, & eorum, atque Sanctorum aliorum intercessio apud Deum, vel vt bona, quæ oramus impetrentur, vel vt ea quæ odimus mala longius à nobis auertantur: repete si voles, sacrorum Annalium monumenta, passim testatissimũ illud inuenies, lib 3. Reg. c. 11. Deus propter Dauidem seruum suum dixit, se conseruaturum regnum Roboamo, licet vehementer ad iracundiam prouocatum se assereret peccatis Salomonis, idemque ipsum repetit non semel 3. Reg. 15. & libro 4. cap. 8. sic quoque legimus Exodi 32. vers. 13. interpositam in vetere Testamento apud Deum intercessionem Sanctorum, vita functorum, vt à Moyse ipso, intercessionem Abraham, Isaac, Israel, siue Iacob: item à Daniele, Daniel. capite tertio, versu decimo tertio, quin & Moyses rursum Exodi, capite trigesimo quarto, versu septimo: & Hieremias, capite trigesimo secundo, versu decimo octauo, orantes Deum, sic

Deum orantes olim sancti Patriarchæ, & Prophetæ actionum suarum merita repræsentabant.

Quid sit quod dicitur Deus custodire, vel facere misericordiam in millibus, his qui diligunt eum.

præfantur. *Deus qui facis, vel custodis misericordiam in millibus, his qui diligunt te*: quoniam, vt notat D. Augustinus, quæstione 149. in Exodum, cum merita nostra nos grauant, ne diligamur à Deo, releuari apud eum illorum meritis possumus, quos Deus diligit: vnde Theodoretus etiam quæstione sexagesima septima in Exodū ait, cum se Moyses non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse patrocinia Patriarcharum: ac ni ita esset, nunquam profecto Deus per Prophetam olim dixisset. *Si steterit Moyses, & Samuel, non est anima mea ad populum istum*, Hieremiæ quinto, versu primo, quo loco notatur ab interpretibus, præ aliis nominari Mosem, & Samuelem, quia si sanctissimi fuerunt, & cum maximam populi curam haberent, tam potentes apud Deum, & in oratione tam efficaces extiterunt, vt eius irę resisterent orando pro populo, sibi licet ingrato, & rebelli, tantum scilicet ab omni æuo in orantium & dignitate, & sanctitate momentum constitutum est. Vis nosse amplius, quam dignitas deprecantis eius orationem commendet apud Deum? *multum valet deprecatio iusti*, ait Iacobus, capite quinto, versu vigesimo septimo eiusmodi suam esse optabat Regius Psaltes, Psal. 118. vers. 1[illegible]9. cum aiebat: *appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine*, quo loco, sic ad rem nostram percommode D. Ambrosius: *Volare facit orationem bona vita, & dat alas precibus spirituales, quibus Sanctorum ad Deum eleuetur oratio, sed & spiritus, quo oramus, subleuat precem iusti, maxime si corde contrito compatiens, eam commendet affectus: orationem ergo suam hic Psalmista dirigit in cælestia, mittit eam in conspectum Domini, dans illi flabra iustitiæ, sapientiæ flamina, remigia deuotionis, & fidei, innocentiæ, puritatisque subsidia, peccato enim grauescit oratio, & longe fit a Deo, tanto autem plus grauatur, quanto improbabilior est vita deprecantis: innocentum autem ascendit oratio, & gemitus compatientis affectus, si Ægyptum lutum oderint, & operari terrena declinent, legisti Exodi 1. quod Hebræorum, qui dura Ægyptorum imperia ferre non poterant, & vt grauia, ita & luculenta opera, indigna sui nobilitate generis recusabant, gemitus, & vox ascendit ad Dominum, ascendit enim oratio, quia & si operabantur tamen*

Moyses, & Samuel præ aliis maxime potentes apud Deum.

VI.

Bona vita dat alas orationi, & eam volare facit.

A *inuiti; descendebat ad illos Dei misericordia, quia illorum ad Deum ascendebat oratio.* Sic ille, do etiam clarius, in orante dignitatem attendi, spectarique à Deo, si Paulum attendis ad eiusdem Prophetæ vocem, eodem Psalmo, vers. 170. sequenti. *Intus deprecatio mea in conspectu tuo, &c.* Vbi Codices Græci habent: *intret in conspectu meo dignitas mea*, ἀξίωμα, & tunc sensus est, vt interpretatur, incognitus in Psalmos, quod dignitatem hominis Deus attendit, & ratione dignitatis ad misericordiam inclinetur: sicut homo nobilis generis in miseria positus, nobilitatem sui generis ostendit,

B vt facilius gratiam acquirat: sensum hunc, atque intellectum sequitur D. Ambrosius, cum addit explicans eundem locum, *nempe cum hominem rogas, Regem te dicis, vt eum tangat tua contemplatio dignitatis, vt, aut misereatur, si venia postulanda est, aut deferat pro ordine dignitatis. Recte ergo, & deuotus Deo dicit: intret dignitas mea in conspectu tuo: habet enim Christianus dignitatem suam, qui tanto Imperatori militat, sunt maximæ, & veræ fidei dignitates, sunt hominum diuersi, & apud Christum ordines, posuit enim Deus in Ecclesia sua, primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, sed illæ sunt ad ministrandum dignitates; sunt, & digni-*

C *tates priuatorum, vt est iustitia, pietas, sobrietas, castimonia, disciplina, sunt & orationis dignitates, si pro vidua rogas, si roges pro pupillo, pro misericordia, pro deuoto, & fide, si roges in tribulatione, si roges cū dolore, si mæsto, & ipse qui rogas cō patiaris affectu, intrat oratio tua in Dei gratiam, intrat in domum eius, si tecum Ecclesia deprecatur, si populus vniuersus implorat, vt Deus inclinet fauores.* Quare longe saluberrimum est, antequam oremus, in nos descendere, ac mentis nostræ sinum excutere, hoc est, peruidere, perscrutarique diligenter, quo in statu simus, nempe priusquam ad Deum aliquid petituri accedamus, de-

D bemus peccata, si quæ in nobis sunt, per pœnitentiam expellere, vt iam reconciliati cum Deo, eidem gratiores effecti, amice quoque loqui possimus: nam vt ait Clemens Alexandrinus 7. Stromatum, *precatio cum Deo, conuersatio, & collocutio est*, proindeque inter familiares, & amicos debet fieri, & supponere deletam offensam: hinc præclare D. Augustinus, libro de perfecta Iustitia, ad Iulianum comitem.

Vir nobilis in miseria positus, nobilitatem sui generis ostendit, vt facilius ab eis subleuetur, & gratiam acquirat.

In homine Christiano varii dignitatum gradus considerandi. Quæ sint propriè orationis dignitates.

VII.

Cum oratio conuersatio sit, & collocutio cum Deo, inter familiares, & amicos fieri debet.

Sicut, inquit, *est quoddam genus serpentum, quod quando accedit ad fontem ad bibendum, prius deponit venenum, sic qui ad fontem misericordiæ, aliquid petiturus accedit, prius peccati virus deponat, necesse est*, & Laurentius Iustinianus lib. cuius titulus est, Lignum vitæ, cap. 4. *Sicut nullum*, inquit, *medicamentum proficit, donec ferrum latet in vulnere, ita nihil prodest illius oratio, cuius voluntas versatur in scelere, videmur enim dum adhuc sumus in peccatis, plenas sanguine manus extollere in sancta, & habentes arma nequitiæ, & offensionis, Regem offensum deprecari*, Vnde, iam supra citatus, Augustinus Homil. 4. ex libro 50. Homil. in hanc sententiam sic commode concludit, *recte nouit viuere qui recte nouit orare*, nec tamen, id à nobis, eo dictum putetur, quasi Deus orationes eorum, qui in peccato sunt, non exaudiat, nam sæpe numero peccatores audit Deus, non solum cum veniam peccatorum postulant, quam semper Deus paratus est concedere, sed etiam, cum alia petunt, quæ non ad corpus, sed ad animam pertinent, vt post Augustinum, tractatu 44. in Ioannem passim omnes consentiunt Theologi duce Angelico Doctore 2.2. quæst 83. artic. 16. sic enim eo loco docet a Deo peccatores exaudiri, si nimirum petant, non vt peccatores, sed ex bono desiderio, & cum his conditionibus, nempe si pro se petant, si conducibilia ad salutem petant, si piè petant, hoc est, cum fide & spe, & cum pio desiderio, placendi Deo, atque adeo per talem orandi actũ, qui ex se sit aptus vt procedat, ex charitatis habitu etiamsi nondum actualiter ab illo procedat, vt recte exponit D. Thomas, artic. citato, ad 2. denique si perseueranter, quatenus necesse fuerit petant, quod in exẽplo Publicani, Zachæi, Magdalenæ, latronis, in cruce, tam illustre est, vt pluribus illud confirmari, omnino superuacaneum sit, atque adeo reiiciendus etiam error est, 26. Vuiclephi, condemnatus in Concilio Constantiensi sess. 8 scilicet, orationem præsciti, nihil valere, nam sicut potest præscitus, pium quandoq; desiderium habere, immo etiam esse in gratia, & ad eam se præparare, ita etiam potest piè & efficaciter orare, quod si peccatores non piè, id est non ex bono desiderio, sed quatenus peccatores quidpiam petant, id est ex malo, aut cum malo desiderio, sic nunquam exaudiuntur ex misericordia, aliquando tamen exaudiri possunt, ac vero exaudiuntur ex ira, & in vindictam, iuxta illud Augustini, tract. 73. in Ioann. *Si hoc ab illo petitur, vnde nemo lædatur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus*, eo referuntur vulgata hæc, & in concionibus vsu quotidiano contrita Scripturæ loca 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos quicquid petierimus, accipiemus ab eo*, Psalm. 65. iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus, Prouerb. 28. *Qui declinat aures suas ne exaudiat legem, oratio eius erit execrabilis*, Isaiæ cap. 1. *cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*: quæ omnia constat intelligi debere formaliter, de orationibus peccatorum, quas vt peccatores fundunt, id est, quæ peccatum eorum, per prauam intentionem vel aliam malam circunstantiam participant, alioquin peccatoribus etiam diuinum numen propitium exhibet sese, orantibusque indulget, sed licet Deus, pro sua qua supra omnium sensus, & cogitationes, in infinitum excellit, atque eminet bonitate, peccatores orantes exaudiat, si tamen gratiæ decorem iam habeant, simulque preces effundant, & pronius & libentius exaudiat, nimirum tunc, & facies & vox orantis Deo grata existit, facies propter puritatem, vox propter confessionem, hinc illud Psaltis Regii Psalm. 96. *Confessio & pulchritudo in conspectu eius*, vnde & sponsus Cant. 2. sponsæ dicit, *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies tua decora*, delectatur igitur Deus, ea voce orationis, quæ à pulchra & decora anima procedit quam vetus, tam notum, est illud Poëtæ verbum,

Gratior & pulchro veniẽs in corpore virtus,

quod ego sic ad rem nostram trãsferre gratior itidẽ & oratio, quæ à pulchra & sedata anima, trãquillitate gratiæ proficiscitur: ex quibus tandem intelligimus, vt orationes nostræ vim suã exerant apud Deum, optatumq; finẽ consequantur, indagãdum esse primo quid petatur, qua vita qua deuotione, quo mentis affectu (in Deum) quam bene cum eo tibi sit, quid demum, ipse illius causa facias, cum ab eo aliquid tua causa fieri postulas, si vis cum Deum oras, eum exorare, vide quid à te vel suo, vel proximi ore, iure suo reposcat

Recte nouit viuere qui recte nouit orare, ex sententia D. Augustini

Quomodo, & quibus conditionibus, etiã peccatores exaudiuit Deus.

Error Vuiclephi damnatus ab Ecclesia orationem præsciti nihil valere.

Peccatores cum orant quatenus peccatores non exaudiuntur ex misericordia sed sæpe exaudiuntur ex ira & in vindictã.

Et vox & facies orãtis grata Deo esse debet.

VIII.

poscat Deus, & ei liberaliter concede, A in bonis operibus totus versare, ad illius nutum voluntatemque, totum te effinge, nosti quid scriptum sit, *Voluntatem timentium se faciet*, Psalm. 144. *omni petenti te tribue*, ait ille Luc. 6. v. 30. quid tu porro? erga orantem, quemadmodum tandem affectus es? orans quilibet, à te repulsam patitur, nec auditur, tu exaudis, aut ambis, aut speras, cum à Deo precibus aliquid efflagitas & iniquè & inconsideratè facis, certe cum te sic geris erga proximum, Dei ipsius vices gerentem, nihil æquius aut commodius faciat Deus, quam vt te voti tui minus compotem dimittat, nec ad te accedat, qui ab eo recedis lōgissime, vis orationem tuam, Deo appropinquare, quod ante optabat Propheta? Deo ipse appropinqua; vis scire, quid sit appropinquare Deo? audi ex authore iam supra citato D. Ambrosio in illud, *Appropinquet oratio mea in conspectu tuo*, *ex vsu sermonis*, inquit, *consideremus quid sit appropinquare Deo*, *constitue magistrum, atque discipulum, si discipulus, studiosus magistri vel transit ingenium, vel praeceptum intendit itaut ad similitudinē eius operis, atq; doctrina, proxime videatur accedere, nōne dicimus, quod appropinquet magistro? & tu si imitatorē te prabeas Christi, si dolum nescias, si mendacium oderis, si veritatem sequeris, iustitiam non fugias, diligas castimoniam, appropinquasti Christo, & per Christum Deo, quid est ergo Deo appropinquare orationem nostram, nisi actus nostros leuare ad Deum; si eleuas actus tuos, eleuasti orationem tuam, qui nouit eleuare manus* B *suas, dirigit orationem suam in conspectu Domini, hac est oratio ad vitam*: addam ego, coronidis loco, sic orauit Nehemias noster, sic Hieremias olim, pro populo, sic Prophetæ omnes, sic sancti quique, sic postremo orandum, nobis est, vt certi simus quodammodo, ac spe non dubia sustentemur, consecuturos nos quod à Deo seu pro nobis seu pro aliis postulamus.

Qui alios non exaudit Dei nomine orantes à Deo etiam non exauditur.

Quid sit appropinquare Deo orationem nostram.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis secundi.

Mysticum & morale in illud, *Egressus sum per portam vallis nocte, &c. vers. 13. vsque ad 20.*

Quanta sollicitudine Principes Ecclesiastici spiritualibus debeant inuigilare & seculares temporalibus.

IX.



ADVERTENDVM hic Nehemiam neque tempori, neque labori pepercisse, quo minus vrbem semel, atque iterum visitaret, nam & nocturno tempore, totam obiit, & semel obitam, iterum perlustrauit. *Egressus sum per portam vallis*, inquit, vers. 18. & infra vers. 15. *Ascendi per torrentem nocte, & reuersus veni ad portam vallis, & redij*. Attende hominis diligentiam, expende sedulitatem in obeundo munere, Nehemias autem, vt ex Superioribus constat, Dux & Sacerdos fuit, licet tùm vt apparet Ducis tātum munere fungeretur, & rem duntaxat ciuilem ac politicam procuraret: sed fac tantum Ducem aut saltem Ducem hic tantum non Sacerdotem agere dum ciuitatem obit lustratque diligenter, si Principes sæculares tantam rerum sæcularium, & temporalium curam habent, quan- C tam spiritualiū, Ecclesiasticos habere par est &c. Certè ad hunc locum, satis illustris est venerabilis Bedæ mystica interpretatio, siue mauis applicatio, lib 3. cap. 17. *Doctorum*, inquit, *spiritualium est, sapius nocte surgere, ac solerti indagine statum sancta Ecclesia, quiescentibus cæteris respicere, vt vigilanter inquirant, qualiter ea qua vitiorum bellis sordidata siue deiecta sunt, castigando emendent, & erigant*: & post paulo, inuehitur in eos, qui spirituales suarum Ecclesiarum ruinas intuentes, ad eas reparandas, non festinant, non accurrunt, sed relicto, inquit, veritatis magisterio, communi cum cæteris ignauia torpent, & temporalibus curis inseruiunt, contra quam præscribit Aposto-

Prælatorū est spirituales subditorum suorū ruinas intueri

& ad eas reparandas animũ appellere.

lus 2. ad Timoth. 2. verſ. 4. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus,* præſcribit inquam non omnibus Chriſtianis & ſæcularibus, vt volunt nonnulli. Hi enim neceſſario, & ex officio, tractare debent negotia ſæcularia, ſed Timotheo Epiſcopo, & conſequenter omnibus Epiſcopis, eorumque aſſeclis, puta Paſtoribus, Sacerdotibus, Clericis quippe qui, toti ſacrificiis, & orationibus, templique miniſteri s, ac verbo Dei inſiſtere debeant, ideoque abſtinere à negotiis ſæcularibus. ita Chryſoſtomus, Ambroſ. & alii: Et quidē eos typicè olim adumbrarunt, Leuitę veteris Teſtamenti, qui in diuiſione terræ, nullam eius partem, atque, vt aliæ tribus, acceperunt, ne terrenis & ſecularibus negotiis implicarentur; ſed vt toti vacare poſſent Deo, & Templo, ideoque portio eorum hęreditaria erat. Dominus, id eſt decimæ, primitiæ ac victimæ, Domino oblatæ: hæ enim cedebant in vſum Leuitarum, vt inde viuerent, ne aliunde victum ſibi comparare, & de eo ſolliciti eſſe cogerentur: quare multo etiam potiori iure, in nouo Teſtamento, in lege gratiæ, atque adeo in ipſa Euangelii Luce, Principum Eccleſiaſticorum cura omnis, ac ſollicitudo ad ſpiritualia transferenda eſt. Hinc primi Sacerdotes, & ſummi Præſules, in Eccleſia, Epiſcopi dicuntur, & ab inſpectione, ſeu conſideratione, ἀπὸ τῆ σκοπεῖν ſeu ἐπισκοπεῖν, nomen ipſi ſuum ſortiuntur, quod ſcilicet vigiles illos eſſe & ſollicitos oporteat, ſuper gregem ſuum, quod ſemper intentis oculis, vultum pecoris ſui diligenter & inſpiciant, & agnoſcant, ſi munere ſuo rite perfunguntur: munus autem atque officium illorum ſeu Epiſcopatus nomen, Hebraïce non ſine myſterio, ab inſpectione quoque ipſa, & viſitatione deducitur, hinc Pſalm. 108. verſ. 8. de prolapſione Iudæ, cum de Apoſtolatu ſummotus eſt, dicitur, *Et Epiſcopatum eius accipiat alter*, Hebraicè *pecuda*, quod alii vertunt, *Et viſitationem eius accipiat alter*, quia nimirum, vox illa præfecturam, munus, functionem, præpoſituram, officium, dominium, curam viſitandi, & ſingula quæq; inſpiciendi ſignificat, quod, vt ait Caſſiodorus, non tam honoris quam oneris eſt: vt merito dicat Apoſtolus, *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, bonum opus; id eſt arduum,

Eccleſiaſticis præſcriptiones ab Apoſtolo vt ſe negotiis ſæcularibus non immiſceãt.

Per Leuitas veteris Teſtamenti adumbrantur qui in diuiſione terræ nullam eius partem vt aliæ tribus acceperũt.

X. Illorum cura omnis ad ſpiritualia eſt transferenda.

Nomen Epiſcopi ab inſpectione ſeu conſideratione.

A difficile, laborioſum, vt paſſim in eum locum obſeruant Interpretes. Ex vocabulo igitur Epiſcopi colligitur, eo minus dignum eſſe, qui non reſidet in Diœceſi, quia ſcilicet nemo abſens, atque à grege ſuo longe diſſitus, conſiderare, inſpicere, ſuperintendere, vigilare, excubias agere poteſt; Porro, & hic obſeruare conuenit, Nehemiam, non ſolum pulchra & ſublimia loca, Hieroſolymæ obiiſſe, ſed etiam humilia & abiecta qualis erat porta Stercoris, vt citato loco dicitur, ſeu ſterquilinii vt cap. 3. ſequenti verſ. 13. appellatur, ſic vocari ſolita, quia per illam, Lyrano

B interprete, quod in expoſitione literæ ſignificauimus, totius vrbis fæces & immunditiæ egeri & exportari conſueuerant, vt ab eius exemplo diſcant, hinc Eccleſiaſtici Principes & Prælati, infima quæque vt abiectiſſima ſuæ Diœceſis oppida pauperum tabernas, viduarum caſulas, ægrotantium domunculas viſitare, vt omnes vndique corporum & animorum miſerias tam corporalibus, quam ſpiritualibus auxiliis eluant & abſtergant. Et quidem omnino, iuxta prædictam, ſuperiori capite Dionyſii Carthuſiani Myſtagogiam diuinæ legis æmulator ſeu myſticus

C Nehemias (vt ait idem ille author) cupiens reformare Eccleſiam, debet omnes eius ruinas, deformitates, & abuſiones conſiderare, & qualiter poſſint, ac debeant reformari perpendere, ſicque ſecreto ſuo, ad tempus opportunum abſcondito, debet ſibi viros idoneos aſſociare, ac ſuum propoſitum inſinuare eiſdem, & ipſos hortari, vt ſibi cooperentur, & aſſiſtant, ad reformandum collapſa; & vt confidant in Domino, certi de adiutorio eius, dummodo quod in ipſis eſt, fecerint, & ne timeant aduerſarios boni communis,

D immo parati ſint pro Deo, pro æquitate, pro proximorum ſalute, & pro bono communi perſecutiones pati ac mortem ſubire. Hactenus Carthuſianus, qui cum tractationem hanc moralem concludere licet appoſitè. Cæterùm de Epiſcopi etymologia, & officio plura ſi voles lege apud S. Auguſtinum lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 11. & lib. 32. contra Fauſt. Sanctum Gregorium lib. 6. epiſt. ad Cyriacum, Sanctum Hieronymum epiſtol. ad Euagrium, Iſidorum 3. ſent. cap. 33.

Minus digne Epiſcopi nomen gerere qui non reſidet in ſua Diœceſi nec vigilat ſuper gregem ſuum.

Epiſcopi eſt etiam infimaquæque oppida viſitare.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis secundi.

Morale in illud, item vers. 13. *Et considerabam murum Hierusalem dissipatum, & portas eius consumptas igni.*

Pronum iis ac facilem esse aditum, ad emergendum ex statu conscientiæ, per peccatum, è gratia Dei deiectæ, ac disturbatæ, qui status illius ruinas ingentes, sordesque ipsas, & miserias diligentius contemplantur.

XI.

D literam, vt constat ex ve bis è textu huc adductis, diuersa destructæ vrbis loca, lustrando, peruagatur Nehemias, & singula quæque, quomodo resarciri, ac reparari debeant sedulo inuestigat, & sollicitè perscrutatur; in mystico sensu, seu Allegorico, per hoc significatur, vti mox annotauimus Doctorum spiritualium esse, solerti indagine, inspicere, & vigilanter inquirere, quomodo ea quæ vitiorum bellis B sordidata, vel deiecta sunt, corrigi, atque in pristinum splendorem restitui queant; sed morale est, & ad instituendos animos, ad virtutem, peridoneum, quod hinc intelligas, consultissimum esse, sollicitè, ac diligenter, considerare ruinas Hierusalem mysticæ, ac propius intueri sordes internæ ciuitatis nostræ, id est conscientiæ, vt cito, de ea reparanda, atque ad meliorem statum erigenda, consilium capiamus; firmanda huic tractationi morali, aditum faciet, qui in eo C genere eximius est Seneca, epist. 28. *Initium est salutis, notitia peccati egregiè mihi hoc dixisse videtur Epicurus; nam qui peccare se nescit, corrigi non vult, deprehendas te oportet, antequam emendes, ideo quantum potes teipsum coargue, inquire in te, qui sibi nequam cui bonus*, ait Sapiens Ecclesiastic.

Initium salutis notitia peccati atque adeo in nos diligenter inquirendum.

A cap. 14. vers. 5. ego vero, quis sibi bonus aut aliis, qui nec sui misetetur? quis sui misereatur, qui se miserum nescit: quis se miserum sciat, qui miserias suas nec videt, nec agnoscit, nec agnoscere vnquam, nec intueri amat? profectò, eius indolis, atque ingenii peccator est, quamdiu in peccatorum sordibus delitescit, nec exiis, emergendi rationem vllam vnire contendit; Quam porro, aut faciliorem, aut promptiorem ineas, aut inuenias, sedula ac diligenti consideratione lapsus tui, si exurgere voles, atque eo B rursum ferri vnde cecideris? quod si te, nec lapsum vsquam putas, aut cogitas, si te iacentem, & saucium non vides, ac demum si te conditionis tuę, abiectæ licet, ac perditæ, nec piget, nec pudet, æger es, desperatæ valetudinis, *Insanabilis est fractura tua*, quod aiebat olim, eodem morbo laboranti Propheta Hierem. 30. vers. 12. nemo tam pestilenti malo, medicinam faciat; nemo vulneribus suis medeatur, accisæ sunt res tuæ, verbo dicam, salus tua profligata est, pessimum geC nus ignorationis, ignoratio sui, vt varii passim, variis in locis, edisserunt, cum prophani tum sacri authores, & quidem Plato in Philebo, ignorantiam sui vocat, *Genus probitatis vniuersæ*, quis abnuat? præclarè omnino, ex eo enim, sic tanquam ex turbido fonte scaturiunt, omnes impuræ actiones, quibus hominum mentes conspur-

Desperatæ valetudinis est qui se iacentem & saucium nec videt nec sentit.

XII. *Pessimum genus ignorationis ignoratio sui.*

cantur, contra vero, idem ipse, in amatoribus, contendit, *nosse se ipsum, esse, absolute sapere, & ab eo, omnem vitæ sapientiam, iustitiamque pendere*, in Alcibiade priore, *Nec prudentem, nec bonum, nec fælicem esse posse, qui seipsum non probe norit*, in Charmide, *sine sui notitia, neminem posse esse temperantem*, in quo sapientum omnium voces, omnium dicta & cogitata consentiunt, hinc præclarè quoque Xenophon, in hanc sententiam, lib. de factis & dictis Socratis scribit, propter cognitionem sui, homines multorum sibi, ac aliis bonorum, authores esse posse, contra vero, multorum malorum ob sui ignorantiam, quique se ignorant, neque ad regimen sui, neque ad familiæ, aut reipublicæ gubernationem idoneos esse, sed in prophanis Authoribus immorari diutius non vacat, D. Ambrosius Psalm. 118. Serm. 2. *Attende*, inquit, *tibi ipsi*, vt est in Deuteronomio cap. 5 vers. 9. iuxta 70. *πρόσεχε σεαυτῷ, ne fiat verbum absconditum in corde tuo, tibi*, inquit, *attende, non vtique dicit, pecuniæ tuæ, possessionibus tuis, non viribus corporis, sed animo tuo, & menti tuæ, tibi attende, tibi, vbi, potiorem esse te nosti*, vnde & Salomon, oraculum diuinum secutus, scripsit in Canticis Canticorum, cap. 1. vers. 7. *Nisi scias te, decora inter mulieres, abi, hoc est, nisi cognoscas te mortalem, rationalem; & cito peccata tua fatearis, cito dicas iniquitates tuas, vt iustificeris, nisi conuertaris, & prior accuses delicta tua, veniet dies mortis*, & iam nullum conuersationis remedium est, præueneris dum non cogitas eodem recidit, quod sanctus Hieronymus, vel potius Origenes tractans eundem locum, Cantici Canticorum, Hom. 2. in Cantica, fusius edisserit, his verbis, *Nisi cognoueris temetipsam, ò pulchra inter mulieres, & agnoueris pulchritudinis tuæ causas, iubeo te exire, & in vltimis gregum vestigiis collocari, & iam non oues, neque agnos, sed hædos pascere, illos scilicet qui pro prauitate & pro lasciuia, à sinistris staturi sunt Regis in iudicio præsidentis*, D Basilius, Homil. 3. in illud iam proximè citatum, *attende tibi ipsi, Exacta*, inquit, *& diligens tui ipsius consideratio, viam tibi præstruit, ad cognitionem Dei*, & paulo post, *attende itaque tibi vt attendas Deo*, primum igitur, id nobis muneris, atque officii incumbit, & à natura, velut imponitur, vt in nos ipsos, ac vitia no-

Qui se ignorant nec ad sui nec ad aliorum regimen aptos esse.

Explicatur locus Cant. 1 v. 7 Si ignoras te ò pulcherrima mulierum abi, ac cognitione sui & peccatorum suorum necessaria.

Astra, serio, ac sedulo inquiramus, *Volo animam primo omnium scire seipsam*, ait D. Bernard. in Cant. Serm 37. *Quod postulat ratio vtilitatis, & ordinis & ordinis quidem, quoniam quod nos sumus, primum est nobis, vtilitatis vero, quia talis scientia non inflat, sed humiliat*; Meministi Ionam, olim Prophetam, cum fugisset à facie Dei, & imperium illius declinasset, exorta graui tempestate, toto exæstuante Oceano, ac demum culpam ipsius vindicante numine, ipsum de salute sua periclitantem, atque adeo naufragio iam proximum,
B altum in fundo maris dormiisse, *facta est tempestas magna*, inquit Scriptura Ion. 1. vers. 4. *nauis periclitatur conteri, timent nautæ, clamant ad Deum suum, nauim exonerant, & Ionas dormit sopore graui*: prope est vt pereat, qui vindicem Dei manum crimine suo accersiuit, prope est, vt in profundum maris mergatur, nec tamen videt ipse, nec sentit, nec de auertẽdo discrimine cogitat, quia nimirum alto sopore deprimitur, en tibi graphicè depictam & adumbratam hominis in Deum peccantis imaginem, qui cum non longè ab extrema pernicie sit, eam non auertit, quia nec videt, nec sentit, nec
C causam illius pœnitendo recognoscit, hic sicubi, alias, periculosus animæ sopor est; audi S. Gregorium lib. 25. Moral cap. 7. *Cum enim secura mens relinquitur, in quodam sensu torporis sopitur, quia sui negligens, & propositum rebus insensibiliter perdens, a forma prioris fortitudinis dum nescit, senescit*, vnde & per Prophetam sub Ephraim specie dicitur, *comederunt alieni robur eius & nesciuit, sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit, cum vero semetipsam quærit, & subtiliter pænitendo se discutit, ab ipsa hac vetustate sua, tota lachrymis, & mærore incensa renouatur*; Sic ille. Ex quibus intelligimus vni-
D uerso hominum generi, longe omnium pessimum ignorationis genus esse, ignorationem infirmitatis suæ, fœditatisque vitiorum, in quibus hærere non reformidant, sciat itaque seipsum homo, si quidquam sapere vult, & si se ipsum nouerit, oderit se ipsum, & si se ipsum vti par est sancte oderit, noueritque, castiget quoque, & emendet, in eam rem, sic præscribit Augustinus, aut certè apud eum, Author libri de Spiritu & Anima, *Necesse est, vt vitam nostram ad iudicium vocemus, & examinemus*

Patientia sui ipsius non inflat, sed humiliat.

Ionas dormit in naui, imago peccatoris peccata sua non cogitantis.

XIII.

Periculosus animæ sopor.

Qui quidquam sapit seipsum nouit, si nouit odit, si odit, castigat & emendat.

quanto ad bonafacienda solito alacriores, & quanto ad mala vincenda solito constantiores, sine aliquo opere nostro, insidiis inimici supplantati simus; qualiter demum, per indicium transactæ deceptionis, futuram illius fraudem cauere valeamus, quisquis cor suum in huiusmodi studio exercet, audiat, quid quidam Sapiens dicat: scito te ipsum, idem ibidem, & libro 4 de Trinitate, cap. 11. *Laudabilior est*, inquit, *animus cui nota est miseria sua, quam qui ea non aspecta, vias syderum, & naturas rerum scrutatur.* Nempe qui damna sua, & iacturas pensat, enucleatius facile excitatur ad studium ea resarciendi, quorum iacturam fecerit, qui se, suaque, atque adeo omnia, quæ ipsius curæ commissa sunt, sæpe ad examen reuocat, & qui sit ipse, quid ipsi accesserit, aut decesserit, quid fecerit boni, maliue, quid iacturæ, aut compendii, aut in quo tandem profecerit, aut defecerit, melius nouit; & ad reddendas vitæ suæ rationes paratiorem in dies exhibet, se se; ac tandem, si opus est, eo facilius, vnde digressus est, gradum reflectit: *cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos*, ait Psaltes Regius Psalmo centesimo decimo octauo: Sanctus verò Gregorius libro trigesimo quinto Moral. capite decimo quarto, versans illud Prouerbiorum, cap. 12 vers. 5. *Cogitationes iustorum iudicia*, sic ait, *accedunt, iusti scilicet, ad secretarium iudicis intra sinum cordis, considerant, quam districte, quandoque feriat, qui patienter expectat*, metuunt in his, quæ se egisse meminerunt, & puniunt flendo, quod perpetrasse se intelligunt. Iam verò sanctus Bernardus explicans illud Cantici Canticorum: *tempus putationis aduenit*, Serm. 58. post nonnulla de acri studio, in vitiis amputandis adhibendo, sic ait, *tolle superflua, & salubria surgant, vtilitati accedit quod cupiditati demis, scrutemur*, iuxta Prophetam Thren. 3 vers. 40. *vias nostras, & studia nostra, & in eo, se quisque iudicet profecisse, non cum non inuenerit, quod reprehendat, sed cum quod inuenerit reprehendet, tunc tu non frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio aduertisti, & toties te non fefellit inquisitio tua, quoties iterandam putaueris, si autem semper hoc, cum opus est facis, semper facis.* Vis scire quid proxime fecerit, vt è fæce impura, & luculento vitiorum cœno, in quo diu, multumque demersa olim iacuerat

Qui damna sua pēsat diligētius facile excitatur ad ea resarcienda.

Nūquam à scrutando, inquirendoque in nos cessandum.

XIV.

A Magdalena, quamprimum emerserit? dicam paucis fæcis ipsius impuræ intuitus, & cum acri animi morsu, sordium quibus inficiebatur aspectus: audi D. Gregorium tomo trigesimo tertio, in Euangelia: *quia turpitudinis suæ maculas aspexit, lauanda ad fontem misericordiæ cucurrit*, hoc est, periculosi, damnandique æternum status, in quo erat, ne quamprimum emergeret seria contemplatio, fecit, vt quæ antea multis criminibus sordidata fuerat, defluente in eam largius gratiarum fonte, illico repurgaretur, & quæ diu, multumque ægra iacuerat, ei B tandem in integram sanitatem restitutæ, à Christo diceretur, Luc. 7. vers. 5. *Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Placet ex sexcentis, in eandem materiam exemplis: alterum quoque è veteri instrumento, in medium huc adducere. Prophetam appello, gentis suæ olim calamitatē publicam spectātem ægrè, dolentemque acerbissime; *Ego vir videns paupertatem meam*, aiebat Hieremias, Threnorum cap. 3. vers. 1. suo, suorumque nomine, scilicet vt se, popularesque suos, ad diuinæ miserationis fructum capiendum, colligendumque, melius disponens; videt, intuetur ipse, & agnoscit magno C cum dolore, ac peracerbo animi sui sensu, paupertatem suam, infirmitatem suam, defectus suos, suorumque, ac peccata olim admissa, quibus vindicem Dei manum in se prouocarunt, hæc intuetur, ad quorum aspectum, cum exhorruerit, flens postmodum, & eiulans virgam indignationis Dei qua suos feriri agnoscit, ab eorum ceruicibus auertat; Threnos quæso, & lamentationes eius percurre, ac vide, & tecum ipse considera: an non totis capitibus, instar Nehemiæ, ruinas vrbis Hierusalem vastatæ ab hostibus, & D murum eius dissipatum, disiectumque considerat: vide an non in eorum persona, qui diuinum ipsi numen offenderant, & peccatum agnoscit, & causam luctus sui in peccatum refundit, vt ægris animis medeatur, horrorem criminis incutiendo, ex quo primum, animorum ruina, ac pernicies, & postea vrbis ipsius Hierusalem conflagratio, atque adeo totius Iudææ depopulatio, consecuta est: *effundit quasi ignem indignationem suam, factus est Dominus velut inimicus: præcipitauit omnia mœnia, dissipauit munitiones, dissipauit quasi hortum tentorium suum,*

Magdalenam è cœno vitiorū eduxit turpitudinis vitiorum ipsorum intuitus.

Hieremias videt, & agnoscit peccata sua, & peccata populi considerat, & luget Hierusalē dissipatam, vt facilius Deum inflectat ad eā instaurandam, & resarciendam.

demolitus est, Tabernaculum suum, A addit illico, *Nos iniquè egimus, & ad* inquit ille Thren 2. 5. & 6. vides vt murum dissipatum, & oculis, & animo contemplatur? Vide spectantem ruinam animorum, vt pœnitendo, si possit, reparet, & restituat in integrum, aliquando; *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est*, Threnorum 1. vers. 8. audi rursum prouocantem ad pœnitentiam Hierusalem ipsam, vers. 18. & 19. *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui, consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum effunde sicut aquam*, cor tuum ante conspectum Domini, sed vnde tam salutaris pœnitentiæ motus, in animos uxorum illabetur tandem, aut ex qua radice spes est, vt prodeat? ex criminum suorum consideratione, fructum illum expectant, audi vers. 40. & sequentibus, *Scrutemur vias nostras & quæramus, & reuertamur ad Dominum, leuemus corda nostra cum manibus, ad Dominum, in cælos*, quid ad rem nostrã expressiuus?

iracundiam prouocauimus, idcirco inexorabilis est, vides quemadmodum sciè atque industriè interiorem conscientiæ murum dissipatum, considerat, quod nihil ad pœnam criminis diluendam, nihil ad offensi numinis flectendam iracundiam, nihil demum ad ruinas animorum, quas ipse intuebatur reparandas, commodius esse intelligeret, quare sic, licet concludere, quiquis sis quem salutis alienæ procurandæ zelus ardens inflammat, vbicunque, iacenti, ex lapsu in peccatum, animæ, atque ægre habenti, opitulari B voles, dic ei tantum & uade vt videat, & consideret, quam facta sit vilis, vnde & quo deiecta & depressa sit, quam altè impresso vulnere saucia sit, quam fœde ac miserabiliter è libertate in seruitutem delapsa, & viam ei compendiariam ad gratiam sanantem recuperandam præstruxeris, prope est vt dicam, salutem ei suam certam feceris.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA
Capitis secundi.

Morale in hæc verba vers. 20. *Reddidi eis sermonem, dixique ad eos; Deus cæli ipse nos iuuat, & nos serui eius sumus, surgamus & ædificemus, &c.*

De vano hominum timore expellendo & fortissimos quosque aduersarios minus reformidandos, vbi diuinum adest auxilium, aut de eo certam spem concipere iubemur.

XV.

ACRES admodum, vt ex contextu liquet, ac præfractæ supra quam credi C possit, & obstinatæ mentis aduersarios, habent Iudæi, dum de reædificando muro vrbis Hierusalem cogitant, inter se, & ad opus animum appellunt, ædificantibus quidem, obsistere vehementer conantur, ex Samaritanis principes nonnulli, sed obsistentibus ipsis, vehementius reluctatur Nehemias, murumque opponit se se, pro domo Domini, & ciuitate sancta, quia & hostium omnium (quod maximè mirandum est) inimicas voces comprimit, & malignos conatus retardat, hac vna voce, *Deus cæli ipse nos iuuat, & nos serui eius sumus, &c.* sed quorsum tandem spectant hæc verba? *Deus cæli ipse nos iuuat, &c.* &

Nehemias opponit se murum pro domo Domini dum obsistentibus ædificationi Hierusalem resistit vehementius.

quid inde consequitur: vis scire, audi, A ex Interprete, *Deus cæli nos iuuat*, quid tum inquies? & ideo non debemus vos timere, exponit Lyranus; omnino egregie ad rem propositam, tota hac morali dissertatione illustrandam, nimirum, qui Deum præsentem sibi, suisque actionibus cogitat, non facile cuiusquam rei, vel etiam per sese admodum formidolosæ metu perceellitur, *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper quoniam à dextris est mihi ne commouear*, ait Regius Vates, Psalm. 15. vers. 8. qui videt, se, velut *in adiutorio altissimi habitare*, & dum B opus moliri quantumuis arduum satagit, *in protectione Dei cæli commorari*, quis ei quidquam iure reformidandum putet? hoc clypeo tectus B. Paulus in prædicando Dei verbo, hoc est, in fide Christi stabilienda, erigendaque, omnem timorem Principum, & quorumuis aliorum, à se longissime abiiciebat, vnde, vt est in Actis Apostolorum, cap. 27 vers. 11. cum periculum esset, ne discerperetur à Sadducæis. *Sequenti nocte*, inquit Lucas, *assistens ei Dominus ait, constans esto; sicut enim testificatus es de me in Hierusalem,* C *sic te oportet & Romæ testificari*: in Epistola vero altera ad Timotheum, cap. 4. vers. 16. ipse de se ita scribit: *in prima defensione nemo mihi affuit, Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur*, quasi dicat, vt Ecclesia Christi propagetur, excitetur que apud gentes, & sic tanquam Hierusalem mystica ad suam altitudinem perducatur: quæ loca sancti Patres etiam de visibili præsentia Christi intellexerunt, eadem de causa, in summo cum dæmonibus certamine, sancto Antonio astitit Christus, eiusque vulnera persanauit, vti notat in D eius vita Athanasius, sed nec opus est, ad animos nobis addendos in periculis, aut in rebus difficillimis aggrediendis, visibili, ac præter solitum conspicua ad oculos Christi præsentia, cum aliunde de eius ope, atque auxilio certi, & securi sumus: nemo itaque, vnus ex toto hominum cœtu pertimescendus est, quantumuis potens, ac fortis: vbi aduersus illius vires, ac potentiam, prouidentiæ suæ obnoxiam, animum firmat Deus, Deum in homine, si sapis mi homo, non hominem time, & cum diuinum numen amicum tibi, ac propitium feceris, nec à Deo quidquam tibi in homine, quod saluti noceat pertimesce.

B. Paulus in propaganda Christi fide imperterritus aduersus hominum terrores.

Certanti cum dæmonibus Antonio astitit Christus, eiusq; vulnera persanauit.

Deus in homine, non homo ipse pertimescendus.

XVIII. Certe nil ita timorem discutit, hominemque facit ad omnia imperterrita, atque sanctitas, & sanctificatio, id est spes, amor, & laus Dei, qui enim timet, id est, reueretur, sperat, & amat Deum, non timet homines, nec hominibus placere cupit, aut displicere metuit, sed soli Deo: propterea consultissime Nehemias, vbi dixit: *Deus cæli ipse nos iuuat*, mox quoque adiungit, *& nos serui eius sumus*: vnde concludit, *surgamus, & ædificemus*, magna ex hoc capite in Deum fiducia munitus Rex Dauid aiebat, Psalmo 26. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo*, & Psalmo 124. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum*, in quem locum, sic D. Chrysostomus, *montem Sion vocat spem in Deum immutabilem, firmam, & constantem, inuincibilem, & inexpugnabilem*: quemadmodum enim si quis immutabiles adhibeat machinas, montem nec conuellere, nec labefactare poterit, ita etiam, qui eum aggreditur, qui fiduciam in Deum collocauit, reuertetur domum, vacuis manibus, monte enim longe tutior est fiducia in Deum, hac armati in Deum fiducia, terrorem omnem omnium aduersantium sibi in causa Dei ab animis suis abegerunt, sanctissimi quique Prophetæ, vt Moyses Elias, Daniel, quorum exempla in medium profert D. Basilius, orat. 21. de Patientia, qui & de humani timoris genio, ac natura disputans, vt nimium illum, ac superfluum ex hominum animis euellendum esse persuadeat, sic habet in Psalmo 33. *Non quiuis timor bonus est, aut salutaris, est enim quidam hostilis timor, quem Propheta deprecatur, ac petit, vt ne animæ suæ inseratur dicens* Psalmo 63. versu 2. *à timore inimici eripe animam meam, hostilis enim hic timor nobis ingignit mortis timorem, atque vt toti contrahamur pauore ad fastum personæ eminentis persuadet, &c.* Quo item loco arguit idem sanctus Pater, qui vel homines, vel dæmones ipsos, plus æquo pertimescunt, vano illo, atque inutili timore notam, in animo, infidelitatis suæ, in Deum indicem, præ se ferre, sic enim ille. *Qui dæmonum imaginatione facile consternitur, & expauescit, hostilem in se timorem habet, omnino autem timor huiusce modi, perturbatio nimirum animæ esse videtur, progenata ex infidelitate, nam qui Deum, vt*

Nimius dæmonum, aut hominum timor arguit in homine infidelitatem in Deum.

adiutorem fortissimum credit sibi adesse, nullius vim se inuadentis pertimescit, nec facile commouetur. Hactenus sanctus Basilius in Psalm. 33. his proxima sunt, & consentanea Prophetæ verba ad meticulosiorem plus æquo. *Quis tu vt timeres ab homine mortali, & a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet?* aiebat olim Isaias, cap. 51. vers. 12. quo loco, iuxta sanctum Cyrillum, & Hieronymum trepidos, & timidos increpat Christianos, qui in fide mutaturi erant, aut ab ea defecturi aliquando, hominum metu, puta Iudæorum, & Gentilium, Imperatorum, aut aliorum persecutorum Ecclesiæ, proximè enim ante dixerat: *Ego ego ipse consolabor vos*, quasi cum trepidante sic ageret Propheta, vt opis futuræ certum illum, ac securum faciat, cogita qualis, quanta, & quam firma sit consolatio, quæ à tanto consolatore proficiscitur, quasi munus tanto Principe dignum, ac proinde, *quis tu, vt timeres ab homine mortali?* Hebraicè, *Enos*, id est, homine misero, ærumnoso, damnato ad mortem, *quis tu, vt timeres?* vbi obseruandum quoque est, genus fœmininum esse in Hebræo *mi at valtirei*, quasi dicat, *quid tu ô fœmina times*, timere enim in tanto Dei adiutorio, & consolatione, præsertim hostem in rimum, & fœno comparandum, & breui instar fœni interiturum; profectò est meticulosæ, & fœminæ indolis, aut fœminam sapit: audi Apostolorum Principem, *& quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis, timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini*, ait 1. Petri, 3 vers. 13. qui locus omnino ex Isaia desumptus est, cap. 7. vers. 12. vbi ait, *timorem eius*, scilicet hostilis exercitus Syriorum, *ne timeatis, neque paueatis Dominum exercituum ipsum sanctificate*, id est, colite, & glorificate, & fidelem, & sanctum, qui promissis stat, suisque opitulatur, quod fit sperando in ipsum, & se, suaque illi committendo, *ipse pauor vester*, id est, obiectum pauoris vestri, is ille sit quem paueatis, *& ipse terror vester*, cum passiuè, quem scilicet, vt terribilem vindicem metuatis, tum actiuè, qui scilicet faciat vos hostibus terribiles, vnde Chaldæus vertit, *ipse sit fortitudo vestra*. Iam vero quidnam ei timendum esse censeri par est, aut qui cum luctari verendum sit, cui vis ipsa sese, ac fortitudo omnipotentis comitem adiungit, *non dicam mulierem, sed*

Locus Isaia explicatur de nimis hominum metu.

XVII.

A *hominem formidare*, *de animi perturbatione defendit, qua vitio carere non potest, dicente Dauid*, Psalma 117. *Dominus auxiliator meus non timebo, quid faciat mihi homo, &c.* ait D. Hieronimus lib. 2. aduersus Pelagianos, quæ Dauidis verba Psalmo 117. vers. 6. ab Hieronymo citata, quoniam ad rem nostram hæc faciunt, expendenda sunt, *Dominus*, inquit, *mihi adiutor*, vide quam hæc duo germana sunt, atque omnino similia illud Dauidis, *Dominus auxiliator meus* istud populi ad instaurandam vrbem Hierusalem accincti, & ore Nehemiæ conclamantis, *Deus cæli iuuat nos, non timebo*, inquit Psaltes B Regius, *quid faciat homo*, & statim versu septimo, *Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos*, magnam sane hæc arguunt, teste Chrysostomo, in Regio vate confidentiam, magnam mentis altitudinem, magnum spiritum, quippe qui ita supra humanam ascendit imbecillitatem, vt omnem naturam despiciat, & quamuis multas adhuc, easque ingentes difficultates passurus sit, minime tamen veretur, quod certus, securusque sit de Dei adiutorio, nempe quanti Deum facit, tam parui æstimat hominem, tam nihili facit, quicquid irarum minarumque, à quocunque illi intentari potest sic alibi quoque idem ipse Psalm. 55. *In Deo speraui,* C *non timebo, quid faciat mihi caro*, & Ps. 3. *Tu Domine susceptor meus es, non timebo millia populi circundantis me*, & vero, teste Athanasio, ad Marcellinum valent admodum hi versiculi, ad metus nostros spe confortandos, subleuandosque, qui & ipse, refert olim Anthonium simili se sententia animasse, armasseque contra dæmones, cum exprobratione, ac irrisione eorum, audi, si lubet, rursum quoque Nehemiam nostrum, cap. 4. vers. 13. totam populi multitudinem, magno hostium vndequaque ingruentium timore consternatam, sic oratione sua, & ex eo D quod vrgemus rationis momento confirmantem, *nolite timere à facie eorum, Domini magni, & terribilis mementote*, cuius scilicet præsentia, fiduciam illis, ac securitatem præstabat, de cuius ope, atque auxilio certos esse oportebat, de quo illis demum ipsi paulo ante dixerant, *Deus cæli ipse iuuat nos*, & vide etiam quæso, atque animaduerte, quam non spe sua frustrati sint animati voce Nehemiæ, pugnantes, aut ad pugnam parati, ædificantes quæ Iudæi, cum ver-

Armabat se olim, animabatque contra dæmones D. Anthonius versiculis Dauidis fiduciam eius in Deũ indicantibus.

cum versu statim consequenti 14. dicatur. *Factum est autem cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis dissipauit Deus consilium eorum.* Quid mirum, si toties in sacris paginis Deus ipse isque vnus, in afflictione positis, vrgentibus aduersariis, & calamitoso quoque tempore, vnus, inquam (præ cæteris) immo posthabitis omnibus, exquirendus, inuocandus accersendusque esse à nobis, dicitur desideriis, votis, orationibus, quippe, *Bonus est Dominus sperantibus in eum animæ quærenti illum;* ait Hieremias, Threnorum 5. vers. 25. & mox vers. 26. *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei, &c.* in quam sententiam, vt piè sic eruditè sanctus Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 11. *Dico*, inquit, *tibi Pater Eugeni, solus est Deus, qui frustra nunquam quæri potest, nec cum quæritur, inueniri non potest; doceat te hoc experimentum tuum, aut si non, experto credito, non mihi, sed sancto qui ait, bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te*, vnde postea rectè quærit, *quid ergo est Deus?* respondetque illico, quod ad firmandam spem in Deum facit eximiè terroremque omnem ab animo fidenti minus aut meticulosiore dispellit, *voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus creans mentes ad se participandum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, roborans ad vtilitatem, visitans ad consolationem, circundans ad securitatem, &c.* Quis porro, ad hostis aspectum occursumue, sub tanto auxiliatore pallescat? quis obmurmuret hoste insurgente, atque extrema omnia minitante? quis tantillum moueri audeat, aut metu nimio, aut diffidentia? quis Dei manum quibuscumque demum in angustiis positus, non patienter expectet? ea mens Dauidis fuit Psal. 61. vers. 6. cum sic caneret, *Nonne Deo subiecta erit anima mea*, rationemque subtexens adderet, *ab ipso enim salutare meum, nam & ipse Deus meus & salutaris meus*, ex quo concludit *non mouebor amplius*, id est nihil est quod deinceps reformidem, tuta ac secura sunt omnia; Deo spectante, Deo animante, Deo auxiliante, stabo imperterritus, sic Moyses olim ad Hebræos trepidantes, ob aduentantem Pharaonem, cum copiis, Exod. 14. vers. 14. *Dominus*, aiebat, *pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*, quasi dicat, nec vereri, nec obloqui quidquam licet, si Deus pro nobis, quis contra nos? ex quibus consequens est, id vnum studendum esse, vt serui Dei simus, quales se profitebantur voce, atque opere præstabant Iudæi, & Deus Cœli ipse iuuabit nos, *nullis ergo*, inquit, Ambros. in Psalm. 118. aptissimè ad tractationem hanc moralem concludendam, *Iustus frangatur, iniuriis nullis moueatur, periculis nullis tentetur, procellis nec deijciatur aduersis, nec extollatur secundis, nusquam sit infirmus affectus:* addam ego, Deo duce & auspice, in opus Dei incumbat constanter, ac sedulo, & quicquid illius conatibus obsistet humanum, quicquid obuium erit quod eius consiliis, aut moram facere, aut aduersari contendat, artem omnem atque industriam aduersantium, quanta quanta sit quæcumque demum opponent se se impedimenta facile omnia peruincet.

Nunquam spe sua frustrātur sperantes in Deum.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

POST ardentem Nehemiæ cohortationem, ad urgendum opus, animo destinatum, incitantis, Iudæorum animis bene penitus infixam, quam ardenter ipsi in opere incaluerint, toto hoc capite prolixè enarrat Nehemias ipse, quid cuique negotij contigerit, queue operis pars, in instauranda murorum Solymitanæ ciuitatis substructione, singulis de populo aßignata sit, exactè describit, varia variis turrium, murorumque spatia, eaque aliis atque aliis, aut munienda, aut resarcienda, distribuit: denique, sic, ad minuta quæque percensenda; eius excurrit narratio, vt singulas quasque vrbis portas, & murorum partes metetur, ac definiat, breuis est hæc capitis summa, sed cum plura non contineat, nec plura etiam hic attexere necesse est.

CAPUT TERTIUM ESDRÆ.

1. ET surrexit Eliasib Sacerdos magnus, & fratres eius Sacerdotes, & ædificauerunt portam gregis, ipsi sanctificauerunt eam & statuerunt valuas eius, & vsque ad turrim centum cubitorum sanctificauerunt eam, vsque ad turrim Hananeel.

2. Et iuxta eum ædificauerunt viri Hiericho, & iuxta eum ædificauit Zachur filius Amri.

3. Portam autem Piscium ædificauerunt filij Asnaa, ipsi texerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras & vectes; Et iuxta eos ædificauit Marimuth filius Vriæ, filij Accus.

4. Et iuxta eum ædificauit Mosollam filius Barachiæ filij Mesezebel, & iuxta eos ædificauit Sadoc filius Baana.

5. Et iuxta eos ædificauerunt Thecueni: Optimates autem eorum, non supposuerunt colla sua in opere Domini sui.

6. Et portam veterem ædificauerunt Ioiada filius Phasea, & Mosollam filius Besodia, ipsi

texerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras & vectes.
7. Et iuxta eos ædificauerunt Meltias Gabaonites, & Iadon Meronathites, viri de Gabaon, & Masphá pro Duce qui erat in regione trans flumen.
8. Et iuxta eum ædificauit Eziel filius Araia aurifex, & iuxta eum ædificauit Ananias filius Pigmentarij, & diuiserunt Hierusalem vsque ad murum plateæ latioris.
9. Et iuxta eum ædificauit Raphaia filius Hur Princeps vici Hierusalem.
10. Et iuxta eum ædificauit Iadaia filius Haromaph contra domum suam, & iuxta eum ædificauit Hattus filius Haseniæ.
11. Mediam partem viri ædificauit Melchias filius Herem, & Hasab filius Phahath Moab, & turrim furnorum.
12. Et iuxta eum ædificauit Sellum filius Alophes Princeps mediæ, partis vici Hierusalem, ipse & filiæ eius.
13. Et portam Vallis ædificauit Hanun, & habitatores Zanoë, ipsi ædificauerant eam, & statuerunt valuas eius, & seras, & vectes, & mille cubitos in muro vsque ad portam Sterquilinij.
14. Et portam Sterquilinij ædificauit Melchias filius Rechab, Princeps vici Bethacaran, ipse ædificauit eam & statuit valuas eius & seras & vectes.
15. Et portam Fontis ædificauit Sellum, filius Cholhoza Princeps Pagi Maspha, ipse ædificauit eam, & texit & statuit valuas eius & seras, & vectes, & muros Piscinæ Siloë, in hortum Regis, & vsque ad gradus, qui descendunt de ciuitate Dauid.
16. Post eum ædificauit Nehemias filius Azboc, Princeps dimidiæ partis vici Bethsur, vsque contra sepulchrum Dauid, & vsque ad Piscinam, quæ grandi opere constructa est, & vsque ad domum fortium.
17. Post eum ædificauerunt Leuitæ Rehum filius Benni: post eum ædificauit Hasebias Princes dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo.
18. Post eum ædificauerunt fratres eorum Bauai filius Enadab Princeps dimidiæ partis Ceilæ.
19. Et ædificauit iuxta eum Azer filius Iosue Princeps Maspha, mensuram secundam, contra ascensum firmissimi anguli.
20. Post eum in monte ædificauit Baruch filius Zachai mensuram secundam, ab angulo vsque ad portam domus Eliasib Sacerdotis magni.
21. Post eum ædificauit Merimuth filius Vriæ filij Haccus, mensuram secundam, à porta domus Eliasib donec extenderetur domus Eliasib.
22. Et post eum ædificauerunt Sacerdotes, viri de campestribus Iordanis.
23. Post eum ædificauit Benjamin & Hasub contra domum suam, & post eum ædificauit Azarias filius Maasiæ filij Ananiæ contra domum suam.
24. Post eum ædificauit Bennui filius Henadad mensuram secundam à domo Azariæ vsque ad flexuram, & vsque ad angulum.
25. Phalel filius Ozi contra flexuram & turrim quæ eminet de domo Regis excelsa, id est atrio Carceris post eum Phadara filius Phares.
26. Nathinæi autem habitabant

in Ophel vſque contra portam
aquarum ad Orientem & turrim
quæ prominebat.
27. Poſt eum ædificauerunt Thecúeni,
menſuram ſecundam è
regione, à turre magna, & eminente
vſque ad murum Templi.
28. Surſum autem à porta equorum
ædificauerunt Sacerdotes
vnuſquiſque contra domum
ſuam.
29. Poſt eos ædificauit Sadoc, filius
Emmer contra domum
ſuam: Et poſt eam ædificauit
Semaia filius Secheniæ cuſtos
portæ Orientalis.
30. Poſt eum ędificauit Hananiã
filius Selemię & Hanea filius
Seleph, ſextus menſuram ſecundam
poſt eum ędificauit
Moſollam filius Barachię contra
Gazophylacium ſuum: Poſt
eum ędificauit Melchias filius
aurificis vſque ad domum
Nahanęorum & ſcruta vendentium
contra portam iudicialem
& vſque ad cœnaculum
anguli.
31. Et inter cœnaculum anguli in
porta gregis ædificauerunt aurifices
& negotiatores.

EXPOSITIO LITERALIS.

I.

Eliaſib filius fuit Ioachim non frater eius vt volunt quidam Hebræi.

v. 1. *T ſurrexit Eliaſib Sacerdos magnus, & fratres eius Sacerdotes, &c.* Is erat Sacerdos magnus, & Pontifex temporis illius, vt iam ſæpius, & hoc, & superiori libro indicaſſe memini, qui poſt patrem ſuum Ieſum, vel Ioſue filium Ioſedech, non paruo tempore pontificatum tenuit. Scio quidem Lyrano teſte nonnullos dicere ex Hebræis credo, hunc fuiſſe, non filium, ſed fratrem, dicti Ioachim, & ſucceſſiſſe ei in Sacerdotio, ſed communius & verius cenſetur, hic ab authoribus fuiſſe filius, ipſius Ioachim, filii Ioſue Sacerdotis magni, vt iam dixi, & clare habetur infra, cap. 12. verſ. 10. Ioſue genuit Ioacim, Ioacim genuit Eliaſib, tertius iam ſummus Sacerdos, à captiuitate Babylonica, qui cum fratribus ſuis Sacerdotibus item, inſtaurandæ ciuitatis initium facit, vnde quod colligere licet ex ſupputatione Regum Perſarum, qui tunc regnarunt, inter primum reditum populi, ex captiuitate, & extructionem murorum, interceſſerunt circiter nonaginta quinque anni: ſic enim hanc texunt Chronologiam peritiores, Cyrus cuius 1. Monarchiæ ſeu Imperii Perſici anno, ſoluta eſt captiuitas, & ſecundo Templum ædificari Templum cœptum, regnauit circiter ſeptem annis, Cambyſes cum Magis. 8. Darius ſub quo Templum perfectum eſt, 36. Xerxes 22. hunc ſecutus eſt Artaxerxes Longimanus cuius anno vigeſimo inſtaurati ſunt à Nehemia muri ciuitatis, ſub Eliaſib ſummo Pontifice.

Interceſſerunt inter primum reditũ Iudæorum & extructionem murorum circiter nonaginta quinque anni.

Et ædificauerunt portam gregis, &c. II.
Huic igitur Eliaſib, & fratribus eius Sacerdotibus, datum eſt id negotii, vt portam gregis ædificarent, illamque muri portam quæ ad turrim vſque Hananeel porrigebatur, vt infra dicitur, atque adeo initium vt vides, ædificationis muri, ſumptum eſt à porta Orientali, quæ templo erat proxima; per quam quia pecora inferebantur, vt abluta in probatica Piſcina; quæ non longe aberat, inducerentur, in Templum immolanda, porta gregis appellata eſt, & licet in muro eſſet ciuitatis, & vulgo hominum, immo & beſtiarum gregibus, peruia, quodam tamen modo videbatur ſacra, quia per illam victimæ ingrediebantur Templi ſacrificiis deſtinatæ, decuit autem maxime hanc murorum partem primam, Templo vicinam, Eliaſib, ſummo Sacerdoti aliiſque Sacerdotibus, eique ſanguine propinquioribus aſſignari, nam deinceps, aliis quoque in locis, Sacerdotes, murum ædificaſſe reperiemus, rectè item, vt hic annotat Gloſſa ordinaria, reſtauratio ciuitatis, & portæ gregis reædificatio, à Sacerdote magno, & fratribus eius, cœpit vt qui gra-

Porta gregis quodãmodo ſacra quia per illam ingrediebantur victimæ Templi ſacrificiis deſtinatæ.

Congruè reſtauratio ciuitatis & portæ Gregis incipit à Sacerdotibus vt quiq; adeo præcedunt ordinis exemplum fiant aliis in bonis operibus.

du præcesserant ordinis, exemplum fierent aliis. in bonis operibus, & quod sanctificauerunt eam, vti mox dicitur, apprimè congruit, quia Sacerdotum est opera sua sanctificatione speciali præ cæteris digna facere, & instanter agere, vt qui sibi iungunt nomen Domini bene viuendo sanctificent. Cæterùm hæc porta gregis à Iosepho vocatur Genath, id est hortorum, quia ad hortos spectat quorum in valle Iosaphath multitudo erat maxima, audio hoc tempore, à peregrinis portam dici sancti Stephani, quia videlicet per illam Stephanus lapidandus eductus est, vbi sita, aut ad quam cœli plagam posita fuerit, si exquiris. & si iam Orientalem diximus, in eo tamen omnes Chorographi non conueniunt, plerique ad meridien designant, sunt qui malint, ad occasum, aut Aquilonem eam ponere, vt ratio & ordo aliarum portarum constet, fortassis, inquit Mariana in notis suis, hæc porta erat porta Ephraim, & per eam inferebant greges, aut macellum prope erat, hoc vltimum quidem verum; primum illud non item, nam hoc eodem lib. 2. Esdræ infra cap. 12 vers. 38. Porta Gregis, à porta Ephraim manifestè distinguitur. Certè Lyranus, postquam indicauit, sic nominatam portam gregis, eo quod animalia quæ adducebantur in Templum, vt immolarentur per eam transirent, addit vocatam quoque alio nomine portam negotiatorum, quia negotiatores iuxta eam ponebant stationes mercationum suarum; postremo Beda citatus, in Glossa obseruat veterem translationem hic habere, *Et ædificauerunt portam & Piscinam Probaticam*: Cuius meminit Ioannes cap. 5. & D. Hieronymus in libro locorum Hebraicorum cum ait, *Bethsaida, Piscina est in Hierusalem*, quę vocatur *Probatica*, & interpretatur à nobis, *Pecualis*; hæc quondam quinque porticus habuit, ostenduntur quoque gemini lacus, quorum vnus Hybernis pluuiis impleri solet, alter mirum in modum rubeus, quasi cruentis aquis, antiqui in se operis, signa testatur. nam hostias in eo lauari à Sacerdotibus solitas ferunt, vnde & nomen accepit ex quibus concludi videtur quod ante diximus portam Gregis vicinam fuisse, Piscinæ Probaticæ, vt per alteram hostiæ inferrentur, in altera lauarentur.

Vocatur porta Gregis à Iosepho porta Hortorum peregrinis porta S. Stephani nominatur.

Vocata item olim porta Negotiatorũ quod iuxta eam stationes suarum mercationum ponerent.

Porta Gregis Vicina Piscina Probatica in qua hostia lauabantur.

III. *Ipsi sanctificauerunt eam & statuerunt* A *valuas eius*, &c. Verbum hoc sanctificandi seu sanctificationis, est in Hebræo & Græco, sed aliqui vertunt, *Instaurauerunt*, vtrumque, non male, nam cum essent Sacerdotes, qui extruerent facile intelligi potest, eos aliqua cæremonia vsos fuisse, quo fit, vt dicantur portam sanctificasse, hoc est consecrasse, siue ad vsus quodammodo sacros deputasse, Lyranus quidem simpliciter hæc verba sic interpretatur; *Sanctificauerunt eam*, id est, *firmauerunt*, seu *præparauerunt*, verbum enim Hebraicum inquit, quod ponitur, æquiuocum est, ad sanctificare, & præ- B parare, vnde sanctificasse dicerentur hanc portam, id est perfecisse, & insignem reddidisse, structuræ præstantia, vt Vatablus, & Isidorus Clarus, interpretantur, Villalpando minimè repugnante; Verum, cum hoc sit, initium ædificationis, & à Sacerdotibus fiat, nec tota reliqua structura vsurpetur sanctificationis nomen malim cum aliis sanctificationem, pro dedicatione vsurpare, vt scilicet initium ædificationis à viris sanctificati susceptum, etiam peculiari aliqua cæreminia vel benedictione consecratum fuerit Deo, ad implorandum etiam eius auxilium, in reliquam structuram, cuius sanctifi- C cationis particeps fuerit, tam porta, quam reliquus murus, vsque ad turrim Hananeel, quæ erat in angulo Orientis & Aquilonis, ita vt Pontifex cum his Sacerdotibus ædificarint aliquot murorum spatia, intermediis turribus distincta, cum infra mentio fiat turris centum cubitorum & turris Hananeel in qua turri Hananeel; etiam porta Beniamin inferior aperta fuit, cuius mentio est apud Hieremiam, cap. 37. vers. 11. & 12. ad differentiam superioris portę Beniamin, quæ extra vrbem non ducebat, vt pluribus tradit Villal- D pandus lib. 3. cap. 24. An vero portæ, & muri, res sacræ fuerint, apud Hebræos, sicut apud alias gentes, & si Sanctio, qui lectorem remittit ad Alexandrum ab Alexandro, lib. 6. genialium dierum, cap. 24. & Tiraquellum ibi, incertum esse videtur, mihi tamen, certum est dicere, longè apud Hebræos atque apud exteras gentes diuersam in hac parte agendi fuisse rationem, neque quod ad muros & portas, vulgarium saltem ædificiorum spectat, alium dedicationis, aut consecrationis, aut sanctificationis vsum, quam qui à nobis iam explicatus est.

Varia sanctificãdi & sanctificationis hoc loco acceptio.

Melius hic verbũ sanctificãdi pro quadam consecratione quam pro simplici cõstructione sumitur.

antiquam legem ferre potuisse.

IV. *Vsque ad turrim centum cubitorum, & sanctificauerunt eam vsque ad turrim Hananeel, &c.* Vt primùm de turri centum cubitorum dicam, videtur Marianæ vox *cubitorum* in textu addita ab interprete, quia in Hebræo, & Græco habetur tantum, *vsque ad turrim centum*, scio quidem quosdam esse, qui putant vocem *meah*, quæ centum significat, esse proprium nomen turris illius, nec ignoro Lyranum verbis paulo obscurioribus, sic explicare, *& vsque ad turrim centum cubitorum*, id est, tantum ædificauerunt in muro, iuxta portam, ita varii varie loquuntur, quid si significetur his verbis, Iudæos præter portam Gregis exstructam, muri etiam partem, ad cubitos centum extruxisse? sicque vertatur, *vsque ad turrim centum cubitos ædificauerunt eam*, quasi diceret, portæ structuram, vsque ad turrim, ad centum cubitos extenderunt, vsque ad turrim, inquam, Hananeel. Certe licet quænam propriè fuerit turris hæc centum cubitorum, satis obscurum sit, verisimile tamen est, quod textus indicare videtur; portam Gregis duas habuisse turres, quæ vtrumque illius, aut clauderent, aut tutarentur latus, quarum altera, centum cubitorum altitudinis, aut esset, aut vocaretur: altera Hananeel, cuius satis frequens in sacris literis mentio fit, atque adeo quicquid spatii erat inter vtramque turrim ædificatum est à Sacerdotibus, & aliqua fortassis, vt iam ante diximus, cæremonia consecratum. Cæterum, an duæ illæ turres reliquæ fuerint à Chaldæorum vastatione: certum etiam omnino esse non potest, fuisse quidem ex tanta mole relicta, non pauca, non improbabiliter suspicantur quidam, ex variis huius libri locis, præsertim capite superiori, vers. 13. & sequenti capite 4. vers. 7. & capite sexto, versu primo, vt forte ibi fusius ostendemus, quod si à Chaldæis sic diruta funditus omnia, ac vastata sunt, vt nulla vtriusque turris vestigia superfuerint, exprimi tamen potuerunt turres, sub antiquis nominibus, etiam si neque durarent antiquæ, neque nouæ essent, à Sacerdotibus inductæ, quia scilicet infrequens, atque inusitatum non est in scriptura, vt locus nomen retineat, quod prius, ac longè ante habebat, etiamsi nominis, ac notationis illius causa, amplius non extet, vt libro primo Esdræ, capite secundo, versu sexto, iam olim significauimus, & Templum ibi dici, sumique pro loco, vbi antea Templum fuerat: cum tamen nec dum secundi Templi iacta essent fundamenta indicasse meminimus.

Varia interpretatio turris centum cubitorum.

A

V. Vers. 2. *Et iuxta eum ædificauerunt viri Hiericho.* Quod dicitur ædificasse viros Hiericho iuxta eum, id est, Eliasib summum Pontificem, & consequenter repetitur eadem phrasis, siue vt est in Hebræo, & græco, *ad manum eius*, quasi dicat, vbi manus eius operabantur, aut opus finiebant, ibi reliqui inchoabant; alii vertunt, *ad latus eius*, quod eodem redit, ea loquendi forma notat Salianus aperte ostendi Nehemiam, in explicanda exstructione murorum, ordine progredi, ex Occidentali latere, per Aquilonare, ad Occiduum, & Meridianum, donec redeatur ad portam Gregis; vnde ductum est initium, nec ratio vlla est, cur Nehemias, perturbato potius ordine, ædificatores enumerare voluerit, quam directo; & sibi deinceps consequenti: viri autem Hiericho ideo in illo Orientali, & Aquilonari angulo videntur ædificasse, quia ille murus eorum vrbem respiciebat: nam & in consequentibus, plerique contra domos suas, siue à regione earum, ædificasse dicuntur.

B

Nehemias in explicanda murorum extructione progreditur ex Occidentali latere per Aquilonarem ad Occiduum, & Meridianum.

C

Et iuxta eum ædificauit Zachur, &c. Deinceps ab his viris Hiericho, quibus videlicet tradita fuerat habitanda illa ciuitas, ædificauit Zachur, hoc est, iuxta eos ædificauit, & illi iuxta Eliasib, ita vt ab alterius ædificio, alterius structura, & ædificium continuato opere procurreret, nisi si (quæ mens est Saliani) Zachur qui dicitur ædificasse iuxta eum, id est, iuxta Eliasib, is sit, qui nomine virorum Hiericho, spatium ipsis assignatum ædificandum susceperit.

VI. Vers. 3. *Portam autem Piscium ædificauerunt filii Asnaa ipsi texerunt eam & statuerunt valuas eius, & vectes, &c.* Hæc est porta per quam Chaldæi in vrbem irruperunt, quæ secundæ portæ, in muro Bezetæ respondebat: sed cur piscium dicta? si constaret, ad illam fuisse piscinas, seu piscium viuaria, non esset cur aliam causam quæreremus, ait Sanctius itauero, sed non constat. quid si eam appellationem sortita est, quia foro piscario proxima? verius, ac solidius portam Piscium sic dictam intelligo, quod scilicet

D

Vnde porta Piscium sic dicta, varia causa, optima, quia per eam pisces inferebantur ex mari.

Alio nomine vocata porta David, quia prope eam erat arx Sion seu ciuitas David.

per eam pisces inferrentur ex mari, vnde, & ad occasum sita erat, si consulimus 2. Paralipomenon cap. 33. vers. 14. eratque prope hanc portam arx Sion, dicta alio nomine, ciuitas Dauid, vnde etiam quoque vocabatur porta Dauidi: meminit huius portæ Sophonias cap. 1. vers. 10. & Hieronymus in eum locum, his verbis, *Portam*, inquit, *Piscium illam vocabant quæ & Ioppe*: de ea item hæc Glossa ordinaria, consentaneè cum iis quæ breuiter attigi respicit Ioppem & Diospolim, id est Liddam, ait, mari vicinior inter cunctas vias Hierusalem, quæ nunc porta Dauid fertur appellari, & esse prima portarum, ad Occidentem montis Sion, qui cùm verba dierum consentiunt, loco superius citato, vbi de Manasse Rege Iuda dicitur, *Post hæc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid, & Occidentem Gion, in conualle, ab introitu portæ Piscium per circuitum vsque ad Ophel.*

Vers. 4. & 5. *Et iuxta eos Marimuth; Et iuxta eos Mosollam filius Barachiæ filij Mesezebel; iuxta eos Sadoc; Et iuxta eos ædificauerunt Thecueni.* Inde, quatuor ponuntur constructores vsque ad portam veterem, in illis autem quatuor, ponuntur ciues vrbis Thecue, cuius optimates notantur, inertiæ, & ingrati animi, qui in hoc Dei opere, quasi iugo in collum immisso, laborare noluerunt, relicto mediocris fortunæ hominibus, sancto isto negotio, sic Debora Iudic. 5. vers. 23. quondam ex ore Angeli Domini, maledicebat *Terræ Meroz & habitatoribus eius, quia non venissent ad auxilium Domini, in adiutorium fortissimorum eius.* Thecueni igitur, id est plebei loci Thecue, ex quo Amos Propheta oriundus, vt notat hic Estius, suam partem exstruxerunt Sanctio Thecueni, videntur illi esse, qui regionem habitabant, Thecuitidem vt loquitur vnde à Ioab lib. 2. Regum cap. 14. accesita est prudens quædam mulier quę Absalonem profugum, in parentis sui Dauidis gratiam reduxit, hi libenter faciendo operi institerunt, atque adeo strenuè & alacriter, vt non solum, in hac ciuitatis parte, sed in alia quoque, sumpserint ædificandi curam, vt habetur infra vers. 27. post eum ædificauerunt Thecueni mensuram secundam è regione, sed cum plebs inferior, ædificandi negotium non recusaret, quia res erat publica, & vicina-

A rum etiam gentium commune perfugium, præcipui tamen de populo, nec indictam cæteris legem, nec iugum quod ab illorum Ducibus imponebatur, subire voluerunt, vnde sequitur.

VII. *Optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui, &c.* Id est ditiores & potentiores non paruerunt Domino, nec Præfecto suo, præcipienti, vt collaborarent, in instauratione murorum, ait Estius, vbi videas sæpe pauperes, & plebeios, plus ministerii & subsidii conferre ad B opera Ecclesiæ, quam ditiores & potentiores, sic, inquit Lyranus, in hunc locum, commendantur vulgares magis, id est, qui de vulgo sunt, quam superiores, & similes sunt, isti maiores illis qui præsidentes aliis, imponunt eis onera grauia & importabilia, & digito suo nolunt ea mouere quod in Pharisæis iure reprehendit Christus.

Sæpe pauperes & plebei plus ministerij & subsidij conferunt ad opera Ecclesiæ quam ditiores & potentiores.

Vers. 6. *Et portam veterem instaurauerunt Ioiada filius Phasea & Mosollam filius Besodia, &c.* Hæc est tertia porta quam Vatablus portam veteris, non veterem nominat, veteris supple Piscinæ, sic enim intelligit, de qua Isaiæ C 22. vers. 11. vbi sic habes, *Et lacum fecistis inter duos muros ad aquam Piscinæ veteris.* Verum alii omnes communiter veterem ponunt, quasi portæ nomen; Quorsum autem sic vocata sit, fateor nondum penitus mihi constare, obseruo tamen, ex Lyrano, nominari alibi portam Iudiciariam, quia senes, inquit, in quibus est sapientia, ibi sedebant ad iudicandum, vnde forte nomen portæ veteris, quasi portæ senum; seu veterum, traxisse non omnino temere quis suspicetur, & sane apud Iudæos, ad portas vrbis, D & frequentissimos ciuium conuentus fuisse, & iudicia exerceri solita, causarumque disceptationes legitimas, ex historia Regum, aliisque scripturæ locis satis constat, præ cæteris illustre est, eius rei argumentum, illud Prouerb. 31. vers. 23. *Nobilis in portis vir eius quando sederit cum Senatoribus terræ.* Aliis porta vetus, quæ in medio lateris Aquilonaris constituta fuit, ita dicta est, quod vestigia eius apparerent à tempore Iebuzæorum, & Melchisedechi; Ex ea enim ad Acra montem & veterem vrbem Salem, patebat à litus, quæ postea Hierosolymæ pars fuit, huic portæ exstruendæ, duo con-

Porta vetusta alio nomine porta Iudiciaria quia ibi iudicia forte exercebantur.

ſtructores dati ſunt, Ioiada filius Phaſea, & Moſollam filius Beſodia, ſiue quod tenuioris eſſent fortunæ, ſiue quod plus in ea eſſet operæ, ab illa autem porta vſq. ad portam Ephraim; quatuor murorum ſpatia conſtituuntur, nec tamen porta Ephraim hoc loco nominatur, ſicut nec ſpatium quadringentorum cubitorum vſque ad portam Anguli, nec ipſa porta Anguli, quia ſcilicet non putantur eguiſſe reparatione: Portam porro Ephraim, & portam Anguli, deinceps fuiſſe, poſt portam veterem, de qua hoc loco, partim ex 4. Reg. cap. 14. verſ. . conſtat, vbi Ioas Rex Iſraël dicitur interrupiſſe murum Hieruſalem, à porta Ephraim vſque ad portam Anguli, partim ex cap. 12. huius libri, verſ. 38. vbi Nehemias retrogrado curſu viam remetiens portam Ephraim & portam antiquam & portam Piſcium, vſque ad portam gregis enumerat.

Porta Ephraim & porta Anguli quæ reparatione non eguerunt erant poſt portam veterem.

Verſ. 7. *Et iuxta eos ædificauerunt Meltias, Gabaonites, & Iadon Meronathites viri de Gabaon, & Maſpha pro Duce qui erat in regione trans flumen, &c.* Duo ſunt hic breuiter & curſim expendenda; nimirum & quis locus in textu nominatus, & quis Dux ipſe fuerit, Regio trans flumen prout in hoc textu ſumitur, &, vt quidam exiſtimant, inter quos Mariana. Locus erat in Hieruſalem, vbi habitabat, vel ius dicebat, Dux à Perſarum Rege conſtitutus, vt toti regioni trans flumen, id eſt Euphratem præeſſet, couſque Gabaonis ciues extruxerunt: hinc 70. verterunt, *Vſque ad ſolium Principis trans flumen*, quicquid ſit, de loco; quod dicitur, *pro Duce*, eos ſcilicet Gabaonitas exſtruxiſſe, forte is de quo loquitur Nehemias, & quem Ducem nominat, expenſas dabat, & ſumptus de ſuo faciebat; pro ædificatione, & licet Gentilis eſſet, atque externæ religionis, tamen, ex pio quodam animi ſenſu, in hoc opus aliquid conferre voluit, & Iudæis, cum ipſe per ſe ſe non poſſet, totius operis negotium exequendum committere, forte etiam Nehemias de ſe ipſo loquitur, & ex cap. 5. verſ. 16. firmari nonnihil poteſt hæc coniectura, de ſe ſiquidem, ibi verbis ſane clariſſimis, idem Nehemias, vt oſtendat quam ab aliorum Iudæorum auaritia fuerit alienus, *Non feci ita*, inquit, id eſt populum non grauaui pecunia, ab illo per vim non extorſi quidquam, *propter timorem Dei, quin potius in opere muri ædificaui.* Cæterùm ſi de Duce, qui pro Artaxerxe, regionem vltra flumen, moderabatur intelligimus, obſeruare hic licet, potentiſſimum eſſe in omnem partem principum exemplum, nam cum probe noſſet Dux iſte, quam impenſe ac ſtudioſe Perſarum Rex, Iudæorum rebus faueret, ipſe quoque Domini ſui ſecutus exemplum, illorum etiam ſuſcipere patrocinium videri voluit, & pro ſua facultate, ciuitatis inchoata munimenta promouere, ſiue vt à Rege aliquam iniret gratiam, ſiue vt ſuo in illos ſtudio, aut Regiæ voluntati ſatisfaceret.

VIII.

Varia interpretatio & regionis ipſius, & Ducis qui erat in regione trans flumen, pro quo Gabaonitæ ædificarũt.

Potentiſſimum in omnem partem Principũ exemplũ.

V. 8. *Et iuxta eum ædificauit Eziel, & iuxta eum ædificauit Ananias, & dimiſerunt Hieruſalem vſque ad murum plateæ latioris, &c. Dimiſerunt Hieruſalem*, id eſt, murum eius extenderunt, ait Emmanuel Sa in notis, & certe vox Hebræa, *azebu*, quæ ſignificat relinquere, nonnunquam etiam auxilium importat, & quocumque modo legatur idem eſt, aut parum diuerſus ſenſus, ſi dicas, *produxerunt opus vſque ad plateam latiorem*, ſiue, *cum opus ad locum illum promouiſſent, ceſſauerunt*, vel quia alii inde conſtituerunt datum ſibi penſum, vel quia eo loci murus non erat dirutus, vnde ſatis clare, & aperte ſignificant hæc verba, ait Salianus, ædificatores ex eo loco, in quo ædificauerat Ananias, vſque ad extremum plateæ latioris, intermiſiſſe ædificationem, illud autem eſt ſpatium quadringentorum cubitorum, in cuius initio erat porta Ephraim; in extremo autem porta Anguli, quod ſpatium dirutum non fuiſſe à Chaldæis, propter muri craſſitudinem, & firmitatem, rationi conſentaneum eſt credere: eam enim partem murorum Ozias quondam firmiſſime reſtaurarat; & Chaldæi diruendo tam validos vndique muros, præter Templum, & innumeras domos fatigati labore, illam Angularem portam reliquerunt, propterea que id compendium præſentis laboris fuit, dicta porro fuit porta Anguli, quod in angulo vrbis Septentrionali, & Occidentali ſita eſſet: cum enim ſequeretur portam Ephraim Septentrionalem, & antecederet portam Vallis, quæ in Occidente fuit, oportet in eo quem dixi angulo, fuiſſe collocatam, ita Salianus.

IX.

Dimittere hoc loco extendere ſignificat.

Vnde dicta porta Anguli.

Verſ. 9. *Et iuxta eum ædificauit Raphaia filius Hur Princeps vici Hieruſalem, &c.*

X. *&c.* Multi in hoc capite numerantur, vt in progressu patebit, quibus id negotii mandatum est, vt partem illam murorum quæ suo vico, seu mauis regioni responderet, ædificarent qui vicorum nominantur Principes, & in suis quique vicis, laborasse dicuntur, absoluto igitur Aquilonari muro, initium dedit Occidentali Raphaias Princeps, qui dicitur ædificasse iuxta Ananiam, quia nemo inter vtrumque ædificauit, sed vnus in veteri ædificio desiit, alter inchoauit, dicitur hic Raphaia Princeps vici Hierusalem, seu dimidii vici, vt est in Hebræo & 70. & vers. 12. D. Hieronymus, pro iisdem verbis ponit, Princeps mediæ partis vici Hierusalem. quia infra Sellum dicitur Princeps dimidiæ partis eiusdem vici nimirum Hierusalem, vt Roma olim in certas regiones diuisa erat, quas etiam vicos vocant, quorum singuli præfectos suos haberent, atque inter cæteros vnus dictus esset Hierusalem, siue Salem, respiciens ad antiquam Salem, ex aduerso cuius ille ædificauit. Porro singulos vicos centenis constitisse domibus, putat Villapandus, quarum singulæ pluribus constarent familiis, vt videmus in amplissimis & populosis ciuitatibus.

Singuli vici Hierusalem centenis domibus constabãt.

Vers. 10. *Et iuxta eum ædificauit Iadaia filius Haromath contra domum suam, &c.* Ædificauit is contra domum suam in eadem scilicet regione sitam quod prudenter à Nehemia dispositum fuit, vt qui que tanto maiori diligentia ædificaret, quanto magis se suaque in tuto collocare desiderabat.

Vers. 11 *Mediam partem vici ædificauit Melchias, &c.* Significat, bina muri spatia, quæ intra duas turres tendebantur, dimidio vico respondisse, vico autem integro, quatuor eaque à Melchia & Hasub fuisse ædificata, vna cum turri furnorum, à qua turri, vsque ad portam Vallis. Sellum filius Alohes, Princeps mediæ partis vici Hierusalem, cum filiabus suis, murum continuauit, vt infra dicitur, vers. 12. *ipse & filiæ eius* nimirum, illæ ædificationem etiam curabant pro patre, virili prole destituto.

Et turrim furnorum, &c. Sunt qui turrim furnorum, à splendore sic appellatam existiment, quasi esset instar Phari, ex qua fax excitatur & qui nocte incedunt, si forte viarum sunt ignari, intentis in eam lucem oculis non aberrant, quanquam, vt verum fatear, nomen furni,

A

parum ad eam lucem exprimendam accommodatum est. Alii, à quorum partibus sto, libentius simpliciorem esse putant huius nominis notationem, & causam, neque in aliis ciuitatibus insolitam, quæ singulis vicis, aut callibus, siue turribus, sæpe nomen imponunt, ab iis artibus, seu negotiatoribus, quæ ibi plurimum, & magis quam alibi exercentur. & sic cum in ea Solymitanæ ciuitatis parte, plures furni essent, dictam quoque turrim furnorum, ex eo, quod pluribus illis furnis, in quibus panes

B

publicè ac communiter coquerentur, immineret.

Vnde dicta Turris Furnorũ

XI. Vers. 13. *Et portam Vallis ædificauit Hanum, &c.* Vallis, scilicet Iosaphat, portam intellige, sic communiter, eiusdem ipsius portæ iam meminit superiori capite, vers. 15. cum peragrata & diligenter circumquaque perlustrata tota ciuitate dixit Nehemias. *Reuersus veni per portam Vallis & redij*; hæc est igitur quarta vrbis porta quam authores nonnulli ad Meridiem ferè collocant, alii ad Orientem, sic vulgo nuncupata quod per eam egressus esset versus vallem Iosaphat: scio quidem Bedam in hunc

Per vallis quæ nomẽ hic porta tribuit Vallis Iosaphat intelligitur.

C

locum, aliam item Vallem inuenire ciuitati proximam vnde suum hæc porta nomen duxisse potuit. sic enim ille, Vallis Iosaphath quæ & Gehennon, id est Vallis Ennon dicebatur ad Orientalem plagam ciuitatis est, per quam torrens pluuiis auctus à Septentrionali plaga in Austrum defluit. In Occidentali quoque porta eiusdem ciuitatis Vallis Gyon esse legitur nimirum secundo libro Paralipomenon, cap. 33. alias etiam à nobis citato, vbi de Manasse Rege dicitur, *Ædificauit murum & ad Occidentem Gyon in conualle.* Est autem Gyon, nomen fon-

D

tis vbi vnctus est Salomon in Regem extra ciuitatem, ex quibus verbis concludendum est iuxta illius authoris mentem, siue hanc, siue illam, seu quamlibet aliam, si qua fuit, ciuitatis vallem, in textu significari, vnde porta Vallis fuerit nominata: Et vero portam Vallis à valle cadauerum, cuius meminit Hieremias cap. 31. vers. 40. dictam esse, quidam sentiunt, *Circuibit Goatha & omnem vallem cadauerum, & cineres & vniuersam regionem mortis, vsque ad angulum portæ equorum Orientalis, & vsque ad torrentem Cedron,* inquit Propheta quam por-

Gyon fons vbi vnctus Salomon in Regem extra ciuitatem.

tam Vallis in eodem muri latere fuisse ait Scriptura, in quo porta Anguli, sic enim 2. Paralipomenon, vigesimo sexto, versu nono, *Ædificauit Ozias turres in Hierusalem super portam Anguli & super portam Vallis, & reliquas in eodem muri latere.* At porta Anguli latus Occidentale & Septentrionale respiciebat, in Septentrionali autem, nulla erat Vallis, ex qua nomen portæ dari potuerit, oportet igitur vt in occiduo collocata fuerit, sic ratiocinatur Salianus: Per eam Christus Dominus Cruce onustus transiuit, dum ad vicinum Caluariæ collem duceretur, hanc portam ædificauit Harna, & habitatores Zanoë quæ & Azone, per metathesim dicitur, teste authore iam citato: Vrbs in Tribu Iuda, *Ipsi ædificauerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras & vectes & mille cubitus in muro vsque ad portam Sterquilinij*, quæ postrema verba, significant, quinque muri spatia, quatuor turribus distincta, inter has duas portas, intercessisse, quorum singula ducentorum cubitorum fuisse docet Villalpandus.

Per portam Vallis Christus cruce onustus transiuit pergens ad montem Caluariæ.

XII. Vers. 14. *Et portam Sterquilinij ædificauit Melchias, &c.* Quinta hæc est, prope portam Aquarum si Marianam audimus inter ortum, & meridiem posita, sic dicta, vt iam ante significauimus, quod ibi Sterquilinium esset, siue quod per eam immunditiæ & sordes ciuitatis emitterentur, in torrentem Cedron, tempore pluuiali, ciuitas enim Hierusalem quod recte sic Beda, & Lyranus annotant, sita erat in decliui montis, atque ita, cum illius situs, molli cliuo versus Orientem, simul & Occidentem, dispositus vergeret, pluuia ibi decidens, instar fluuii, per Orientales portas defluebat, & cunctis secum platearum sordibus, raptis, torrentem Cedron in valle Iosaphat, augebat; Mysticum est, quod addit Beda, nec minoris virtutis, aut vtilitatis est, immunda quæque de ciuitate Domini efferri, quam munda inferri. Hanc Sterquilinii portam ad Occidentem vrbis collocat Salianus, & eo patere ait, quod media ponitur, inter gradus ciuitatis Dauid, & turrim furnorum, Nehemiæ duodecimo, versu trigesimo sexto & trigesimo septimo, quod capite secundo, versu decimo tertio, porta Stercoris quæ eadem est media, dicatur inter portam Vallis & Fontis, & series ipsa ædificationis id aperte conuincit, & quoniam ad eam vrbis partem, Esseni commorabantur, etiam porta Essenorum dicta est, vt fusius declarat Villalpandus lib. 3. cap. 14. Erant autem Esseni, iidem cum Rechabitis, olim, vt idem existimat, laxata tamen nonnihil, vt fere fit antiqua disciplina, vt non mirum sit Melchiam filium Rechab siue Rechabitam, hanc portam extruxisse.

Porta Sterquilinii inde dicta, quod ibi sterquilinium esset, vel quod per eam immunditiæ, & sordes mitterentur in torrentem Cedron.

Porta Sterquilinii etiam porta Essenorum dicta, quod Esseni ibi commorarentur. Esseni iidem cum Rechabitis olim, sed laxioris disciplinæ.

Vers. 15. *Et portam Fontis ædificauit Sellum, &c.* Hæc sexta est, quæ deinceps extruitur porta Fontis, vulgo nominata, aliqui, portam Oculi, vocant, ad retinendam metaphoram, nam vox *Nghaiim* fontem, & oculum significat, quod scilicet ex fonte, quasi ex oculo, aqua deriuetur: fons autem, ex quo nomen huic portæ inditum est, fuit fons Siloë, quam Iosephus lib. 6. cap. 6. statuit, in angulo Occidentali, & Meridiano. Ciuitatis Dauid, hæc porta, viam habebat fornicibus suspensam, vt profunda vorago inter vrbem & locum fontis æquaretur, ad commoditatem transeuntium, & simul aquæ ductus sustentaretur, qui inde ad Probaticam Piscinam, quæ erat ad radices montis Moriæ, deducebatur, vnde & hunc eundem aquæ ductum ad portam Fontis collocauit, etiam Nehemias, superiore capite secundo, versu decimo quarto.

Porta Fontis Siloë, porta quoque Oculi vocata.

XIII. *Et muros Piscinæ Siloë in hortum Regis, &c.* Ad eundem fontem Siloë, vt vides, erat Piscina, cuius hoc loco fit mentio, cum dicitur, ædificauit muros Piscinæ, hos muros lateritios fuisse putant, & Piscinæ, aquas reseruatas, ad rigandos hortos Regios, *Ædificauit igitur Sellum*, cum porta Fontis, *muros quoque Piscinæ*, id est, *muros Piscinæ coniunctos, in hortum Regis*, id est, *vsque ad hortum*, vel *versus hortum Regis Salomonis*, qui erat ad Meridiem protensus, *& vsque ad gradus, qui descendunt de ciuitate Dauid*, vt in textu additur, Arx enim Sion, quæ vocata est ciuitas Dauid, erat in monte sita, & cum vrbi supereminerét, de ea per gradus descendebatur, ad inferiorem partem ciuitatis, quæ infra montem, magnam partem iacebat in planicie, humilioris collis posita: sunt qui forte superiora hæc verba, *& muros Piscinæ in hortum Regis, &c.* quod indicat Lyranus, sic

Prope fontem Siloë Piscina fuit vbi aquæ reseruabantur ad rigandos hortos Regios.

interpretentur id est ædificauit muros, Piscinæ Siloë vicinos, cuius scilicet piscinæ aquæ, fluunt versus hortum Regis, vtramuis sequaris interpretationem, meo iudicio, nihil admodum pecces, prior tamen, mihi magis placet, hortum autem hunc Regis, de quo Nehemias, hortum fuisse Salomonis, in quem ipse olim secedere soleret, vt agitatioribus curis, ac negotiis, animum relaxaret, & de quo forte etiam Cantic. 6. aiebat, *Descendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium*, communis est opinio. Quem eundem locum, alii deinde Reges possederunt quia non longe aberat à ciuitate Dauid, siue à Regia domo, ex qua ad hortum illum, per certos gradus descendebatur, qui necessario, cum Regio horto coniungebantur; sane Manasses & filius eius Ammon in horto domus suæ sepulti traduntur lib. 4. Regum cap. 21. Porro hæc tria piscina, hortus Regis, & gradus, qui descendebant de ciuitate Dauid, simul erant, & ideo ad partem illam spectant, quam ædificauit Sellum. Quare parum refert, siue gradus illi è Regia domo, ad hortum, siue ad piscinam, in lapide excauati descenderent, vt recte obseruauit Sanctius, Certum quidem est illis gradibus, regionem Maspha, a regione Bethiar separatam fuisse & eorundem, rursus quoque fieri mentionem infra cap. 12. vers. 36.

Vers. 16. *Post eum ædificauit Nehemias filius Azboch, &c.* Non is quidem qui rem ipse gestam enarrat, & proxime è Babylone reuersus, accepta ab Artaxerxe potestate, quam precibus suis impetrauerat, primus author operis agrediendi Iudæis fuit, sed eiusdem nominis alius quidam de populi Principibus, ac Primariis; ad quod vtriusque, seu alterius ab altero, discrimen non obscure indicandum, textus hunc, filium Azboch, facit, cum ille Helciæ filius fuerit, vt constat, ex primo cap. vers. 1. ædificauit igitur Nehemias filius Azboch, non modo vsque contra sepulchrum Dauid, verum etiam, *Vsque ad piscinam, quæ grandi opere constructa est*, & vsque ad domum fortium. Hæc omnia erant in monte Sion alatere vrbis meridiano, & ciuitatis Dauid, vt vult Salianus, pro his verbis quæ in vulgata leguntur, *Vsque ad piscinam quæ grandi opere constructa est*, Hebraicè

A habetur, *vsque ad Piscinam factam*, sic ro. credo, sic vocatur, ad differentiam Piscinæ Siloë, quæ ex vicino fonte implebatur, hæc vero manufacta erat, & industria, id est aqua pluuia, aut aliunde, aqua deriuata implebatur, quare vt putat, duas fuisse piscinas, non difficile ex hoc loco coniectare licet, de altera, Siloë, dicta, superius diximus, quæ prior fuit, & eo tantum consilio elaborata, creditur, ab Ezechia, vt quasi castellum fluentem contineret aquam fontis Siloë, quo commodius, inde, in puteos intra ciuitatis mœnia deffossos deri-

B uatur, hæc vero posterior, licet vel ab aquis tantum pluuiis, vel forte etiam ab eodem fonte Siloë, impleretur, quia tamen plures fortassis habuit vsus, ad ciuium voluptates, & alia commoda, maior altera, atque amplior esse debuit, & propterea dicitur, grandi opere constructa; E regione autem grandioris huius, posteriorisque piscinæ, erat sepulchrum Dauidis, ac licet esset in ciuitate Dauid, alii etiam plerique Reges condebantur, erat tamen extra domum regiam, egregio opere, & Regiis vere impendiis, magnificè constructum; Cæte-

C rùm domus fortium cuius ad extremum hic mentio est sic dicta creditur quod in ea habitassent, fortes Dauid, & deinceps alii viri præclara fortitudinis laude celebrati, quanquam, alii existimant, ibi Hierosolymitanam iuuentutem, militaribus exercitationibus se se dedidisse, vt fortes & periti bellatores euaderent Alii, putant eam fuisse domum, in qua, milites præsidiarii ciuitatis Dauid, stationem habebant, siue de militibus, illis præsidiariis, & ad Regis custodiam delectis, seu potius, de strenuissimis Duci-

D bus, interpretari voles, tùm verba illa, vt recte à nonnullis obseruatum est, *vsque ad domum fortium*, intelligenda sunt, exclusiue, quia fortes Dauid, cum aliis nobilibus, manebant intra secundum murum: Postremo; hanc domum fortium, turrim illam esse interpretatur Sanctius, de qua, Cantic. 4. vers. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium.* Optime siquidem, domum fortium appellari turrim illam, vnde fortes, & strenue milites, arma sumerent, in aciem ingressuri, aut vbi re præclara in bello gesta, tanquam

XIV.

Ad portum Fontis duplex fuit piscina è regione maioris fuit sepulchrum Dauid.

Domus fortium vnde sic dicta.

insignia bellicæ virtutis monumenta deponerent.

Vers. 17. *Post eum ædificauerunt Leuitæ, &c.* Post Nehemiam scilicet, ædificauerunt Leuitæ, qui statim memorantur, Reum & Hesebias Princeps dimidiæ partis vici Ceilæ, hic vicus, siue Regio, erat in eodem monte Sion, & claudebatur muro ciuitatis, à duobus Principibus eius Hesebia & Banai, vt constat ex vers. 18. quem vicum, putat Villalpandus, dictum ab oppido Ceila, ad quod olim Dauid, se fortiter contra Philistæos gesserat.

Vers. 19. *Et ædificauit iuxta eum Azer filius Iosue Princeps Maspha, &c.* Nimirum, is præfectus erat dimidiæ partis vici Maspha nam supra etiam vers. 15. Sellum Princeps Pagi Maspha dictus est, ædificauit autem hic Azer, *mensuram secundam*, id est, duplam, ait Salianus, spatium scilicet quod inter tres turres, tendebatur, *contra ascensum firmissimi Anguli*, quem an ulum, constituit Villalpandus, in medio muri meridiani in eoque altissimam ac munitissimam turrim quæ vtramque muri partem colligeret, quam quidam putant ab Ozia constructam, 2. Paralipomen. cap. 26. vers. 9. alio modo, mensuram secundam interpretatur Beda apud Lyranum vbi ait, hic agi de reædificatione muri medii, & cum dicitur Azer ædificasse mensuram secundam, intelligendum, ædificasse portionem suam, in secundo muro, ergo iuxta illius sententiam, huc vsque, primus ciuitatis murus extructus est, & huic mensura secunda, id est, mensura muri interioris incipit, vnde dicitur plurimos ex constructoribus, qui in textu annumerantur, contra domum suam ædificasse, muro enim interiori, domus ciuitatis plurimæ, vel vicinæ erant, vel etiam coniunctæ; Bene autem additur, hoc eodem versu, *contra ascensum firmissimi anguli*, in angulis enim murorum, solet fortior murus ædificari, & sæpe desuper, turris erigi, ad defensionem vtriusque lateris, sic ille. Caietanus vero, murum hic, secundum altitudinem considerat, & primam putat esse mensuram, quæ altitudinem muri, ad dimidium attollit, secundam vero, quæ inde complet iustam illius altitudinem, atque ita fingendum animo est, murum alicubi prius humilem excitatum fuisse, puta quia sic exigebat præsens, ab hoste periculum, cum scilicet

Varia interpretatio mensuræ secundæ qua his ædificatur.

Muro interiori, ciuitatis, domus plurimæ erant vicinæ vel etiam coniunctæ

A esset proximus, & infesta omnia minaretur, nec aliunde, satis esset otii, vt ad summam altitudinem, murus assurgeret; & cum alii, primam extulissent mensuram, alios postea secundam addidisse, forte etiam vt exponit idem Caietanus, alicubi, propter loci naturam, & situm, prior mensura, satis erat pro ciuitatis munimento, in aliis locis, infirma prorsus fuisset munitio, nisi superaddita fuisset & altera, suam quoque coniecturam hic addit Sanctius, fortasse, duas istas mensuras priorem, & posteriorem, seu primam, & secundam,
B non tam ad altitudinem, quam ad ipsam muri longitudinem, referri debere, idque dupliciter intelligi posse, nam cum primum Nehemias metiretur, muri longitudinem, inquit, & eius partes aliis, atque aliis, ædificandas traderet, forte maiores illis, aut minores mensuras, assignauit, decem puta, aut viginti calamorum, & hæc vocata est mensura prima, deinde, cum plures, aut fortasse pauciores, apparerent, qui quod murorum esset reliquum, ad exitum vsque pertexerent, mensuram priorem, mutare coactus est, aut extendendo illam, si minor erat, aut fortasse etiam, si minor atque
C amplior esset, contrahendo, sic alii, aliter sentiunt, in re dubia, & cum ex hoc loco ad finem vsque capitis, sæpe eadem vox occurrat, *mensura secunda* quisque prout volet interpretetur.

Vers. 20. *Post eum in monte ædificauit Baruch filius Zachai mensuram secundam ab angulo vsque ad portam domus Eliasib Sacerdotis magni, &c.* Dicitur, hic Baruch *mensuram secundam*, id est duplicem, in monte ædificasse, quia mons Sion, circa angulum meridianum, & Orientalem, nonnihil assurgebat & in eo colle, erat domus Elia-
D sib Pontificis, ad cuius initium ædificauit, Baruch, valde autem falluntur, ex Saliani sententia, qui putant portam domus Eliasib, esse portam vrbis nam præterquam quod nulla erat porta vrbis ex latere Meridiano, Sionis, vt series ædificationis docet & narratio ipsius Nehemiæ qui inter portam fontis Occidentalem vsque ad Orientalem portam aquarum, nullam omnino portam memorat, textus hic meminit portæ domus, non portæ vrbis, sin autem superiorem Beda sententiam, de *mensura secunda* sequi placet, ædificasse Baruch censendus est

X V.

Porta domus Eliasib non fuit porta vrbis & aliquis sentiunt

mensuram secundam, in monte, quia A in secunda clausura, siue in secundo murorum ambitu, partem ædificauit muri, qui erat in ascensu montis, siquidem ciuitas partim erat in monte, partim in valle, partim in decliui, vt ex prædictis patet, iam vero quod sequitur in fine versus, *Vsque ad portam domus Eliasib*, iuxta eandem sententiem, exclusiuè sumendum est, nam domus summi Sacerdotis, erat intra murum interiorem, siue tertium, qui erat intermedius inter habitationem Sacerdotum & illam quæ propria erat nobilium, eademque claudebatur muro secundo, de quo, hic forte sermo instituitur, porro quod in B vulgata legitur *In monte ædificauit Baruch*, sic etiam vertunt 70. at Hebræa habent, vt annotauit Sa, *Excandescens seu, indignabundus*, quasi diceret, velut sibi irascens quod non citius fecisset.

Vers. 21. *Post eum ædificauit Merimuth mensuram secundam à porta domus Eliasib donec extenderetur domus Eliasib*, *&c.* Quod satis obscura locutione; alius sic ædificare dicitur *A porta domus Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib*, id est, vt interpretor, vsque ad finem domus, siue quantum extendebatur, domus, Hebræa & 70. habent, *vsque ad domus perfectionem*, quasi diceret, ædificauit per tantum spatium, C quanta erat domus, Inde igitur id est ab muri parte, quæ vicina erat domui Eliasib, secundum longitudinem meridianam, eiusdem domus, ædificauit Merimuth, cubitis quadringentis, ei enim duplex mensura tribuitur, ex quo intelligitur, quam ampla ea fuerit & in loco vrbis munitissimo atque pulcherrimo.

Vers. 22. *Post eum ædificauerunt Sacerdotes viri de campestribus Iordanis*, *&c.* Deinceps vt patet ædificauerunt Sacerdotes, atque imprimis viri de Campestribus Iordanis, sed quinam illi? nempe, ex illis, ac regione, in textu nominata, oriundi, sic inter- D pretor, tamen Emmanuel Sa, & Vatablus, volunt illic etiam, habitasse, licet suas quoque domos haberent, cum vellent, Hierosolymis.

Vers. 23. *Post eum ædificauit Beniamin, & Hasub contra domum suam*, *&c.* *Post eum*, scilicet *Merimuth*, ante dictum, sup. 21. *Beniamin, & Hasub*, singuli scilicet, singula muri spatia, *contra domum suam*, id est, è regione domorum suarum, *ædificauerunt* sicut & Azarias, qui ad angulum Meridianum, & Orientalem, domum habebat, vt constat ex versu proximè sequenti.

Vers. 24. *Post eum ædificauit Bannui mensuram secundam à domo Azariæ vsque ad flexuram & vsque ad angulum*, *&c.* Bannui geminam mensuram habebat, vsque ad flexuram, & angulum: Nam mons Sion, in parte Orientali, curuitatem aliquam, introrsum habebat, vbi excauata erat, natatoria Siloë, ad cuius formam, murus etiam inflectabatur, donec in medio, obtusum quendam angulum internum efficeret, ad quem vsque, vltra flexuram, ædificauit Bannui, quod totum spatium, quinque mensuras, id est mille cubitos continebat. Igitur per angulum, in textu notatum, intellige, angulum quendam, in muro præcipuum, ad quem porta erat, quæ propterea vocabatur, Porta Anguli, & Porta Beniamin, inter Aquilonem & ortum sita, vt placet Marianæ.

Vers. 25. *Phale filius Ozi contra flexuram & turrim, quæ eminet de domo Regis excelsa*, id est, *in atrio carceris*, *&c.* Ab illo insigni, & præcipuo muri angulo Phale cœpit ædificare, ad claudendam scilicet alteram partem anguli, vsque ad turrim, quæ eminebat de domo Regis excelsa, nempe domus Regis, erat Regia quondam Salomonis, quæ triplici ædificio constabat, iuxta Villalpandi Ichnographiam, ipsamet domo Regis, quæ à Septentrione respiciebat Templum, & in quod ponte supra voraginem Mello excitato penetrabat: in altero extremo, versus Meridiem erat domus Reginæ filiæ Pharaonis: in medio erat domus saltus Libani; carcer autem, ad turrim vnam domus exstructus erat, vel vna ex turribus eius carceri publico deputata erat, ad quam vsque turrim ædificans Phalel, donec ad prioris partis rectitudinem veniretur: ad extremum autem flexura huius erat porta dicta Fictilis, qua descendebatur ad natatoriam Siloe, & stagnum Salomonis dicebatur, portæ Fictilis meminit Hieremias capite 16. vers. 1. quam ita dictam vult Lyranus, quod iuxta eam figuli habitarent, vel à propinquo agro figuli, fuisse item prope Regiam domum carcerem vnum, vt ante dixi, satis indicat idem Hieremias cap. 32. vers. 2. vbi dicitur ille ipse Propheta

XVI.

Regia domus Salomonis triplici ædificio constabat.

Natatoria Siloë alio nomine dicta Stagnum Salomonis

Porta Fictilis vnde dicta.

clausus in atrio carceris, qui erat in A domo Regis Iuda, atque ibi fortes illi præsertim claudebantur, qui Maiestatem lædebant Regiam, aut contra Patriam, communemque salutem aliquid hostile moliebantur.

Ophel turris propinqua Templo.

Vers. 26. *Nathinæi autem habitabant in Ophel, &c.* Ophel vt apparet nomen fuit turris propinquæ Templo, ita tamen, vt extra murum interiorem, claudentem habitationem Sacerdotum visceretur, & ibi habitasse feruntur Nathinæi, seu Gabaonitæ, qui ministrabant ligna, & aquas in atrio Sacerdotum, vt sic quam fieri posset, Sacer- B dotum ipsorum habitationi forêt propinquiores, de ea sic Beda. *Turris erat,* inquit, *non longe a Templo altitudine eximia: vnde Ophel,* id est, *tenebrarum, vel nubium nomen accepit, quia nubibus caput inserebat,* & ibi in Zacharia iuxta vulgatum scriptum est, *& tu turris Gregis nebulosa,* bene dicitur in Hebræo, *turris Ophel,* in qua parte ciuitatis fuerit hæc turris, liber Paralipomenon ostendit, dicens Manassem ædificasse murum ad Occidentem, in conualle ab introitu portæ Piscium, per circuitum vsque ad Ophel: conue- C niebat ergo, vt concludit idem author, iuxta situm loci, vt ministri Templi in vicina Templi turre habitarent. Porro in ea vel turri, vel parte muri, vel reliquæ vrbis, quæ dicitur Ophel, multa dicuntur esse constructa à Ioatham, libro secundo Paralipomenon, capite vigesimo septimo, versu tertio, sic enim ibi, *ipse ædificauit portam domus Domini excelsam, & in muro Ophel multa construxit.*

Porta Aquarum vnde sic dicta.

Vsque contra portam Aquarum ad Orientem, &c. Igitur Absoluta flexura, rursum recta linea cœpit ædificare D Phadaia, quem secuti sunt Nathinæi, vsque ad portam aquarum, quæ recta respiciebat medium Regii Palatii interiecta platea, quæ platea portæ Aquarum vocabatur, & cuius quoque infra meminit Nehemias, cap. 8. vers. 1. Porta autem Aquarum septima est, iuxta recentiorum authorum opinionem, ad Orientem spectans, vt etiam in textu dicitur, sic dicta, quod forte, per eam aqua pluuia dilaberetur, quam in decliui loco, propterea statuunt nonnulli, quod tota ciuitas collectas ex cœnosa pluuia aquas per illam emitteret, & effunderet: aliam huius nominis originem indicat Sanctius, atque adeo, portam Aquarum sic dictam existimari vult, quod per portam illam maxima aquarum vis, ab aquatoribus, & lixis in vrbem inferretur, quod sane Hierosolymæ potius quam cum plurimis aliis ciuitatibus commune esse potuit, eoque Hierosolymæ potius, quam alibi sic factum probabile est, quod Nathinæi, qui & Gabaonitæ, id est, aquatores, & lixæ, vt supra diximus, iuxta illam portam habitarent, de quibus Iosue, cap. 9. vers. 21. *Sic viuent vt, in vsum cunctæ multitudinis ligna cædant, aquasque comportent.* Cæterum non satis intelligo, quemadmodum Lyranus portam Aquarum eandem esse velit, cum porta Fontis, de qua superius: nam cum porta Fontis, ad primum murorum ambitum pertineat, vt hic de secundo agatur, vix sane illud cohærere potest, nisi si dicatur, Nathinæorum habitationem peruenisse vsque ad eam secundi muri partem, quæ è regione responderet, in primo muro portæ Fontis, quæ eadem esset, cum porta Aquarum.

Porta Fontis eadem cum porta Aquarum censetur à Lyrano & quomodo id cohærere possit.

XVII.

Vers. 27. *Post eum ædificauerunt Thecueni mensuram secundam e regione a turre magna, & eminente vsque ad murum Templi, &c.* A porta Aquarum post Nathinæos ædificauerunt Thecueni Sacerdotes, duo murorum spatia, quæ è regione Regiæ, vsque ad vicum Ophel protendebantur: vnde murus ad substructiones Templi ductus erat. Sic nonnulli, quibus adde, *a turre magna vsque ad murum Templi,* inquit Nehemias, vbi aduertendum, murum Templi late in textu accipi, pro muro, qui claudebat habitationem Sacerdotum; quia habitatio media non poterat pertinere, vsque ad murum Templi: accipiendo murum proprie, sed tantum atrium Sacerdotum, & habitacula eorum, qui erant intermedia. In hoc autem spatio decliuitas erat respondens voragini Mello, aut valli, dictæ Tyropeon Iosepho, vbi & porta equorum aperiebatur, quæ angulum efficiebat, cuius meminit Hieremias, cap. 31. in fine. Inde autem equi ducebantur aquatum in torrentem Cedron, cuius decliuitatis apertum argumentum est, quod sequitur.

Vers. 28. *Sursum autem à porta Equorum ædificauerunt Sacerdotes, vnusquisque contra domum suam, &c.* Ex hoc loco videtur, non solos Nathinæos habitasse in vico Ophel, qui ab

hac porta equorum initium sumens, vsque ad extremum Templi quæ respicit Orientem, & aliquanto etiam vltra protendebatur. Putat autem Villalpandus, nomine domorum Sacerdotalium, hoc loco intelligi tantum quasdam eorum exedras, & officinas, quibus ea collocarent, quæ ad Templi ministeria sibi essent necessaria, nec propriam habitationem: cum hac famulari plebe habuisse, idque valde probabile faciunt, quæ sequuntur in textu, quod ad portam Equorum numero octauam, eiusque nominis originem spectat, varia est authorum coniectura, an forte sic dictam tantum existimes, quod inde, vt supra monui, equi ducerentur aquatum in torrentem Cedron: leuissima quidem hæc est ratio, ad eam, vt credibile est, equos ad cursum mittebant viri nobiles, cum in vrbe, saxosa scilicet, & inæquali; locus fortasse alius non esset, vbi se equitando exercent, vt equi ipsi expedito cursu discurrerent. Quid si id nominis sortitam dixeris, quia ibi equile Regium fuerit, vt varia in variis ciuitatibus Salomonem habuisse constat, ex lib 3. Reg. cap. 4. vers. 26. & lib. 2. Paral. cap. 9. vers. 25. hanc portam Equorum alio etiam nomine vocant nonnulli, quorsum nescio Portam Ephraim, nisi forte, quia illac iter esset, ad tribum Ephraim, ad Aquilonem sitam, vt aliquibus placet, licet alii ex Beda in Glossa significari velint, apud Hieremiam, hanc esse in Orientali plaga ciuitatis, & propterea ab eodem Propheta dictam portam Orientalem: sed ex communi fere omnium sensu, hæc ab illa distincta est, de porta Equorum paulo aliter, quam facimus, philosophatur Lyranus, vult enim locum fuisse, ad quem homines euntes ad Templum possent equitare, sed ex eo loco porro incedendo, reliquum iter pedibus conficere, de communi more, ac lege cogerentur: Sanctius vero, postquam ex lib. 4. Reg. cap. 11. vers. 16. annotauit indicari vnam tantum fuisse in ciuitate viam, per quam equi ingrederentur, & equites, & ex 2. Paral. cap 23. portam fuisse, quæ diceretur Equorum domus Regis, ex duobus illis locis, concludit duas in Hierusalem portas Equorum fuisse, alteram publicam in ciuitatis muro, per quam in ciuitatem ingrediebantur equites, alteram in Regia

Varia interpretatio nominis porta Equorum.

Porta Equorum vocata à nonnullis alio nomine porta Ephraim.

Sanctius ex scriptura duas statuit portas Equorum.

A domo, per quam exirent, & per aliam publicum egressi, aut agros animi gratia, aut ciuitates alias obirent, & sane solitum olim Salomonem cum equestri, eoque splendidissimo comitatu laxandi animi gratia in amœnissima loca secedere, narrat Iosephus lib. 8. Antiquitatum, cap. 2. vbi cum dixisset habere in aliis ciuitatibus equilia numerosa, subiicit Hierosolymæ, equos aluisse non paucos, ad captandas delicias, & ostentandum aliis suæ maiestatis splendorem eximium, *His*, inquit, *equis decus addebant equites, flos iuuentutis, procera statura, promissoque capillitio conspicui, & tunicas, & sarra-* B *na purpura induti, ad hæc ramentis auri capillum spargebant, vt ad solarium radiorum contactum fulgor è capitibus eorum reflecteretur*: hoc vero equites è Regia Salomonis domo prodiisse certum est, & per viam rectam incessisse, quæ ad portam Equorum deduceret, quia nimirum, intra vrbem, regius ille, & exquisitus splendor ostendendus erat, sic ille. Ergo à porta Equorum ædificauerunt Sacerdotes, inquit Nehemias, vbi vides, authore Beda, & Lyrano, hic tandem agi de reædificatione muri interioris, seu tertii, intra quem habitabant Sacerdotes, licet in fine retexatur aliquid de restauratione C muri medii: vnde dicitur in textu, *sursum autem, &c.* id est, *in superiori parte ciuitatis*, in qua erat Templum, *ædificauerunt Sacerdotes*, murum scilicet claudentem habitationem suam, & quod subiungitur *vnusquisque contra domum suam*, indicat domos Sacerdotum ex vna parte, iunctas fuisse muro, & ex parte opposita prospectum habuisse versus Templum.

Salomon & Hierosolyma, & in aliis ciuitatibus numerosa habuit equilia.

XVIII. Vers. 29. *Post eas ædificauit Sadoc filius Emmar contra domum suam.* Eos Sacerdotes qui ædificauerunt partem aliquam murorum deinceps nominatim recenset, *post eos*, inquit, scilicet *Thecuenos ædificauit Sadoc*, vel vt alii D legunt, *Seddo contra domum suam*: vnde autem suam firmet vel sententiam, vel coniecturam non scio, sed vult tamen Lyranus, istum non habitasse intra murum interiorem, sed extra, verùmtamen domum eius, ex vna parte iunctam fuisse, seu appropinquasse muro interiori, & ideo ibi ædificasse partem suam, *post eum ædificauit Semeias, custos portæ Orientalis*: sed cuius domum an Templi? an muri? cum agatur hic potissimum de Sacerdotibus, aut mini-

stris Templi, eorumdemque ædificatione, iuxta Templum, sic intelligo, *ædificauit custos portæ Orientalis*, supple, *Templi* quæ porta præcipua erat, atque inde, hoc est ab officio, & munere, eius ipsius custodiendæ, recte designatur Semeias, hunc secutus est Hanania. Hinc Hanun filius Saleph, qui & sextus in textu dicitur, quod quinque fratres se maiores haberet qui nihilominus mensuram secundam, id est, vt iam sæpius vocem illam interpretati sumus duo murorum spatia extruxit.

Vers. 30. *Post eum ædificauit Mosollam filius Barachiæ contra Gazophylacium suum, post eum Melchias filius aurificis vsque ad domum Nathinæorum.* Quod dicitur is ædificasse vsque ad domum Nathinæorum, intellige, vsque ad finem habitationis Nathinæorum, siue vsque ad finem Ophel, neque enim peculiaris aliqua domus eorum fuisse videtur, distinguebatur autem vicus Ophel, altero muro, qui ducebatur ab angulo Orientali, & Aquilonari, substructionum Templi & terminabatur in vrbis muro directo, vbi angulum efficiebat, ad quem erat cœnaculum, quod inde cœnaculum anguli, hoc versu, & sequenti dicitur. In medio autem illius muri quem dixi clausisse vicum Ophel, aperiebatur porta, quæ dicebatur Iudicialis, quam aliqui, non bene ad Caluariam collocant, cum tamen omnino propinqua esset, Templo, & portæ Gregis, videtur etiam nonnullis dicta à Nehemia, porta Custodiæ cap. 12. vers. 38. forte quod ea porta clauderentur Nathinæi, & ad eam eorum iudicia exercerentur, extra vrbem tamen non ducebat, sed nos de ea pluribus, mox infra.

Quid sint scrutarij siue scruta vendentes.

Et scruta vendentium, &c. Habent veteres quidam codices, *scuta vendentium*, sed melius recentiores, *scruta vendentium*, scruta autem, propriè res veteres sunt, vsu detritæ quas vendunt, mercatorum infimi, significat, igitur Nehemias ad locum, quem describit, fuisset Tabernas scruta vendentium id est res minutas, & viles, quales vulgo, illi sunt institores, aut circitores, qui Leuia vendunt, illisque onerati, perforum ac ciuitatem concursant, cuiusmodi sunt puerilia quædam ludicra, quibus imperiti populi fucato quodam splendore, oculos & animos capiunt, aut qui detrita quædam, & veteramenta, huc atque illuc

A venalia circunferunt; qui & scrutarii etiam dicuntur à Lucilio apud Gellium, lib. 3. quam scruta vendendi artem, post excisam à Vespasiano Hierosolymam, exercuisse Iudæos notat etiam Martialis lib. 1. Epigram. 98. sunt tamen qui dicunt, & in his Sanctius ad 3. Reg. cap. 10. vers. 25. licet scrutarii hoc plerumque magisque proprie significant quod diximus, tamen, & eo nomine compellari etiam eos posse, qui minuta vendunt, licet pretiosa, quæ exposita sunt in apothecis, qualia sunt aromata, & alia quædam, siue tegumenta, siue ornamenta corporum, & ad domesticos & familiares vsus necessaria, vocem quippe *Rochelim*, pro quo vulgatus transfert *scruta vendentes* patere latius, atque extendi magis, quam Latinam uocem, *scrutary* de his porro scrutariis, aut institoribus, qui scruta vendunt vide plura si voles apud Cælium lib. 19. cap. 16.

Post excisam Hierosolymā à Vespasiano artē vendendi scruta exercebant Iudæi.

B

XIX.

Contra portam Iudicialem, &c. Quam portam Iudicialem vocat, hic interpres, Pagninus nominat portam Præcepti: Ea, si vrbis erat, nona ordine numerari debet, quanquam eadem forte fuit, cum porta vetere, vt superius ex Lyrani sententia significaui. Adde quod notat Sanctius licet apud Iudæos, iudicia ad portas exerceri solita, res nota sit, atque adeo à nobis iam ante indicata, cum tamen ciuitas, multas portas haberet, nec credibile sit, in omnibus iudicialetribunal situm fuisse, quia plura essent fora, quam expediret neque omnes portæ, ex æquo ad hominum conuentus opportunæ esse soleant, hanc portam de qua hic agitur, eo videri fuisse loco, vt tractari in eo fine molestia iudicia, & causæ per commodè disceptari potuerint, atque adeo iudicialem vocatam quasi antonomasticè, quod inter iudiciales præcipua, aut negotiorum quæ ibi tractarentur pondere, aut hominum multitudine, quæ eo conueniret, maior haberetur. Hinc videas sex priores portas ciuitatis, quas præcipuas, siue principales dixeris, extructas quidem esse, quoniam euersæ erant, tres vero posteriores, si diuersæ ab aliis fuerunt, aut ad primum muri ambitum, singulæ pertinuisse censendæ sunt, non fuisse exstructas, quoniam integræ manserant, sic ex recentioribus interpretibus, opinatur Mariana postremo, notandum etiam in hoc

C

Quanam fuerit porta Iudicialis hoc loco indicata.

D

Sex priores portæ quæ præcipuæ, siue principales extructæ sunt quoniam euersæ fuerant aliæ non istē quia integræ mansērāt, ex opinione Marianæ.

sensu,

sc[illegible]it, atque adeo in toto huius operis decursu ambitum muri Hierusalem & portarum ordinem, describi sigillatim, vt ex præcedentibus constat. Quod si portis singulis adiunctæ fuissent cœli plagæ nihil penitus esset quod desideraretur, sed in eo exercenda fuere authorum ingenia, quos proinde in describenda exacte, & sub aspectum veluti ponenda amplissima ciuitate, atque in designandis cœli plagis quibus incumbunt singulæ, eius partes, præcipuæ, varios variè sentire, tanquam in re omnino difficili & obscura mirum videri non debet.

Vsque ad Cœnaculum anguli, &c. Ex hoc loco constat in angulo illo certo, iam à nobis supra obiter descripto, in quo scilicet plus spatii erat, quam in reliquo muro, quique iis domibus, aut vrbium claustris, pars est præcipua, & maxime firma, Cœnaculum fuisse constructum, id est supremum tabulatum, siue extremam contignationem, vbi & deambulare commode possent, qui eo ascenderent, & circumiacentes campos commode despicere, *per gulam* alii, aut *mænianum*, seu *subdiale tectum* vocant. Certe Diuus Hieronymus eiusmodi Hebræorum textu appellat *domata*, qualia fuisse videntur in hoc summo C muri angulo, quem describit Nehemias.

Vers. 31. *Et intra Cœnaculum anguli in porta Gregis ædificauerunt artifices & negotiatores*, &c. Bene quidem locus hic ædificationis designatur pro negotiatoribus, & artificibus, nec enim in muro interiori ædificauerunt, sed in muro medio, cui iungebatur domus eorum, in parte exteriori, quia eiusmodi conditionis homines, in tertia habitatione, siue intra primum murorum ambitum, cum vulgo ac fæce plebis habitabant, atque hinc manifeste videas quod paulo ante obseruandum dixi, licet toto capite, & quidem seruato fere ordine, primo de primi, secundo de secundi, ter-

A tio de tertii muri reædificatione agatur, extrema tamen parte, iterum de muri medii instauratione, sermonem institui, quod igitur reliquum erat spatium vnicum, ac Cœnaculo anguli vsque ad portam Gregis, illud exstruxerunt aurifices, & negotiatores, qui circa eum locum ad forum pecuarium habebant officinas, sicque perfectus est totius muri circulus, qui à porta Gregis fuerat inchoatus. At inquies, quomodo nusquam inter hosce muri constructores, numeratur Nehemias? cum tamen ipse de se dicat, cap. 5. vers. 16. *In opere muri ædi-*B *ficaui*, dici potest, quod Sanctius innuit, Nehemiam, honorem ædificii aliis tribuere voluisse, ipsum autem omnibus tenuioribus, opem tulisse vt sumptui pares esse possent; Nam quod aliqui, eum Basilicam vel Prætorium ædificasse tradunt; cum nihil de eo vel leuiter scriptura tetigerit, quo fundamento nitantur, non satis intelligo. Porrò ex iis omnibus, quæ tùm in textu, tùm in nostra textus ipsius explanatione continentur, patet, totam Hierosolymorum ciuitatem, duodecim portas habuisse in tribus lateribus, si minus re, saltem nomine distinctas. Nam in Meridiano, in quo prærupta rupes montis Sion nullum aditum C dabant, nullæ fuerunt, reliqua verò latera singula, quaternas habuerunt, si Chorographis facile omnium eruditissimis, fidem adhibeamus Orientale, portam Fictilem, portam Aquarum, portam Equorum, portam Gregis: Aquilonare portam Beniamin, portam Piscium, portam Veterem, portam Ephraim: Occidentale portam Anguli, portam Vallis, portam Sterquilinii, portam Fontis: aliæ autem portæ, vt bene etiam annotat Salianus, quas Adrichomius aliique afferunt, aut ad has pertinent aut extra vrbem non ducunt aut fictæ sunt, aut certe nouæ aliæ non veteri Hierosolymæ conueniunt, qua de re si otium est vide plura apud Villalpandum, lib. 3. cap. 26.

Negotiatores in primo muri Ambitu habitabant.

Cur inter constructores muri Nehemias ipse non numeretur.

In tribus lateribus Orientali, Aquilonari, Occidentali, 12. portæ statuuntur à Villalpando & alijs Chorographis.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis tertij.

In hæc verba, *Et surrexit Eliasib Sacerdos magnus & fratres eius, & ædificauerunt portam Gregis,* vers. 1. vsque ad finem.

ONGVM esset, (vt optime notat Beda, in hunc locum, & nos rursum infra obseruabimus) de singulis ædificiis, vel ædificatoribus, mysticè disserere, quæ etiam per se peritus lector potest agnoscere, atque adeo totum hoc tertium caput, breuem admodum, & strictam, seu Allegoriam, seu Tropologiam, continebit, nempe, tantum hoc notandum occurrit, eos qui portas & turres ædificant, per quas ciues ingrediuntur vel inimici arceantur, repræsentare Prophetas, Apostolos, & Euangelistas, per quos nobis forma fidei & rectæ operationis, per quam Ecclesiam intremus, ministratur, & quorum verbis, arduersarios veritatis redarguere, & repellere discimus, qui vero reliqua vrbis spatia extruunt, Pastores sunt, & Doctores, quos secundo loco posuit Apostolus, Ephes. 4. per quorum industriam, vsque hodie, tanquam per magnos architectos Ecclesiæ, fides Catholica per totum orbem seruatur, & sicut Nehemias typicus, ex ordine cunctos ciuitatis structores enumerans, perpetuæ memoriæ commendat, ita verus Nehemias & verus consolator nostræ paupertatis Christus Dominus omnium qui Ecclesiam in electis ædificant nomina conscribit in cœlo, quod ad Tropologiam, seu ad mores spectat propius, breuiter, & summatim, hic annoto, primum Pontifices & Sacerdotes primos esse ædificatores, & cæteris de populo, in instaurandis mœnibus ciuitatis Hierusalem, exemplo prælucere; ex quo intelligimus, ad Sacerdotes & Ecclesiam no-

Qui portas & turres ædificant mystice repræsentant Prophetas, Apostolos, & Euangelistas qui vel qua vrbis spatia exstruunt Pastores & Doctores.

A uæ legis pertinere, ex statu suo ac munere, vt primum ante alios omnes mysticæ Hierusalem, hoc est Ecclesiæ structuræ prouehendæ, deseruiant, & vita præsertim, ac moribus suis, reliquos fideles ædificent, illorum esse, vt sancto docendi, viuendique genere, Primo se omnium loco statuant, inter ædificatores, seu propagatores regni Christi, quod est Ecclesia; scimus dictum olim Hieremiæ, à Deo, Hierem. 7. vers. 10. *Ecce ego constitui te, vt ædifices, &c.* ad Apostolos dictum à Christo, *Posui vos, vt eatis & fructum* B *afferatis, & fructus vester maneat:* cum de prædicando Euangelio erigendaque Ecclesia, sermonem instituit, Ioann. 13. vers. 16. sic architectum se appellat, ipse D. Paulus, qui prima Ecclesiæ Corinthiorum fundamenta iecerit, primę Corinthiorum cap. tertio, versu sexto, *Vt sapiens architectus fundamentum posui*, inquit, vnde, *si quis non ædificat Ecclesiam Christi, nec subiectam sibi plebem instruit, vt de subiecto populo Christi Ecclesia construatur; iste nec Apostolus, nec Propheta, nec Euangelista, nec Pastor, nec Magister est appellan-* C *dus*, ait Diuus Hieronymus in epistol. ad Ephes. 2. Cæterùm per optimates Thecuenorum non supponentes colla sua in opere Dei, versu quinto, rectè intelliguntur qui in Ecclesia, Ecclesiasticâ fulgent dignitate, sed per negligentiam torpent, & carnali conuersatione fœdantur qui pulchra dicunt, magnaque prædicant, sed ea non exequuntur, de quibus ait Saluator Matthæi vigesimo tertio, *Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt ea super humeros hominum, digito autem suo nolunt ea monere*, similiter nobiles &

Sacerdotũ est sancto docẽdi viuendique genere primo se omnium loco statuere inter ædificatores seu propagatores Regni Christi quod est Ecclesia.

Vt Ecclesia tota ædificatur atque ex omnibus suis partibus consurgat non est satis Pastores & Doctores doctrina & vita exemplo ædificare nisi subiecta plebs eorũ labori respondeat.

potentes cum dicat Apostolus 1. Corinthiorum 1. *Quia non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos, sed abiecta mundi elegit Deus, vt confundat fortia*, nam & teste Gregorio: *Hos elegit Deus quos despicit mundus.* Ita Dionysius Carthusianus, quod hic annotato, & ad instituendos mores facit, istud est, & Sacerdotes, & populum simul, & Duces subditos, Magistratus & plebeios, vnà quemque pro sua virili parte, ædificare muros Hierusalem, neque enim satis est Pastores, aut Doctrina, & vita ædificare, nisi subiecta plebs, eorum labori respondeat collaborandum ipsis Euangelio est, vt in membra Ecclesiæ consurgant & spiritale illorum ædificium sursum euehatur: Hinc Apostolus vocat Ephesios recens fide Christi initiatos, *Ciues Sanctorum, domesticos Dei super ædificatos super fundamentum Apostolorum, ac Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio*, inquit, *constructa crescit in Templum sanctum in Domino*, addit, *in quo, & vos coædificamini, in habitaculum Dei, in Spiritu sancto*, Ephes. 2. vers. 21. & 22. quasi dicat, Ecclesia seu my- A stica Hierusalem, est domus, & Templum Dei, cuius fundamentum, sunt Apostoli, lapis angularis Christus est, parietes sunt Iudæi, & gentes, qui in dies assurgunt, cum ex Gentilibus, & Iudæis, quotidie plurimi Ecclesiæ inseruntur, & in spiritualem fabricam exurgunt, vos, ergo ô Ephesij, cum aliis Christianis simul inædificemini huic fabricæ, pro virili parte contendite, vt sitis lapides, partes & membra huius Templi, vt illud in dies altius assurgat, & crescat, fiatque ingens Templum, & habitaculum Dei, idque per Spiritum sanctum, qui sua gra- B tia & charitate, quasi glutino, & calce, fideles omnes conglutinat, & coagmentat, vt faciant vnum parietem, vnam domum, vnam Ecclesiam, hæc in genere dicta sint cum de illis qui instituendis ædificandisque aliis præfecti sunt, tùm de illis qui ædificandi sui curam suscipere tenentur, nunc speciatim magis, exquirendum est, quid in vnoquoque sit, Hierusalem mysticam, seu Ecclesiam ædificare, & quo fundamento, quibusue lapidibus constet, hæc spiritalis fabrica, quam in rem, sequentem dissertationem instituo.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis tertij.

Quid significent sex portæ Hierusalem reædificatæ, vers. 1. & sequentibus.

VIII. ETSI iam supra totam huius capitis Allegoriam summatim, ac breuiter perstrinximus, quia tamen sex portæ præcipuæ Hierusalem à Nehemia reædificatæ mysterium continent nec inutile ad mores, nec iniucundum, de illis peculiari tractatione dicendum est. Mysticè igitur & moraliter, exponendo sex portas Hierusalem, de quibus specialiter mentio fit à Nehemia, & quæ C fuerunt in exteriori muro claudente ciuitatem; sciendum est, Hierusalem in sensu allegorico, siue anagogico, significare ciuitatem cœlestem secundum quod dicitur, Galat. 4. *Illa quæ est sursum Hierusalem quæ est Mater nostra*: ad illam autem intratur, & liber aditus patet, per obseruantiam mandatorum, teste Christo Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, mandatorum autem quędã sunt negatiua, vt aiunt Theologi, à malo retrahentia, vt istud, *Non occides: non furtum facies, &c.* Alia affirmatiua, ad bonum inducentia, vt illud, *Honora*

Porta, quibus est aditus ad Hierusalẽ cœlestem, obseruantia mandatorum.

patrem: memento vt diem Sabbati sanctifices, &c. Illa igitur quæ à malo retrahunt, & illa quæ ad bonum inducunt, sunt portæ ciuitatis Hierusalem secundum illud Psalmistæ Psalm 36. *Declina a malo & fac bonum, &c.* Retrahentia vera à malo, tria sunt specialiter, vitii fœtor, iudicij terror, supplicii horror. Primum figuratur per portam Sterquilinii, secundum per portam Iudiciariam, tertium per portam Vallis, quia supplicium gehennæ secundum omnes Doctores est in profundis terræ. Inducentia ad bonum sunt tria similiter per oppositum, scilicet decor operis, dulcor fœderis, valor muneris, quia opus virtuosum operantem decorat, Deo fœderat, & æternam beatitudinem meretur, seu comparat. Primum designatur per portam Dauid, qui interpretatur *Vultu desiderabilis*, secundum per portam Fontis seu Aquarum, quia aqua gratiæ fœderat Deum cum homine, tertium per portam Negotiatorum, quia per opus virtutis cõmutantur pro terrenis cœlestia, & pro tẽporalibus æterna. Ita satis subtiliter Lyranus hoc loco, sed ad peculiarem, magisque expressam vniuscuiusque portæ expositionem mysticam vt descendamus, video non inepte dici posse cum Beda 1. portam Dauid, quæ & alio nomine, porta Piscium dicta est, vt in litera annotauimus, ædificari in Hierusalem, cum illi gradus ordinantur in Ecclesia, per quos, electi à reprobis, quasi boni pisces à malis segregati, ad consortium perpetuæ pacis inferantur, typicè enim, sicut fideles, passim, *grex Domini*, sic etiam *pisces* solent appellari: vnde sicut olim Christus Dominus dixit Petro, Ioann. 21. *Pasce oues meas*, ita etiam eidem cum Andrea & cæteris Apostolis promittit Matth. 4. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*: de quibus item piscatoribus per parabolam hanc, dicitur Matth. 13 *Elegerunt bonos pisces in vasa, malos autem foras miserunt*. Hinc Tertullianus, Christianos pisciculos vocat, & Christum ἰχθὺν, id est piscem nostrum: ædificatur itaque porta Piscium, cum illis virtutum operibus fideles seruiunt quibus intuentes se proximos à fluctibus perturbationis, & concupiscentiæ mundialis ereptos, ad tranquillitatem, ac pacem vitæ spiritalis introducant. Addam ego libens vnumquemque nostrûm, in Hierusalem, portam Dauid, seu Piscium, ædificare, cum non operis boni decorem modo, seu speciem amabilem considerat, vt aditum sibi in Hierusalem cœlestem paret, ipse, ac præmuniat, (quod ait supra Lyranus) sed etiam cum tot & tanta Dei beneficia, amorisque ipsius in nos immensi, tam illustria vbique monimenta, secum attentus contemplatur, & ex illa contemplatione, tam munifici donatoris, & amore succenditur, & illius videndi in Cœlo, atque æternæ gloriæ consequendæ vehementi desiderio marcescit. Dauid etiam interpretatur, *Amabilis Domini*, aut *Amatus à Domino*: & is in diuinis beneficiis, mente retractandis, persentiendis, decantandisque, vbique totus est, & nos quidem, si quid de Deo, vt par est, sapimus, ab ipsius donis, ac beneficiis circumcingi, nos vndequaque, & in iis veluti hærere, ac fluitare, vt in Oceano pisces, sentire debemus, magnum autem habet momentum, vti omnes norunt ad excitandos animos deducendosque in cœlestem patriam, diuinorum beneficiorum consideratio. De porta Iudicii, aut Iudiciaria, quæ & porta vetus dicta est, præter id quod ex Lyrano supra dictum est, hoc quoque habeo dicere, illam ędificari in Hierusalem, cum verbum fidei, & dilectionis, quod ab initio sanctæ Ecclesiæ traditum est, vel recuperari in errantibus, vel in nuper credentibus, cœperit institui: porta vetus, per quam in cœlum, hoc est ciuitatem Sanctorum, introducimur, illa, est cuius Ioannes meminit, cum Dei dilectione loquitur, 1. Ioann. 2. *Charissimi non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus quod habuistis ab initio*: Porta vetus, mandatum vetus, quod & nouum etiam à Christo dicitur, quia in noua lege, quam instituit, vt exemplo sæpius, ac potentius docuit, & verbo enixius commendauit, vnde & hoc eodem capite, post ædificationem huius portæ veteris subiungit illico, consequenter Nehemias, *Et dimiserunt*, id est, *extenderunt Hierusalem vsque ad murum plateæ latioris, &c.* Siquidem mysticè murus plateæ latioris, in Hierusalem, firmitas est, & munimentum perfectæ dilectionis, in cordibus electorum, ad quem instructores eius ædificando perueniunt, cum in operibus charitatis proficiendo, conditori, & adiutori

Mandatorum quædam ad bonum inducant, quædam à malo retrahũt, alia affirmatiua, alia negatiua.

Vitij fœtor qui à malo retrahit per portam Sterquilinij figuratur.

Per portã Iudiciariã iudicij horror, per portam Vallis supplicij horror.

Per tres portas Dauid scilicet Fontis, seu Aquarũ, & Negotiatorum tria designantur quæ ad bonum impellunt, decor operis, dulcor fœderis, valor muneris.

IX.

Fideles vt passim oues & grex Domini, sic & pisces quoque solent appellari.

Ædificatur porta Piscium cum fideles virtuti seruiunt, & alios à mũdi fluctibus ereptos ad

sanctioris vitæ tranquillitatem introducunt.

Ædificare portam Piscium siue Dauid dici potest, qui sic diuina beneficia contemplatur vt per eorum contemplationem aditum sibi in cœlestem Hierusalẽ præmuniat.

Vt in Oceano pisces, sic nos in donis Dei ac beneficiis hæremus veluti ac fluitamus.

X.

Porta vetus seu Iudiciarij verbum fidei & dilectionis significat.

Mandatũ dilectionis & vetus & nouum.

ſuo dicere poſſunt, *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum*, illa nimirum dilatatione mentis illuſtratæ, quæ & amicum in Deo, & inimicum diligere poſſit propter Deum. Iam vero ad portam Vallis ſymbolice intelligendam, multum confert, illud Pſalm. 64. *Et valles abundabunt frumento*, id eſt ſi myſticum ſenſum ſequimur, humiles abundabunt donis ſupernæ refectionis, iuxta illud 1. Petri 5. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Vnde porta Vallis, porta humilium eſt, quæ tum in Hieruſalem ædificari cenſetur, cum vel imbutis nuper per notitiam fidei electis, vel reparatis in caſtitate fidei, his qui aberrauerant à Doctoribus veritatis, inter alia virtus humilitatis obſeruanda præcipitur, per quam maiore Dei gratia ſublimari mereantur. Et bene quidem, & (vt obſeruat Beda) poſt portam veterem, & murum plateæ latioris, porta Vallis ædificatur, quia nimirum poſt rudimenta Catholicæ fidei, quæ per dilectionem operatur, neceſſe eſt, vt humilitas, quæ eſt cuſtos virtutum, nobis tenenda inſinuetur, vt iuxta præceptum Sapientis Eccleſiaſt. tertio, quanto maiores ſumus, humiliemur in omnibus. De porta Sterquilinii illud ſatis eſt, vt eam in Hieruſalem ædificare dicantur, qui illos in ſanctæ Eccleſiæ miniſterium ordinant, per quos vitiorum ſordes ab electorum mentibus expurgentur. De porta autem Fontis *Siloe*, ex Beda iam proxime citato, ſic accipe, *Siloe*, quod interpretatur *miſſus*, vbi cæcus natus, & illuminatus eſt, Dominum Saluatorem, qui ad noſtram illuminationem à Deo Patre miſſus eſt, ſignificat, cuius fons aptiſſime item Pater, ex quo natus eſt, poteſt intelligi, de quo bene Pſalmiſta Pſ. 35. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen*, atque ita porta Fontis ædificatur in Hieruſalem, cum ordinantur in Eccleſia Doctores, qui fidem diuinæ æternitatis populis prædicent: ædificantur & muri piſcinæ Siloë, ſicut in eodem textu narratur, cum firmiſſima, & inexpugnabilia ſcripturarum teſtimonia quibus Sacramentum Dominicæ Incarnationis deſignatur, in mente fidelium radicantur. Tandem de porta, quam Negotiatorum vocat Lyranus, & alio nomine porta Gregis appellatur: quod notat in hunc locum Gloſſa ordinaria, cum ad litteram admodum non pertineat, myſticum eſt, atque obſeruatione non indignum, & ad mores etiam obiter conferre poteſt, cum ait, *bene ædificantibus Sacerdotibus adiungitur, vſque ad turrim centum cubitorum, ſanctificauerunt eam vſque ad turrim Hananeel*, ædificant enim Sacerdotes in centenario numero cubitorum, cum omnes quos erudiunt in amore, & deſiderio æternorum incendunt: nam per centum quæ in computo digitorum, hoc eſt, in antiqua numerandi ratione per digitos, de læua

B tranſeunt in dexteram cœleſtia bona figurantur, quæ comparatione terrenorum quaſi dextera ad ſiniſtram ſunt, qui etiam portam, quam ædificauerunt ſanctificaſſe referuntur, quia Sacerdotum eſt, ſua opera ſanctificatione ſpeciali præ cæteris digna facere, atque inſtanter agere, vt quæcumque ſibi iunguntur, nomen Domini in ſeipſis bene viuendo ſanctificent, & illi quidem huius portæ Gregis, Templo vicinæ, quæ proinde ad Sacerdotes, & Templi miniſtros peculiari ratione pertinebat ædificium, per centum cubitos extenſum, vſque ad tur-

C rim Hananeel, id eſt, *gratia Dei*, ſanctificant, cum ab initio fidei, vſque ad firmitatem bonæ actionis, quæ nonniſi Deo inſpirante, atque auxiliante perficitur, ſola æterna retributionis intentione pertendunt. Paulo aliter quam nos interpretatur in ſenſu myſticq portas Hieruſalem Dionyſius Carthuſianus: nam poſtquam ſignificauit hoc loco per Nehemiam Chriſtum intelligi, qui militantem ædificauit Eccleſiam, cuius cooperatores fuerunt glorioſi Apoſtoli, cæterique diſcipuli,

D ac Prælati, Prædicatores, atque Doctores, quorum quiſque domum, ſeu congregationem ſibi commiſſam ædificauit exemplo, & doctrina: ſubdit porro per ſeptem portas, puta per ſex portas ciuitatis, & per portam Equorum: recte intelliguntur ſeptem Eccleſiaſtica Sacramenta, per quæ ad cœleſte Regnum pertingitur, vel ſeptem dona Spiritus ſancti, ſeu tres virtutes Theologicæ, & quatuor Cardinales: ſpecialiter demum per portam Gregis deſignatur ſpontanea reſignatio ſui ipſius, & mortificatio propriæ voluntatis, ſeu crucifixio propriæ carnis, cum vitiis, & concupiſcentiis, per quæ omnia offert ſe homo ſuo Creatori, ſicut per portam Gregis inducebantur, pe-

Porta Vallis, porta humilitatis, quæ ædificatur, cum obſeruanda præcipitur.

Humilitas cuſtos virtutum inſtanti ſtudio tenenda.

Portam Sterquilinii ædificant, qui eos [illegible] in Eccleſia per [illegible] [illegible]

Fidem diuinæ æternitatis prædicare eſt portam Fontis Siloe myſtice ædificare, & firma ſcripturarum teſtimonia in fidelium a-

nimis infigere, quibus Incarnatio deſignatur, eſt muros piſcinæ Siloe exſtruere.

Ædificant Sacerdotes in centenario numero cubitorum, cum eos quos erudiunt ad amorem æternorum inflammant.

Cœleſtia bona terrenis comparata, quaſi dextera ad ſiniſtram ſunt.

Per ſeptem portas ciuitatis ſeptem Sacramenta, vel ſeptem dona Spiritus ſancti, vel tres virtutes Theologicas, & quatuor Cardinales myſtice intelligit Dionyſius Carthuſianus.

cora immolatitia Domino offerenda. Per portam Piscium figurata est prædicatio Euangelii, per quam homines quasi pisces capti Christo incorporantur, qui dixit ad summum Apostolorum Matth. 4. *ex hoc iam homines eris capiens*: per portam Veterem intelligitur cognitio scripturarum veteris Testamenti, per quam fides corroboratur: per portam Fontis effusio lachrymarum desiderio Regni cœlestis, seu copia gratiarum, vel aqua Sapientiæ salutaris: per portam Vallis sancta humilitas: per portam Sterquilinii recognitio propriæ defectuositatis, & expurgatio vitiorum: per portam Equorum fortitudo, feruor, velocitas Prædicatorum, ac Prælatorum, quorum est Christum vndique circumferre. Et hæc quidem fere sufficiant ad tractationem hanc Allegoricam absoluendam, longum enim esset, vt iam supra significauimus, de singulis sanctæ ciuitatis recens instauratæ, aut portis, aut turribus, aut ædificiis, mystica, atque spiritali interpretatione disserere, & cum tantum hoc vniuersim notandum esse diximus, qui portas, & turres ædificant, per quas, vel ciues ingrediantur, vel arceantur inimici, ipsos esse Prophetas, Apostolos, & Euangelistas, à quibus forma ipsa, & ordo fidei, ac rectæ operationis, per quam in vnitatem sanctæ Ecclesiæ intrare debemus, nobis ministrata est; è quorum verbis, quemadmodum aduersarios veritatis redarguere, ac repellere oporteat intelligimus: iuuat hic addere sic Apostolos, & Doctores pro ædificatoribus portarum, & turrium Hierusalem mysticæ, id est, Ecclesiæ haberi, censerique, vt & illi ipsi, eandem ob causam portæ etiam dicantur mysticæ, & spirituales. Certe sanctus

A Hieronymus in cap. 48. Ezech. Augustinus & Rupertus, per duodecim portas Hierusalem cœlestis, Apocalypsis cap. 21. vers. 12. accipiunt duodecim Apostolos, hi enim sunt Patriarchæ, Duces, & capita omnium fidelium, & Sanctorum, quippe qui eos sua prædicatione, & labore, ad Ecclesiam primo militantem, deinde triumphantem vocauerunt, & adduxerunt: & quoniam magna est Hierusalem terrestri, cum cœlesti cognatio, frequensque commercium, Salmeron in Prolegomenis tractatu 20. & Villalpandus, tomo 3. in Ezechielem, & Adrichomius in Chorographia Hierosolymæ, censent loco citato Apocalypsis, his verbis: *& habebat murum magnum, & altum, habentem portas duodecim, &c.* Alludi ad portas Hierusalem terrestris, siue fuerint tempore Dauidis, & Salomonis, duodecim vt existimant præ dicti authores, siue tantum nouem, vt Arias Montanus, Alcazar, & alii nonnulli asseuerare videntur, de quo in expositione literæ disseruimus, vnde nihil mirum, si qui vnius ciuitatis, & portæ, & fundamenta dicuntur, iisdem quoque alterius censeri debeant. De illis præclare omnino sanctus Augustinus, in illud Psal. 8. *Fundamenta eius*, Sionis puta, id est, Ecclesiæ, seu Hierusalem mysticæ, *in montibus sanctis: quare*, inquit, *fundamenta Apostoli, Prophetæ? quia eorum authoritas portat infirmitatem nostram, quare sunt portæ? quia per ipsos intramus ad Regnum Dei: prædicant enim nobis, & cum per ipsos intramus, per Christum intramus, ipse est enim ianua, & cum dicuntur duodecim portæ Hierusalem, & vna porta Christus, & duodecim portæ Christus, quia in duodecim portis Christus.*

XII. Portæ 2. Hierusalem Apocalyp. 21. duodecim Apostoli, ex sensu D. Augustini, Hieronymi & Ruperti.

B *Apocalyp. 21. alluditur ad 12. portas terrestris Hierusalem.*

C *Vna porta, & duodecim portæ Christus, quia in duodecim Apostolis Christus.*

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis tertij.

Morale, *De ædificatoribus Hierusalem mystica.*

Ædificare Ecclesiam, seu corpus Christi mysticum in se esse, sanctè vitam instituere, prouehi in dies, ac crescere in virtute, & potissimum in Gharitate.

III. In ædificio spirituali iidem lapides sunt & ædificatores.

N hoc ædificio A spirituali, seu ædificandi genere mystico, iidem & lapides sunt, & ædificatores iidem & domus, & materia, ex qua domus componitur, qui ædificat ex se, atque in se materiam vnde ædificet, assumit, vt vere lapides viui, ac spirantes dicamur, dum fabricam nostram extruimus, sic nascentis Ecclesiæ Christianos compellat Apostolorum Princeps Epist. 1. cap. 2. vers. 5. *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini*, seu, vt ait Beda, quosdam legere, *sursum ædificamini domus spiritualis, &c.* vel *in domum spiritualem*, B vt legit D. Augustinus in Psalm. 86. vbi quemadmodum excitemur ipsi in domum spiritualem, ædificemurque: sic paucis comprehendit. *Erigeris*, inquit, *in hanc fabricam affectu pio, religione syncera, fide, spe, charitate, & ipsum ædificare, ambulare est.* Dum ergo in terra positi, domum ædificamus in cœlis, & nos ædificantes ipsi, & domus quoque ipsa, & lapides sumus, sed iuuante summo omnium artifice, qui & operante eius gratia, & primum agit artificem, & primarium fabricæ fundamentum, & summum, & imum in ædificatione nostra Christus est, & fundamentum, & lapis angularis: *Fundamentum aliud nemo potest ponere,* C *præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus*, ait Paulus 1 Corinth. cap 3. Fundamentum itaque nostrum non in imo, sed in summo est, vnde D. August in Psalmum centesimum vigesimũ

Erigimur in fabricã spirituale fide, spe, & charitate.

Christus ædificationis nostra, & summũ, & imum, & fundamentum,

primum. *Fundamentum quando ponitur in terra, desuper ædificantur parietes, & pondus parietum ad ima tendit, quia in imo positum est fundamentum, si autem fundamentum nostrum in cælo est, ad cælum ædificamur, corpora ædificauerunt istam structuram, quam videtis, amplam surrexisse huius Basilicæ, & quia corpora ædificauerunt, fundamentum in imo posuerunt, quia vero spiritaliter ædificamur, fundamentum nostrum in summo positum est: illuc ergo curramus, ibi ædificemur, si ad terram ædificaremur, in imo ponendum esset fundamentum nostrum; iam vero quia cælestis est fabrica nostra, hinc ad cælos præcessit fundamentum nostrum,* ait idem D. Augustinus in Psalm. 85. B quia scilicet origo, & principium Ecclesiæ est è coelo. Iam vide, quam germanè cum Apostolis Petro, Pauloque consentiat sanctus Ignatius, in Epist. ad Ephesios. *Iesus Christus*, inquit, *fundauit vos super petram, vt lapides electos, aptos ad diuinum ædificium Patris sublatos in altum per Christum, qui pro nobis crucifixus est, perpendiculo vsos, Spiritu sancto, fide vero subductos, & charitate eleuatos à terra in cælum*: lapides itaque in hac spiritali fabrica, viui, & electi sumus, vt ait D. Petrus, si tamen viui: & ex omni parte politi, perfecti, atque quadrati, in quem locum, sane quam aptissime, sic differit D. Hieronymus: *cum fuerimus viui lapides, ex omni parte dolati, leues, politi, nullam habentes scabredinem, vitiorum puta, ædificabimur in Templum, & fiemus habitaculum Deo, condeturque in nobis arca testamenti, custos legis Domini, & Cherubim, scientiæ multitudo, vt interiora*

& lapis angularis.

Quia fundamentum nostrum in cælo est sursum mens attollenda, & ædificandum in cælo est.

pectoris nostri in nouum vocabulum transeant, dicamusque Debir, id est, *oraculum, siue responsorium, & locutorium Dei.* Sic ille, at vero D. Augustinus in

IV. Psalm. 86. docet nos Ecclesiæ, quasi cœlesti fabricæ debere coaptari; sed conquadratos primum, & expolitos, vt scilicet cum ea compacti, coniunctique ædificemur, & consequenter, Christianum quemque, debere esse instar quadrati lapidis, qui, quoquo versum, aut cadat, aut subsidat, aut impellatur, firmus stat. *In omni tentatione sua Christianus non cadit, & si impellitur, & si qua vertitur, non cadit: nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat, cadere visi sunt Martires, cum percuterentur*, sed quid dixit vox Psalmi 36. *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam: sic ergo conquadramini, ad omnes tentationes parati, quicquid impulerit, non vos euertat, stantem te inueniat omnis casus*: non longe his absimilia habet in Psal. 121. cum ait statim initio: *ipsa modo ciuitas ædificatur, præciduntur de montibus lapides, per manus prædicantium veritatem, conquadrantur, vt intrent in structuram sempiternam, ad hæc multi lapides in manibus artificis sunt, non cadant de manibus artificu vt possint perfecti coædificari, in structuram Templi*: sin ex quarum præcipuè virtutum materia, tota hæc ædificatio coagmentata, consurgit, crescitue in dies singulos, & ad fastigium vsque tandem perducitur, exquiris, sic Leuiter, ac cursim, quodammodo indicare quispiam possit primum, in hac fabrica, & spirituali Hierusalem exstruenda, oportet iacere solidum fundamentum fidei, vt iam supra ex sanctis Patribus audiuimus, nec cuiusuis fidei sed viuæ & efficacis, hæc quippe sanctos olim incitauit ad opera ardua virtutum, ex quibus spiritualis fabrica componitur, vt docet Apostolus toto cap. 11. ad Hebræos deinde super illud fundamentum operæ pretium est, exædificare, parietes binos Timoris, & Spei magnanimæ, his super addere par est quatuor virtutes Cardinales, cæterasque eis annexas, tandem pauimentum Humilitate sternatur, tectum Charitate contegatur, & si voles, turris orationis & contemplationis erigatur ex qua hostium insidias speculemur & Dei cœlitumque opem imploremus, sed præstat in hanc sententiam vt plenius

Christianus debet esse instar quadrati lapidis qui quoquo versũ impellatur firm' stat.

Ex quarũ virtutum materia ædificium spirituale cõponitur.

Fundamẽtum fides.

Duo parietes Timor & Spes.

Pauimentum Humilitas.

Tectum & Charitas.

A & fusius differentem audire beatum Dorotheum, qui tomo tertio Bibliothecæ sanctorum Patrum doctrina 14. fabricam nostram mysticè componit erigitque, & ad ædificationem, vel instaurationem domus spiritualis, suos ita instruit, *Primum*, inquit, *iacienda sunt fundamenta quæ fides est sine qua impossibile est placere Deo, constitue deinde supra fundamentum ædificium excellentissimum intercidit obedientia? adijce lapidem obedientiæ, irasceris fratri à quo iniuriam accepisti? apponat virtus, alterum patientiæ lapidem, singula* B *deinde adiecta virtutes, singuli lapides erunt, charitas annectit parietem parieti; Bitumen humilitas, quæ cæteris virtutibus, vt tales sint, efficit, tectum amior Dei corona quæ supra tectum præcipitur in lege adhiberi ne paruuli cadant, prudentia est, in hoc ædificio exextruendo nostra desudet industria vt habere inhabitantem Spiritum sanctum possimus, ille domum conseruabit, nisi desides ipsi fuerimus, ne spirantibus, mundi, a quatuor angulis flatibus, subito in terram cadat*, paulo aliter, sed nec minus vtiliter philosophatur: D. Innocentius Papa III. Serm. 2. in Communi Apostolorum, vbi de di- V.
C uersis ciuitatibus Dei, nimirum, cœlesti, terrestri, spirituali, & corporali, differit, *Ad hunc modum*, inquit, *spiritualis ciuitas, habet fundamentum, & muros, & turres, & portas, fundamentum animæ fides est*, de qua dicit Apostolus, Heb. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*, scriptum est enim Isaiæ 7. *Nisi credideritis non permanebitis, quatuor animæ muri sunt quatuor principales virtutes, Iustitia, Fortitudo, Prudentia, Temperantia; murus Iustitiæ respicit Orientem per quem timentibus Deum oritur Sol Iustitiæ, qui illuminat* D *omnem hominem, venientem in hunc mundum, murus fortitudinis respicit Aquilonem, per quem, occidua fugimus, quæ secundum Prophetam ab Aquilone panduntur, murus temperantiæ respicit ad meridiem, per quem, illecebras coercemus, quibus concupiscentiæ feruor ardescit, murus prudentiæ respicit ad Occidentem per quem occidua fugimus ne cum ipsis infeliciter occidamus turres animæ sunt dona spiritus septiformis*, quæ Isaias enumerat cap. 11. dicens, *Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis & replebit*

Turris erecta orationis & contemplationis.

Quatuor animæ muri, quatuor virtutes Cardinales.

Turres animæ dona Spiritus sancti.

Porta; Charitas;

plebit eum spiritus Domini, sed vt breuiter transeam, anima porta est Charitas, ianua vero Spes, cætera virtutes sunt propugnacula, sic ille ex quo authore, vt & aliis superioribus, abunde tibi est super quo labores, quodque diuturno opere ædifices, exquirendi iam sunt, qui hanc spiritalis fabricæ materiam, versent, tractentque studiosè, & qui operi moliendo manum diligenter admoueant, si Apostolum consulis confestim inuenias, egregiè siquidem expressos & adumbratos, habes ædificatores, mysticæ Hierusalem Ephes. 4. vers. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c. quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autē Pastores, & Doctores ad consūmationē seu*, vt vertit Vatablus, *ad instaurationem Sanctorum*, vt scilicet, homines per peccatum prolapsi, reparentur, instaurentur, & renocentur, ad primæuam sanctitatem, *in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi*, Ecclesiæ scilicet, vt tanquam ædificium spiritale sensim assurgat, numeroque, ac virtutibus proficiat, donec tandem absoluatur, & omnibus suis partibus, omni ornatu, ac perfectione compleatur, & consummetur, vt interpretatur D. Anselmus, vnde, & Apostolus ibidem vers. 15. *Veritatem autem facientes, in charitate, crescamus in illo, per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum, per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem & mensuram vniuscuiuscumque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate*, quibus verbis, id potissimum satagit Apostolus, vt *veritatem facientes*, id est, debita Christianismi opera exequentes, hoc est enim veritatem facere, actionis & vitæ, quæ nihil est aliud quam rectitudo, & conformitas qua actiones nostræ respondent, suæ regulæ, vt scilicet conformes sint vero iudicio practico, rationi, legi, voluntati Dei, & præscripto virtutis, *in charitate*, id est, per charitatem, & charitatis opera, *crescamus* inquit, Græcè αὐξήσωμεν, augescamus: iuxta Vatablum adolescamus, secundum alios, grandescamus, vt vertit Theophylactus, augeamus, tam bona opera, quam fidem, tam sanctam vitam, quam vera dogmata, vt cum Theophylacto interpretatur, etiam D. Chrysostomus sed, *crescamus in illo*, Christo, scilicet, qui tanquam caput, influit gratiam

Qui sint strenui ædificatores Hierusalē mystica.

Paraphrastice exponitur locus Apostoli Ephes. 4. vers. 11.

A & vim crescendi in reliqua membra corporis mystici quod est Ecclesia (ita vt corpus hoc & singula ei⁹ mēbra crescant in Christo, id est, Christi capitis sui virtute, & influxu. & vicissim Christus, quasi caput in suo corpore Ecclesia videlicet, dum enim Ecclesia crescit, crescit veluti Christus, id est Christi, influxus, fides, gratia, operatio, gloria, & regnum, hinc optat, *vt crescamus in illo per omnia membra* scilicet, *seu per omnia*, id est, quaquaversum, in longum, puta, latum, & profundum, omni dimensionis genere, nempe, omnibus donis, gratiis, & virtutibus, charitate enim crescente,

B crescunt pariter in homine, omnia dona, & virtutes, addit, *Ex quo* Christo, nimirum capite, *totum corpus compactum, & connexum sicut membrum membro, per omnem iuncturā subministrationis*, id est, per commissuram, qua vnum membrum membro alteri committitur, subministrantem puta, spiritus animales, ac vitales, quod idem est, ac si dicat, per mutuam vnionem, qua nobis subministratur, gratia Christi, capitis nostri, secundum operationem κατ' ἐνέργειαν, id est, ex vi intus agente, & operante ipsius, in mensuram vniuscuiusque membri, id est, pro modo, natura

C & conditione, cuiusque, *augmentum corporis facit*, supple corpus ipsum, *in ædificationem sui*, ita, vt, se ipsum ædificet, compleat, & perficiat, hoc corpus, quod est Ecclesia, *in charitate*, id est per charitatem, quasi dicat, Charitas est illa membrorum iunctura siue commissura quæ singulis membris, id est fidelibus subministrat alimentum, spiritum, vegetationem, & vim crescendi, ita vt crescentibus singulis, totum corpus Ecclesiæ crescat, ædificetur, & perficiatur, hic itaque subsisto in charitate & quod ad rem no-

D stram pertinet, vocem Apostoli expendo, obseruoque in summa, totius corporis mystici de quo loquitur, caput esse Christum, corpus ipsum Ecclesiam, membra singulos fideles, iuncturam, mutuam fidelium vnionem, & communicationem, animam, Fidem, & Charitatem, spiritus quodammodo vitales, & animales, esse gratias, præuenientes, & excitantes, quæ à cerebro, id est à Christo, descendunt, & singulis membris, id est fidelibus inspirantur, ac licet, vt iam ante insinuauimus, Charitas in hoc corpore adaptari iuncturæ possit, & quod

Dum Ecclesia crescit Christus etiam crescit.

VI.

Corporis mystici de quo loquitur Apostolus loca citato Ephesiorum, caput Christus, corpus Ecclesia, membra fideles, iunctura, & fideliū vnio, anima Fides & Cha-

vitas, spiritus vitales & animales gratiæ prævenientes & excitantes quæ à capite id est à Christo descendunt in singulos fideles, tanquam in corporis membra.

dicit Apostolus per omnem iuncturam explicari videatur per id quod subdit *in charitate*, tamen, iunctura quoque accipi potest, & fortè melius, pro mutua vnione membrorum, eorumque inter sese concordia, & communicatione: Charitas vero pro anima, totius corporis, id est Ecclesiæ, quod satis apertè significare videntur, verba Apostoli, *Augmentum*, inquit, *corporis facit in ædificationem sui in Charitate*, vbi Syriaca versio habet, *Ad incrementū ipsius corporis cuius ædificium Charitate perficitur*, nec enim, alia fingi potest, huius corporis mystici anima, quam Fides, & Charitas, nec vlla pars, in hoc corpore nobilior, quam Charitas ipsā, vt mirum non sit, quod versu præcedenti dixerit, idem Apostolus, *In Charitate crescamus in Christo, qui est caput per omnia*, sic igitur in hoc negotio, Charitatem, animo comprehende, quasi animam, & spiritum Ecclesiæ, cuius beneficio, dum ipsa crescit, crescere dicatur, totus homo in Christo. & singulis fidelibus, hoc modo, in Fide, & Charitate crescentibus, totum etiam Ecclesiæ corpus, augeri perficique, magnitudo siquidem, profectus incrementum, & perfectio, cuiusque fidelis, & consequenter totius Ecclesiæ, sita est, vniuersim, in profectu, incremento, & perfectione Fidei, ac Charitatis, & cōsequenter, aliarum virtutum, quæ Charitatem comitantur, ita vt quantùm in actibus Fidei, & Charitatis, ac consequenter in earumdem habitibus, fidelis quisque promouetur, tantùm crescat, illius magnitudo spiritalis, ac demum, quantùm in iisdem crescunt, omnes fideles, tantùm crescat, & promoueatur, magnitudo totius Ecclesiæ, & spiritalis eius ædificatio, & sane licet aliis quoque virtutibus, illud commune sit, tamen excellēti quodam modo, proprium charitatis est Ecclesiam ædificare, eiusque membra compingere, singulis vitam inspirare, atque adeo, impertiri omnibus, vim agendi, promouendique, in opere, immo, si strictè rem accipias, sola Charitas ædificat, siquidem solum opus, vel ex Charitate, vel in Charitate factum, ædifica toperanti cœlestem Hierusalem, & æternam gloriam promeretur, quicquid alienum à Charitate est, destruit & dissipat, ęternę vitę meritum, denique peccatum, quod aiunt mortale, gratiæ scilicet & Charitatis inimicum, domum, etiam iam ante bonis operibus exstructam diruit, euertitque funditus nec nisi gratia, & Charitate redeunte, instauratur, celebris est illa & nota non nemini D. Pauli vox, *Scientia inflat, Charitas ædificat*, 1. Corinth. 8, vers. 1. quam Apostoli quoque vocem, vt intelligas, & apertissime explicatam habeas, ędificandi metaphora quæ tam familiaris est, Apostolo, vt vides, refertur hoc loco, primum quidem, ad eos ipsos in quibus est Charitas, quibus vt ait Irænæus Pauli sententiam explicans lib. 2. cap. 45. vitam largitur, cum ait, *Melius est nihil omnino scientem perseuerare in Dei dilectione, quæ hominem viuificat nec aliud inquirere, nisi Iesum Christum, quam per quæstionum subtilitates, & multiloquium in impietatem cadere*, atque ita in eo posita est antithesis, Apostoli, quod scientia quatenus Charitate destituitur, tumorem pariat, ipsorum vitio, qui scientia abutuntur, Charitas vero, vitam afferat, & solidum quidpiam, ac stabile largiatur, deinde referri etiam potest, ædificandi metaphora ad proximos, quos Charitas erudit, & Christianis præceptis informat, & ad pietatis ac religionis studium vehementius inflammat, nam vt ait D. Augustinus lib. 15. contra Faust. cap. 8. *Cum Charitate non solum non inflat scientia, sed etiam firmat*, quò fit vt si hic quærenda etiam sit, antithesis, in superiori membro, *scientia inflat*, subaudiendum sit aliquid, quod ex tumore noscatur, quippe aliorum contemptus, quo eorum salus, vel negligatur, vel etiā quod est longe deterius, contemnatur, cæteræ ergo virtutes iuuent in ędificio, materiam disponant operi exstruendo, laborent ipsæ per se se, comite, aut duce Charitate; solius Charitatis proprium maxime est, ædificare domum, non manufactam in cœlo, proprium, inquam, Charitatis spiritalem fabricam ornare, perficere, consummare ad summum, gratiæ & gloriæ culmen perducere; vide itaque, quiqui sis, vt quocumque pretio, quocumque labore, ac conatu, eam tibi compares, gratiæ ac meriti, in laborando, artificem, qui cum labores & ædifices, alioquin ni tecum sit, aut laboret, in vanùm labores & ædifices: immo nec Dei causa vnquam aut pro æternitate labores, seiunctus ab ea, sine qua nullus ex labore quantumuis immenso tota æternitate fructus colligitur.

Dum Charitas crescit in fidelibus dicitur corpus Ecclesiæ crescere ac perfici.

VII.

Quo sensu sola Charitas ædificet.

Explicatio sententiæ Apostoli, Scientia inflat, Charitas ædificat.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DVM opus vehementer feruet Hierosolymis, & simul ex omnibus locis mœnia assurgunt, fremere, dolore animi, atque inuidia, Iudæorum hostes incipiunt, & de impedienda murorum fabrica, secum ipsi consilium ineunt, at Nehemias ad orationem conuersus, populares suos, aut timore, aut fatigatione languentes excitat, & eo rem promouet, vt pœne ad exitum perducta videri poßit, quod moleste ferunt Iudaici nominis aduersarij, qui cum verbis & irrisionibus aduersus Iudæos, proficere se nihil admodum animaduertunt, tùm demum, eos nec opinantes, & incautos opprimere statuunt, vt partim occisis, partim dissipatis ædificatoribus, fato velut vrgente, cesset ipsa operis molitio; sed illorum consilia, cum à Iudæis, qui finitimi erant Samaritis, intelligat Nehemias, rursus ipse cum suis, diuinum auxilium implorat. Custodes super muro, die ac nocte constituit, qui venientem hostem denuntient, cæmentarios moliri opus armatos iubet, certis locis, post murum, præsidia constituit Iudæorum, qui hostium impreßionem, non imparati excipiant; prouidet etiam, vt nocte, intra vrbem, agantur excubiæ, & tandem, vt suo, cæteros optimates, exemplo præeat, excubat ipse, & in excubiis suam secum continet familiam, nec vestimenta, longo temporis spatio, deponit, ne scilicet quidquam ipsi moram faciat, si quando inopinata neceßitas, ad murorum custodiam, se suosque accersit.

CAPVT QVARTVM ESDRÆ.

1. ACTVM est autum cum audisset Sanaballat quod ædificaremus murum, iratus est valde: & motus nimis subsannauit Iudæos.
2. Et dixit coram fratribus suis, & frequentia Samaritanorum: Quid Iudæ faciunt imbecilles? num dimittent eos gentes? num sacrificabunt, & complebunt in vna die? nunquid ædificare poterunt lapides de aceruis pulueris, qui combusti sunt?
3. Sed & Tobias Ammanites proximus eius, ait: ædificent, si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.
4. Audi Deus noster, quia facti sumus despectui: conuerte opprobrium super caput eorum, & da eos in despectionem in terra captiuitatis.
5. Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes.
6. Itaque ædificauimus murum & coniunximus totum vsque ad partem dimidiam: & prouocatum est cor populi ad operandum.
7. Factum est autem, cum audisset Sanaballat, & Tobias, & Arabes, & Ammonitæ, & Azotii quod obducta esset cicatrix muri Hierusalem, & quod cœpissent interrupta concludi, irati sunt nimis.
8. Et congregati sunt omnes pariter, vt venirent & pugnarent contra Hierusalem, & molirentur insidias.
9. Et orauimus Deum nostrum, & posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos.
10. Dixit autem Iudas: Debilitata est fortitudo portantis & humus nimia est, & nos non poterimus ædificare murum.
11. Et dixerunt hostes nostri: Nesciant, & ignorent, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & cessare faciamus opus.
12. Factum est autem, venientibus Iudæis, qui habitabant iuxtà eos, & dicentibus nobis per decem vices, ex omnibus locis quibus venerant ad nos.
13. Statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis suis & lanceis, & arcubus.
14. Et perspexi atque surrexi: & aio ad Optimates & Magistratus, & ad reliquam partem vulgi: nolite timere à facie eorum. Domini magni, & terribilis mementote & pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, filiabus vestris, & vxoribus vestris, & domibus vestris.
15. Factum est autem, cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis, dissipauit Deus consilium eorum, & reuersi sumus omnes ad muros vnusquisque ad opus suum.
16. Et factum est à die illa, media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & lanceæ, & scuta, & arcus, & loricæ, & Principes post eos in omni domo Iuda.
17. Ædificantium in muro & portantium onera, & imponentium: vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium.

18. Ædificantium enim vnuſ-
quiſque gladio erat accinctus
renes & ædificabant, & clan-
gebant buccina iuxta me.
19. Et dixi ad Optimates, & ad
Magiſtratus, & ad reliquam
partem vulgi: Opus grande
eſt & latum, & nos ſeparati
ſumus in muro procul alter ab
altero.
20. In loco quocumque audie-
ritis clangorem tubæ, illuc
concurrite ad nos: Deus no-
ſter pugnabit pro nobis.
21. Et nos ipſi faciamus opus:
& media pars noſtrum teneat
lanceas ab aſcenſu auroræ, do-
nec egrediantur aſtra.
22. In tempore quoque illo di-
xi populo: vnuſquiſque cum
puero ſuo maneat in medio
Hieruſalem, & ſint nobis vi-
ces per noctem & diem, ad
operandum.
23. Ego autem & fratres mei, &
pueri mei, & cuſtodes qui e-
rant poſt me, non deponeba-
mus veſtimenta noſtra: vnuſ-
quiſque tantum nudabatur ad
baptiſmum.

EXPOSITIO LITERALIS.

I.

v.1.  *ACTVM eſt autem cum audiſſet Sanaballat, quod ædificaremus murum iratus eſt valde, & motus nimis, ſubſannauit Iudæos, &c.* Poſtquam ſuperiori capite enarratum eſt, quas murorum partes, his, atque illis, quorum nomina recenſentur, ædificandas tradiderit Nehemias; quia magna negotia longiorem temporis moram deſiderant, & aſſignatam ſibi partem operis nondum quiſque abſoluerat: nunc impedimentum Iudæis, muros Hieruſalem ædificantibus, allatum deſcribitur, idque ab aduerſariis iiſdem, qui ante. Samaritanis, quorum dux, & Princeps Sanaballat, qui audito de reædificatione muri nuncio, indignabundus, primum, ipſe per ludibrium, & irriſionem, in amari conuitii verba prorupit; nimirum cum ferueret maxime Hieroſolymis, opus ædificationis, & ex variis locis mœnia paulum aſſurgere inciperent, non exclamabant Iudæorum hoſtes vicini.

Aſſurgentibus ex variis locis Hieroſolymitanæ ciuitatis mœnibus fremunt dolore animi atque inuidia Iudæorũ hoſtes vicini Samaritæ.

O fortunati! quorum iam mœnia ſurgunt: ſed fremebant potius, dolore animi, atque inuidia, maxime Sanaballat, Samarites, qui ſic Iudæos ſubſannans, cum ambitioſo faſtidio ad ſocios Samaritas orationem ſuam conuertit.

Verſ. 2. *Et dixit coram fratribus ſuis, & frequentia Samaritanorum, quid Iudæi faciunt imbecilles, num dimittent eos gentes? num ſacrificabunt, & complebunt in vna die, &c.* Scilicet, cum cognouiſſent hoſtes vicini longius progreſſum eſſe opus, quam putarant, & in illud etiamnum adhuc, tam incumbi ſtrenue, vt breui res tota ad exitum perduci poſſet, mutuo ſeſe hortati ſunt, vt inchoatam fabricam impedirent, totumque negotium maturo conſilio, antequã magis confirmaretur, diſturbarent: quod ſane pertentarunt, ac vero etiam perfeciſſent, niſi Iudæi, duce, atque hortatore Nehemia, ſe contra illorum impetus, atque inſidias armaſſent: hinc primum Sanaballat, ſubſannans Iudæos, quaſi imbecillos, & inermes, illorum conatus inutiles, atque irrita conſilia, ſtomachoſius deridet, quaſi nihil eorum facturi ſint, quæ animo ac cogitatione præceperant, *Dixit coram fratribus & frequentia Samaritanorum*, inquit textus, iuxta Hebræum, & 70. *coram exercitu, Quid Iudæi faciunt imbeciles?* quaſi diceret, opus quod incœperunt ad exitum perducere non poterunt, tum quia imbecilles ſunt, tum quia Gentiles, eos vndequaque impedient, vnde ſubdit, *Num dimittent eos gentes?* quaſi dicat, *nullo modo dimittere debent pacifice eos operari*, immo, *num dimittent?* idem eſt, ac quod 70. vertunt; *Nos num dimittemus?*

Explicatur riſus, & ſubſannatio Sanaballat Samaritæ.

Non ita: quanquam, notandum hoc loco, nec in Hebræo, nec in 70. esse illud verbum, *gentes*, sed additum ab interprete, vt recte obseruauit Sa in annotatiunculis: pergit Sanaballat, *num sacrificabunt, & complebunt in vna die*? id est, num offerent hostias in dedicatione operis? aut illud absoluent, ad præstitutum diem, *num sacrificabunt, & complebunt*, Metalepsis est, vt patet, siue rerum transpositio, sensusque est, num complebunt, aut perficient opus suum, & sacrificabunt? Deo gratias agendo, de operis consummatione, quasi dicat, sibique ipsi respondeat, *nequaquam ita fiet*; est id enim non operosum modo, sed etiam impossibile. Eo igitur argumento sibi persuadebat Sanaballat, inane futurum Iudæorum de restauranda ciuitate consilium, quod vicinæ gentes Iudaico nomini iam dudum infensæ, quam possent maxime illorum studiis obsisterent: nec præterea res, quam aggrederentur, foret eiusmodi, vt vna die, id est, breui tempore, absolui posset, antequam scilicet coniurati circumquaque populi, se ad impediendam, disturbandamue murorum ædificationem, compararent.

Nunquid ædificari poterunt lapides de aceruis pulueris, qui combusti sunt? &c. Postremo tandem, & hanc quoque rationem addit Sanaballat; cur irrita videri possit ciuitatis, atque murorum instauratio; nempe, quod ea sit totius ciuitatis species, vt bustum potius videatur, quam ciuitas; atque adeo facultatem humanam superet, efficere, vt ex collapsis mœnibus, & ciuitatis ipsius ruinis, lapides in cineres redacti, iterum cogi queant, ac durescere ita sensim, vt ex iis ædificii moles stabilis, ac firma consurgat, *nunquid ædificari poterunt lapides de aceruis pulueris*? id est, nunquid aceruos pulueris lapidum combustorum conuertent in lapides, vt ex iis ædificare possint? nimirum (vt hic notat Lyranus) cum Nabuzardan à Nabuchodonozore missus in Hierusalem, ciuitatem illam incendit, vt habetur quarto Regum vltimo, tanta fuit ignis vehementia, &, si ita loqui licet, voracitas, seu tam vorax eius flamma, vt lapides ipsi, magnam partem, saltem plerisque in locis combusti, & quasi in pulueres resoluti, ad ædificandum postea, prorsus essent inutiles; quanquam, vt fateor, id clare expressum,

Cum incensa est Hierusalē tam vorax fuit flāma, vt lapides magnam partem cō-busti, & in puluerem resoluti sint.

A eo quem citat Lyranus scripturæ loco, non inuenies, vt recte obseruat Sanctius, quicquid sit, sic verbis illis irridebant Iudæos eorum aduersarii, & inani se spe consolabantur, impeditum iri artifices, ne ædificarent, defuturos lapides, aut fragiles futuros, vt pote exustos, & totam constructionem infirmam, atque humilem fore; quæ ne vulpibus quidem resistat, nedum armatis hominibus, vnde sequitur.

Vers. 3. *Sed & Tobias Ammonites proximus eius ait, ædificent, si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum, &c.* Hæc Tobiæ vox affinis Sanaballat, iacta per ridiculum in Iu- II.
B dæos, ædificēt, inquit, per nos liceat, de eorum futili ædificatione, atque inani opere, ne solliciti simus, nihil enim eis valebit, nihil profuturum est, nunquam admodum promouebitur, nec erigetur, aut certe ita modice, vt ciuitati propugnandæ, ac defendendæ non sit satis, in Hebræo habetur, vt obseruauit Lyranus, *si ascenderit vulpes, dissipabit*, siue, *disrumpet murum eorum lapideum*, & iuxta illam vocem sensus est, ita debilis erit, ac parum firmus, vt ne minimum quidem impetum sustinere possit; & sane vulpes in Solymitanis mœnibus, sua posuisse latibula, lamentatur Hieremias Thre-
C norum capite quinto, versu decimo octauo, quid si eo respexisse censeatur Tobias iste, quasi dicat, vulpes quas è patris sedibus exules abegerunt, nullam, si redierint, difficultatem, aut obicem inuenient: nam & muros, quia depressi, atque humiles, saltu, aut ascensu superare, & quia tenues, ac parum crassi, si vim adhibere volent, facile perforare, ac disrumpere poterunt.

Lamentatur Hieremias Thren. 5. vulpes in Solymitanis mœnibus destructis sua posuisse latibula: ad quod forte respexit Tobias cū dixit, subsannās Iudæos, Si ascenderit vulpes, trāsiliet murum.

Vers. 4. *Audi Deus noster, quia facti sumus despectui, conuerte opprobriū super caput eorum, & da eos in despectionem in terra captiuitatis, &c.* Hæc Nehemiæ ad Deum in præsenti calamitate con-
D fugientis oratio est, quam ipse contra aduersarios, tanquam scutum opponit, ea prorsus mente, ac sensu, quo olim Ezechias in blasphemiis Rabsacis retundendis, Regum quarto, capite decimonono. *Audi*, inquit, *Deus noster, quia facti sumus despectui*, atque vt ipsummet Nehemiam non autem alium quemuis de populo, aut primariis Iudæorum, hæc dixisse certo intelligas in veteribus Codicibus, proxime ante habentur, & præmittuntur

Eodem modo orat Nehemias, quo olim Ezechias ad retundēdas Rabsacis blasphemias, Reg. 4.

ista verba, *& dixit Nehemias*, quæ licet non sint in Hebræo, nec vulgo in textu legantur, recte tamen, quod intelligi necessario ea oporteret. per modum Glossæ apposita fuisse, censenda sunt, quod autem ait, *conuerte opprobrium super capita eorum, &c.* Ex obseruatione Caietani, & Dionysii, ne imprecationem esse putes, ex odio hominum, studioque vindictæ profectam, sed ex vitiorum odio, quæ ab aduersariis suis Nehemias summoueri velit, nimirum optat vitia illa, quibus eorum animi fœdati sunt, seuere puniri eo supplicii genere, ex quo ipsi cōdiscant, in suo capite, quod ipsi in alienum inclementer intorquent, id est, vt ea Samaritani illi ab aliis gentibus patiantur, quæ ab ipsis Samaritanis, Iudæi longo iam tempore perpessi sunt, & sic earundem quarum ipsi calamitatum non ignari, miseris deinceps non insultent, nec iacentes atque afflictos, iniuriis, & opprobriis oppressos velint.

Quod optat, aut imprecatur aduersariis Nehemias non optat ex odio hominum, aut studio vindictæ, sed ex mero vitiorum odio, quæ ab illis summoueri vult.

Vers. 5. *Ne operias peccata eorum, & peccatum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes, &c.* Obseruat item hoc quoque loco Estius, sumenda esse hæc Nehemiæ verba non quasi imprecatoria, sed partim Prophetica, vt vbique passim in Psalmis, quæ videtur imprecari facinorosis hominibus Regius Psaltes, partim approbatiua iustitiæ diuinæ. *Ne operias*, inquit, *iniquitatem eorum*, scilicet obliuione, aut dissimulando vindictam, quasi diceret, *recordare*, seu *puni*, nam cum parcit, dicitur tegere, & sane operiri, & quod idem est, deleri peccatum, nihil videtur esse aliud, quam non puniri, seu quodammodo obliuioni tradi, operit si quidem peccatum venia, quia non euulgat, ait Sanctius, neque ob oculos hominum spectandum proponit, & delet, quia illius, vt rei ipsius natura patitur, obliuionem inducit, & sicut aperit, & prodit peccata, impositum peccantibus supplicium, sic & operit, & obscurat, impunitas, & venia, ex quo fit, vt dum homo ignosci sibi postulat, hoc ferme modo oret, *dele, tege*, aut *aufer iniquitatem meam.* Sic Psal. 84 vers. 3. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum*, & Psal. 31. vers. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, quibus in locis, vt erudite passim notant interpretes, altera pars versus alterius, per epexegesin, explicatio est. Peccatum igitur coram alicuius facie non deleri, qua locutione vtitur Nehemias, idem est; atque ante illius oculos semper obseruari, ita vt de illis semper, & de eorum punitione cogitet, neque illorum vnquam memoriam ex animo deponat; bene autem superioribus verbis à nobis explicatis, causam voti sui, & vindictæ quam de aduersariis, aut optat, aut prædicit, hanc consequenter annectit Nehemias, *quia irriserunt ædificantes*, nec enim leuem adeo vindictam merentur, qui risu, & sannis opera pietatis excipiunt.

Verba Nehemiæ non tam imprecatoria, quam partim Prophetica, partim approbatiua iustitiæ diuinæ.

Idem est operiri peccata, deleri, & obliuioni tradi, ac non puniri.

A B C D

III. Vers. 6. *Itaque ædificauimus murum, & coniunximus totum vsque ad partem dimidiam, & prouocatum est cor populi ad operandum.* Res sane mira, tantum abest, vt aduersariorum iniuriis, & irrisionibus, ab ædificando deterriti sint Iudæi, vt contra per id vehementius ad operandum fuerint inflammati, tum scilicet propter opprobrium iniuste illatum, tum quia opus prosperabatur in manibus eorum, cum enim instarent operi diligenter *coniunxerunt*, id est, *erexerunt totum murum vsque ad partem dimidiam*, id est, *ad altitudinis destinatæ medium, dimidia vero parte operis perfecta, prouocatum est*, inquit, *cor populi ad operandum, & perficiendum.* Quo ex loco manifeste constat, superiori capite descriptum, & diuisum viritim tantum, non absolutum murorum ambitum, saltem quoad iustam murorum altitudinem, quando post obiectum à Samaritanis impedimentum, posita est à Iudæis in absoluendo muro non segnis, nec inutilis opera, sunt porro, qui hæc verba; *coniunximus totum vsque ad partem dimidiam*, non de toto muro, vti diximus, ad dimidiam altitudinem erecto intelligant, sed dimidiam illam partem, ad longitudinem referant, & sic interpretantur, quasi dimidium operis esset absolutum, & totius ambitus pars esset reliqua dimidia, atque ita iuxta illum sensum, neque hoc tempore clausa fuisset tota ciuitas, etiam imperfecto muro, & nondum ad destinatam altitudinem, debitumque fastigium perducto.

Coniungere murum, idem hic, atque erigere, quod ad altitudinem refertur, etsi aliqui ad longitudinem referant.

Vers. 7. *Factum est autem, cum audisset Sanabaliat, &c. Et Tobias, & Arabes, &c. quod obducta esset cicatrix muri Hierusalem, & quod cœpissent interrupta*

concludi irati sunt nimis. Hinc tandem incipit, narratio defensionis, & militaris industriæ Iudæorum, contra Samaritanos, quà aperta vi, quâ insidiis, Hierosolymitanæ vrbis & murorũ eius ædificationem interpellare volentes. Nam cum ad illorũ aures peruenisset, contra quàm futurum paulo ante existimabant, *Quod obducta esset cicatrix muri*, inquit, textus vulgatæ versionis, Hebraice, *quod ascenderet ligatura siue sanitas*, id est, quod reparatæ essent ruinæ, seu rupturæ sanatæ, metaphora à vulneribus ducta, tum, quod sequens verius indicat, *congregati sunt omnes pariter*, id est, confertim, & magna hominum manu conflata, vt fortius nec opinantes inuaderent, & vel inuitos ad operis cessationem repugnantesque inducerent, contra Iudæi, maturè se communiunt, ac primo Deum, placare orationibus student, & auxiliatorem aduocant, deinde disposi is hinc inde, qui excubias agant, pro mœnibus, ad resistendum aduersariis, omne subsidium comparant, vt mox infra videbimus. Cum autem (quæ vna res hic occurrit annotanda) cicatrix propriè sit, ac dicatur, partium, à vulnere hiantium inducta sanitate, coitio, quæ non est totius corporis vulnerati indicium, sed partis sauciæ quondam, atque diuisæ, nunc autem coeuntis ac solidæ, naturale signum, ex obducta murorum cicatrice, & earum partibus interruptis, quo locutionis genere vtitur hic Nehemias, duo non inerudite colligit Sanctius, alterum est, non omnes omnino muros excisos fuisse a Chaldæis, alterum quod facile consequens est, non fuisse de integro, omnes murorum parte ædificatas, aut firmius munitas à Iudæis, cum mansissent multis in locis, non solum integræ, sed etiam ad resistendum firmæ, neque forte etiam quicquam haberent ruinosum, quod fulciri, aut excauatum & cariosum quod solidari, atque compleri deberet. Et certè, quæ prima eius authoris ratio est, ex vocibus metaphoricam murorum sanitatem significantibus, in textu, coniectare licet, atque argumento est, non agi de murorum omnium vniuersa, ac generali, sed de partium duntaxat aliquarum, speciali ruina: deinde, neque muri ipsi dicuntur collapsi penitus, sed interrupti, qui dicendi modus, collapsas quidem indicat partes ali-

Ex loquendi forma, qua vtitur Nehemias colligi potest probabiliter non omnes omnino muros excisos fuisse à Chaldæis nec proinde omnes reædificatos.

quas, non totum excisum, vt in corpore affecto & mutilo, aliquid indicat liberum à vulnere, interruptos autem muros, non excisos omnes funditus, & si hic satis significatur, idem tamen apertius, & significantius dicitur, cap. 6. vers. 1. *Cum audisset Sanaballat quod ædificassem ego murum & non esset interruptio residua*, inquit Nehemias, & idem ipse cap. 2. vers. 13. *Considerabam*, inquit, *murum dissipatum*, vbi vox Hebræa *Paras* quæ vulgatæ lectioni respondet, diuidere significat, aut rumpere frequentius, non omnino sternere. Adde, cum multæ fuerint in muris portæ, in quibus, præcipuum esset ciuitatis munimentum, nullas tamen dici, proprie ac presse aut ædificatas, aut restitutas à Nehemia, immo, neque illarum plurimas, ab illo nominatas vt portam Ephraim, & Anguli, & alias de quibus cap. 12. nec dici vsquam portas dirutas, sed tantum, earum valuas igne consumptas, cap. 1. vers. 3. & cap. 2. vers. 13. & 17. quasi in valuis tantum, seris, & vectibus, laborandum fuerit, reliquo, cum aliud nihil dicatur, fortasse incolumi quam nostram, vt Sanctii, coniecturam aut opinionem, & firmat, & probat Villalpandus in apparatu vrbis, & Templi p. 1. vrbis lib. 3. cap. 6. & Torniellus anno 3 01 num. 2.

Vers. 9. *Et orauimus Deum nostrum & posuimus custodes super murum, &c.* Bene id quidem ac prudenter omnino: Primum Deo supplicant de eius auxiliari ope ac prouidentia confidendo, & certam in spem erecti, fore, vt ab eo protegerentur nec tamen quæ humano consilio & prouidentia fieri poterant adhibere negligunt. IV.

Vers. 10. *Dixit autem Iudas debilitata est fortitudo portantis & humus nimia est & nos non poterimus ædificare murum, &c.* Et si tandem omnes difficultates perruptæ, ac superatæ sunt à Iudæis, ingenti animi contentione ac labore, tamen constat, ex hoc loco non defuisse, qui fatigatione languescerent, & graui etiam formidine concuterentur, hinc illa quæ sequuntur in textu, *Dixit Iudas*, id est, *viri de Tribu Iuda*, fracti timore, aduersariorum, & laborum anxietate, *debilitata est fortitudo portantis*, id est, *portantium onera*, ad opus, operarum, scilicet, & baiulorum, qui lapides & cæmenta, siue intritam calcem portant, *& humus nimia est*, Rudera, opinor intelli-

intelligit,quæ inde aſportari debebant, & terram, quæ è foſſa circumducta, muro educebatur, Hebræum & 70. habent, *puluis*, fortaſſis, calcis, & arenæ, in minutiores particulas diſſolutæ, & de muro diſiectæ, *multus*, quaſi diceret, ob id murus firmari non poterit, Tigurina tranſlatio, habet, *plurimum ruderis eſt*, quod laborioſè egerendum erat, vt ſolide ædificari poſſet, Beda ſic interpretatur, *humus nimia eſt*, congeſta ſcilicet, in loco muri, quæ priùs exportanda erit vt fundamenta muri, in ima terra, & firmo quod aiunt ſolo iaciantur vnde, ſubditur, *Et non poterimus ædificare murum*, ſcilicet, donec iſta terræ congeſtæ moles, ſummota ſit, quod vires noſtras ſuperare videtur, ſed hæc explicatio Lyrano non placet. quia licet,inquit, muri ciuitatis fuiſſent altis in locis diſrupti, & vehementiori ignis ardore combuſti, tamen fundamenta quæ in imo ſolo iacebant, ſalua atque intacta remanſere, atque ideo, vt addit idem author, aliter exponunt Hebræi,*& humus nimia eſt*, id eſt arena, & calx, quæ ſunt neceſſaria, ad faciendum cæmentum,requiruntur in tanta quantitate, quantam vix nobis reperire eſt, ac proinde nonniſi ægre admodum, ædificare poterimus; ex quibus omnibus interpretationibus, primam ego vt faciliorem, & magis expeditam, ſic quoque cæteris probabiliorem exiſtimo.

Variæ authorum expoſitiones de humo nimia qua impedimento eſt quo minus poſſit ædificari murus.

Prima interpretatio & facilior & magis expedita.

V.

Verſ. 11. *Dixerunt hoſtes noſtri neſciant & ignorent donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos & ceſſare faciamus opus, &c.* Cum verbis procacibus & irriſionibus ſuis nihil proficerent Iudæorum hoſtes, quin potius viderent, obductas eſſe murorum cicatrices, ſtatuerunt nec inopinantes, & incautos opprimere vt partim occiſis, partim diſſipatis ædificatoribus neceſſario ceſſaret ædificatio, neque vero audebant.aperto marte cõgredi,quod ſcirent,eos Regia authoritate munitos, & Eſtherem & Mardochæum, in aula eſſe, ac plurimum apud Regem poſſe, quia tamen ardebant odio, & rumpebantur inuidia,cõtra Iudæos,clàm eos adoriri, ac perdere volebant, ne poſſent aperti facinoris, apud Regem inſimulari, quare, conſilio inter ipſos inito, dixerunt, *neſciant & ignorent donec veniamus in medium eorum & interficiamus eos,&c.* Sed quis illorum conſilia & inſidias, & detexit, aut ex quibus reſcire potuerunt Iudæi, hoſtes ſuos vndecumque magnas armatorum copias colligere vt ſubito impetu, incautos opprimerent? ſcilicet, ex Iudæis ipſis, ac contribulibus ſuis, qui inter hoſtes illos habitabant, variis ex locis conuenientibus, certa fide didicerunt, vt patet ex verſu 12. proxime ſequenti.

Didicerũt Iudæi ædificantes à contribulibus ſuis inter hoſtes verſantibus hoſtium ipſorum conſilia & paratas inſidias.

VI.

Verſ. 12. 13 & 14. *Factum eſt autem venientibus Iudæis & dicentibus nobis per decem vices, &c. ſtatui in loco poſt murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis ſuis, & ſurrexi & aio ad Optimates, &c.* Has ergo aduerſariorum inſidias,& praua quę machinabantur conſilia, cum iam crebrius audiiſſet Nehemias, à Iudæis, qui finitimi erant Ammonitis, Azotiis, Arabibus, primùm implorata diuini numinis ope vt ſupra vidimus, cuſtodes ſupra muros diu noctuque conſtituit, vt aduentum hoſtium nunciarent,& certis locis poſt murum armatorum Iudæorum aciem, in præſidiũ collocauit,cum gladiis ſuis, & lanceis & arcubus,vt hoſtẽ ipſum iam irrumpentem, non imparati exciperent; deinde Optimates ipſos, & magiſtratus, & reliquam vulgi multitudinem, grauiſſime hortatus,his verbis adorſus eſt, *Nolite timere à facie eorum, Domini magni & terribilis memento te, & pugnate pro fratribus veſtris,&c.* cum enim omnia, quæ de hoſtium inſidiis, narrata ſunt, multorum animos, triſti expectatione perturbarent, & graui formidine concuterent, non ſolum hoſtium viribus, atque inſidiis, ſed etiam ſociorum formidini, ac deſperationi occurrendum fuit, quod adhortatione ſua luculenter præſtitit Nehemias, *Nolite timere*, inquit, *Domini magni & terribilis memento te & pugnate*, ſic graui oratione, quod in eiuſmodi anguſtiis, ad ſummi Ducis munus ſpectat, populares ſuos animat,& impellit ad reſiſtendum, fortiter aduerſariis, & repetita diuinorum beneficiorum memoria, atque opis quondam præſentaneæ, maioribus ſuis laborantibus à Deo, conceſſæ, omnem ab illorum animis timorem expellit hoc eſt, quod ait, *Mementote Domini magni & terribilis*, id eſt, quomodo pugnauit, pro patribus noſtris, in mari rubro, & in aliis locis, vt ait Lyranus, extat ergo hic, vt vides, atque eminet Nehemiæ, ſtrenui Ducis, in propugnanda murorum ædificatione cura diligens, &

Et hoſtiũ viribus atque inſidiis & popularium ſuorum formidini, ac deſperationi occurrit Nehemias in quo boni Ducis partes abſoluit.

solers industria, dum & languentes A quosque excitat, & populum vndequaque per ordinem disponit, cum gladiis, ad resistendum insultibus aduersariorum, atque adeo, vt armatorum agmine, hinc inde circundati, qui operi insistunt, liberius & securius ædificent, quo successu ex sequentibus intellige.

VII. Vers. 15. *Factum est autem cum audiissent inimici nostri nunciatum esse nobis, dissipauit Deus consilium eorum, & reuersi sumus omnes ad muros vnusquisque ad opus suum, &c.* Sic labore & solertia Nehemiæ, aduocata primum atque adiuncta diuini numinis ope, confusi tandem sunt alienigenæ. Cum enim spem illi totam posuissent in silentio, & irruptione subita, quam animo meditati fuerant, quod sic putarent leui discrimine, & nulla, aut minima certe suorum iactura, rem totam esse dirimendam, statim atque consilia sua patefacta intellexerunt, abiecta spe desponderunt animos, vt quamprimum mentem inierant de irruptione facienda, & clam inuadendis Iudæis, illico deposuerunt; quod scilicet, nec tutum, nec è re sua futurum, vllo modo, existimarent, si cum hominibus, non omnino ignauis, aut inermibus, pro filiis, & vxoribus, pro aris, & focis, pro Religione, & Patria certare paratis, manus consererent; dissipato igitur, peculiari Dei prouidentia; Samaritanorum consilio, reuersi sunt Iudæi, ad opus, & liberi à perturbatione, ac metu, ad suas quique partes, & assignatum sibi pensum redierunt, ait Nehemias, ex quo concludunt nonnulli, timore aduersariorum, ædificationem murorum, aliquanto tempore fuisse intermissam, sed nec forte penitus intermissum opus, meo iudicio, intelligi necesse est, nam quod ait Nehemias, *Et reuersi sumus omnes*, satis indicat, etiam illos, qui paulo ante ad bellandum parati erant, & ad hostium impetus sustinendos, ab aliis ædificantibus, ad tempus seiuncti, ac separati, postea remota, ac discussa, timoris occasione, reuersos esse, atque iterum, ad operandum, vt prius faciebant, se se ædificantibus adiunxisse, vel certè si mauis, sic intellige, *Reuersi sumus omnes ad muros*, vt alii operarentur, alii velut in excubiis, vt stationibus, tanquam milites starent, quod egregie cum sequentibus cohæret.

Nō est necesse quod opinantur nōnulli intelligere ex verbis Nehemiæ, ædificationem murorum aliquanto tempore fuisse intermissam metu aduersariorū

Vers. 16. *Et factum est a die illa media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, &c.* Et hoc loco iterum significatur, quam strenuè Iudæi, à die illa, qua Samaritanorum insidias auditione perceperant, aduersus eos communire se perrexerint, & ad bellandum si qua ingruerent, accinxerint, si quidem, *media pars iuuenum*, inquit Nehemias, *parata erat ad bellum*, id est, toto animo & studio, & opere, incumbebat in B defensionem ædificantium, aut certè incumbere parata erat, dato quoque primo signo, si qui forte, de illis, alteri operi insistebant, *Et media pars faciebat opus*, id est, ædificabant armatis aliis, atque ad bellandum paratis, quin & ipsi, etiam ædificantes erant armati, vt infra dicitur, sed quam alii leuius, vt si hostes irruerent, possent aliquo modo, se ab illis defendere, prudenter igitur Nehemias, minime hostibus fidendum ratus, etiamsi consilium prius de irruptione facienda abiecisse viderentur, quod illorum ingenium agnosceret calli- C dum, & insidiosum, ita mœnibus instaurandis vacandum statuit, vt belli etiam meminisset, nec cum instrumēta suis porrigeret tectonica, militaria abiiceret, quare dimidiam iuuenum partem, murorum addixit ædificationi, alteram vero partem armatam esse voluit, contra hostilem impetum, & illis quasi Duces proposuit, ex Tribu Iuda, Optimates & Principes, de quibus in fine versus, sic Nehemias, *Vt Principes post eos in omni Iuda, &c.* Scilicet aderant eos exhortantes animantes & protegentes.

VIII.

Ipsi etiam ædificantes armati erant sed leuius quam alij ad bellandum accincti.

Vers. 17. *Ædificantium in muro, &* D *portantium onera, & imponentium vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium.* Figurata hæc est loquendi ratio & quasi prouerbialis, ad significandum, eos, ad vtrumque fuisse intentos, & ad ædificandum, & ad bellandum, cum opus esset: Cæteroquin enim, cum ad pugnandum, tùm ad ædificandum vtraque manu & dextra & sinistra opus erat, neque intelligi commode potest, quomodo quisquam, aut trulla vti, aut sportam portare queat, si ferro alteram manum habet impeditam, nec cuiius integrum est, alterius humeris, omnes imponere,

IX.

Cum dicūtur ædificantes vna manu fecisse opus altera gladiū figurata locutio est & quasi prouerbialis qua significātur fuisse ad vtrūque parati & intenti ad bellandū & ad ædificandum.

nisi manum vtramque, ad opus adhibeat; Itaque iidem, & milites, & cæmentarii fuere, ea ratione, qua diximus, quia scilicet, ad vtrumque parati, vnde nec iuuenum illa dimidi apars, quæ murorum operi instaurando intenta erat, omni ex parte a militari studio vacabat, sic enim Ligonem, bidentem, sportam, trullam gerebant, manu, vt gladium non deponerent, quem habebant, ad omnem tumultum, quem audirent, & bellicum strepitum, expeditum & promptum, siue illi muros ædificarent, siue portarent humeris suis, siue alienis imponerent portanda onera, *Ædificantium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes*: Porro, ad sensum moralem, obiter indicandum, hinc si voles intellige; simul & bellandum & ædificandum, homini Christiano, structuram spiritualem meditanti, hoc est, & in virtutis opus incumbendum, & diaboli tela, id est tentationes fortiter repellendas.

Ex litera moralis hic sensus eliguur & bellandum, & ædificandum homini Christiano structuram spiritual in cogitanti.

X. Vers. 18. *Et ædificabant, & clangebant buccina coram me, &c.* Credo per interualla, & per certa quædam temporis interstitia, tanquam scilicet, parati, ad prælium committendum, & si forte hostes appropinquarent, clangorem buccinæ audientes, illico eos inuadere reformidarent, vel sic intellige, quia spatium illud erat, & latissimum, & longissimum, quod populus, ad ædificandum sumpserat, nec facile cum alii ab aliis distarent, si quis impetus repento ingrueret, sibi inuicem subsidio esse poterant, ideo statutum fuisse vt ex quocumque loco, qui faciebant opus, eo quantocius aduolarent, vbi litui clangorem audiissent, quod infra plane, & aperte narratur, vers. 19 & 20. *Ædificabant*, igitur, *& clangebant buccina contra me*, ait Nehemias, quando scilicet, res tulisset, vt opus esset congregari, ex diuersis muri partibus, in vnum locum ad vim hostium, facta manu propulsandam; Iosephus scribit Nehemiam, tubicines disposuisse interuallo, quingentorum passuum, aut potius pedum, in Græco enim est πόδας.

Ædificantes Iudæi buccina clangebant vel aduertendos inimicos, vel ad socios vnum in locum conuocandos.

Tubicines dispositi à Nehemia interuallo quingentorum passuum aut pedum, ex Iosepho.

Vers. 19. *Et dixi ad Optimates, & ad Magistratus, & ad reliquam partem vulgi, &c.* Hoc item & sequenti versu, prudens, vt iam ante monui, & solers inprimis, Nehemiæ Ducis in futurum præcautio, contra hostes subito, atque ex improuiso forte, irruptionem facturos, significatur, cum scilicet, optimatibus, totique Iudæorum cœtui, consilium suggerit, statuitque, de cogendo, vniendoque simul populo, in ea muri parte, qua hostes irruent, ad certum tubæ clangentis signum, nouerat enim virtutem, vnitam, esse fortiorem, quod aiunt, seipsa dispersa; *Opus grande est*, inquit, *& latum, & nos separati sumus, in muro, procul alter ab altero, in loco quocumque audientis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos*, sic ille, quo nihil, vt supra dixi, apertius.

XI. Vers. 21. *Et nos ipsi faciamus opus, & media pars nostrum teneat lanceas, ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra.* Statuit hic quoque pro munere suo Nehemias vt ciuium inter sese sic distribuantur studia, vt alii in construendis mœnibus laborent, alii armati, & matutina luce ad vespertinum vsque crepusculum in arce consistant, *Media pars nostrum*, inquit, *teneat lanceas ab ascensu auroræ. Ex quo*, primum scilicet, ad operandum se accingebant ædificantes, *donec egrediantur astra*, id est, *donec appareant astra*, tunc enim ab opere quiescendum erat, seu *vsque ad noctem*, censentur enim egredi astra, siue stellæ, cum oriuntur, aut de nocte apparent, sic à crepusculo in crepusculum, operi intenti erant, à primo solis, seu diei crepusculo, vsque ad crepusculum noctis, hoc enim est, ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra, seu apparere incipiant, sub noctis initium, quasi excubias actura per noctem, donec mane, albescente cœlo, cubicula sua repetant, quorum *Lucifer*, canebat ille, *statione nouissimus exit.*

Egredi dicuntur astra & stellæ cũ oriuntur & apparent de nocte.

XII. Vers. 22. *In tempore quoque illo dixi populo vnusquisque cum puero suo maneat in medio Hierusalem, & sint nobis vices per noctem & diem ad operandum, &c.* Prouidit, igitur, sapientissime Nehemias, vt nocte, excubiæ intra vrbem agerentur, ne scilicet disturbaretur opus, aut interficerentur artifices: Et cum Optimates, è quorum numero erat ipse, familiam haberent, & seruulorum gregem, edixit, vt ipsi, inter se, cum turba domestica, nocturnas diuiderent vigilias, diurnasque custodias, vt alii, & libentius, & securius, in inchoatam murorum fabricam incumberent: Cæterum, hic annotat Sanctius, quod &

Olim, in castris, apud Romanos aliasq; gentes, quã

vitas, spiritus vitales & animales gratia praeuenientes & excitantes quae à capite id est à Christo descendunt in singulos fideles, tanquā in corporis membra.

dicit Apostolus per omnem iuncturam explicari videatur per id quod subdit *in charitate*, tamen, iunctura quoque accipi potest, & forte melius, pro mutua vnione membrorum, eorumque inter sese concordia, & communicatione: Charitas vero pro anima, totius corporis, id est Ecclesiæ, quod satis apertè significare videntur, verba Apostoli, *Augmentum*, inquit, *corporis facit in ædificationem sui in Charitate*, vbi Syriaca versio habet, *Ad incrementū ipsius corporis cuius ædificium Charitate perficitur*, nec enim, alia fingi potest, huius corporis mystici anima, quam Fides, & Charitas, nec vlla pars, in hoc corpore nobilior, quam Charitas ipsa, vt mirum non sit, quod versu præcedenti dixerit, idem Apostolus, *In Charitate crescamus in Christo, qui est caput per omnia*, sic igitur in hoc negotio, Charitatem, animo comprehende, quasi animam, & spiritum Ecclesiæ, cuius beneficio, dum ipsa crescit, crescere dicatur, totus homo in Christo. & singulis fidelibus, hoc modo, in Fide, & Charitate crescentibus, totum etiam Ecclesiæ corpus, augeri perficique, magnitudo siquidem, profectus incrementum, & perfectio, cuiusque fidelis, & consequenter totius Ecclesiæ, sita est, vniuersim, in profectu, incremento, & perfectione Fidei, ac Charitatis, & cōsequenter, aliarum virtutum, quæ Charitatem comitantur, ita vt quantùm in actibus Fidei, & Charitatis, ac consequenter in earumdem habitibus, fidelis quisque promouetur, tantùm crescat, illius magnitudo spiritalis, ac demum, quantùm in iisdem crescunt, omnes fideles, tantùm crescat, & promoueatur, magnitudo totius Ecclesiæ, & spiritalis eius ædificatio, & sane licet aliis quoque virtutibus, illud commune sit, tamen excellēti quodam modo, proprium charitatis est Ecclesiam ædificare, eiusque membra compingere, singulis vitam inspirare, atque adeo, impertiri omnibus, vim agendi, promouendique, in opere, immo, si strictè rem accipias, sola Charitas ædificat, siquidem solum opus, vel ex Charitate, vel in Charitate factum, ædifica t operanti cœlestem Hierusalem, & æternam gloriam promeretur, quicquid alienum à Charitate est, destruit & dissipat, ęternę vitę meritum. denique peccatum quod aiunt mortale, gratiæ scilicet & Charitatis inimicum, domum, etiam iam ante bonis operibus exstructam diruit, euertitq; funditus nec nisi gratia, & Charitate redeunte, instauratur, celebris est illa & nota non nemini D. Pauli vox, *Scientia inflat, Charitas ædificat*, 1. Corinth. 8. vers. 1. quam Apostoli quoque vocem, vt intelligas, & apertissime explicatam habeas, ędificandi metaphora quæ tam familiaris est, Apostolo, vt vides, refertur hoc loco, primum quidem, ad eos ipsos in quibus est Charitas, quibus vt ait Irenæus Pauli sententiam explicans lib. 2. cap. 45. vitam largitur, cum ait, *Melius est nihil omnino scientem perseuerare in Dei dilectione, quæ hominem viuificat nec aliud inquirere, nisi Iesum Christum, quam per quæstionum subtilitates, & multiloquium in impietatem cadere*, atque ita in eo posita est antithesis, Apostoli, quod scientia quatenus Charitate destituitur, tumorem pariat, ipsorum vitio, qui scientia abutuntur, Charitas vero, vitam afferat, & solidum quidpiam, ac stabile largiatur, deinde referri etiam potest, ædificandi metaphora ad proximos, quos Charitas erudit, & Christianis præceptis informat, & ad pietatis ac religionis studium vehementius inflammat, nam vt ait D. Augustinus lib. 15. contra Faust. cap. 8. *Cum Charitate non solum non inflat scientia, sed etiam firmat*, quò fit vt si hic quærenda etiam sit, antithesis, in superiori membro, *scientia inflat*, subaudiendum sit aliquid, quod ex tumore noscatur, quippe aliorum contemptus, quo eorum salus, vel negligatur, vel etiā quod est longe deterius, contemnatur, cæteræ ergo virtutes iuuent in ędificio, materiam disponant operi exstruendo, laborent ipsæ per se se, comite, aut duce Charitate; solius Charitatis proprium maxime est, ædificare domum, non manufactam in cœlo, proprium, inquam, Charitatis spiritalem fabricam ornare, perficere, consummare, ad summum, gratiæ & gloriæ culmen perducere; vide itaque, quiqui sis, vt quocumque pretio, quocumque labore, ac conatu, eam tibi compares, gratiæ ac meriti, in laborando, artificem, quî cum labores & ædifices, alioquin ni tecum sit, aut laboret, in vanum labores & ædifices: immo nec Dei causa vnquam aut pro æternitate labores, seiunctus ab ea, sine qua nullus ex labore quantumuis immenso tota æternitate fructus colligitur.

Dum Charitas crescit in fidelibus dicitur corpus Ecclesiæ crescere ac perfici.

VII.

Quo sensu sola Charitas ædificet.

Explicatio sententia Apostoli, Scientia inflat, Charitas ædificat.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DVM opus vehementer feruet Hierosolymis, & simul ex omnibus locis mœnia assurgunt, fremere, dolore animi, atque inuidia, Iudæorum hostes incipiunt, & de impedienda murorum fabrica, secum ipsi consilium ineunt, at Nehemias ad orationem conuersus, populares suos, aut timore, aut fatigatione languentes excitat, & eo rem promouet, vt pœne ad exitum perducta videri poßit, quod moleste ferunt Iudaici nominis aduersarij, qui cum verbis & irrisionibus aduersus Iudæos, proficere se nihil admodum animaduertunt, tùm demum, eos nec opinantes, & incautos opprimere statuunt, vt partim occisis, partim dissipatis ædificatoribus, fato velut vigente, cesset ipsa operis molitio; sed illorum consilia, cum à Iudæis, qui finitimi erant Samaritis, intelligat Nehemias, rursus ipse cum suis, diuinum auxilium implorat. Custodes super muro, die ac nocte constituit, qui venientem hostem denuntient, cæmentarios moliri opus armatos iubet, certis locis, post murum, præsidia constituit Iudæorum, qui hostium impreßionem, non imparati excipiant; prouidet etiam, vt nocte, intra vrbem, agantur excubiæ, & tandem, vt suo, cæteros optimates, exemplo præeat, excubat ipse, & in excubiis suam secum continet familiam, nec vestimenta, longo temporis spatio, deponit, ne scilicet quidquam ipsi moram faciat, si quando inopinata neceßitas, ad murorum custodiam, se suosque accersit.

CAPVT QVARTVM ESDRÆ.

1. ACTVM est autum cum audisset Sanaballat quod ædificaremus murum, iratus est valde: & motus nimis subsannauit Iudæos.
2. Et dixit coram fratribus suis, & frequentia Samaritanorum: Quid Iudæ faciunt imbecilles? num dimittent eos gentes? num sacrificabunt, & complebunt in vna die? nunquid ædificare poterunt lapides de aceruis pulueris, qui combusti sunt?
3. Sed & Tobias Ammanites proximus eius, ait: ædificent, si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.
4. Audi Deus noster, quia facti sumus despectui: conuerte opprobrium super caput eorum, & da eos in despectionem in terra captiuitatis.
5. Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes.
6. Itaque ædificauimus murum & coniunximus totum vsque ad partem dimidiam: & prouocatum est cor populi ad operandum.
7. Factum est autem, cum audisset Sanaballat, & Tobias, & Arabes, & Ammonitæ, & Azotii quod obducta esset cicatrix muri Hierusalem, & quod cœpissent interrupta concludi, irati sunt nimis.
8. Et congregati sunt omnes pariter, vt venirent & pugnarent contra Hierusalem, & molirentur insidias.
9. Et orauimus Deum nostrum, & posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos.
10. Dixit autem Iudas: Debilitata est fortitudo portantis & humus nimia est, & nos non poterimus ædificare murum.
11. Et dixerunt hostes nostri: Nesciant, & ignorent, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & cessare faciamus opus.
12. Factum est autem, venientibus Iudæis, qui habitabant iuxta eos, & dicentibus nobis per decem vices, ex omnibus locis quibus venerant ad nos.
13. Statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis suis & lanceis, & arcubus.
14. Et perspexi atque surrexi: & aio ad Optimates & Magistratus, & ad reliquam partem vulgi: nolite timere à facie eorum. Domini magni, & terribilis mementote & pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, filiabus vestris, & vxoribus vestris, & domibus vestris.
15. Factum est autem, cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis, dissipauit Deus consilium eorum, & reuersi sumus omnes ad muros vnusquisque ad opus suum.
16. Et factum est à die illa, media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & lanceæ, & scuta, & arcus, & loricæ, & Principes post eos in omni domo Iuda.
17. Ædificantium in muro & portantium onera, & imponentium: vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium.

18. Ædificantium enim vnuſ-
quiſque gladio erat accinctus
renes & ædificabant, & clan-
gebant buccina iuxta me.
19. Et dixi ad Optimates, & ad
Magiſtratus, & ad reliquam
partem vulgi: Opus grande
eſt & latum, & nos ſeparati
ſumus in muro procul alter ab
altero.
20. In loco quocumque audie-
ritis clangorem tubæ, illuc
concurrite ad nos: Deus no-
ſter pugnabit pro nobis.
21. Et nos ipſi faciamus opus:
& media pars noſtrum teneat
lanceas ab aſcenſu auroræ, do-
nec egrediantur aſtra.
22. In tempore quoque illo di-
xi populo: vnuſquiſque cum
puero ſuo maneat in medio
Hieruſalem, & ſint nobis vi-
ces per noctem & diem, ad
operandum.
23. Ego autem & fratres mei, &
pueri mei, & cuſtodes qui e-
rant poſt me, non deponeba-
mus veſtimenta noſtra: vnuſ-
quiſque tantum nudabatur ad
baptiſmum.

EXPOSITIO LITERALIS.

v.1. 1.



ACTVM eſt autem cum audiſſet Sanaballat, quod ædificaremus murum iratus eſt valde, & motus nimis, ſubſannauit Iudæos, &c. Poſtquam ſuperiori capite enarratum eſt, quas murorum partes, his, atque illis, quorum nomina recenſentur, ædificandas tradiderit Nehemias; quia magna negotia longiorem temporis moram deſiderant, & aſſignatam ſibi partem operis nondum quiſque abſoluerat: nunc impedimentum Iudæis, muros Hieruſalem ædificantibus, allatum deſcribitur, idque ab aduerſariis iiſdem, qui ante, Samaritanis, quorum dux, & Princeps Sanaballat, qui audito de reædificatione muri nuncio, indignabundus, primum, ipſe per ludibrium, & irriſionem, in amari conuitii verba prorupit; nimirum cum ferueret maxime Hieroſolymis, opus ædificationis, & ex variis locis mœnia paulum aſſurgere inciperent, non exclamabant Iudæorum hoſtes vicini. *O fortunati! quorum iam mœnia ſurgunt:* ſed fremebant potius, dolore animi, atque inuidia, maxime Sanaballat, Samarites, qui ſic Iudæos ſubſannans, cum ambitioſo faſtidio ad ſocios Samaritas orationem ſuam conuertit.

Aſſurgentibus ex variis locis Hieroſolymitanæ ciuitatis mœnibus fremũt dolore animi atque inuidia Iudæorũ hoſtes vicini Samaritæ.

Verſ. 2. *Et dixit coram fratribus ſuis,* A *& frequentia Samaritanorum, quid Iudæi faciunt imbecilles, num dimittent eos gentes? num ſacrificabunt, & complebunt in vna die, &c.* Scilicet, cum cognouiſſent hoſtes vicini longius progreſſum eſſe opus, quam putarant, & in illud etiamnum adhuc, tam incumbi ſtrenue, vt breui res tota ad exitum perduci poſſet, mutuo ſeſe hortati ſunt, vt inchoatam fabricam impedirent, totumque negotium maturo conſilio, antequã magis confirmaretur, diſturbarent. quod ſane pertentarunt, ac vero etiam perfeciſſent niſi Iudæi, duce, atque hortatore Nehemia, ſe B contra illorum impetus, atque inſidias armaſſent: hinc primum Sanaballat, ſubſannans Iudæos, quaſi imbecillos, & inermes, illorum conatus inutiles, atque irrita conſilia, ſtomachoſius deridet, quaſi nihil eorum facturi ſint, quæ animo ac cogitatione præceperant, *Dixit coram fratribus & frequentia Samaritanorum*, inquit textus, iuxta Hebræum, & 70. *coram exercitu, Quid Iudæi faciunt imbeciles?* quaſi diceret, opus quod incœperunt ad exitum perducere non poterunt, tum quia imbecilles ſunt, tum quia Gentiles, eos vndequaque impedient, vnde ſubdit, *Num dimittent eos gentes?* quaſi dicat, *nullo modo dimittere debent pacifice eos operari*, immo, *num dimittent?* idem eſt, ac quod 70. vertunt; *Nos num dimittemus?*

Explicatur riſus, & ſubſanatio Sanaballat Samaritæ.

Non ita: quanquam, notandum hoc loco, nec in Hebræo, nec in 70. esse illud verbum, *gentes*, sed additum ab interprete, vt recte obseruauit Sa in annotatiunculis: pergit Sanaballat, *num sacrificabunt, & complebunt in vna die*? id est, num offerent hostias in dedicatione operis? aut illud absoluent, ad præstitutum diem, *num sacrificabunt, & complebunt*, Metalepsis est, vt patet, siue rerum transpositio, sensusque est, num complebunt, aut perficient opus suum, & sacrificabunt? Deo gratias agendo, de operis consummatione, quasi dicat, sibique ipsi respondeat, *nequaquam ita fiet*; est id enim non operosum modo, sed etiam impossibile. Eo igitur argumento sibi persuadebat Sanaballat, inane futurum Iudæorum de restauranda ciuitate consilium, quod vicinæ gentes Iudaico nomini iam dudum infensæ, quam possent maxime illorum studiis obsisterent: nec præterea res, quam aggrederentur, foret eiusmodi, vt vna die, id est, breui tempore, absolui posset, antequam scilicet coniurati circumquaque populi, se ad impediendam, disturbandamue murorum ædificationem, compararent.

Nunquid ædificari poterunt lapides de aceruis pulueris, qui combusti sunt? &c. Postremo tandem, & hanc quoque rationem addit Sanaballat; cur irrita videri possit ciuitatis, atque murorum instauratio; nempe, quod ea sit totius ciuitatis species, vt bustum potius videatur, quam ciuitas; atque adeo facultatem humanam superet, efficere, vt ex collapsis mœnibus, & ciuitatis ipsius ruinis, lapides in cineres redacti, iterum cogi queant, ac durescere ita sensim, vt ex iis ædificii moles stabilis, ac firma consurgat, *nunquid ædificari poterunt lapides de aceruis pulueris*? id est, nunquid aceruos pulueris lapidum combustorum conuertent in lapides, vt ex iis ædificare possint? nimirum (vt hic notat Lyranus) cum Nabuzardan à Nabuchodonozore missus in Hierusalem, ciuitatem illam incendit, vt habetur quarto Regum vltimo, tanta fuit ignis vehementia, &, si ita loqui licet, voracitas, seu tam vorax eius flamma, vt lapides ipsi, magnam partem, saltem plerisque in locis combusti, & quasi in pulueres resoluti, ad ædificandum postea, prorsus essent inutiles; quanquam, vt fateor, id clare expressum,

Cum incensa est Hierusalē tam vorax fuit flāma, vt lapides magnam partem cōbusti, & in puluerem resoluti sint.

à eo quem citat Lyranus scripturæ loco, non inuenies, vt recte obseruat Sanctius, quicquid sit, sic verbis illis irridebant Iudæos eorum aduersarii, & inani se spe consolabantur, impeditum iri artifices, ne ædificarent, defuturos lapides, aut fragiles futuros, vt pote exustos, & totam constructionem infirmam, atque humilem fore; quæ ne vulpibus quidem resistat, nedum armatis hominibus, vnde sequitur.

Vers. 3. *Sed & Tobias Ammonites proximus eius ait, ædificent, si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum, &c.* Hæc Tobiæ vox affinis Sanaballat, iacta per ridiculum in Iudæos, ædificet, inquit, per nos liceat, de eorum futili ædificatione, atque inani opere, ne solliciti simus, nihil enim eis valebit, nihil profuturum est, nunquam admodum promouebitur, nec erigetur, aut certe ita modice, vt ciuitati propugnandæ, ac defendendæ non sit satis, in Hebræo habetur, vt obseruauit Lyranus, *si ascenderit vulpes, dissipabit*, siue, *disrumpet murum eorum lapideum*, & iuxta illam vocem sensus est, ita debilis erit, ac parum firmus, vt ne minimum quidem impetum sustinere possit; & sane vulpes in Solymitanis mœnibus, sua posuisse latibula, lamentatur Hieremias Threnorum capite quinto, versu decimo octauo, quid si eo respexisse censeatur Tobias iste, quasi dicat, vulpes quas e patris sedibus exules abegerunt, nullam, si redierint, difficultatem, aut obicem inuenient: nam & muros, quia depressi, atque humiles, saltu, aut ascensu superare, & quia tenues, ac parum crassi, si vim adhibere volent, facile perforare, ac disrumpere poterunt. II.

Lamentatur Hieremias Thren. 5. vulpes in Solymitanis mœnibus destructis sua posuisse latibula: ad quod forte respexit Tobias cū dixit, subsannās Iudæos, Si ascenderit vulpes, trāsiliet murum.

Vers. 4. *Audi Deus noster, quia facti sumus despectui, conuerte opprobriū super caput eorum, & da eos in despectionem in terra captiuitatis, &c.* Hæc Nehemiæ ad Deum in præsenti calamitate confugientis oratio est, quam ipse contra aduersarios, tanquam scutum opponit, ea prorsus mente, ac sensu, quo olim Ezechias in blasphemiis Rabsacis retundendis, Regum quarto, capite decimonono. *Audi*, inquit, *Deus noster, quia facti sumus despectui*, atque vt ipsummet Nehemiam non autem alium quemuis de populo, aut primariis Iudæorum, hæc dixisse certo intelligas in veteribus Codicibus, proxime ante habentur, & præmittuntur

Eodem modo orat Nehemias, quo olim Ezechias ad retundēdas Rabsacis blasphemias, Reg. 4.

ista verba, *& dixit Nehemias*, quæ licet non sint in Hebræo, nec vulgo in textu legantur, recte tamen, quod intelligi necessario ea oporteret, per modum Glossæ apposita fuisse, censenda sunt, quod autem ait, *converte opprobrium super capita eorum, &c.* Ex obseruatione Caietani, & Dionysii, ne imprecationem esse putes, ex odio hominum, studioque vindictæ profectam, sed ex vitiorum odio, quæ ab aduersariis suis Nehemias summoueri velit, nimirum optat vitia illa, quibus eorum animi foedati sunt; seuere puniri eo supplicii genere, ex quo ipsi cõdiscant, in suo capite, quod ipsi in alienum inclementer intorquent, id est, vt ea Samaritani illi ab aliis gentibus patiantur, quæ ab ipsis Samaritanis, Iudæi longo iam tempore perpessi sunt, & sic earundem quarum ipsi calamitatum non ignari, miseris deinceps non insultent, nec iacentes atque afflictos, iniuriis, & opprobriis oppressos velint.

Quod optat, aut imprecatur aduersariis Nehemias non optat ex odio hominum, aut studio vindictæ, sed ex mero vitiorum odio, quæ ab illis summoueri vult.

Vers. 5. *Ne operias peccata eorum, & peccatum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes, &c.* Obseruat item hoc quoque loco Estius, sumenda esse hæc Nehemiæ verba non quasi imprecatoria, sed partim Prophetica, vt vbique passim in Psalmis, quæ videtur imprecari facinorosis hominibus Regius Psaltes, partim approbatiua iustitiæ diuinæ. *Ne operias,* inquit, *iniquitatem eorum,* scilicet obliuione, aut dissimulando vindictam, quasi diceret, *recordare*, seu *puni*, nam cum parcit, dicitur tegere, & sane operiri, & quod idem est, deleri peccatum, nihil videtur esse aliud, quam non puniri, seu quodammodo obliuioni tradi, operit siquidem peccatum venia, quia non euulgat, ait Sanctius, neque ob oculos hominum spectandum proponit, & delet, quia illius, vt rei ipsius natura patitur, obliuionem inducit, & sicut aperit, & prodit peccata, impositum peccantibus supplicium, sic & operit, & obscurat, impunitas, & venia, ex quo fit, vt dum homo ignosci sibi postulat, hoc ferme modo oret, *dele, tege,* aut *aufer iniquitatem meam.* Sic Psal. 84 vers. 3. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum,* & Psal. 31. vers. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata,* quibus in locis, vt erudite passim notant interpretes, altera pars versus alterius, per epexegesin, explicatio est. Peccatum igitur coram alicuius facie non deleri, qua locutione vtitur Nehemias, idem est; atque ante illius oculos semper obseruari, ita vt de illis semper, & de eorum punitione cogitet, neque illorum vnquam memoriam ex animo deponat; bene autem superioribus verbis à nobis explicatis, causam voti sui, & vindictæ quam de aduersariis, aut optat, aut prædicit, hanc consequenter annectit Nehemias, *quia irriserunt ædificantes*, nec enim leuem adeo vindictam merentur, qui risu, & sannis opera pietatis excipiunt.

Verba Nehemiæ non tam imprecatoria, quam partim Prophetica, partim approbatiua iustitiæ diuinæ.

Idem est operiri peccata, deleri, & obliuioni tradi, ac non puniri.

III.

Vers. 6. *Itaque ædificauimus murum, & coniunximus totum vsque ad partem dimidiam, & prouocatum est cor populi ad operandum.* Res sane mira, tantum abest, vt aduersariorum iniuriis, & irrisionibus, ab ædificando deterriti sint Iudæi, vt contra per id vehementius ad operandum fuerint inflammati, tum scilicet propter opprobrium iniuste illatum, tum quia opus prosperabatur in manibus eorum, cum enim instarent operi diligenter *coniunxerunt*, id est, *erexerunt totum murum vsque ad partem dimidiam*, id est, *ad altitudinis destinatæ medium, dimidia vero parte operis perfecta, prouocatum est*, inquit, *cor populi ad operandum, & perficiendum.* Quo ex loco manifeste constat, superiori capite descriptum, & diuisum viritim tantum, non absolutum murorum ambitum, saltem quoad iustam murorum altitudinem, quando post obiectum à Samaritanis impedimentum, posita est à Iudæis in absoluendo muro non segnis, nec inutilis opera, sunt porro, qui hæc verba; *coniunximus totum vsque ad partem dimidiam,* non de toto muro, vti diximus, ad dimidiam altitudinem erecto intelligant, sed dimidiam illam partem, ad longitudinem referant, & sic interpretantur, quasi dimidium operis esset absolutum, & totius ambitus pars esset reliqua dimidia, atque ita iuxta illum sensum, neque hoc tempore clausa fuisset tota ciuitas, etiam imperfecto muro, & nondum ad destinatam altitudinem, debitumque fastigium perducto.

Coniungere murum, idem hic, atque erigere, quod ad altitudinem refertur, etsi aliqui ad longitudinem referant.

Vers. 7. *Factum est autem, cum audisset Sanaballat, &c. Et Tobias, & Arabes, &c. quod obducta esset cicatrix muri Hierusalem, & quod cœpissent interrupta*

concludi irati sunt nimis. Hinc tandem incipit, narratio defensionis, & militaris industriæ Iudæorum, contra Samaritanos, qua aperta vi, quâ insidiis, Hierosolymitanæ vrbis & murorũ eius ædificationem interpellare volentes. Nam cum ad illorũ aures peruenisset, contra quàm futurum paulo ante existimabant, *Quod obducta esset cicatrix muri*, inquit, textus vulgatæ versionis, Hebraice, *quod ascenderet ligatura siue sanitas*, id est, quod reparatæ essent ruinæ, seu rupturæ sanatæ, metaphora à vulneribus ducta, tam, quod sequens versus indicat, *congregati sunt omnes pariter*, id est, confertim, & magna hominum manu conflata, vt fortius nec opinantes inuaderent, & vel inuitos ad operis cessationem repugnantesque inducerent, contra Iudæi, mature se communiunt, ac primo Deum, placare orationibus student, & auxiliatorem aduocant, deinde dispositis hinc inde, qui excubias agant pro mœnibus, ad resistendum aduersariis, omne subsidium comparant, vt mox infra videbimus. Cum autem (quæ vna res hic occurrit annotanda) cicatrix propriè sit, ac dicatur, partium, à vulnere hiantium inducta sanitate, coitio, quæ non est totius corporis vulnerati indicium, sed partis sauciæ quondam, atque diuisæ, nunc autem coeuntis ac solidæ, naturale signum, ex obducta murorum cicatrice, & earum partibus interruptis, quo locutionis genere vtitur hic Nehemias, duo non inerudite colligit Sanctius, alterum est, non omnes omnino muros excisos fuisse à Chaldæis, alterum quod facile consequens est, non fuisse de integro, omnes murorum parte ædificatas, aut firmius munitas à Iudæis, cùm mansissent multis in locis, non solum integræ, sed etiam ad resistendum firmæ, neque forte etiam quicquam haberent ruinosum, quod fulciri, aut excauatum & cariosum quod solidari, atque compleri deberet. Et certè, quæ prima eius authoris ratio est, ex vocibus metaphoricam murorum sanitatem significantibus, in textu, coniectare licet, atque argumento est, non agi de murorum omnium vniuersa, ac generali, sed de partium duntaxat aliquarum, speciali ruina: deinde, neque muri ipsi dicuntur collapsi penitus, sed interrupti, qui dicendi modus, collapsas quidem indicat partes aliquas, non totum excisum, vt in corpore affecto & mutilo, aliquid indicat liberum à vulnere, interruptos autem muros, non excisos omnes funditus, & si hic satis significatur, idem tamen apertius, & significantius dicitur, cap. 6. vers. 1. *Cum audisset Sanaballat quod ædificassem ego murum & non esset interruptio residua*, inquit Nehemias, & idem ipse cap. 2. vers. 13. *Considerabam*, inquit, *murum dissipatum*, vbi vox Hebræa *Paras* quæ vulgatæ lectioni respondet, diuidere significat, aut rumpere frequentius, non omnino sternere. Adde, cum multæ fuerint in muris portæ, in quibus, præcipuum esset ciuitatis munimentum, nullas tamen dici, proprie ac presse aut ædificatas, aut restitutas à Nehemia, immo, neque illarum plurimas, ab illo nominatas vt portam Ephraim, & Anguli, & alias de quibus cap. 12. nec dici vsquam portas dirutas, sed tantum, earum valuas igne consumptas, cap. 1. vers. 3. & cap. 2. vers. 13. & 17. quasi in valuis tantum, seris, & vectibus, laborandum fuerit, reliquo, cum aliud nihil dicatur, fortasse incolumi quam nostram, vt Sanctii, coniecturam aut opinionem, & firmat, & probat Villalpandus in apparatu vrbis, & Templi p. 1. vrbis lib. 3. cap. 6. & Torniellus anno 3 or num. 2.

Ex loquendi forma, qua vtitur Nehemias colligi potest probabiliter non omnes omnino muros excisos fuisse à Chaldæis nec proinde omnes reædificatos.

IV. Vers. 9. *Et orauimus Deum nostrum & posuimus custodes super murum, &c.* Bene id quidem ac prudenter omnino. Primum Deo supplicant de eius auxiliari ope ac prouidentia confidendo, & certam in spem erecti, fore, vt ab eo protegerentur nec tamen quæ humano consilio & prouidentia fieri poterant adhibere negligunt.

Vers. 10. *Dixit autem Iudas debilitata est fortitudo portantis & humus nimia est & nos non poterimus ædificare murum, &c.* Et si tandem omnes difficultates perruptæ, ac superatæ sunt à Iudæis, ingenti animi contentione ac labore, tamen constat, ex hoc loco non defuisse, qui fatigatione languescerent, & graui etiam formidine concuterentur, hinc illa quæ sequuntur in textu, *Dixit Iudas*, id est, *viri de Tribu Iuda*, fracti timore, aduersariorum, & laborum anxietate, *debilitata est fortitudo portantis*, id est, *portantium onera*, ad opus, operarum, scilicet, & baiulorum, qui lapides & cæmenta, siue intritam calcem portant, *& humus nimia est*, Rudera, opinor intelli-

intelligit, quæ inde asportari debebant, & terram, quæ è fossa circumducta, muro educebatur, Hebræum & 70. habent, *puluis*, fortassis, calcis, & arenæ, in minutiores particulas dissolutæ, & de muro disiectæ, *multus*, quasi diceret, ob id murus firmari non poterit, Tigurina translatio, habet, *plurimum ruderis est*, quod laboriosè egerendum erat, vt solide ædificari posset, Beda sic interpretatur, *humus nimia est*, congesta scilicet, in loco muri, quæ prius exportanda erit vt fundamenta muri, in ima terra, & firmo quod aiunt solo iaciantur vnde, subditur, *Et non poterimus ædificare murum*, scilicet, donec ista terræ congestæ moles, summota sit, quod vires nostras superare videtur, sed hæc explicatio Lyrano non placet, quia licet, inquit, muri ciuitatis fuissent altis in locis disrupti, & vehementiori ignis ardore combusti, tamen fundamenta quæ in imo solo iacebant, salua atque intacta remansere, atque ideo, vt addit idem author, aliter exponunt Hebræi, *& humus nimia est*, id est arena, & calx, quæ sunt necessaria, ad faciendum cæmentum, requiruntur in tanta quantitate, quantam vix nobis reperire est, ac proinde nonnisi ægre admodum, ædificare poterimus; ex quibus omnibus interpretationibus, primam ego vt faciliorem, & magis expeditam, sic quoque cæteris probabiliorem existimo.

Variæ authorum expositiones de humo nimia quæ impedimẽto est quo minus possit ædificari murus.

Prima interpretatio & facilior & magis expedita.

A

B

C

V.

Vers. 11. *Dixerunt hostes nostri nesciant & ignorent donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos & cessare faciamus opus, &c.* Cum verbis procacibus & irrisionibus suis nihil proficerent Iudæorum hostes, quin potius viderent, obductas esse murorum cicatrices, statuerunt nec inopinantes, & incautos opprimere vt partim occisis, partim dissipatis ædificatoribus necessario cessaret ædificatio, neque vero audebant aperto marte cõgredi, quod scirent, eos Regia authoritate munitos, & Estherem & Mardochæum, in aula esse, ac plurimum apud Regem posse, quia tamen ardebant odio, & rumpebantur inuidia, cõtra Iudæos, clàm eos adoriri, ac perdere volebant, ne possent aperti facinoris, apud Regem insimulari, quare, consilio inter ipsos inito, dixerunt, *nesciant & ignorent donec veniamus in medium eorum & interficiamus eos, &c.* Sed quis illorum consilia & insidias, & detexit, aut ex quibus rescire potuerunt Iudæi, hostes suos vndecumque magnas armatorum copias colligere vt subito impetu, incautos opprimerent? scilicet, ex Iudæis ipsis, ac contribulibus suis, qui inter hostes illos habitabant, variis ex locis conuenientibus, certa fide didicerunt, vt patet ex versu 12. proxime sequenti.

Didicerũt Iudæi ædificantes à contribulibus suis inter hostes versantibus hostium ipsorum consilia & paratas insidias.

VI.

Vers. 12. 13 & 14. *Factum est autem venientibus Iudæis & dicentibus nobis per decem vices, &c. statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis suis, & surrexi & aio ad Optimates, &c.* Has ergo aduersariorum insidias, & praua quę machinabantur consilia, cum iam crebrius audiisset Nehemias, à Iudæis, qui finitimi erant Ammonitis, Azotiis, Arabibus, primùm implorata diuini numinis ope vt supra vidimus, custodes supra muros diu noctuque constituit, vt aduentum hostium nunciarent, & certis locis post murum armatorum Iudæorum aciem, in præsidiũ collocauit, cum gladiis suis, & lanceis & arcubus, vt hostẽ ipsum iam irrumpentem, non imparati exciperent, deinde Optimates ipsos, & magistratus, & reliquam vulgi multitudinem, grauissime hortatus est, his verbis adorsus est, *Nolite timere à facie eorum, Domini magni & terribilis mementote, & pugnate pro fratribus vestris, &c.* cum enim omnia, quæ de hostium insidiis, narrata sunt, multorum animos, tristi expectatione perturbarent, & graui formidine concuterent, non solum hostium viribus, atque insidiis, sed etiam sociorum formidini, ac desperationi occurrendum fuit, quod adhortatione sua luculenter præstitit Nehemias, *Nolite timere*, inquit, *Domini magni & terribilis mementote & pugnate*, sic graui oratione, quod in eiusmodi angustiis, ad summi Ducis munus spectat, populares suos animat, & impellit ad resistendum, fortiter aduersariis, & repetita diuinorum beneficiorum memoria, atque opis quondam præsentaneæ, maioribus suis laborantibus à Deo, concessæ, omnem ab illorum animis timorem expellit hoc est, quod ait, *Mementote Domini magni & terribilis*, id est, quomodo pugnauit, pro patribus nostris, in mari rubro, & in aliis locis, vt ait Lyranus, extat ergo hic, vt vides, atque eminet Nehemiæ, strenui Ducis, in propugnanda murorum ædificatione cura diligens, &

Et hostium viribus atque insidiis & popularium suorum formidini, ac desperationi occurrit Nehemias in quo boni Ducis partes absoluit.

D

nisi manum vtramque, ad opus adhibeat; Itaque iidem, & milites, & cæmentarii fuere, ea ratione, qua diximus, quia scilicet, ad vtrumque parati, vnde nec iuuenum illa dimidi apars, quæ murorum operi instaurando intenta erat, omni ex parte a militari studio vacabat, sic enim Ligonem, bidentem, sportam, trullam gerebant, manu, vt gladium non deponerent, quem habebant, ad omnem tumultum, quem audirent, & bellicum strepitum, expeditum & promptum, siue illi muros ædificarent, siue portarent humeris suis, siue alienis imponerent portanda onera, *Ædificantium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes*: Porro, ad sensum moralem, obiter indicandum, hinc si voles intellige, simul & bellandum & ædificandum, homini Christiano, structuram spiritualem meditanti, hoc est, & in virtutis opus incumbendum, & diaboli tela, id est tentationes fortiter repellendas.

Ex litera moralis hic sensus eligitur & bellandum, & ædificandum homini Christiano structuram spiritualem cogitanti.

X. Vers. 18. *Et ædificabant, & clangebant buccina coram me, &c.* Credo per interualla, & per certa quædam temporis interstitia, tanquam scilicet, parati, ad prælium committendum, & si forte hostes appropinquarent, clangorem buccinæ audientes, illico eos inuadere reformidarent, vel sic intellige, quia spatium illud erat, & latissimum, & longissimum, quod populus, ad ædificandum sumpserat, nec facile cum alii ab aliis distarent, si quis impetus repente ingrueret, sibi inuicem subsidio esse poterant, ideo statutum fuisse, vt ex quocumque loco, qui faciebant opus, eo quantocius aduolarent, vbi litui clangorem audiissent, quod infra plane, & aperte narratur, vers. 19 & 20. *Ædificabant*, igitur, *& clangebant buccina contra me*, ait Nehemias, quando scilicet, res tulisset, vt opus esset congregari, ex diuersis muri partibus, in vnum locum ad vim hostium, facta manu propulsandam; Iosephus scribit Nehemiam, tubicines disposuisse interuallo, quingentorum passuum, aut potius pedum, in Græco enim est ποδῶν.

Ædificantes Iudæi buccina clangebant vel adterrendos inimicos, vel ad socios vnum in locum conuocandos.

Tubicines dispositi à Nehemia interuallo quingentorum passuum aut pedum, ex Iosepho.

Vers. 19. *Et dixi ad Optimates, & ad Magistratus, & ad reliquam partem vulgi, &c.* Hoc item & sequenti versu, prudens, vt iam ante monui, & solers inprimis, Nehemiæ Ducis in futurum præcautio, contra hostes subito, atque ex improuiso forte, irruptionem facturos, significatur, cum scilicet, optimatibus, totique Iudæorum cœtui, consilium suggerit, statuitque, de cogendo, vniendoque simul populo, in ea muri parte, qua hostes irruent, ad certum tubæ clangentis signum, norat enim virtutem, vnitam, esse fortiorem, quod aiunt, seipsa dispersa, *Opus grande est*, inquit, *& latum, & nos separati sumus, in muro, procul alter ab altero, in loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos*, sic ille, quo nihil, vt supra dixi, apertius.

XI. Vers. 21. *Et nos ipsi faciamus opus, & media pars nostrum teneat lanceas, ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra.* Statuit hic quoque pro munere suo Nehemias vt ciuium inter sese sic distribuantur studia, vt alii in construendis mœnibus laborent, alii armati, & matutina luce ad vespertinum vsque crepusculum in arte consistant, *Media pars nostrum*, inquit, *teneat lanceas ab ascensu auroræ. Ex quo*, primum scilicet, ad operandum se accingebant ædificantes, *donec egrediantur astra*, id est, *donec appareant astra*, tunc enim ab opere quiescendum erat, seu *vsque ad noctem*, censentur enim egredi astra, siue stellæ, cum oriuntur, aut de nocte apparent, sic à crepusculo in crepusculum, operi intenti erant, a primo solis, seu diei crepusculo, vsque ad crepusculum noctis, hoc enim est, ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra, seu apparere incipiant, sub noctis initium, quasi excubias actura per noctem, donec mane, albescente cœlo, cubicula sua repetant, quorum *Lucifer*, canebat ille, *statione nouissimus exit*.

Egredi dicuntur astra & stellæ cum oriuntur & apparent de nocte.

XII. Vers. 22. *In tempore quoque illo dixi populo vnusquisque cum puero suo maneat in medio Hierusalem, & sint nobis vices per noctem & diem ad operandum, &c.* Prouidit, igitur, sapientissime Nehemias, vt nocte, excubiæ intra vrbem agerentur, ne scilicet disturbaretur opus, aut interficerentur artifices: Et cum Optimates, è quorum numero erat ipse, familiam haberent, & seruulorum gregem, edixit, vt ipsi, inter se, cum turba domestica, nocturnas diuiderent vigilias, diurnasque custodias, vt alii, & libentius, & securius, in inchoatam murorum fabricam incumberent: Cæterum, hic annotat Sanctius, quod &

Olim, in castris, apud Romanos aliasque gentes, quæ

Quatuor noctis vigiliæ buccinarum clangore distinctæ solitæ.

in lib. 2. Reg. etiam obseruauit, olim in castris, apud Romanos, & cæteras quoque gentes, quatuor noctis vigilias, tubarum seu buccinarum clangore distingui solitas, quod ex Silii Italici, libro 7. & Titi Liuii lib. 26. authoritate probat, quorum ille, *Mediam noctem buccina diuidi*, ait, iste, *tertiam buccinam*, pro, *tertia vigilia ponit.* Quare, cum in hoc rerum articulo, ciuitas Hierusalem, castrorum, veluti formam, ac speciem, referret, & magis esse videretur, militum, quam ciuium habitatio, neque deessent tubæ, & buccinæ, vt paulo ante vidimus, videri quoque non alia ratione cōmodius quam per tubarum, aut buccinarum clangorem temporum spatia, notari, ac diuidi potuisse, quod autem additur, *Et sint nobis vices per noctem & diem ad operandum*, Hebraicè, *in custodiam*, id est, *sintqui nocte custodiant, per diem operentur*, scio quidem, quosdam esse, qui opinentur, etiam de nocte operatos esse Iudæos, atque istud ipsum, hic significari, per has voces, *Sint nobis vices per noctem, & diem, ad operandum*, & vero Beda sic ait, in hunc locum, *Nota*, inquit, *quantum studium, in operando habuerint, qui etiam nocte, in labore persliterunt*, sed vt Lyrano, sic nec mihi admodum placet, hæc sententia; Itaque, loci huius, is est sensus quem significaui, de Iudæis, aliquos, per vices, statutos fuisse, ac destinatos, ad vigilandum in excubiis de nocte, pro custodia ciuitatis, qui irruentibus hostibus, alios excitare possent. Addo, ad eam sententiam firmandam, Bedam ipsum, ante citatum, post verba superius relata, paucis interiectis, hæc in Glossa adiungere, quasi suam ipsius opinionem supradictam corrigat, *Nisi forte*, inquit, *ita sibi per vices succedebant, ad operandum, vt alij per diem laborarent in opere muri, alij contra hostium incursiones agerent excubias noctis.*

Etiam de nocte operatos esse Iudæos quorumdā opinio est sed minus probabilis.

XIII. Vers. 23. *Ego autem & fratres mei & pueri mei, & custodes qui erant post me, non deponebamus vestimenta nostra, &c.* Optimam sane iniit viam Nehemias, ad acuendos Iudæorum animos, & continendos in officio ciues: Præiuit nimirum Optimates alios, & cum ipse excubaret in excubiis quoque suam secum voluit esse familiam, neque vestimenta sua per longum temporis spatium deposuit, ne quid ipsi moram

A faceret, si qua ingruens, & inopinata necessitas, ad murorum custodiam, operam suam accerseret, *Ipse vero*, inquit Iosephus, *noctu circumquaque vrbem obibat, nunquam defessus, aut opere, aut duritia victus, & in excubiis, nec cibo nec somno vtens, nisi quantum postularet necessitas*, sic ille de Nehemia, quo quid potuit excogitari potentius, ad incitanda vel languentiorum ingenia, & illorum studium acuendum? quis enim vigil non sit, aut quem dormire non suppudeat, excubante Duce, atque Imperatore? quis vel de ignauissimis quibusque, captet otium, laboremque

De Nehemia excubias agente insigne Iosephi testimonium.

B defugiat, laborante, ac sudante etiam principe? quis ægre ferat impositum sibi militiæ pondus, cum primus omnium ille, in oculis totius populi, tamdiu tamq; constanter subire non detrectet? *Facta scilicet, non dicta sua contribules suos, sequi vult*, quod aiebat ille, apud Liuium libro septimo, *Nec disciplinam modo, sed exemplum etiam ab ipso tanquam milites à Duce petere*, & quod de Catone dicitur, à Lucano libro nono, *Monstrat tolerare labores, non docet*, & vigilantissimus, & laboris patientissimus Nehemias.

Facta non dicta sua sequi vult populares suos Nehemias & nō tam verbo quam exēplo docet qui deos tolerare oporteat.

XIV. *Vnusquisque tantum nudabatur ad baptismum, &c.*

C Nehemias igitur ipse, cum suis, vt expediti semper essent, ad defensionem populi, non deponebant vestimenta sua, nisi vt se aquis expiatoriis, Iudaico ritu purificarent, *Vnusquisque*, inquit, *tantum nudabatur ad baptismum*, baptismi, nulla est in Græco textu mentio, in Hebræo, vero, aqua nominatur duntaxat, quæ varias interpretationes possit admittere, & iuxta illud, propriè legendum est, *vir*, id est *quisque*, *dimissio eius aquarum*, id est, *ad aquas tantum exuebātur*, quod insignem arguit, Iudæorum in opere diligentiam; Alii vertunt, *quisque gladium*

Varia huius loci lectiones & expositiones.

D *eius aquis*, pro, *in aquis*, id est, ne ad abluendum quidem corpora, gladios, aut vestem deponebant: hoc 70. secuti dixerunt, *Vir & arma eius ad aquam*: Est de Hebræis, qui sic hunc locum intelligat, quasi diceret, *Non deponebamus vestes nostras ne ad lauandum eas in aqua*: Et vero, hinc forte Caietanus, sic accipit, vt neque ad abluendum linum intimum, seu camisiam, vestimenta deponerent, Nehemiæ commilitones, & asseclæ, sed hoc

Per baptismum cuius mētionem facit Nehemias cōmode intelligi potest vulgaris communisque fordiū corporaliū ablutio quas ex opere & sudore Iudæi inter operandū contraxerant vel purificatio cæremonialis qua frequēter vtebantur.

improbabile; probabilius longe, quod ex quorundam sententia addit Lyranus, baptismum hunc posse intelligi, non incommodè, de vulgari, communique sordium corporalium ablutione, quas ex opere passim atque sudore, inter operandum Iudæi contraxerant. Quia vero honesto vocabulo, aqua, nonnunquam, pro vrina vsurpatur, Tigurina translatio fert; vt notat etiam Sanctius) neque ad exonerandam vesicam, aut vrinam effundendam, detractam fuisse ab illis vestimentum, sed hoc putidum est, sic variè, varii authores locum hunc transtulerunt, & interpretati sunt, quia cum aqua, varios habeat vsus, & significationes, varias quoque expositiones admittit certe vulgatæ lectionis meo iudicio elegans & aperta interpretatio est quam initio significaui sic vt per baptismum ablutionem seu purificationem cæremonialem intelligas, qua Iudæi frequenter expiabantur, horum porro baptismatum, siue ablutionum, duo fuisse genera, ita ex sacris literis, cuique notum est, vt pœne obseruare pigeat, etsi id notat, & fusè edisserit, hoc loco supra citatus Sanctius Alterum fuit, quo manus tantum lauarentur, aut etiam pedes, cum aliquid tetigissent immundum, hinc illud Marci 7. vers. 3. *Omnes Iudæi nisi crebro lauerint manus non manducant, & à foro nisi baptizantur non comedunt* immo, & sæpe inter epulas lauabantur, quia vt superstitiosi erant, leuissimis rebus, ac minimis de causis, pollui, se ita existimabant, vt ablutione expiatoria indigerent, quare in epulis ipsis, ac conuiuiis, hydrias fere habebant paratas, ad manum, ne tantillum differri contingeret, eiusmodi familiarem illis, ablutionem: Alterum purificationis seu baptismatis genus, fuit quo corpus totum ablueretur, quod duplici de causa contingere poterat.

Duplex baptismatum seu ablutionū genus apud Iudæos.

A

Primùm, cum aliqua immunditia præcessisset, quam eluere atque obtergere deberet, legalis illa ac cæremonialis ablutio, puta si quis, aliquam cum Gentili consuetudinem habuisset, vnde dixit Christus, loco iam supra citato, baptizari solitos Iudæos, cum è foro redirent, quia nimirum, ibi cùm Iudæis, permixti erant, & confusi Gentiles; Neque forte etiam aliam ob causam Iudith, singulis se noctibus baptizabat, in fonte Bethuliæ, nisi quia necessario, tunc, cum Gentili populo, illi conuersandum erat, de quo Iudith 12. vers. 7. *Exibat noctibus, in vallem Bethuliæ, & baptizabat se in fonte aquæ.* Altera, Iudæis, eiusmodi baptismata, vel ciuilia, vel legalia, vsurpandi causa fuit, quod Iudæis ipsis, sicut & aliis etiam gentibus nonnullis, naturalis esset, vt hac quoque ætate multi experiuntur, grauis quidam & molestus odor, atque ideo, tam hæ, quam illi, balneis vtebantur quotidianis, vt corpus immundum, à tetro illo odore qui fœtidum aliquid præsentibus inhalare solebat, vendicarent; sed hac de re cum adeo trita atque omnibus ferè nota sit plus satis: Atque ita, cùm ait Nehemias, *Vnusquisque tantum nudabatur ad baptismum*, significat his verbis se ac suos nunquam vestem exuisse, nisi abluendi corporis causa, quod Iudæis per quam familiare, ac frequens fuisse, nemo est qui ignoret.

B

Rationes ob quas Iudæis tam frequenter baptismata & ablutiones vsurpabant.

C

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quarti.

Allegoria in hæc verba, verſ. 1. *Factum eſt cum audiſſet Sanaballat, quod ædificaremus murum, iratus eſt valde, &c.*

Quinam myſticè ſignificentur per Samaritanos, murorum fabricam impedire conantes.

I.
V M iratum audis Sanaballat, in Iudæos murorum inſtaurationi intentos, planè ira Hæreticorum hæc eſt, ſeu Hæreticorum animum malè in Eccleſiam affectum, totus hic locus optime repræſentat, ait Beda, lib. 3. expoſit. Alleg. in Eſdr. dum item Samaritanorum iracundia foras ſe effert, atque in verba prorumpit, ſub illorum vultu, ac ſpecie, & veræ Religionis aduerſarios, atque hoſtes, & malos quoque Chriſtianos animo finge ipſe, ac tibi propone, nempe quæ hic memorantur in myſtico ſenſu, verba ſunt eorum, qui ſe Samatitanos cognominant, id eſt, cuſtodes Legis Dei, cum ſint Deo, & Legibus diuinis contrarii, tanquam à domo Dauid, id eſt, ab vnitate Chriſti, & Eccleſiæ, per hæreſes, & ſchiſmata, & mala opera ſegregati; qui ne ſua expugnetur impietas, muros Fidei ædificare nolunt, id eſt, quæ ad doctrinam orthodoxam ſtabiliendam pertinent, palam fieri, aut in medium produci vetant, ſi poſſunt, cùm additur in textu, *& motus nimis ſubſannauit Iudæos, & dixit coram fratribus ſuis, & frequentia Samaritanorum, quid Iudæi faciunt imbecilles?* verſu ſecundo: hæc ſubſannatio eſt omnium, qui dicunt ſe noſſe Deum, factis autem negant: Samaritæ enim ita Domino ſeruiebant, vt Diis ſuis non renuntiarent, quos hodie imitantur, qui ita Chriſtiani ſunt, vt ventrem ſuum Deum habeant, aut auaritiam ſequantur, quæ eſt Idolorum ſeruitus, aut cæteris mundi illecebris mancipati creaturæ magis ſeruiant, quam Creatori: tales ergo, prauis ſcilicet moribus imbuti, non ſecus, ac Hæretici nolunt Eccleſiæ muros innouare, ne creſcente ſtatu pietatis à ſua cogantur impietate recedere; tales quoque ſolent imbecilles appellare Iudæos, id eſt, confeſſores Fidei, & eos facile à gentibus ſuperandos edicere, dum in quotidiano animarum certamine, plus amant vitia, vincique à vitiis, quàm virtutis, ac boni ſtudio victoriæ palmam de illis obtinere, *num dimiſſent eos gentes, num ſacrificabunt, & complebunt in vna die?* inquiunt Samaritani, per riſum, & ſubſannationem, & quia ſunt inter Hæreticos, qui etiam pœnitentibus veniam negant, rectè ex eorum perſona ſubiungitur, *nunquid ædificare poterunt lapides de aceruis pulueris qui combuſti ſunt?* ædificantur enim lapides combuſti de aceruis pulueris, cum hi qui igne perſecutionis victi, Fidem negauerunt, vel vitiorum delectationibus ſubiecti, munditiam operis perdiderunt, miſerante Deo reſipiſcunt, vt integritatem Catholicæ Fidei, conſtanti profeſſione recipiant, & ornamenta virtutum moribus emendati II.
conſequantur, ſic qua fraude, qua aperta vi, aduerſantibus ſibi bellum indicunt, ſic mali bonos ſemper oderunt, ſic virtutem in aliis impugnant, ſic impiis, *iuſtus grauis eſt etiam ad videndum*, vt eſt Sapientiæ 2. verſ. 15. Sic ferre quenquam nolunt moribus, ac vita ſui diſſimilem; ſed quoſcunque reperiunt *operibus ſuis contrarios*, ſun-

Samaritani murorum inſtaurationem impedire molientes, Catholicæ Fidei hoſtes, & malos Chriſtianos repræſentant.

Mali Chriſtiani nolunt pietatem in Eccleſia creſcere, ne ea creſcente cogantur ab impietate recedere.

Vox Hæreticorum, qui pœnitentibus veniam negant.

ditus eos exterminari optant; vnde de A illis ipsis Samaritanis in Iudæos ædificantes, factis iracundioribus, infra quoque dicitur vers. 8. *Et congregati sunt omnes pariter, vt venirent, & pugnarent contra Hierusalem, & molirentur insidias.* Vides exitiale odium, bellúmque perpetuum Samaritanorum in Iudæos ædificantes, satis porro ex literali expositione intelligitur, hostes Iudæorum; id cœpisse consilii, vt omnes in vnum coacti, congregatique pariter venirent, & pugnarent contra Hierusalem, & molirentur insidias, vt scilicet fortius eos inuaderent, sicque fabricam murorum impedirent, & opus cessare cogerent; nec vlterius proinde ciuitas ædificaretur, sed in sensu Allegorico dicendum B est, toto hoc facto Samaritanorum, illud ipsum, quod in Ecclesiæ nascentis olim, ac primitiuæ statu, contigisse nouimus, optime significari, nimirum postquam olim Principes Iudæorum, qui in Ecclesiam Christi, vt hic Samaritani in ciuitatem Hierusalem, atque adeo in Iudæorum Rempublicam insurrexerant, viderunt à prædicatione nominis Christi, siue ab excitanda, promouendaque eius Ecclesia, verbis suis asperioribus, atque intentatis comminationibus, arceri Apostolos, aut impediri vllo modo minime potuisse, vt patet Actor. 4 & 5. per flagella, & persecutiones, tum demum eos impedire laborarunt, vt constat ex cap. 8. & 9. Aduersus hostes eiusmodi, nuperosque Samaritanos, quod hic faciunt Iudæi, vigilandum nobis studiose, armisque vtendum strenue quibus eos oppugnemus.

Vt Samaritani cum Iudæis, sic mali cum bonis semper pugnant.

Samaritanorum odio aperto, & comminationibus Principum Iudæorum odium in nascentem Christi Ecclesiam significatur, qui post verba, verbera, & flagella adhibuerunt.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quarti.

Mysticum, & morale, in illud vers. 10. *Debilitata est fortitudo portantis, & humus nimia est, &c.*

Nullam difficultatem ab ædificanda spirituali Hierusalem, nos deterrere debere.

III.

VOD hoc loco C conqueruntur è Iudæis nonnulli, murum ciuitatis Hierusalem ædificari non posse, eo quod humus nimia esset, in loco muri congesta, quæ prius esset exportanda, vt sic fundamenta muri in viua, seu firma, quod aiunt, terra possent imponi, satis conuenit parabolæ, domus Euangelicæ, inquit Beda, cuius instructor fodit in altum, elataque terræ congerie, posuit fundamenta super terram, quæ nullo aquarum, ventorumue possent impetu deiici: prius enim de corde nostro egerenda est terrarum humus concupiscentiarum, ac dein firmus, atque inexpugnabilis bonorum operum murus, supra fundamentum fidei construendus: nam qui super humum, ac rudera infirmatum cogitationum, ædificium sanctæ actionis erigere conatur, fallitur, & pro domo, siue ciuitate mox, vt procella tentationis ingruerit, ruinam se se ædificasse cõperiet; sed *humus*, inquit, *nimia est*, *debilitatur fortitudo portantis*: hinc inde, inimicus noster assurgit, foris pugnæ, intus timores, crebræ ingruunt tentationes, operosum negotium est; ita sane, sed reualesce mi homo, quanti ponderis, & momenti sit inchoatum opus ad fastigium perducere, diligenter considera, fac quod Iudæi, contra nitentibus etiam hostibus, ciuitatem sanctam, hoc est, gratam, acceptam-

Ad spirituale ædificium excitandum, prius de corde eger-

rendahumus terrenarũ cõcupiscentiarũ, & deinde bonorum operum murus supra fundamentum fidei extruendus.

que Deo domum ædifica: magna vi, atque assiduo labore humum, vt vides immensam, è loco vbi ædificandum est, egerunt, & quamuis difficultate operis, & hostium incursionibus paulum deterrentur, non tamen vincuntur, sed operi tenacius insistunt, consolante, vrgente, animante Nehemia. Et tu ergo, ad illorum formam, moresque te conforma; si humo vitiorum tuorum cor tuum grauari senseris, ex quo fiat, vt in eo ciuitatem diuinæ habitationis dignam ædificare non valeas, ne tamen animo despondc, si te ab expurgandis vitiorum ruderibus, ab ædificandis virtutum mœnibus, hostem malignum retrahere conspexeris, audi consolationem, & consilia Sacerdotum, audi Nehemiam, id est, consolantem à Domino, audi quid dicat spiritus, ausculta supernam vocem, & ad lectionem diuinarum scripturarum attende: audi inquam, quæ Nehemias popularibus suis commotis nonnihil, ac deterritis denunciat, vers. 14. *Nolite*, inquit, *timere, Domini magni & terribilis mementote*, & infra, vers. 20. *Deus noster pugnabit pro nobis, & nos ipsi faciamus opus*: Sic enim habitaculum pectoris tui, expulsis dæmonum insidiis, Deus victor, quasi ciuitatem suam sanctificaturus, & mansionem apud te facturus ingredietur, &c. Nempe hæc in structura animorum, atque ædificio spirituali semper euenire solent, vt salutis nostræ acer ille quidem atque indefessus hostis, aduersus nos grassetur, cum satellitibus suis, immundis scilicet spiritibus, & hominibus malignis, qui opera fidei ac virtutum minimè curantes, ea impedire, & quantum valent semper expugnare contendunt. Verum, contra illos hostium nostrorum insultus, quod Iudæorum facto typicè hic designatur, armatura, iuxta Apostolum sumenda est, Ephes. 6. *Vt possimus resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare; si Deus pro nobis, quis contra nos?* ait idem Apostolus, Resistite aduersanti diabolo, & fugiet a vobis, inquit ex Apostolis alter, ad vocem Nehemiæ animantur Iudæi metumque omnem excutiunt cum hæc intonantem audiunt, *Nolite timere, Domini magni & terribilis mementote*: tu ad vocem Dei ipsius te ad opus bonum animantis, animo fractus debilitatusque æternum concides, nec excitaberis vnquam aut animum resumes? Noli hanc diuinæ gratiæ contumeliam facere, sed perge in incœpto constanter, hosti salutis fortiter obluctare, & illius machinæ dissoluentur, quod in ipso Iudæorum ædificantium negotio contigisse, infra hoc eodem capite, memoratur versu decimo quinto, *Factum siquidem est* (ait Nehemias) *cum audissent inimici nostri nunciatum esse nobis dissipauit consilium eorum, & reuersi sumus ad muros omnes, vnusquisque ad opus suum*: ex quo conclude, in moliendo spiritali virtutum ædificio, si Apostolicis armis semper fuerimus induti, si firmitate quadam ac celsitudine mentis præditi, dissipatum iri facile consilium diaboli, & Angelorum eius, qui nos debellare violentius, atque à proposito promouendi in nobis cultus diuini, retardare vbique moliuntur.

IV. *Contra difficultatem boni operis & hostium insultus opponenda fides & promissio diuini auxilij.*

ALLEGORIA

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quarti.

Expositio Allegorica in illud, verſ. 16. & deinceps.

Media pars iuuenum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & rurſus, vna manu faciebat opus, & altera tenebat gladium.

De Iudæis Templum instaurantibus cum militarium instrumentorum apparatu, & quid hoc mysticè significet, &c.

V.

IN hunc locum sic Beda mysticam significationem applicat libro tertio, expositionis Allegoricæ in Esdram capite vigesimo, vbi ait, tantam esse hostis antiqui versutiam, tantum furorem militiæ eius, contra Ecclesiam dimicantis, vt non solum Prædicatores veritatis, sed vt ipse Dei populus semper aduersus machinas illius vigilare, & velut in acie debeat stare, ædificantes, namque *gladio accinguntur renes*, vt est versu decimo octauo, in mystico ac spirituali sensu, cum hi qui bonis insistere operibus statuunt, qui commissos sibi populos regulari cura, ac ratione disponere, moliuntur; (hoc est enim viuos lapides in ædificio sanctæ ciuitatis ordine competenti locare) fluxa, in se, luxuriæ inquinamenta acumine Verbi Dei restringere satagunt, nec prætereundum, quòd cum Dauid siue Salomon eandem ciuitatem ædificarent, nil de armatis structoribus, vel aduersariis impugnantibus refertur, verum destructa, ob scelera eorum vrbs, maiore labore ac industria reficitur, quia scilicet, talis est (inquit idem author) ædificatio spiritualis, quæ in animarum salute geritur, vt in baptismate renati per fidem, & confessionem sanctæ Trinitatis, absque vllo nostro labore per gratiam Dei, ciuitas & domus eius, efficiamur, ac

Ædificantes gladio accingi renes censentur mysticè qui bonis operibus vacantes acumine verbi Dei motus in se luxuria reprimunt, ac restringūt.

A si post ablutionem sacri fontis diabolo seducente ad peccata relabimur, & virtutum mœnia; hostis victor, nostrorum igne vitiorum deiicit, grauioribus necesse est, orationis, afflictionis, vigiliarum, & vitæ acrioris studiis, ea quæ perdidimus, bonorum operum ædificia reparemus, nam & expertis vitiorum illecebris, difficilius quam incognitis curemus, minorisque laboris est, incognitam carnis cauere voluptatem, quam reiicere cognitam, &c. Hæc ille, quæ cum illis Diui B Pauli verbis mirè consentiant, Hebræorum sexto, versu quarto; *Impossibile est*, inquit, hoc est, difficile admodum, atque arduum, sic enim plerique omnes interpretantur, *qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, participes facti sunt Spiritus sancti gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi & prolapsi sunt, rursus renouari ad pænitentiam*: nusquam igitur ac nunquam, quibusuis hominibus, proædificanda Hierusalem pro C cœlo, pro salute laborantibus, securos esse licet. Quis nescit quod tam sæpe lobo ipso contestante, audiuimus, capite septimo, *Vitam hominis esse militiam super terram*, πειρασμὸς, vt habent Septuaginta, *Tentationem siue pugnam continuam? certa bonum certamen, apprehende vitam æternam*, ait Apostolus, *Labora sicut bonus miles Christi Iesu*, 2. Timothei secundo, versu tertio, si quid

Vt nullo reluctante ac minimè labore condito primū fuit Hierusalem & postea multo labore multisque obsistentibus instaurata sic domus Dei per gratiā baptismi nullo negotio primùm efficimur sed si disiicitur à dæmone per vitia nostra, multo studio ac longa contentione opus est vt reparetur.

Homini ad salutem aspiranti certandam & laborandum vbique ac semper.

promouere, in virtutis studio deside- A ras, de laboris fructu si securus esse voles, quantum huius vitæ conditio patitur, in operanda salute. Altera manu ædificare, altera pugnare necesse est, nempe *vt non dormitat neque dormit qui custodit Israël*, sic neque dormitat neque dormit, qui oppugnat Israël, aut expugnare contendit, humani generis hostis infensissimus, quare sicut diu noctuque, pro salute laborandum est, ita quoque die, nocteque bellandum est, ne in spirituali virtutum structura, quæ longo ante tempore fundata sunt, atque constructa, ingruente vitiorum mole, puncto temporis diruantur. Neque vero hic etiam prætermittere ausim, quod in Glossa annotari video, per hæc verba, versu decimo sexto, *Et factum est à die illa media pars iuuenum eorum exercebat opus, &c.* Significari fideles Ecclesiæ primitiuæ, se exercentes in bonis operibus actiuæ vitæ, per ea quæ sequuntur: *Et media pars parata erat ad bellum.* Significari speculatiuos, istius temporis, qui contra insultus hostium pugnabant, viriliter, orationibus deuotis. Placet etiam quod addit, per illud versus sequentis decimi septimi, *Vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium*: adumbrari eos, qui vtriusque vitæ participes sunt, actiuæ scilicet & contemplatiuæ, & vtrobique perfecti, cuiusmodi nouæ legis Sacerdotes, & Doctores, esse oportere monet Diuus Gregorius in Pastorali, *Sit Præsul*, inquit, *actione præcipuus, sit præ altus, contemplatione suspensus, &c.* quin & per id quoque, *Vna manu faciebat opus, &c.* exercitium cuiuslibet boni operis non incommode potest intelligi, & quoniam, ex hoc

Per iuuenes, operantes, significari possunt actiuam vitã sectantes per eos qui ad bellandum erant parati, speculatiua exercitiis, dediti

vana gloria nonnunquam solet exurgere, ideo rectè subiici, *Et altera tenebat gladium*, scilicet contra vanam gloriam insurgentem, quod autem dicitur in fine versus superioris, decimi sexti, *Et lancea & scuta & arcus & lorica, Et principes post eos in omni domo Iuda, &c.* Conuenit cum eo quod infra, versu decimo quinto est, *Statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis suis, & lanceis & arcubus, &c.* Sic explica, & ad mysticum sensum accommoda, quod statuit Nehemias, populum armatum in ordinem, post B murum, vt agmine scilicet armatorum circumdati, operatores liberius, & securius ædificarent, dispertitos, varia in munia, atque officia, fidelium gradus significat. Alii quippe bonis operibus, intus ornantes sese, Ecclesiam ædificant, alii armis sacræ lectionis muniti, contra impugnatores Hæreticos vigilant. Hi Religiosa deuotione proximos in fidei veritate confortant: illi aduersus diaboli vel vitiorum tela necessarium certamen exercent, & ab ouili Dominico insidiantes lupos Pastorali sollicitudine arcent, quod indicat, vt iam supra significauimus, fidelibus omnibus C perstandum in bono opere semper, & suo, cuique, in ordine, vigilandum vtique dimicandumque esse continuò aduersus hostes Ecclesiæ, cùm visibiles, tùm inuisibiles; hoc est: *Aduersus spiritualia nequitiæ, & contra potestates tenebrarum harum*, vt ait Paulus, Ephes. 6. Ne scilicet ab iis incauti opprimamur, & quod in nostra spiritali fabrica fœliciter ante cesserat, & iam altè excreuerat funditus labefactetur.

per eos qui vna manu faciebant opus, altera tenebant gladium vtriusque vitæ participes.

Populus armatus post murũ in ordinem dispositus à Nehemia, distributos in varia officia fideliũ gradus in Ecclesia repræsentat.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quarti.

Morale in illud, verſ. 9. *Et orauimus Deum, & poſuimus cuſtodes ſupra murum die ac nocte, etc.*

Quinam præfecti aut præficiendi myſticæ Hieruſalem cuſtodiendæ.

VII. ANE, *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam*: vt expertos, iam olim Iudæos, in Templi, ac murorum Hieruſalem inſtauratione, hactenus vidimus, immo, *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*, vt canebat iam, ante hanc ætatem, longè Regius Pſaltes Pſalm. 126. verſ. 1. ſiquidem hæc verba, vel ad primam Templi Salomonis conſtructionem, munitionemque ciuitatis, pertinere, vel etiam, ad aliam quæ facta eſt, poſt reditum à captiuitate Babylonis, & aliquoties à vicinis gentibus impedita, quando vna manu, ædificare, & altera pugnare, cogebantur, vti hoc capite recenſetur, paſſim conſentiunt, eruditi quique Interpretes, nouerat, quidem Nehemias, quod hoc loco, à Dauide perſtringitur, vt in ædificanda Dei domo, atque ciuitate, ſic in vtraq; amplificanda, & cuſtodienda, ſpem & fiduciam in Deum coniiciendam, nouerat, & ciuitatis, & totius reipublicæ Iudæorum, ſalutem, cuſtodiam, ornamentum, ab vnius Dei prouidentia pendere, quicquid laboris, vel induſtriæ, circa iſta, quiuis impenderet, profuturum nihil, niſi ſua Deus beneuolentia proſpiceret, refectæ tamen ipſe nihilo ſecius, inſtaurat æque ciuitati, *Cuſtodes adhibet ſupra murum die ac nocte*, vt intelligas, & ſi Deo cuſtode, eoque non dormitante, neque dormiente, egeant, non debere homines propterea ceſſare ab ædificando, & à cuſtodia, vt ait Origenes 3. Periarch. & in epiſt. ad Romanos, ſed ſcire, quæcumque ſine Deo ædifi-

Sine Deo ædificari nihil, nihil cuſtodiri poteſt, ſed cum eo & ædificandū & cuſtodiendum.

A cantur, aut cuſtodiuntur, vanè ædificari, & ſine cauſa ſeruari, & in omnibus quæ bene ædificantur, & ſeruantur, Dominum, ædificationis, ac tutelæ, authorem eſſe, hoc eſt, in cuſtodienda ciuitate, quæ præclare geruntur omnia, aſcribi Deo ſolere, ac debere, etiamſi non idcirco negetur humani ſtudii labor, & induſtria, vigilum excubiæ, procinctus iuuenum, cuſtodientium vigilia, & hæc de terreſtri Hieruſalem, eiuſque cuſtodibus VIII. deſtinatis à Nehemia, ſed aſſeruandæ tutandæque Hieruſalem myſticæ, ſeu ſpirituali, quæ per alteram, à Iudæis inſtauratam, adumbratur, quinam

B præfecti, præficiendive cuſtodes? præfectos iam olim à Deo nonnullos eſſe ſatis indicat, illud Iſaiæ 62. verſ. 6. *Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes*, quem locum ſic vulgo exponunt, Interpretes ex SS. Patribus. *Super muros tuos conſtitui cuſtodes*, tum Prædicatores, Prophetas, Paſtores, ac Prælatos, vt volunt Cyrillus, S. Thomas & Hieronymus, tum ſanctos Angelos, *Qui nocte & die non tacebunt*, vt addit Propheta, id eſt, qui numquam ceſſabunt vigilare, teque monere, ô Hieruſalem, vt hoſtium, puta dæmonum inſidias, & concupiſcentiarum

Cuſtodes à Deo conſtituti ſpiritualis Hieruſalē cuſtodiæ Prædicatores, Prophetæ, Paſtores, Prælati. Angeli Sancti.

C illecebras caueas, certe de Angelis hoc accipiunt ſanctus Hieronymus, Hugo & ſanctus Bernardus Sermone 4. de Dedicatione Eccleſiæ, vbi verſans hunc locum, *Supra muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes* conuerſo ad Deum ſermone, ait, *benignus es Domine, nec noſtrorum hac fragili protectione murorum potes eſſe contentus, ſed ipſis hominum Prælatis hominibus, Angelicam quoque cuſtodiam ſuperponis, vt muros defendant, & eos*

qui murorum ambitu continentur, *ita pater quoniam sic est placitum ante te, sic necessarium nobis, insufficiens enim est ministratio nostra nisi & nobiscum & pro nobis administratorios spiritus mittas vt hæreditatem capiamus salutis*, nempe Angeli sunt custodes Ecclesiæ & fidelium qui eos, à periculis tuentur, docent monent, & iugiter ad piam vitam laudesque diuinas excitant, totam hanc moralem tractationem mire illustrat D. Innocent. Papa III. Ser. 2. In communi Apostolorum, dum explicat hæc verba Psaltis Regii, *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam*. vbi enim quadruplicem Dei ciuitatem esse ostendit, cœlestem, terrestrem, spiritualem, & corporalem, & singulas suis notis insigniuit, post multa hæc addit, *Ciuitas supra montem posita*, (mystica scilicet Hierusalem, quæ est Ecclesia) *& altera ciuitas spiritualis quæ est fidelis anima, vtraque fundamentum habet, & muros, turres, & portas, custodes & hostes*. & quoniam hic tantum de custodibus, & hostibus ciuitatis inquirendum, nobis est, sic porrò eundem authorem, vt grauiter sic fusè de iis differentem audiamus, *Custodes ciuitatis sunt Rectores Ecclesiæ, sancti Apostoli & Apostolici viri*, de quibus sponsá dicit in Canticis, cap. 3. *inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem, sed & Christus, custos custodum*, de quo legitur Isaiæ 21. *ad me clamat Rex, seu custos quid de nocte*, & infra post pauca, *Custodes item animæ Angeli sunt de quibus veritas dicit*, Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, en custodes aliqui, ac veluti præsidiarij milites, sed quorum tandem hostium aut insidiis, aut insultibus vitandis, propellendisue adhibiti? pergit ille, *Vtraque ciuitas multiplices hostes habet, superiores & inferiores, interiores & exteriores, superiores sunt dæmones malignantes, inferiores sunt homines aduersantes, interiores sunt concupiscentiæ carnales, exteriores sunt illecebræ seculares, infælix homo quem tot inimici circumstant, quem tot hostes impugnant*. en hostes & aduersarii sed quando? aut quemadmodum cauendi arcendiue? attende, *Nisi Dominus custodierit ciuitatem frustra vigilat qui custodit eam, quia non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, aduersus hos quatuor hostes. Rectores Ecclesiæ, quatuor noctis vigilias debent*

IX.

Hostes propellendi à custodibus spiritualis Hierusalē Dæmones.

Homines virtuti aduersantes concupiscentia interior exterior illecebra.

A *sollicitè custodire, primam noctis vigiliam, custodire debent aduersus hostes superiores*, id est, *contra fallacias dæmonum, secundam aduersus hostes inferiores*, id est *contra versutias hominum, tertiam aduersus hostes interiores*, id est *contra carnales concupiscentias, quartam aduersus hostes exteriores*, id est *contra seculares illecebras, primus enim hostis tanquam serpens callidus Euam seduxit; secundus tanquam vulpes dolosa vineas depascit; tertius tanquam blandiens Samsonem circumuenit; quartus tanquam Syrena mulcens nautas adducit, hinc forte nocturnum officium, in* B *quatuor partes distinctum est, in tres nocturnos, & matutinas laudes, quod vt tradunt per quatuor noctis vigilias, contra quatuor hostium persecutiones antiquas decantabat Ecclesia*, hactenus D. Innocentius Papa qui & eodē loco pulcare cōcludit. *Instemus ergo solliciti, circumspiciamus attenti, vt capiamus vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas ora quidem habentes diuersa, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum si diligenter custodimus diuitias temporales, quanto diligentius custodire debemus diuitias spi-* C *rituales, qui fidem surripit, vitam furatur quia iustus ex fide viuit, qui charitatem tollit, Deum adimit, quia Deus charitas est, ab his ergo hostibus ciuitatem suam custodiat Dominus Iesus*. Iam vero si scripturam consulimus inueniuntur à sponsa vigiles, aut certè sponsam inueniunt, vigiles ipsi qui custodiunt ciuitatem Cantic. 3. vers. 5. *Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem*, inquit, sed, quinam vigiles hi? audi ex Bernardo serm. 76. in Cantica, *Nempe illi*, inquit, *quos Sal-* D *uator in Euangelio beatos pronunciat, si cum venerit inuenerit vigilantes, quam boni vigiles qui nobis dormientibus ipsi peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus nostris, quam boni custodes, qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes, hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, retiacula dissipant, machinamenta frustrantur, hi sunt fratrum amatores & populi Christiani qui multum orant pro populo, & vniuersa sancta ciuitate hi sunt qui multum solliciti pro sibi commissis, Dominicis ouibus, cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illos, & in conspectu altissimi depreçantur & vigi-*

Quid præstandum custodibus ad arcendos inimicos mysticæ Hierusalem.

Varia hostium vnima, inde, les.

Diligentius custodienda diuitiæ spirituales quā téporales.

X.

Quinam sint vigiles qui custodiūt ciuitatē & à quibus inueniatur sponsa Cantic. 3.

lant, & deprecantur, scientes suam in-sufficientiam in custodienda ciuitate, & quia nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam: porro cum Dominus ita præcipiat, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem, liquet quod absque duplici hoc exercitio, fidelium, studioque custodum non potest esse secura ciuitas, sed vigilandum, & orandum æque, & custodibus ipsis, & iis quoque qui custodiuntur, alioquin, quis eos sine mutua illorum opera custodire queat; & ab aduersariorum incursibus præstare, aut immunes, aut illæsos? vnde ad ciuitatis custodiam, vt ait D. Bernardus Sermone iam citato, vt quantum satis est procuretur, *opus est viro forti, spirituali, fideli, forti, ad propulsandas iniurias: spirituali, ad deprehendendas insidias: fideli, qui quæ non sua sunt quærat*; quæ tam in præfatos quosque, animarum custodiæ destinatos, ex munere, quam in subditos ipsos, si securi esse, ac tuto custodiri volunt, conuenire dici potest: præficiendum itaque est cor ipsum, hoc est, homo quisque ipse sibi, suique ipsius custodiæ, vt opitulante diuini numinis gratia, alii qui eum custodiunt, seu Deus ipse, seu homines, seu Angeli, operæ pretium ferant, nec labore suo frustrentur, *omni custodia custodi cor tuum*, ait Sapiens Prouerb. 4. vers. 23. en ciuitas, & ciuitatis custos, & vtrumque vna voce comprehendit Sapientis edictum, *omni custodia*, inquit, vel *ex omni custodia*, vel *præ omni custodia custodi cor tuum, &c.* id est, nullum prætermittas custodiæ genus, quo in corde custodiendo, tuendo, muniendoque non vtaris, aut si custodiæ nomine, vt aliqui volunt, intelligendæ sunt noctis excubiæ, seu vigiliæ, idem erit, ac si diceretur per omnes excubias, seu vigilias noctis, cordi tuo asseruando inuigila, *est vigilia super cor*, ait Bernardus Sermone de triplici custodia, *cui sane omnem custodiam exhibere Sapiens monet*, atque vt intelligas qua in re sita potissimum sit hæc cordis custodia, addit, *ego hanc constare arbitror specialiter in duobus, vt videlicet super affectionum, & pariter cogitationum suarum greges mens sollicita vigilanter intendat*, & quoniam vbi est thesaurus noster, ibi est cor nostrum, immo quia thesaurus noster cor nostrum est, iuxta illud Christi Domini Luc. 6. v. 45. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona*, vt thesauri, & res quæque pretiosæ diligenter asseruari solēt, atq; in arca, vt in loco omnium fortissimo, munitissimoque recondi, sic cor nostrum studio omni, omni custodia tuendum nobis, & custodiendum est: hinc Remigius expendens illa verba, *Beati mundo corde*: Cor, inquit, *mundum qui seruat, beatus est, eius autem munditia sic seruanda est, quemadmodum Virgo muliebrem mundum in theca reponit, ne sordes attingant, sic anima, cor suum in pura abdet conscientia, ne labes inquinent peccatorum*, atque ita custodire cor idem erit, atque illud mundum conseruare, atque à peccato intactum, verum insigne est præ cæteris, quod tradit, Marcus Eremita in opusculo de Paradiso, & Lege spirituali, cum Paradiso cor humanum comparat, & Paradisi velut in morem custodiendum nobis esse, eo loci asseuerat, notum est res inter quibus præcipua à Deo optimo maximo custodia adhibita est, Paradisum censeri, in quo scilicet primum hominem condidit, *vt operaretur, & custodiret illum*, vt ait Scriptura, & cum homo lapsus in peccatum ex innocentiæ statu excidisset, Cherubim versatilem ignis gladium vibrantem custodem præfecit: iam ad mysterium animum appelle, *cum scripturam audieris*, inquit citatus author, *enarrantem, quæ pertinent ad Paradisum omnibus affectionibus semotus; ad cor tuum conuerte animum, & reperies ibi Paradisum*, & post pauca, *quoties iubet scriptura hominem omni custodia seruare cor suum, vt conseruans in eo Paradisum, fruatur gratia spirituali, nec audiat serpentem intus se implicantem, & consulentem quæ faciunt ad voluptatem.* Hæc ille, ex quibus mecum ipse sic mentem, sensumque authoris recolligo, si vere cor nostrum Paradisi speciem, atque imaginem refert, Deum igitur imitare, ô homo, quod olim fecit, fac tu ipse modo, primum quidem, tuendo Paradiso præfecit hominem, & postquam in crimen lapsus est, Angelum adhibuit, & gladium versatilem igneum, & tu quoque, vt Paradisum cordis tui tutum, atque omni ex parte munitum reddas, adhibe prius hominem, id est, humaniores rationes, propone illi summa, & mitia, obiice illi præmia æterna, vbi vero, aut exciderit, aut periculum erit, ne excidat, Cherubinum præfice vibrantem gladium, versatilem, & flammeum, hoc

Vigilandum, & orandum, & custodibus, & iis, qui custodiuntur.

XI.

Quid sit omni custodia custodire cor suum iuxta Salomonem Prouerb 4.

Vt res pretiosa in theca, sic cor in pura abdendum conscientia.

XII. *Cor humanum Paradiso comparatur, & in morem Paradisi custodiendum.*

Vel spe præmii, vel timore æterni supplicii cor humanum continendum est, ne excidat.

est, æterna illi propone supplicia, obiice conscientiam inferni ignes mi-
XIII. nitantem, in hunc modum, omni custodia cor humanum custodiendum est; tandem. & aliam quoque custodiendi cordis rationem, quæ extrema nobis erit in hac disputatione significat sanctus Bernardus, Serm. 4.. inter paruos, vbi dicit castri instar munitissimi asseruandum, atque deffendendum esse, vide quam apte ad rem nostram, castello enim cum vrbe munita satis conuenit, de qua hactenus mystice disseruimus, hæc eius verba sunt, *solent, inquit, dicere homines huius sæculi, bonum castellum custodit, qui corpus suum custodit; nos autem non sic, sed Sterquilinium in vrbe custodit qui custodit corpus suum Apostolo teste*, Galat. 6. *Qui seminat in carne, de carne metet, & corruptionem, qui vero in spiritu, de spiritu metet vitam æternam, ac si dicat colendum; custodiendumque magis animæ castrum, quoniam ex ipso vita procedit, sed castrum istud in terra inimicorum situm, vndique impugnatur, & idcirco omni custodia*, id est, *ex omni parte, vigilanti sollicitudine est muniendum, inferius, superius; ante, & retro, à dextris, & à sinistris; inferius impugnat concupiscentia carnis, quæ militat aduersus animam, quia caro concupiscit aduersus spiritum, superius imminet iudicium Dei, horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis*: Hæbræor. 10. *sollicite satis hac parte cor suum custodiebat, qui dicebat; semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum*, Iob 31. nec longe ab hac custodiendi cordis ratione dissident, qui illud *omni custodia*, seu *ex omni custodia*, id est, *ex omni specula* seruandum interpretatur, nullam vt prætermitti oporteat speculam, ex qua non excubetur diligen-

Cor humanum instar castri munitissimi custodiendum.

ter, ad eius custodiam: certe virtutes omnes intellectuales; quasi speculas repræsentat D. Gregorius lib. 31. Moralium cap. 20 & præ cæteris prudentiam. cuius est à longe prospicere, & de illis, quæ deprehendit, nouitque, decernere: vnde appellatur prudentia, prouidentia, & quasi prospicientia, & prudens quasi porro videns, præterea D. August. in Psalm. III. contemplationem nouissimorum, speculæ similem esse eleganti oratione confirmat, *speculæ*, inquit, *dicuntur vbi ponuntur custodes, fiunt istæ speculæ in saxis, in montibus, in arboribus, ad hoc, vt de loco eminentiori longe videantur, qualis speculatio intelligere nouissima? hoc est enim speculatio, longe videre, transire mare videndo, non nauigando, & habitare in extremis maris, ibi ponere spem in eo quod erit finito huius seculi mari*. Sic ille, ex quibus, si ex omni specula cor seruandum, & custodiendum est, omnino constat mentem cuiusque hominis, excubitoris instar, speculas omnes ascendere debere, vnde contempletur, ne qua hostis irrumpens, imparatas ad repugnandum animi vires inueniat, vnde potissimum despiciat extrema terræ, finem mundi, nouissima hominis, mortem propinquam, iudicium imminens, cœlum, infernum, æternam gloriam, sempiterna supplicia, vt illorum scilicet obiecta specie, semper à malo retardetur, nec vnquam in crimen impingat, ergo vt paucis concludam, si me audis, quisquis es, Deum time, eius numen, ac potentiam verere, assidue iudicium reformida, hoc si vbique, ac semper feceris, sic profecto cor tuum vbique custodieris, vbique in tuto eris, vbique securo tibi, atque imperterrito esse licebit.

Prudentia virtus specula ex qua excubandum ad custodiam cordis.

Altera specula nouissimorum contemplatio.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quarti.

Morale in illud verſ. 10. *Humus nimia eſt, & non poterimus ædificare murum, &c.*

Prius humum nimiam egerendam, quæ erecta congeſtaque eſt, quam Hieruſalem mystica ædificetur, & ad ſpiritualem virtutum ſtructuram excitandam ponendum altius in animo veræ humilitatis ac ſynceræ demiſſionis fundamentum.

XIV.

VT ſpiſſum omnino atque arduum, ſic neceſſarium eſt, ex eo loco, in quo altioris ædificii fundamenta iacere ſtatueris, humum nimiam, congeſtamque in tumulum totam egerere, atque educere, quanta quanta ſit, locus primum excauandus, terra ex fundo eruenda, in imo, nec ſine ſudore, lapis ſternendus ſit, ſi firmam eſſe fabricam ſi totam aliquando ædificii molem, ſurſum aſſurgere deſideras, ſic è corde vanum tumorem, faſtumque inanis gloriæ quæ humus nimia eſt, eiicere, vt iure, veræ perfectionis fundamentum locet, adeoque turrim ipſam Euangelicam ad faſtigium aliquando perducat ſic ſuperbiæ & elationis radices omnes ac fibras euellere, ex animo, vt laborioſum ſane opus, ſic ferendum quoque ſubeundumque eſt, homini, ad cœlum aſpiranti, ſibique domum, in cœlis non manu factam, excitare paranti, alterum præſtant, & ſedulo, quidem; Iudæi reduces è captiuitate, ad terreſtrem Hieruſalem ædificandam, alterum quoque neceſſe eſt præſtent diligenter Chriſtiani, ad cœleſtem exſtruendam, *Humus nimia eſt non poterimus ædificare*, inquiunt illi, ſcilicet, ni humum deprimunt, diſiiciuntque, ni profundè in terra, operam ponunt, nihil agunt,

Idem præſtare debēt Chriſtiani ad cœleſtē Hieruſalē

A quod ſtructuræ, aut inchoandæ, aut promouendæ, inſeruiat, nempe terra ac vilis arena, quæ cœlo imminet, ædificaturis, ſiue in cœlo, ſiue in terra, moram facit obſtatque plurimum, homo ex terra conditus, qui plus de ſe quam par eſt ſentit, & in vanitate ſenſus cordis ſui, ſupra quam decet, attolli deſiderat, verbo dicam, elatior hominis ſenſus ac tumidior, mirum, quàm virtutibus, in eius ipſius animo inſerendis augendiſue, impedimento ſit: Audi Caſſianum lib. 12. Inſtit. cap. 32. *Nullo modo poterit in anima noſtra, virtutum ſtructura conſurgere, niſi prius iacta fuerint veræ humilitatis, in noſtro corde fundamenta, quæ firmiſſimè* B *collocata perfectionis & charitatis culmen valeant ſuſtinere, &c.* & collat. 15. cap 7. *Humilitas*, inquit, *eſt omnium magiſtra virtutum, ipſa eſt cœleſtis ædificij firmiſſimum fundamentum, &c.* originem virtutis appellat S. Gregorius lib. 27. Moralium cap. 27. *Quia origo virtutis humilitas eſt, illa*, inquit, *in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria*, id eſt, *humilitate perdurat, ex qua nimirum ſi abſcinditur, areſcit, quia viuificantem ſe in intimis humorem charitatis perdit*, Sanctus Bernardus in Cantic. Serm. 36. *niſi ſuper humilitatis ſtabile fundamentum ſpirituale ædificium ſtare minime poteſt, &c.* idem ipſe lib. de conſideratione ad Eugenium, *Pretioſiſſimus fundus virtus eſt, bonus fundus humilitas in qua omne*

ædificandā quod Iudæi reduces ad terreſtrā inſtaurandam.

Humilitas cœleſtis ædificij firmum fundamentum.

Humilitas origo virtutis.

Humilitas bonus fundus.

ædificium spirituale crescit, in Templum A *sanctum, in Domino*: nec ab eo pœnè, verbis etiam ipsis, dissentit. S. Chrysostomus, Homil. 35. in Genesim cum ait, *Vbique modum seruemus, & bonis operibus nostris humilitatem, quasi fundamentum substruamus vt securè virtutibus superextruere valeamus, virtus enim non est, nisi coniunctam habeat humilitatem, qui hoc fundamentum rectè iecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem structuram excitare*, quin & eodem loco, idem sanctus Pater, simul quoque fundamentum, & turrim spiritualis ædificij, humilitatem facit, B

XV. quæ scilicet totam structurã contineat firmetque solidius, *Hac*, inquit, *est inexpugnabilis turris, hac omne continet ædificium, non sinens ipsum vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel à spirituum vi deijci, sed omnibus insidiis inaccessum facit, & inuictum, quasi ex adamante constructum esset*, vt merito de eadem virtute sic disserat S. Cyprianus, Sermon. de natiuitate Christi, *Hic est primus Religionis introitus sicut in mundum primus Christi ingressus, vt quicumque piè vult viuere, humiliter de se sentiat, neque* C *supra se in mirabilibus ambulare præsumat, fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas nec in cælo stare potuit superba sublimitas, &c.* Nota illa vulgarisque est D. Augustini vox, Serm. 10. de verbis Domini, quo maiorem atque excelsiorem virtutum fabricam, attollere vis, eo altius fodiendum esse humilitatis fundamentum, *Magnus esse vis*, inquit, *à minimo incipe cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis, & quantum quisque vult, & disponit, superimponere molem ædificij*, D quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentum, quin etiam docet idem D. Augustinus lib. de sancta virginitate, cap. 31. Mensuram humilitatis cuique, ex mensura ipsius magnitudinis, datam esse; vt ex ea, verè sanctitatis summam omnem, atque adeo totius ædificii spiritualis altitudinem, pendere intelligas; proximè mentem Augustini secutus Isidorus Pelusiota lib. 2. epistolarum epist. 3.1. *Ego*, inquit, *animi magnitudine præstantem eum voco, qui cum maximis virtutum muneribus fungatur non tamen ob magnas & præclaras actiones gloriam affectat, verum virtutes suas silentio tegit, vnde etiam à magna quidem & sublimi mente animi submissionem ac modestiam procreari contingit: à parua autem & vili arrogantiam*, Quod eleganter quoque ostendit D. Chrysostomus Homilia 7. in 1. Corinth. in humili Moyse, quem proinde magni & præstantissimi animi esse prædicat, quia scilicet, illo nihil fuit humilius, *Arrogantia*, inquit, *& insolentia, existit, ex vili & abiecta mente, & ex animo ignauo, & illiberali, modestia autem ex magno & excelso animo*, quod vt in Moysis, sic in Abrahami quoque exemplo commonstrat his verbis, *Quid Abrahamo fuit excelsius? atqui ille erat qui dicebat: Ego sum terra & cinis, ille erat qui dicebat: Ne sit pugna inter me & te, si quis lutum existimat esse lutum, & despicit, alius autem lutum admiretur, tanquam aurum, & magni faciat, quis est magni & excelsi animi? an non is qui lutum non admiratur, quis est autem vilis, humilisque & abiectus? an non is, qui ipsum admiratur & magni facit? ita etiam hic reputa, quod qui terram quidem, & cinerem, se ipsum dicit, Sit magnus, & excelsus, quanquam hoc dicit ex humilitate, qui autem non terram, sed cinerem, se existimat, sed se colit & obseruat, seque magnificè iactat, & gloriatur, is quidem vilis erit, & abiectus, vtqui quæ sunt parua, magni faciat*, deinde, vt arrogantiam, & tumorem mentis, longe à vera mentis excelsitate, atque altitudine abesse demonstret hanc similitudinem adducit, *Quemodo in corporibus, aliud est, ea esse bonæ habitudinis, vegetaque, & succulenta aliud autem, pituita inflata, ac turgentia, atqui vtraque sunt, carnis alta & eminentis, sed hoc quidem sana, illud vero corrupta, ita etiam hic quoque, aliud est mente esse elatum, quod esse inflatum turgidum, & aliud altum, & excelsum, quod quidem est esse bonæ habitudinis*, ad primam hanc similitudinem, quoque adiungit, *& rursus, quispiam est altus structura corporis, alius autem cum sit breuis, acceptis calceis, fit altior, quemnam ergo vocemus altum & magnum, dic mihi? an non, eum qui ex se habet altitudinem? ille enim, hoc habet alienum, & iis quæ sunt parua ascensis, fit altus, quod multis accidit hominibus, qui pecuniis, & gloria, se efferunt, quod quidem non est altitudo, est enim altus qui nullis eorum indiget, sed omnia despicit, & à se ipso habet altitudinem, simus ergo humiles,*

Fundamentum & turris simul spiritualis ædificij.

Fundamentum sanctitatis.

A magna & sublimi mente nascitur submissio ac modestia à parua & vili; arrogantia.

XVI.

XVII.

Vt in corpore sic & in mente Aliud est esse elatum & inflatũ aliud, verè altum & excelsum.

miles, vt efficiamur alti: nam qui se ipsum humiliat exaltabitur, sed non est eiusmodi, qui est insolens, & elato animo, sed est omnium vilissimus, & abiectissimus, inflata est enim bulla, sed non est humor sanus, ideo eos quoque vocamus inflatos, sic postremo post pauca concludit idem sanctus Pater, *adipiscamur ergo eam quæ per humilitatem paratur magnitudinem*: Enim vero, nec verè magni, nec mente sani, aut sancti esse possumus, nisi tumore superbiæ, fastuque deposito, *non aliter inuenitur requies animæ nisi, inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat quando tibi sana non erat*: aiebat olim sanctus Augustinus, cum Deo colloquens,

Tumor animi deponendus vt sanus fiat.

B

XVIII. hinc præclarè D. Gregorius Nyssenus lib. de Beatitudinibus post initium vbi allata similitudine medici, qui causas ægritudinis aufert, vt ignorat sanitatem, rem explicat, in hunc modum, *Vbi inflationem & tumorem inaniter se iactantium atque superbientium ratione represserimus facile commodum, & expeditum iter animi demissionis efficiemus.* Ergo si *humus nimia est, &c.* ea protinus egerenda est, vt fundamentum loces, ædificiumque attollas, superbia, fastus insolens, tumorque animi, puteus est, humus est, sed humus à vento sursum eleuata, *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum puluerem portat*, ait D. Gregorius in Psalm. 7. Pœnitent. vis in puluere qui à vento difflatur, ædificii fundamentum ponere? nequaquam profecto, operam ludis si hoc facis, *Si qualibet bona adsint operà, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur, miranda quippe actio cum elatione, non eleuat sed grauat*, ait idem D. Gregorius Homil. 7. in Euangelia superbia, fabricam spiritualem non attollit in cœlum, sed deprimit in terram, studia virtutum, non auget aut amplificat, sed minuit destruitque funditus, humus est, immo fumus, qui quo altius attollitur, citius deficit & deperit, *Deficientes quemadmodum fumus deficient*, ait Dauid Psal. 36. in quem locum sic D. Gregorius cap. 5. lib. 1. epistolarum, post Augustinum in Psalm. 33. atque ex eo, vti reor, adeo vterque author, in sensu verbisque ipsis conueniunt dum exponunt illud Psal. 72. *Deiecisti eos dum alleuarentur, non dixit Dauid, deiecisti eos, postquam alleuati sunt, sed dum alleuarentur, quia praui quique dum temporali honore suffulti, foris vi-*

C

Bona opera nulla sunt nisi ex humilitate condiantur

D

Superbia fumusque quo altius attollitur eo citius deficit.

A *dentur surgere, intus cadunt, alleuatio ergo ipsa, ruina est, quia dum gloria falsa subnixi sunt à gloria vera euacuantur, hunc iterum dicit, deficientes sicut fumus deficient, fumus quippe ascendendo deficit, & se se dilatando euanescit, sic videlicet fit, cum peccatoris vitam, præsens fælicitas comitatur, quia vnde ostenditur, vt altus sit, inde agitur vt non sit.* Iam quo tandem pacto, humus nimia cordis nostri, deprimenda sit, egerendusque tumor, vnde humilitatis, quæ virtutum omnium fundamentum est, altius in animis nostris sternendæ collocandæque paretur XIX.

B industria, hic à nobis iudicandum est, quod ad materialium ædificiorum moles fundandas, & substruendas spectat, vt humus nimia, & nimis alta deprimatur, quæ sternendo lapidi incommodat, tantum aliquid eius extrahendum est, & loco mouendum, spargendumque hac illac, sic in ædificio spirituali, construendo tantum animo voluendum reuoluendumque identidem, nos humum, ac puluerem esse, humum quantumuis etiam, humum esse, nos ex terra ortos, in terram sensim, tanquam in locum occasus æquè, atque ortus nostri, mo-

Quid voluendum animo ad humilitatẽ in animis nostris inserendam.

C mentis pœnè singulis, relati, ac recidere, fastus illico deponetur, cordisq; sensus elatior mens sibi admoderabitur ac demum inflatio ipsa detumescet: ita vero, vt humum nimiam in aceruum vanitatis, in tumulum ac collem superbiæ congestam, vt superbos ac tumidos spiritus, quantocius egeras, ac dissipes, dic tibi ipse, quod olim D. Bernardus Eugenio, libro 2. de Consideratione, cap. 10. *Quid tibi videtur ad purum esse tui, & ad te principalius pertinere? quod factus? an quod natus? nonne quod natus? hoc ergo consilo, consideres maxime, quod*

D *maxime, es, hominem videlicet, & quod natus es, nec modo quod natus, sed & qualis natus, oportet, attendas, si non vis tuæ considerationis fructu & vtilitate fraudari, tolle prouide, nunc hæreditaria hæc perizomata, ab initio maledicta, disrumpe velamen foliorum, celantium ignominiam non plagam curantium, de te, fucum fugacis honoris huius & male colorata nitorem gloriæ, vt nudè consideres, quia nudus egressus es de vtero matris tuæ? nunquid infulatus? nunquid micans gemmis, si cuncta hæc dissipes & exsuffles à facie considerationis [illegible], occurret, tibi, homo nudus, pauper, & miser, & miserabilis,*

Vt demittat se homo atque humiliet nudum se

FFf

inspiciat, & sine bonis quæ illi extrinsecus adiecta sunt.

homo, dolens quod homo sit, erubescens A *quod nudus sit, plorans quod natus sit.* Sic ille. *Noli attendere tumorem tuum, noli attendere typhum tuum in quo eleuatus es, & si te circumstant familia, & si numerosum aurum, & argentum, diuersus es à paupere, rebus non tuis, extrinsecus appositis te in illis vide, non illa in te, attende te ipsum, non quod habes*, ait D. Augustinus in Psalm. 72. vide annon illud ipsum est quod longe ante præcipiebat Seneca epist.

XX. 76. ad Lucilium; his verbis: *Cum voles veram hominis æstimationem inire & scire qualis sit nudum inspice, ponat patrimonia, ponat honores, ponat alia* B *fortunæ mendacia*, vis ergo humum nimiam, tumorem, inflationem, superbiam, ex animo tuo egerere? sic tecum ipse colloquere, & non erubescis, terrea statua, mox puluis futura, non erubescis terra & cinis, sic in montem attolli? terra, inquam; terra terra, quid extolleris? audi verbum Domini; O homo, ô terra, quæ in modum bullæ, breui duraturum in te tumorem contines, non erubescis, superbia repleri, fastu tumere, vano spiritu & inani cogitatione mentem inflatam habere? an non respicis vtrumque humanæ vitæ terminum, vnde & initium sumat, & in quid desinat? sic fere D. Gregorius C Nyssenus loco iam supra citato, *Oculi sapientis in capite eius*, ait Sapiens ipse, Ecclesiast. cap. 2. vers. 14. quid istuc tandem est? caput significat idem quod principium, eo quod inde initium capiant: sensus vt notant boni authores, ex quo sic licet interpretari hoc ipso hominem iustum censeri ac sapientem, quod oculos in capite habeat, quia nimirum dum iustus sua primordia intuetur & contemplatur, dum vilitatis suæ spectator est, in officio, iustitia, & sanctitate, quæ vera sapientia est, facile continetur, homo ab humo, vt vulgo dicitur, & quia nihil frequentius audimus quam nomen nostrum

Expositio sententiæ Salomonis Oculi Sapientis in capite ei⁹.

latine ab humo deducitur, & Hebraïce ab *Adam Aaama* quod humum etiam, ac terram significat, vt nostri recordationem ob oculos perpetuo gestaremus, quod dixit Zeno Veronensis Episcopus, Sermone de spiritu & corpore sic loquens, de primo parente, *Quem quia Deus voluit sui cognitione veluti sapientia condire, & veluti sapienti oculos in capite colorare, ideo huic, ab humo homo, nomen imposuit, credo sicut re ipsa docet, vt contemplatione opificis ac materiæ semper suum & vereretur & veneraretur artificem.* Miseri homines qui licet è terra lutoque confecti sunt, cum erectos se paulum vident, nusquam amplius ad puluerem oculos conuertunt, nec ad propriam vilitatem cogitatione descendunt, quo fit vt nihil ex omnibus quæ per virtutẽ aguntur & exercentur, atque laboriosũ atque operosum sit, atque humilitas, quod fusè variis in locis, prosequuntur SS. Patres, præsertim S. Bernardus Serm. 45. in Cant. & D. Gregorius Nyssen. lib. de beatitudinibus, vt proinde in rem nostram optime cadat, Iudæorum, in ædificando laborantium, illa vox, *debilitata est fortitudo portantis, humus nimia est, & non poterimus ædificare*: itaque vires in eo exercendæ, firmandum robur, neruì contendendi, terræ nostræ tumor, situsque erectior deprimendus, deiiciendusque, vt *fiant praua in directa & aspera in vias planas, omnis mons & collis humilietur*, vt est Luc 3. *omnis vallis impleatur, & videbit omnis caro salutare Dei*, id est demittant se ac deprimant quantum possunt superbi, atque elati homines, ex collibus & montibus valles fiant, & abundabunt frumento, ex superbis humiles euadant, & gratia Saluatoris in eius animos vbertim, ac copiosè defluet, cuius adminiculo, sic iactis salutis suæ fundamentis, ex bonis operibus, fabricam suam spiritualem statuent, vt ad cœlum vsque tandem erigatur, vbi videant Deum deorum in Sion.

Homo ab humo dictus, vt vilitatis suæ meminisset.

Ex omnibus quæ per virtutem aguntur nihil æque laboriosum ac humilitas.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VM inter ciues Hierosolymitanos, seu recens seu pridem etiam è captiuitate Babylonica reuersos, magnum esset cùm in honore, ac dignitate, tùm maximè, in ipsa facultatum possessione discrimen, ferebant permoleste, de populo egentiores, se non minus in patria oppressos videri, ac calamitosos, quam cum Babylonicæ seruitutis iugum, etiamnum adhuc paterentur, et cum res ipsis domestica esset angusta, coge se miseros, à potentioribus oppugnare possessiones suas, & sub graui fœnore pecunias accipere, immo, & illis, pro pignore, aut vsura, liberos suos seruituti addicere, quare ingens inde populi tumultuantis clamor exortus est, & vbique obstrepens querela, quod fame passim, inopia, aliisque subinde vexarentur iniuriis, à locupletioribus, qui graues, easque interdictas lege ipsa vsuras, egentibus imponerent, huic malo, atque intestinæ seditioni, vt remedium, ac medicinam faciat Nehemias, asperioribus verbis primùm Optimates ipsos, & Magistratus increpat, tùm Sacerdotes quoque ipsos, voce etiam castigat, monetque vniuersos, vt quos durè habet, vexatque subinde, ipsa vitæ conditio, vexare tandem ipsi de nant, & qui tenui fortuna sunt, atque oppressi, eos subleuent potius, quam vsuris deinceps illegitimis, opprimi amplius patiantur, quos natura violentos alioquin, et tenaces, suo exemplo, eò adducit, vt inopes humanius habeant, & ab illis demum, quæ maxime fieri cupiebat, extorqueat; Deinde, quanta populo ipse præstiterit, quàm in præfectura sua, facilis in omnes, comis, atque humanus fuerit, quàm manus puras, à muneribus, castas, ac continentes à rapinis habuerit, quàm nihil habeant contribules sui, quod querantur, cum sua potius impenderit communibus commodis, quam aliena exegerit, licet non indebita, tota reliqua capitis parte, fusè, ac copiosè demonstrat.

Verſ. 3. *Et erant qui dicerent, agros noſtros & vineas opponamus, & accipiamus frumentum in fame, &c.* Hæc eſt altera populi querela, ſiue ſecunda publicæ complorationis cauſa, erant enim qui dicerent, agros potius & vineas diſtrahi oportere, quam filios, & filias, ad præſentem inopiam ſubleuandam, vtrumque profecto, calamitoſum maxime, atque adeo, maxima etiam commiſeratione digniſſimum, ſed illud quod inſtat, præſertim, cogi miſeros, oppignerare fœneratoribus, domos, agros, vineas, vt habeant, vnde ſe ſuoſque ſuſtentent, vt mirum non ſit, ſi conquerantur, apud Nehemiam dicentes, ſe inhumane tractari, non à quibuſdam alienigenis, ſed à contribulibus ſuis, quique, eodem orti genere, etiam fratres vocarentur, apud quos Iudæi, & Iudææ quaſi mancipia ſeruirent, nec redimi fere à parentibus poſſent, ſicut neque poſſeſſiones quas oppignerauerant.

Miſeranda egentis populi conditio.

III. Verſ. 4. *Et alij dicebant, mutuo ſumamus pecunias in tributa Regis, demuſque agros noſtros & vineas, &c.* Vulgata quidem tranſlatio, ſenſum offert ſatis obuium, & facilem, ſed aliæ quædam, aliud iudicant, *mutuo*, inquit, *ſumamus pecuniam*, id eſt, ad vſuram, *demuſque agros noſtros*, in pignus ſcilicet, tertia ſiquidem, hæc querela eſt, communis in plebe calamitatis, vnde Hebræa, & 70. habent, *ſumpſimus pecuniam, &c.* & ſenſus eſt, ſuper agris noſtris, & vineis, pecuniam mutuo accepimus, vt Regi tributum ſolueremus, quod durum admodum, & acerbum, populo, aliunde etiam penuria ac fame laboranti, videbatur: Ac licet, qui hic conqueruntur, videri poſſint verbis ſuis, ſi eo trahantur, tantum in eo à prioribus diſſentire, quod illi à contribulibus ſuis, pecunias accipere fœnebres, & illarum vſuræ firmandæ, agros ſuos, & vineas oppignerare velint, hi, à Regio fiſco, mutuari, cui agros, vineaſque, in pignus ſubiiciant; eſt tamen, ſine dubio, & planior, & magis expeditus is huius loci ſenſus, dolere hic, & conqueri Iudæos, quod ad ſoluenda, impoſita a Rege vectigalia, ipſis neceſſe ſit, vineas & agros, oppignerare, aut vendere, aut fœnori pecunias accipere, quibus ſoluendo ſint; Alii, iuxta Tigurinam tranſlationem, quæ ſic habet, *Agros noſtros, vineas*

Expeditus magis & planus, huius loci ſenſus.

A *noſtras, & domos noſtras oppignerauimus vt frumentum acciperemus*, in hunc modum explicant, quaſi dicerent iſti, qui ſortem ſuam lamentantur, en quo deducta eſt, miſerabilis, ac luctuoſa vitæ noſtræ conditio, vt noſtris nos fundis ſpoliare, aut filios noſtros, à nobis abdicare oporteat, vt familiam ægre alere, & tributa Regia poſſimus exoluere, en quanta fratrum noſtrorum in ſuum genus, & in ſua prope viſcera crudelitas, ac barbaries, filii noſtri, & filiæ, ſeruitutem apud illos B ſeruiunt, non ſecus, atque apud Babylonios, & illorum ignobilem, & moleſtam operam, exigua frumenti menſura compenſant, & noſtros præterea agros, & vineas, acceperunt pignori, pro frumento, quorum ipſi fructus atque annuos prouentus, ſpectantibus nobis, ac dolentibus accipiunt, accedit ad tantæ calamitatis cumulum, vt ea nobis à fiſco Regio impoſita ſint vectigalia, quæ vt pendamus exactoribus, agros à nobis vineaſque diſtrahi, & in aliorum venire poſſeſſionem neceſſe ſit, ſed, vt vides, perparum, hæc omnia, ab inuicem diſ- C ſentiunt, aut diuerſa ſunt.

Verſ. 5. *Et nunc ſicut carnes fratrum noſtrorum, ſic carnes noſtræ ſunt, & ſicut filij eorum, ita & filij noſtri, &c.* Scilicet, ſuperioris querelæ pauperum, contra diuites, qui vſuris aliiſque modis eos opprimebant, continuatio eſt, quaſi dicerent: ex eodem genere prognati ſumus, quo illi, proinde, liberi eſſe debemus, non ſubiici ſeruituti. Lyranus, vult eam ab illis afferri conſilij ſui rationem, qui ſatius eſſe ducebant vendere, vel oppignerare terras, D & poſſeſſiones Regi Gentili, quam filios & filias ſubiicere ſeruituti, nec diſplicet quod addit, nimirum, aliter etiam hoc exponi, & melius, vt ipſi quidem videtur hoc modo, Zorobabel, inquit, Eſdras, & Nehemias, vt plures poſſent ſecum adducere, de Babylone, reduci populo libertatem promiſerant, & proſperitatem, de cuius potiundæ ſpe deiectos ſe cum viderent, aliqui eorum, in afflictione, & extrema hac rerum omnium inopia poſiti, ideo conquerebantur, & in has voces dolentes erumpebant, *Et nunc ſicut carnes fratrum noſtrorum*, id eſt, fratres noſtri, qui remanſerunt in Babylone, ſunt in afflictione & dolore, *ſic carnes noſtræ ſunt*, id eſt, hic in Iudæa ſumus in

IV.

Varia huius loci expoſitio.

conſimili afflictione, vel maiori, *&* A *ſicut filii eorum*, ſcilicet ſubiecti ſunt ſeruituti, *ita & filii noſtri*, eandem aleam ſubierunt, ideo ſubditur, *ecce nos ſubiugauimus filios noſtros*, quaſi concludendo dicerent, & ſic non ſumus melioris conditionis, quam ipſi, immo in aliquibus, longe etiam deterioris, vt certe hæc verba, *ſicut carnes fratrum noſtrorum*, *&c.* referri commode poſſe ad Iudæos, qui in Babylone, vel in Perſide remanſerant, recentiores etiam interpretes nonnulli exiſtimarunt, inter quos Caietanus, & Dionyſius, quaſi dicerent iſti, non meliori conditio- B ne ſumus in Patria, quàm fratres noſtri, qui in aliena, ac barbara regione viuunt, & Babylonico imperio ſubiecti ſunt, quorum filii externorum Principum ſeruituti mancipati ſunt, cum tamen hue à terra captiuitatis, ſpe libertatis recuperandæ, remigrauerimus, ſed prior ſenſus melior eſt, quo dure nimium, atque inclementer, ſecum agi conquerantur, remque intolerabilem videri omnino, vt ſic à ditioribus inopes opprimantur, quorum idem ſit genus, eadem lex, eadem cognatio, quoſque tantum fortuna, aut melior, aut iniquior, diſſimiles inter ſe ſe con- C ſtituat.

V. *Et de filiabus noſtris ſunt famulæ, nec habemus vnde poſſunt redimi, & agros noſtros, & vineas alii poſſident, &c.* Duo hic obſeruanda ſunt, primum, vt apud Hebræos olim, ſic apud alias gentes, bene multas, filios à parentibus in graui neceſſitate vendi potuiſſe, vt ex Ambroſio, lib. de Tobia, cap. 8. de ſui temporis nonnullis, de Romanis ex Dionyſio Halicarnaſſeo, lib. 2. de Athenienſibus ex Plutarcho in vita Solonis, de Hebræis demum ex hoc loco, & Iſaiæ cap. 50. & aliis pleriſ- D que, Exodi, & Leuitici locis conſtat. Alterum eſt apud Iudæos filios venditos redimi à Parentibus potuiſſe, immo à cognatis, vt patet Exodi 21. & Leuit. 25. ſi modo venditi eſſent ſui generis hominibus, & proſelytis, ſi alienis, & exteris gentibus in ſeruitutem addicti eſſent, reuocari in libertatem non potuiſſe, ſed hæc alibi ſeparatim à textus explanatione, melius à nobis, & fuſius diſcutientur, illud igitur miſeris parentibus, hoc loco, ægrè eſt ac dolet,

Olim apud multas gentes in graui neceſſitate liberi à parentibus vendi ſolitis.

Apud Iudæos liberi venditi Gentilibus ſuis, aut Proſelytis redimi poterant, exteris gentibus in ſeruitutem additi, non item.

maxime, quod cum neceſſitate coacti, filios, aut vendiderunt, aut alienæ ſeruituti ſubiecerunt illos præ inopia, & graui rei familiaris anguſtia, reſtituere in priſtinam libertatem non queant.

Verſ. 6. *Et iratus ſum nimis cum audiſſem clamorem eorum ſecundum verba hæc*, *&c* Nunc conſequenter deſcribitur diuitum reprehenſio, ob prædictam pauperum oppreſſionem, facta à Nehemia, *cum audiſſem*, inquit, *clamorem eorum*, id eſt, pauperum, *ſecundum verba hæc*, quibus indicabant ſuum ſibi reditum e Babylone in Iudæam, nihil eſſe quod gratularentur, immo potius ſibi maxime in eo diſplicere, cum autem dicit, *& iratus ſum nimis*, verbum quidem eſt Nehemiæ irati, ſed non ira, quæ vitioſa ſit, aut exprobranda, immo quæ laudabilis, & vulgo non tam iræ, quam zeli nomine nuncupanda.

Iraſcitur Nehemias ſed ira laudabilis, & ex zelo.

Verſ. 7. *Cogitauitque cor meum, & increpaui Optimates, & Magiſtratus, & dixi eis: vſuraſne ſinguli a fratribus veſtris exigitis? & congregaui apud eos concionem magnam, &c.* Vbi rem non tumultuariè, & præcipitanter, ſed ex certa animi deliberatione, ac maturo conſilio expendit, prudenter quoque, *concionem magnam*, id eſt, ingentem populi multitudinem, conuocat Nehemias aduerſus Optimates, qui pecunias ſuas fœnori dabant Iudæis fratribus, ac contribulibus ſuis, quo maior eſſet pudor, & increpatio acrior, eodem fere ſpectat, ac recedit Lyrani expoſitio, cum ad hæc verba, *congregaui concionem magnam*, ſubdit, *vt erubeſcerent renuere correctionem meam rationabilem*, id eſt, æquam, & iuſtam. Cum igitur tanta eſſet enata difficultas inter Iudæos ipſos, & ciues Hieroſolymitanos, quantam ſuperius audiuimus, huic prouidens Princeps, populique ſui amans Nehemias ſapienter prouidere voluit, tulerat quippe permoleſte populi egentioris querelas, & clamores, & vt tantis, tamque importunis clamoribus mature occurreret, congregauit Optimates, qui vſuras à fratribus ſuis exigebant, filioſque, ac filias illorum mancipio ſibi vendicabant, quin & Magiſtratibus ipſis, qui in ciuitate tunc libera, hæc impune fieri patiebantur, cum prohibere id commode poſſent, ac vere

VI.

Vt reprehenſio Nehemiæ ſit acrior, & maiorem pudorem incutiat fit coram ingenti populi multitudine.

est, æterna illi propone supplicia, obiice conscientiam inferni ignes minitantem, in hunc modum, omni custodia cor humanum custodiendum est; tandem. & aliam quoque custodiendi cordis rationem, quæ extrema nobis erit in hac disputatione significat sanctus Bernardus, Serm. 4. inter paruos, vbi dicit castri instar munitissimi asseruandum, atque deffendendum esse, vide quam apte ad rem nostram, castello enim cum vrbe munita satis conuenit, de qua hactenus mystice disseruimus, hæc eius verba sunt, *solent, inquit, dicere homines huius sæculi, bonum castellum custodit, qui corpus suum custodit; nos autem non sic, sed Sterquilinium in vrbe custodit qui custodit corpus suum Apostolo teste,* Galat. 6. *Qui seminat in carne, de carne metet, & corruptionem, qui vero in spiritu, de spiritu metet vitam æternam, ac si dicat colendum, custodiendumque magis anima castrum, quoniam ex ipso vita procedit, sed castrum istud in terra inimicorum situm, vndique impugnatur, & idcirco omni custodia,* id est, *ex omni parte, vigilanti sollicitudine est muniendum, inferius, superius, ante, & retro, à dextris, & à sinistris, inferius impugnat concupiscentia carnis, quæ militat aduersus animam, quia caro concupiscit aduersus spiritum, superius imminet iudicium Dei, horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis.* Hæbræor. 10. *sollicite satis hac parte cor suum custodiebat, qui dicebat, semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum,* Iob 31. nec longe ab hac custodiendi cordis ratione dissident, qui illud *omni custodia*, seu *ex omni custodia*, id est, *ex omni specula* seruandum interpretatur, nullam vt prætermitti oporteat speculam, ex qua non excubetur diligen-

XIII.

Cor humanum instar castri munitissimi custodiendum.

A ter, ad eius custodiam: certe virtutes omnes intellectuales; quasi speculas repræsentat D. Gregorius lib. 31. Moralium cap. 20 & præ cæteris prudentiam. cuius est à longe prospicere, & de illis, quæ deprehendit, nouitque, decernere: vnde appellatur prudentia, prouidentia, & quasi prospicientia, & prudens quasi porro videns, præterea D. August. in Psalm. 111. contemplationem nouissimorum, speculæ similem esse eleganti oratione confirmat, *speculæ, inquit, dicuntur vbi ponuntur custodes, fiunt istæ speculæ in saxis, in montibus, in arboribus, ad hoc, vt de loco eminentiori longe videantur, qualis speculatio intelligere nouissima? hoc*

Prudentia virtus spiritus specula ex qua excubandum ad custodiam cordis.

Altera specula nouissimorum contemplatio.

B *est enim speculatio, longe videre, transire mare videndo, non nauigando, & habitare in extremis maris, ibi ponere spem spe quod erit finito huius sæculi mari.* Sic ille, ex quibus, si ex omni specula cor seruandum, & custodiendum est, omnino constat mentem cuiusque hominis, excubitoris instar, speculas omnes ascendere debere, vnde contempletur, ne qua hostis irrumpens, imparatas ad repugnandum animi vires inueniat, vnde potissimum despiciat extrema terræ, finem mundi, nouissima hominis, mortem propinquam, iudicium imminens, cœ-

C lum, infernum, æternam gloriam, sempiterna supplicia, vt illorum scilicet obiecta specie, semper à malo retardetur, nec vnquam in crimen impingat, ergo vt paucis concludam, si me audis, quisquis es, Deum time, eius numen, ac potentiam verere, assidue iudicium reformida, hoc si vbique, ac semper feceris, sic profecto cor tuum vbique custodieris, vbique in tuto eris, vbique securo tibi, atque imperterrito esse licebit.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quarti.

Morale in illud verſ. 10. *Humus nimia eſt, & non poterimus ædificare murum, &c.*

Prius humum nimiam egerendam, quæ erecta congeſtaque eſt, quam Hieruſalem myſtica ædificetur, & ad ſpiritualem virtutum ſtructuram excitandam ponendum altius in animo veræ humilitatis ac ſynceræ demiſſionis fundamentum.

XIV. T ſpiſſum omnino atque arduum ſic neceſſarium eſt, ex eo loco, in quo altioris ædificii fundamenta iacere ſtatueris, humum nimiam, congeſtamque in tumulum totam egerere, atque educere, quanta quanta ſit; locus primum excauandus, terra ex fundo eruenda, in imo; nec ſine ſudore, lapis ſternendus eſt, ſi firmam eſſe fabricam ſi totam aliquando ædificii molem, ſurſum aſſurgere deſideras, ſic è corde vanum tumorem, faſtumque inanis gloriæ quæ humus nimia eſt, eiicere, vt iuic, veræ perfectionis fundamentum locet, adeoque turrim ipſam Euangelicam ad faſtigium aliquando perducat ſic ſuperbiæ & elationis radices omnes ac fibras euellere, ex animo, vt laborioſum ſane opus, ſic ferendum quoque ſubeundumque eſt, homini, ad cœlum aſpiranti, ſibique domum, in cœlis non manu factam, excitare paranti, alterum præſtant, & ſedulo, quidem; Iudæi reduces è captiuitate, ad terreſtrem Hieruſalem ædificandam, alterum quoque neceſſe eſt præſtent diligenter Chriſtiani, ad cœleſtem exſtruendam, *Humus nimia eſt non poterimus ædificare*, inquiunt illi, ſcililicet, ni humum deprimunt, diſiiciuntque, ni profundè in terra, operam ponunt, nihil agunt,

Idem præſtare debēt Christiani ad cœleſtē Hieruſalē

A quod ſtructuræ, aut inchoandæ, aut promouendæ, inieruiat, nempe terra ac vilis arena, quæ cœlo imminet, ædificaturis, ſiue in cœlo, ſiue in terra, moram facit obſtatque plurimum, homo ex terra conditus, qui plus de ſe quam par eſt ſentit, & in vanitate ſenſus cordis ſui, ſupra quam decet, attolli deſiderat, verbo dicam, elatior hominis ſenſus ac tumidior, mirum, quàm virtutibus, in eius ipſius animo inſerendis augendiſue, impedimento ſit: Audi Caſſianum lib. 12. Inſtit. cap. 32. *Nullo modo poterit in anima noſtra, virtutum ſtructura conſurgere, niſi prius iacta fuerint veræ humilitatis, in noſtro corde fundamenta, quæ firmiſſimè* B *collocata perfectionis & charitatis culmen valeant ſuſtinere, &c.* & collat. 15. cap 7. *Humilitas*, inquit, *eſt omnium magiſtra virtutum, ipſa eſt cæleſtis ædificii firmiſſimum fundamentum, &c.* originem virtutis appellat S. Gregorius lib. 27. Moralium cap. 27. *Quia origo virtutis humilitas eſt, illa*, inquit, *in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria*, id eſt, *humilitate perdurat, ex qua nimirum ſi abſcinditur, areſcit; quia viuificantem ſe in intimis humorem charitatis perdit*, Sanctus Bernardus in Cantic. Serm. 36. *niſi ſuper humilitatis ſtabile fundamentum ſpirituale ædificium ſtare minime poteſt, &c.* idem ipſe lib. de conſideratione ad Eugenium, *Pretioſiſſimus fundus virtus eſt, bonus fundus humilitas in qua omne*

ædificandā quod Iudæi reduces ad terreſtrā inſtaurandam.

Humilitas cæleſtis ædificij firmum fundamentum.

Humilitas origo virtutis.

Humilitas bonus fundus.

ædificium spirituale crescit, in Templum sanctum, in Domino: nec ab eo pœnè, verbis etiam ipsis, dissentit, S. Chrysostomus, Homil. 35. in Genesim cum ait, *Vbique modum seruemus, & bonis operibus nostris humilitatem, quasi fundamentum substruamus vt securè virtutibus superexstruere valeamus, virtus enim non est, nisi coniunctam habeat humilitatem, qui hoc fundamentum rectè iecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem structuram excitare*, quin & eodem loco, idem sanctus Pater, simul quoque fundamentum, & turrim spiritualis ædificij, humilitatem facit,

XV. *Fundamentum & turris simul spiritualis ædificij.*

quæ scilicet totam structurã contineat firmetque solidius, *Hæc, inquit, est inexpugnabilis turris, hæc omne continet ædificium, non sinens ipsum vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel à spirituum vi deijci, sed omnibus insidiis inaccessum facit, & inuictum, quasi ex adamante constructum esset*, vt merito de eadem virtute sic differat S. Cyprianus, Sermon. de natiuitate Christi, *Hic est primus Religionis introitus sicut in mundum primus Christi ingressus, vt quicumque piè vult viuere, humiliter de se sentiat, neque supra se in mirabilibus ambulare præsumat, fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas nec in cælo stare potuit superba sublimitas, &c.*

Fundamentum sanctitatis.

Nota illa vulgarisque est D. Augustini vox, Serm. 10. de verbis Domini, quo maiorem atque excelsiorem virtutum fabricam, attollere vis, eo altius fodiendum esse humilitatis fundamentum, *Magnus esse vis, inquit, à minimo incipe cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis, & quantum quisque vult, & disponit, superimponere molem ædificij*, quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentum, quin etiam docet idem D. Augustinus lib. de sancta virginitate, cap. 31. Mensuram humilitatis cuique, ex mensura ipsius magnitudinis, datam esse; vt ex ea, verè sanctitatis summam omnem, atque adeo totius ædificii spiritualis altitudinem, pendere intelligas; proximè mentem Augustini secutus Isidorus Pelusiota lib. 2. epistolarum epist. 31. *Ego*, inquit, *animi magnitudine præstantem eum voco, qui cum maximis virtutum muneribus fungatur non tamen ob magnas & præclaras actiones gloriam affectat, verum virtutes suas silentio tegit, vnde etiam à magna quidem & sublimi mente animi submissionem ac modestiam procreari contingit: à parua autem & vili arrogantiam*,

A magna & sublimi mente nascitur submissio ac modestia à parua & vili, arrogantia.

XVI. Quod eleganter quoque ostendit D. Chrysostomus Homilia 7. in 1. Corinth. in humili Moyse, quem proinde magni & præstantissimi animi esse prædicat, quia scilicet, illo nihil fuit humilius, *Arrogantia*, inquit, *& insolentia, existit, ex vili & abiecta mente, & ex animo ignauo, & illiberali, modestia autem ex magno & excelso animo*, quod vt in Moysis, sic in Abrahami quoque exemplo commonstrat his verbis, *Quid Abrahamo fuit excelsius? atqui ille erat qui dicebat: Ego sum terra & cinis, ille erat qui dicebat: Ne sit pugna inter me & te, si quis lutum existimat esse lutum, & despicit, alius autem lutum admiretur, tanquam aurum, & magni faciat, quis est magni & excelsi animi? an non is qui lutum non admiratur, quis est autem vilis, humilisque & abiectus? an non is, qui ipsum admiratur & magni facit? ita etiam hic reputa, quod qui terram quidem, & cinerem, se ipsum dicit, Sit magnus, & excelsus, quanquam hoc dicit ex humilitate, qui autem non terram, sed cinerem, se existimat, sed se colit & obseruat, seque magnificè iactat, & gloriatur, is quidem vilis erit, & abiectus, vtqui quæ sunt parua, magni faciat*, deinde, vt arrogantiam, & tumorem mentis, longe à vera mentis excelsitate, atque altitudine abesse demonstret hanc similitudinem adducit,

XVII. *Quemodo in corporibus, aliud est, ea esse bonæ habitudinis, vegetaque, & succulenta aliud autem, pituita inflata, ac turgentia, atqui vtraque sunt, carnis alta & eminentis, sed hoc quidem sana, illud vero corrupta, ita etiam hic quoque, aliud est mente esse elatum, quod esse inflatum turgidum, & aliud altum, & excelsum, quod quidem est esse bonæ habitudinis*, ad primam hanc similitudinem, quoque adiungit, *& rursus, quispiam est altus structura corporis, alius autem cum sit breuis, acceptis calceis, fit altior, quemnam ergo vocemus altum & magnum, dic mihi? an non, eum qui ex se habet altitudinem? ille enim, hoc habet alienum, & iis quæ sunt parua ascensis, fit altus, quod multis accidit hominibus, qui pecuniis, & gloria, se efferunt, quod quidem non est altitudo, est enim altus qui nullis eorum indiget, sed omnia despicit, & à se ipso habet altitudinem, simus ergo humiles,*

Vt in corpore sic & in mente Aliud est esse elatum & inflatũ aliud, verè altum & excelsum.

miles, vt efficiamur alti: nam qui se ipsum humiliat exaltabitur, sed non est eiusmodi, qui est insolens, & elato animo, sed est omnium vilissimus, & abiectissimus, sufflata est enim bulla, sed non est humor sanus, ideo eos quoque vocamus inflatos, sic postremo post pauca concludit idem sanctus Pater, *adipiscamur ergo eam quæ per humilitatem paratur magnitudinem*: Enim vero, nec verè magni, nec mente sani, aut sancti esse possumus, nisi tumore superbiæ, fastuque deposito, *non aliter inuenitur requies animæ nisi, inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat quando tibi sana non erat*: aiebat olim sanctus Augustinus, cum Deo colloquens,

Tumor animi deponendus vt sanus fiat.

XVIII. hinc præclarè D. Gregorius Nyssenus lib. de Beatitudinibus post initium vbi allata similitudine medici, qui causas ægritudinis aufert, vt ignorat sanitatem, rem explicat, in hunc modum, *Vbi inflationem & tumorem inaniter se iactantium atque superbientium ratione represserimus facile commodum, & expeditum iter animi demissionis efficiemus.* Ergo si *humus nimia est, &c.* ea protinus egerenda est, vt fundamentum loces, ædificiumque attollas, superbia, fastus insolens, tumorque animi, puteus est, humus est, sed humus à vento sursum eleuata, *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum puluerem portat*, ait D. Gregorius in Psalm. 7. Pœnitent. vis in puluere qui à vento dissflatur, ædificii fundamentum ponere? nequaquam profecto, operam ludis si hoc facis, *Si qualibet bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur, miranda quippe actio cum elatione, non eleuat sed grauat*, ait idem D. Gregorius Homil. 7. in Euangelia superbia, fabricam spiritualem non attollit in cœlum, sed deprimit in terram, studia virtutum, non auget aut amplificat, sed minuit destruitque funditus, humus est, immo fumus, qui quo altius attollitur, citius deficit & deperit, *Deficientes quemadmodum fumus deficient*, ait Dauid Psal. 36. in quem locum sic D. Gregorius cap. 5. lib. 1. epistolarum, post Augustinum in Psalm. 33. atque ex eo, vti reor, adeo vterque author, in sensu verbisque ipsis conueniunt dum exponunt illud Psal. 72. *Deiecisti eos dum alleuarentur, non dixit Dauid, deiecisti eos, postquam alleuati sunt, sed dum alleuarentur, quia praui quique dum temporali honore suffulti, foris videntur surgere, intus cadunt, alleuatio ergo ipsa, ruina est, quia dum gloria falsa subnixi sunt à gloria vera euacuantur, hinc iterum dicit, deficientes sicut fumus deficient, fumus quippe ascendendo deficit, & se se dilatando euanescit, sic videlicet fit, cum peccatoris vitam, præsens fælicitas comitatur, quia vnde ostenditur, vt altus sit, inde agitur vt non sit.*

Bona opera nulla sunt nisi ex humilitate condiantur

Superbia fumusque quo altius attollitur eo citius deficit.

Iam quo tandem pacto, humus nimia cordis nostri, deprimenda sit, egerendusque tumor, vnde humilitatis, quæ virtutum omnium fundamentum est, altius in animis nostris sternendæ collocandæque paretur industria, hic à nobis iudicandum est. XIX. quod ad materialium ædificiorum moles fundandas, & substruendas spectat, vt humus nimia, & nimis alta deprimatur, quæ sternendo lapidi incommodat, tantum aliquid eius extrahendum est, & loco mouendum, spargendumque hac illac, sic in ædificio spirituali, construendo tantum animo voluendum reuoluendumque identidem, nos humum, ac puluerem esse, humum quantumuis etiam, humum esse, nos ex terra ortos, in terram sensim, tanquam in locum occasus æquè, atque ortus nostri, momentis pœnè singulis, relati, ac recidere, fastus illico deponetur, cordisq; sensus elatior mens sibi admoderabitur ac demùm inflatio ipsa detumescet: ita vero, vt humum nimiam in aceruum vanitatis, in tumulum ac collem superbiæ congestam, vt superbos ac tumidos spiritus, quantocius egeras, ac dissipes, dic tibi ipse, quod olim D. Bernardus Eugenio, libro 2. de Consideratione, cap. 10. *Quid tibi videtur ad purum esse tui, & ad te principalius pertinere? quod factus? an quod natus? nonne quod natus? hoc ergo consulo, consideres maxime, quod maxime, es, hominem videlicet, & quod natus es, nec modo quod natus, sed & qualis natus, oportet, attendas, si non vis tua considerationis fructu & vtilitate fraudari, tolle prouide, nunc hæreditaria hæc perizomata, ab initio maledicta, disrumpe velamen foliorum, celantium ignominiam non plagam curantium, de te, fucum fugacis honoris huius & male colorata nitorem gloriæ, vt nudè consideres, quia nudus egressus es de vtero matris tuæ? nunquid infulatus? nunquid micans gemmis, si cuncta hæc dissipes & exsuffles à facie considerationis [illegible], occurret, tibi, homo nudus, pauper, & miser, & miserabilis,*

Quid voluendum animo ad humilitatē in animis nostris inferendam.

Vt demittat se homo atque humiliet nudum se

inspiciat, & sine bonis quæ illi extrinsecus adiecta sunt.

homo, dolens quod homo sit, erubescens quod nudus sit, plorans quod natus sit. Sic ille. *Noli attendere tumorem tuum, noli attendere typhum tuum in quo eleuatus es, & si te circumstant familia, & si numerosum aurum, & argentum, diuersus es à paupere, rebus non tuis, extrinsecus appositis te in illis vide, non illa in te, attende te ipsum, non quod habes*, ait D. Augustinus in Psalm. 72. vide annon illud ipsum est quod longe ante præcipiebat Seneca epist.

XX. 76. ad Lucilium, his verbis: *Cum voles veram hominis æstimationem inire & scire qualis sit nudum inspice, ponat patrimonia, ponat honores, ponat alia fortunæ mendacia*, vis ergo humum nimiam, tumorem, inflationem, superbiam, ex animo tuo egerere? sic tecum ipse colloquere, & non erubescis, terrea statua, mox puluis futura, non erubescis terra & cinis, sic in montem attolli? terra, inquam, terra terra, quid extolleris? audi verbum Domini; O homo, ô terra, quæ in modum bullæ, breui duraturum in te tumorem contines, non erubescis, superbia repleri, fastu tumere, vano spiritu & inani cogitatione mentem inflatam habere? an non respicis vtrumque humanæ vitæ terminum, vnde & initium sumat, & in quid desinat? sic fere D. Gregorius Nyssenus loco iam supra citato, *Oculi sapientis in capite eius*, ait Sapiens ipse, Ecclesiast. cap. 2. vers. 14. quid istuc tandem est? caput significat idem quod principium, eo quod inde initium capiant sensus vt notant boni authores, ex quo sic licet interpretari hoc ipso hominem iustum censeri ac sapientem, quod oculos in capite habeat, quia nimirum dum iustus sua primordia intuetur & contemplatur, dum vilitatis suæ spectator est, in officio, iustitia, & sanctitate, quæ vera sapientia est, facile continetur, homo ab humo, vt vulgo dicitur, & quia nihil frequentius audimus quam nomen nostrum

Expositio sententiæ Salomonis Oculi Sapientis in capite ei⁹.

A latine ab humo deducitur, & Hebraïce ab *Adam Adama* quod humum etiam, ac terram significat, vt nostri recordationem ob oculos perpetuo gestaremus, quod dixit Zeno Veronensis Episcopus, Sermone de spiritu & corpore sic loquens, de primo parente, *Quem quia Deus voluit sui cognitione veluti sapientia condire, & veluti sapienti oculos in capite colorare, ideo huic, ab humo homo, nomen imposuit, credo sicut re ipsa docet, vt contemplatione opificii ac materiæ semper suum & vereretur & veneraretur artificem.* Miseri homines qui licet è terra lutoque

Homo ab humo dictus, vt vilitatis suæ meminisses

B confecti sunt, cum erectos se paulum vident, nusquam amplius ad puluerem oculos conuertunt, nec ad propriam vilitatem cogitatione descendunt, quo fit vt nihil ex omnibus quæ per virtutẽ aguntur & exercentur, æque laboriosũ atque operosum sit, atque humilitas, quod fusè variis in locis, prosequuntur SS. Patres, præsertim S. Bernardus Serm. 45. in Cant. & D. Gregorius Nyssen. lib. de beatitudinibus, vt proinde in rem nostram optime cadat, Iudæorum, in ædificando laborantium, illa vox, *debilitata est fortitudo portantis, humus nimia est, & non poterimus ædificare*: itaque vires in eo exercendæ, firmandum robur, nerui contendendi,

Ex omnibus quæ per virtutem aguntur nihil æque laboriosum ac humilitas.

C terræ nostræ tumor, situsque erectior deprimendus, deiiciendusque vt *fiant praua in directa & aspera in vias planas, omnis mons & collis humilietur*, vt est Luc 3. *omnis vallis impleatur, & videbit omnis caro salutare Dei*, id est demittant se ac deprimant quantum possunt superbi, atque elati homines, ex collibus & montibus valles fiant, & abundabunt frumento, ex superbis humiles euadant, & gratia Saluatoris in eius animos vbertim, ac copiosè defluet, cuius adminiculo, sic iactis salutis suæ fundamentis, ex bonis operibus, fabricam suam spiritualem statuent, vt ad cœlum vsque tandem erigatur, vbi videant Deum deorum in Sion.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VM inter ciues Hierosolymitanos, seu recens seu pridem etiam è captiuitate Babylonica reuersos, magnum esset cùm in honore, ac dignitate, tùm maximè, in ipsa facultatum possessione discrimen, ferebant permoleste, de populo egentiores, se non minus in patria oppressos videri, ac calamitosos, quam cum Babylonicæ seruitutis iugum, etiamnum adhuc paterentur, et cum res ipsis domestica esset angusta, coge se miseros, à potentioribus oppugnare possessiones suas, & sub graui fœnore pecunias accipere, immo, & illis, pro pignore, aut vsura, liberos suos seruituti addicere, quare ingens inde populi tumultuantis clamor exortus est, & vbique obstrepens querela, quod fame passim, inopia, aliisque subinde vexarentur iniuriis, à locupletioribus, qui graues, easque interdictas lege ipsa vsuras, egentibus imponerent, huic malo, atque intestinæ seditioni, vt remedium, ac medicinam faciat Nehemias, asperioribus verbis primùm Optimates ipsos, & Magistratus increpat, tùm Sacerdotes quoque ipsos, voce etiam castigat, monetque vniuersos, vt quos durè habet, vexatque subinde, ipsa vitæ conditio, vexare tandem ipsi de nant, & qui tenui fortuna sunt, atque oppresi, eos subleuent potius, quam vsuris deinceps illegitimis, opprimi amplius patiantur; quos natura violentos alioquin, et tenaces, suo exemplo, eò adducit, vt inopes humanius habeant, & ab illis demum, quæ maxime fieri cupiebat, extorqueat; Deinde, quanta populo ipse præstiterit, quàm in præfectura sua, facilis in omnes, comis, atque humanus fuerit, quàm manus puras, à muneribus, castas, ac continentes à rapinis habuerit, quàm nihil habeant contribules sui, quod querantur, cum sua potius impenderit communibus commodis, quam aliena exegerit, licet non indebita, tota reliqua capitis parte, fusè, ac copiosè demonstrat.

CAPVT QVINTVM
ESDRÆ.

1. ET factus est clamor populi, & vxorum eius magnus aduersus fratres suos Iudæos.
2. Et erant qui dicerent, filij nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus.
3. Et erant qui dicerent, agros nostros, & vineas, & domos nostras opponamus, & accipiamus frumentum in fame.
4. Et alij dicebant, mutuo sumamus pecunias in tributa Regis, demusque agros nostros, & vineas.
5. Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt, & sicut filij eorum, ita & filij nostri; ecce nos subiugamus filios nostros, & filias nostras in seruitutem, & de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus vnde possint redimi, & agros nostros, & vineas nostras alij possident.
6. Et iratus sum nimis, cum audissem clamorem eorum secundùm verba hæc.
7. Cogitauitque cor meum mecum, & increpaui Optimates, & Magistratus, & dixi eis: vsurasne singuli à fratribus vestris exigitis? & congregaui aduersum eos concionem magnam.
8. Et dixi eis: nos, vt scitis, redemimus fratres nostros Iudæos, qui venditi fuerant gentibus secundùm possibilitatem nostram, & vos igitur vendetis fratres vestros, & redimemus eos, & siluerunt, & non inuenerunt quid responderent.
9. Dixique ad eos, non est bona res quam facitis, quare non in timore Dei nostri ambulatis, ne exprobretur nobis à gentibus inimicis nostris.
10. Et ego, & fratres mei, & pueri mei commodauimus plurimis pecuniam, & frumentum, non repetamus in commune illud, æs alienum concedamus quod debetur nobis.
11. Reddite eis hodie agros suos, & vineas suas, & olíueta sua, & domos suas, quin potius, & centesimam pecuniæ, frumenti, vini & olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis.
12. Et dixerunt, reddemus, & ab eis nihil quæremus, sicque faciemus vt loqueris: & vocaui Sacerdotes, & adiuraui eos, vt facerent iuxta quod dixeram.
13. Insuper excussi sinum meum, & dixi, sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleuerit verbum istud de domo sua, & de laboribus suis, sic excutiatur, & vacuus fiat: & dixit vniuersa multitudo Amen, & laudauerunt Deum, fecit ergo populus sicut erat dictum.
14. A die autem illa, qua præceperat Rex mihi, vt essem Dux in terra Iuda ab anno vigesimo vsque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis Regis, per annos duodecim, ego & fratres mei annonas, quæ Ducibus debebantur, non comedimus.
15. Duces autem primi, qui fue-

runt ante me grauauerunt po-
pulum, & acceperunt ab eis,
in pane, & vino; & pecu-
nia, quotidie siclos quadra-
ginta, sed & ministri eorum
depresserunt populum: ego
autem non feci ita propter ti-
morem Dei.
16. Quin potius in opere muri
ædificaui, & agrum non emi,
& omnes pueri mei congre-
gati ad opus erant.
17. Iudæi quoque, & Magistra-
tus, centum quinquaginta viri,
& qui veniebant ad nos de
gentibus quæ in circuitu no-
stro sunt, in mensa mea erant.
18. Parabatur autem mihi per
dies singulos bos vnus, arietes
sex electi, exceptis volatilibus,
& inter dies decem vina diuer-
sa, & alia multa tribuebam, in-
super & annonas Ducatus mei
non quæsiui, valde enim atte-
nuatus erat populus.
19. Memento mei Deus meus in
bonum secundum omnia quæ
feci populo huic.

EXPOSITIO LITERALIS.

V. I.

I.

T factus est clamor populi, & uxorum eius magnus aduersus fratres suos Iudæos, &c. A Ad initium huius capitis; pro primi versus, & aliorum proxime consequentium expositione notandum, tribus potissimum de causis ingentem hunc populi clamorem excitatum fuisse; quidam enim fame coacti filios suos ditioribus quasi vendere volebant, alii liberis parcentes agros portius, & domos distrahere cogitabant, nonnulli prohibentes liberorum, & agrorum venditionem, hoc tantum persuadebant, vt mutuo sumerent pecuniam in tributa Regis, oppigneratis agris, & vineis, donec redeunte fertilitate, atque vberiori agrorum prouentu, reddere possent fœneratoribus, quod mutuo acceperant: hæc fere sunt, quæ plebeculam rei familiaris angustiis oppressam, aduersus Optimates, & Magistratus vehementius commouerant, erat enim inter Iudæos ab exilio reuersos, siue dignitatem spectas, siue facultates, & diuitias, ingens sane conditionis discrimen, quidam erant Optimates, & Principes, quibus opes quas secum è Babylone attulerant, aut latifundia, quæ cum forte venissent primi, cum Zorobabele, & Iesu amplissima sibi vendicarant, magnam illis conciliarant authoritatem, & penè interioris plebeculæ Dominos constituerant, quod de plebecula illa egentiores etiam ipsi ferebant iniquius: ergo desiderabat quidem infimus populus studiose murum Regiæ ciuitatis construere, sed impediebatur fame, quam non solum penuria frugum, sed etiam auaritia Principum fecerat, quippe qui ab eodem populo maiora quam reddere poterat tributa exigebant, vnde ad primam populi huius tumultuantis querelam exprimendam sequitur. B

Tribus potissimum de causis clamor populi exortus aduersus Optimates.

II. Vers. 2. *Et erant qui dicerent, filii nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus.* Miseranda sane conditio! vrgebantur plerique inopia tanta, vt filios, filiasque vellent seruituti, vel in perpetuum, vel ad certum tempus addicere, locupletioribus Iudæorum, vt frumentum sibi compararent, & haberent vnde viuerent; scilicet tam numerosam habebant sobolem, vt illi, ac sibi ipsis, de cibo prouidere non possent C homines egentissimi, erant igitur qui dicerent: *accipiamus pro pretio eorum*; id est, *filiorum, & filiarum nostrarum, frumentum, & comedamus, & viuamus.* Id quidem, non est in Hebræo, nec in 70. quod in textu legitur, *pro pretio eorum*, sed facile subinell igitur.

Verſ. 3. *Et erant qui dicerent, agros noſtros & vineas opponamus, & accipiamus frumentum in fame, &c.* Hæc eſt altera populi querela, ſiue ſecunda publicæ comploratiónis cauſa, erant enim qui dicerent, agros potius & vineas diſtrahi oportere, quam filios, & filias, ad præſentem inopiam ſubleuandam, vtrumque profecto, calamitoſum maxime, atque adeo, maxima etiam commiſeratione digniſſimum, ſed illud quod inſtat, præſertim, cogi miſeros, oppignerare fœneratoribus, domos, agros, vineas, vt habeant, vnde ſe ſuoſque ſuſtentent, vt mirum non ſit, ſi conquerantur, apud Nehemiam dicentes, ſe inhumane tractari, non à quibuſdam alienigenis, ſed à contribulibus ſuis, quique, eodem orti genere, etiam fratres vocarentur, apud quos Iudæi, & Iudææ quaſi mancipia ſeruirent, nec redimi fere à parentibus poſſent, ſicut neque poſſeſſiones quas oppignerauerant.

Miſerãda egentis populi conditio.

III. Verſ. 4. *Et alij dicebant, mutuo ſumamus pecunias in tributa Regis, demuſque agros noſtros & vineas, &c.* Vulgata quidem tranſlatio, ſenſum offert ſatis obuium, & facilem, ſed aliæ quædam, aliud iudicant, *mutuo*, inquit, *ſumamus pecuniam*, id eſt, ad vſuram, *demuſque agros noſtros*, in pignus ſcilicet, tertia ſiquidem, hæc querela eſt, communis in plebe calamitatis, vnde Hebræa, & 70. habent, *Sumpſimus pecuniam, &c.* & ſenſus eſt, ſuper agris noſtris, & vineis, pecuniam mutuo accepimus, vt Regi tributum ſolueremus, quod durum admodum, & acerbum, populo, aliunde etiam penuria ac fame laboranti, videbatur: Ac licet, qui hic conqueruntur, videri poſſint verbis ſuis, ſi eo trahantur, tantum in eo à prioribus diſſentire, quod illi à contribulibus ſuis, pecunias accipere fœnebres, & illarum vſuræ firmandæ, agros ſuos, & vineas oppignerare velint, hi, à Regio fiſco, mutuari, cui agros, vineaſque, in pignus ſubiiciant; eſt tamen, ſine dubio, & planior, & magis expeditus is huius loci ſenſus, dolere hic, & conqueri Iudæos, quod ad ſoluenda, impoſita à Rege vectigalia, ipſis neceſſe ſit, vineas & agros, oppignerare, aut vendere, aut fœnori pecunias accipere, quibus ſoluendo ſint; Alii, iuxta Tigurinam tranſlationem, quæ hic habet, *Agros noſtros, vineas A noſtras, & domos noſtras oppignerauimus vt frumentum acciperemus*, in hunc modum explicant, quaſi dicerent iſti, qui ſortem ſuam lamentantur, en quo deducta eſt, miſerabilis, ac luctuoſa vitæ noſtræ conditio, vt noſtris nos fundis ſpoliare, aut filios noſtros, à nobis abdicare oporteat, vt familiam ægre alere, & tributa Regia poſſimus exoluere, en quanta fratrum noſtrorum in ſuum genus, & in ſua prope viſcera crudelitas, ac barbaries, filii noſtri, & filiæ, ſeruitutem apud illos ſeruiunt, non ſecus, atque apud B Babylonios, & illorum ignobilem, & moleſtam operam, exigua frumenti menſura compenſant, & noſtros præterea agros, & vineas, acceperunt pignori, pro frumento, quorum ipſi fructus atque annuos prouentus, ſpectantibus nobis, ac dolentibus accipiunt, accedit ad tantæ calamitatis cumulum, vt ea nobis à fiſco Regio impoſita ſint vectigalia, quæ vt pendamus exactoribus, agros à nobis vineaſque diſtrahi, & in aliorum venire poſſeſſionem neceſſe ſit, ſed, vt vides, perparum, hæc omnia, ab inuicem diſ- C ſentiunt, aut diuerſa ſunt.

Expeditus magis & planus, huius loci ſenſus.

IV. Verſ. 5. *Et nunc ſicut carnes fratrum noſtrorum, ſic carnes noſtræ ſunt, & ſicut filij eorum, ita & filij noſtri, &c.* Scilicet, ſuperioris querelæ pauperum, contra diuites, qui vſuris aliiſque modis eos opprimebant, continuatio eſt, quaſi dicerent: ex eodem genere prognati ſumus, quo illi, proinde, liberi eſſe debemus, non ſubiici ſeruituti. Lyranus, vult eam ab illis afferri conſilij ſui rationem, qui ſatius eſſe ducebant vendere, vel oppignerare terras, D & poſſeſſiones Regi Gentili, quam filios & filias ſubiicere ſeruituti, nec diſplicet quod addit, nimirum, aliter etiam hoc exponi, & melius, vt ipſi quidem videtur hoc modo, Zorobabel, inquit, Eſdras, & Nehemias, vt plures poſſent ſecum adducere, de Babylone, reduci populo libertatem promiſerant, & proſperitatem, de cuius potiundæ ſpe deiectos ſe cum viderent, aliqui eorum, in afflictione, & extrema hac rerum omnium inopia poſiti, ideo conquerebantur, & in has voces dolentes erumpebant, *Et nunc ſicut carnes fratrum noſtrorum*, id eſt, fratres noſtri, qui remanſerunt in Babylone, ſunt in afflictione & dolore, *ſic carnes noſtræ ſunt*, id eſt, hic in Iudæa ſumus in

Varia huius loci expoſitio.

consimili afflictione, vel maiori, *& sicut filii eorum*, scilicet subiecti sunt seruituti, *ita & filii nostri*, eandem aleam subierunt, ideo subditur, *ecce nos subiugamimus filios nostros*, quasi concludendo dicerent, & sic non sumus melioris conditionis, quam ipsi; immo in aliquibus, longe etiam deterioris, vt certe hæc verba, *sicut carnes fratrum nostrorum*, *&c.* referri commode posse ad Iudæos, qui in Babylone, vel in Perside remanserant, recentiores etiam interpretes nonnulli existimarunt, inter quos Caietanus, & Dionysius, quasi dicerent isti, non meliori conditione sumus in Patria, quàm fratres nostri, qui in aliena, ac barbara regione viuunt, & Babylonico imperio subiecti sunt, quorum filii externorum Principum seruituti mancipati sunt, cum tamen huc à terra captiuitatis, spe libertatis recuperandæ, remigrauerimus, sed prior sensus melior est, quo dure nimium, atque inclementer, secum agi conquerantur, remque intolerabilem videri omnino, vt sic à ditioribus inopes opprimantur, quorum idem sit genus, eadem lex, eadem cognatio, quosque tantum fortuna, aut melior, aut iniquior, dissimiles inter se se constituat.

V. *Et de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus vnde possunt redimi, & agros nostros, & vineas alii possident, &c.* Duo hic obseruanda sunt, primum, vt apud Hebræos olim, sic apud alias gentes, bene multas, filios à parentibus in graui necessitate vendi potuisse, vt ex Ambrosio, lib. de Tobia, cap. 8. de sui temporis nonnullis, de Romanis ex Dionysio Halicarnasseo, lib. 2. de Atheniensibus ex Plutarcho in vita Solonis, de Hebræis demum ex hoc loco, & Isaiæ cap. 50. & aliis plerisque, Exodi, & Leuitici locis constat. Alterum est apud Iudæos filios venditos redimi à Parentibus potuisse, immo à cognatis, vt patet Exodi 21. & Leuit. 25. si modo venditi essent sui generis hominibus, & proselytis, si alienis, & exteris gentibus in seruitutem addicti essent, reuocari in libertatem non potuisse, sed hæc alibi separatim à textus explanatione, melius à nobis, & fusius discutientur, illud igitur miseris parentibus, hoc loco, ægrè est ac dolet, maxime, quod cum necessitate coacti, filios, aut vendiderunt, aut alienæ seruituti subiecerunt illos præ inopia, & graui rei familiaris angustia, restituere in pristinam libertatem non queant.

Olim apud multas gentes in graui necessitate liberi à parentibus vendi soliti.

Apud Iudæos liberi venditi Gentilibus suis, aut Proselytis redimi poterant, exteris gentibus in seruitutem addicti, non item.

Vers. 6. *Et iratus sum nimis cum audissem clamorem eorum secundum verba hæc, &c.* Nunc consequenter describitur diuitum reprehensio, ob prædictam pauperum oppressionem, facta à Nehemia, *cum audissem*, inquit, *clamorem eorum*, id est, pauperum, *secundum verba hæc*, quibus indicabant suum sibi reditum e Babylone in Iudæam, nihil esse quod gratularentur, immo potius sibi maxime in eo displicere, cum autem dicit, *& iratus sum nimis*, verbum quidem est Nehemiæ irati, sed non ira, quæ vitiosa sit, aut exprobranda, immo quæ laudabilis, & vulgo non tam iræ, quam zeli nomine nuncupanda.

Irascitur Nehemias sed ira laudabilis, & ex zelo.

VI. Vers. 7. *Cogitauitque cor meum, & increpaui Optimates, & Magistratus, & dixi eis: vsurasne singuli a fratribus vestris exigitis? & congregaui apud eos concionem magnam, &c.* Vbi rem non tumultuariè, & præcipitanter, sed ex certa animi deliberatione, ac maturo consilio expendit, prudenter quoque, *concionem magnam*, id est, ingentem populi multitudinem, conuocat Nehemias aduersus Optimates, qui pecunias suas fœnori dabant Iudæis fratribus, ac contribulibus suis, quo maior esset pudor, & increpatio acrior, eodem fere spectat, ac recedit Lyrani expositio, cum ad hæc verba, *congregaui concionem magnam*, subdit, *vt erubescerent renuere correctionem meam rationabilem*, id est, æquam, & iustam. Cum igitur tanta esset enata difficultas inter Iudæos ipsos, & ciues Hierosolymitanos, quantam superius audiuimus, huic prouidens Princeps, populique sui amans Nehemias sapienter prouidere voluit, tulerat quippe permoleste populi egentioris querelas, & clamores, & vt tantis, tamque importunis clamoribus mature occurreret, congregauit Optimates, qui vsuras à fratribus suis exigebant, filiosque, ac filias illorum mancipio sibi vendicabant, quin & Magistratibus ipsis, qui in ciuitate tunc libera, hæc impune fieri patiebantur, cum prohibere id commode possent, ac vere

Vt reprehensio Nehemiæ sit acrior, & maiorem pudorem incutiat fit coram ingenti populi multitudine.

etiam deberent, verbis grauissimis exprobrauit, quod rem tentassent ipsi, aut tentari ab aliis permisissent, quam & ipsa humanitatis ratio, & lex à Deo præscripta seuerius inhiberet, vnde sequitur.

VII. Vers. 8. *Nos vt scitis redemimus fratres nostros Iudæos qui venditi fuerant gentibus secundum possibilitatem nostram & vos igitur vendetis fratres vestros & redimemus eos, &c.* Sic locum hunc intelligendum puto, ne quis peccet, aut quicquam dici existimet, contra historiam superioris libri, de benefica & voluntaria Iudæorum per Cyrum, Darium & Artaxerxem, nullo accepto pretio dimissione, vt nimirum licet illi, qui erant in Babylone, redierint quidem sine Redemptore, sicut loquitur Lyranus, id est, gratis, nulla collata pecunia, Lytri nomine, aut ad captiuorum remissionem, tamen Zorobabel, Esdras, & Nehemias, aliquos Iudæos redemerint, qui venditi fuerant Gentilibus, extra potestatem, seu ditionem Regis Babylonis. Et ex illis, præsertim Nehemias, cum maxime gratiosus esset, apud Persarum Regem, nec incredibile sit, ex ea gratia, magna sibi comparasse rerum compendia, ad suos & aliorum vsus opportuna, dubium quoque esse non quin eorum pleraque, vt erat vir sane suorum studiosus, & amans, libens volensque in eorum redemptione consumpserit, quos aut parentum extrema necessitas, aut belli ius, cuius, est inter barbaros, vis potentissima, seruituti addixerat, quod autem addit Nehemias, *Et vos igitur vendetis*, seu vt in quibusdam libris habetur, *vendite filios vestros, & redimemus eos*, id interrogando, per exprobrationem dicitur, quasi minime sit consentaneum, *& redimemus eos*, inquit, quos emistis in seruos contra legem, ac si dicat, nunquid adigetis me, vt meis sumptibus, atque ære meo, ex vestra potestate, redimam captiuos fratres, non aliter ac nuper feci, cum alios exemi, ab hoste Babylonico; dum igitur ait Nehemias, se redemisse captiuos, & seruos & Iudæis plurimos ab hoste Babylonio, quod nihil est aliud, quam à Babyloniis esse venditos, eos, quos ante aut belli iure, aut emptos pecunia mancipio possederant, significat Iudæos illos locupletiores, qui fratrum suorum filios in seruitutem addictos, sibi, atque alligatos habebant, nihilo esse meliores Babyloniis, cum ab illis quoque Iudæorum filii, pecunia redimendi essent, aut alioqui nunquam pristinam libertatem recuperaturi, quod sane Iudaïco nomini pretiosum erat, atque ignominia plenum, vt mirum non sit, si coram tanta multitudine, pudefacti, verbis & exemplis Nehemiæ, ab incœpto destiterint, vt infra videbimus. Cæterùm, ad ea, quæ vers. 5. superius obseruauimus, adiungendum etiam hoc loco est: Et si Hebræos, suæ gentis hominibus, filios suos vendere, aut alienæ seruituti subiicere, lex permiserit, ita tamen, permissi, vt vltra sexennium, seruitutem illam produci vetuerit, edixeritque Dominis, vt abeuntem seruum gratis, & libertate donatum, nullo modo vacuum ad propria dimitteret vt patet ex cap. 21. Exod. vers. 1. & Deuteron. 15. vers. 12. contra quàm Optimates istos, fecisse credibile est (qui plurimos forte pauperes filios, vltra annum libertatis, sine Sabbaticum, ex lege, in seruitute retinuerint, neque parentibus suis reddiderint, nisi accepto primum Redemptionis pretio, & ideo egentiores illos dolere grauiter, quod reuocare suos liberos non possent, quod à se, in alienam quasi familiam, vrgente necessitate compegerant. Certè, longe antea, alios è Iudæis, idem peccasse, constat ex Hieremia cap. 34. vers. 8. 9. & sequentibus, vbi eos grauiter eo nomine reprehendit, his verbis; *Verbum quod factum est ad Hieremiam à Domino, &c. Prædicans vt dimitteret vnusquisque seruum suum, & vnusquisque ancillam suam Hebræum & Hebræam liberos, & nequaquam dominarentur eis*, id est, *in Iudæo & fratre suo. Audierunt ergo & dimiserunt & conuersi sunt deinceps, & retraxerunt seruos & ancillas suas, quos dimiserant liberos, & subiugauerunt in famulos, & famulas propterea hoc dixit Dominus, Vos non audistis me, vt prædicaretis libertatem vnusquisque fratri suo, ecce ego prædico vobis libertatem ad gladium, ad pestem, ad famem; ex qua tam graui & tam iusta diuini numinis iracundia non leue id fuisse crimen intelligendum est.*

Zorobabel, Esdras & Nehemias creduntur redemisse aliquos Iudæos qui venditi fuerant Gentilibus extra ditionem Regis Babylonis.

Seruitus apud Iudæos vltra sexennium non extendebatur.

Arguũtur ab Hieremia prisci Iudæi eiusdem criminis cuius à Nehemia recẽtiores.

Et siluerunt nec inuenerunt quid responderent. Erat sane quod confunderentur, quod essent gentibus, hoc est infidelibus, asperitate morum & inhumanitate pares, immo etiam superiores, vt

res, vt qui, fratres ipsi suos, contra legem Dei, & iura naturæ diuexarent, quare cum illis, magna animi libertate, reprobaret Nehemias, quod peccassent, *obmutuerunt*, inquit, id est suo se reos silentio prodiderunt, & facile crimen confessi sunt, instimulante, scilicet, illos conscientia, *& siluerunt nec inuenerunt quod responderent*, cum nihil occurreret vndecumque, vel ad speciem honestum, quo obiectam à se culpam depellere, aut vlla ratione detergere possent.

VIII. Vers. 9. *Dixique ad eos; Non est bona res quam facitis quare non in timore Dei nostri ambulatis ne exprobretur nobis à gentibus, inimicis nostris.* Cur negentur isti ambulare in timore Dei, promptum cuique ac peruium est, quia scilicet neque diuinam obseruabant legem, neque, quid gentes, de vero Deo sentirent, admodum satagebant, peccarant quidem, Optimates, ac locupletiores, è Iudæis, contra legem proxime à nobis citatam, Exodi vigesimo primo, quod cum emissent seruos de genere suo, retinerent adhuc in seruitute, exacto sexennio, & cum aliunde prohiberetur etiam Hebræis, ne quisquam sui generis hominibus fœneraret pecuniam, passim tamen ipsi graui imposito fœnore, pecuniam erogabant, & vsuras à petentibus quasi legitime debitas exigebant; quare verebatur Nehemias, ne id sibi gentes exprobrarent, atque inde abalienandi se, à veri numinis cultu, occasionem captarent, vnde, vt vides, Dei causam agit, in hoc negotio, cum timet ne gentes vndique circumfusę, quæ in Iudæorum genus & religionem male sunt animatæ de diuina lege minus bene sentiant, vt pote quæ talem videatur inclementiam permittere, vt qui sub ea viuunt, non aliter panem indigenti porrigant, aut opem fratri, ac proximo subministrent, quam data prius ad vsuram pecunia, aut empta filiorum libertate, & ipsis in seruitutis sordes, atque molestias, quasi in pistrinum, dure ac miserabiliter coniectis, quod gentibus, à Iudæorum fide, & religione, alienis pessimo fuisse exemplo tam certum est, quam exploratum, minimeque dubium, eos qui male viuunt, & diuinam legem violant, Dei ipsius honori multum detrahere, cuius rei sensus, animum Nehemiæ, admodum exulcerabat, cautum autem in lege Mosaica, ne Iudæi fratribus suis fœnerarent, habes expresse Deuteronomii capite vigesimo tertio, versu decimo nono; *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges nec quamlibet aliam rem.*

Iudæi contra legem agentes, quæ vsuras vetabat pessimo gentibus erant exemplo.

IX. Vers. 10. *Et ego, & fratres mei, & pueri mei commodauimus plurimis pecuniam, & frumentum non repetemus in commune istud, æs alienum concedamus, quod debetur nobis, &c.* Nimirum potentiora sunt exempla, quam verba, ideoque, offert ipse sese Nehemias, & suos, ad debita egenis dimittenda & suo ipse exemplo, ad idem alios creditores inuitat, nec vero de vsura agit, vt rectè explicat Vatablus, alioqui Nehemias, se domesticosque suos, eiusdem criminis reos proderet, quod in locupletibus Iudæorum accusabat, sic nihil ab aliis exigit, quod ipse non fecerit, aut facturum se non polliceatur. quod autem ait, *Non repetamus in commune istud*, additum id aliqui volunt ab Interprete, *in commune*, sed an sit de textu nec ne, nihil laborandum, idem enim sensus erit, siue remaneat, siue detrahatur, cum *non repetamus istud*, siue *non repetamus istud in commune*, idem sit ac, omnes communiter consentiamus, vt istud non repetatur; ait ergo Nehemias, se fratresque suos, qui miseris atque egentibus pecunias ac frumentum dederunt, nulla spe vsuræ cuiusquam ex eo colligendæ, paratos esse, à debitoribus nihil repetere, hortaturque alios vt idipsum faciant, & si quos habent sibi obstrictos, ab ære releuent alieno, illudque pio ac liberali animo remittere ne grauentur.

Suo exemplo alios creditores ad debita egenis dimittenda inuitat Nehemias.

De vsura non agit hic Nehemias sed de pecunia ab ipso commodata nulla spe vsuræ cuiusquā ex ea colligēda.

X. Vers. 11. *Reddite eis agros suos, & vineas suas, & oliueta sua, & domos suas, quin potius & centesimam pecuniæ, frumenti, vini & olei quam exigere soletis ab eis date pro illis, &c.* Vt hic locus intelligatur, supponendum, pauperes Iudæos, aut pignori dedisse locupletioribus, fundos suos, aut alio quouis modo distraxisse, vt pecuniam, aut frumentum, aut oleum eraderent, & pro data pecunia, frumento, & oleo, singulis mensibus, centesimam eorum partem exoluisse, quæ ab illis fœnori aut com-

Quid sit centesima pecuniæ cuius hic mentio.

modato acceperant; *Centesimam*, inquit, *pecuniæ datæ pro illis*. Dabant scilicet Iudæi argentum, frumentum, vinum, & cœtera eiusmodi, ea lege, vt dum mutua pecunia, aut pretium rei venditæ solueretur, singulis mensibus summæ centesimam darent, vnde, vsura, centesima dicta est, frequens Romanis, sed inter Iudæos; vt ex hoc loco constat vsitatissima, atque adeo singulis annis, circiter octaua pars summæ, soluebatur, puta pro singulis centum assibus, duodecim, inde quæ præcedenti leuiores vsuræ semisses, id est sex pro centum; trientariæ etiam nonnullæ, cum quatuor duntaxat pendebant, vnciales tandem, id est vnius pro centum, annuatim, quæ benignissima omnium vsura erat. Et quidem vsuras olim certa lege singulis mensibus exigi solitas, ad Kalendas videlicet, in quibus vsurariæ ac fœneratores collocarentur pecuniæ, notius est ex prophanis authoribus, quam vt dicatur, vnde in stipulationibus, vsitata illa verborum formula, vsurpabatur, *centesimas Kalendis dare ponat*, lege Horatium de fœneratore auaro in Epod. Ode tertia, & libro primo, Satyra tertia, idque apud Romanos; qui Kalendas vocabant, primum diem mensis, sicut Græci *νουμηνίαν* id est nouilunium, quia illis luna exoriens, nouum mensem adducebat, quemadmodum Hebræis, atque adeo tam Græci, ac Hebræi, nouilunia, quam Romani, Kalendas, metuebant, vnde apud Aristophanem in Comœdia, quæ inscribitur, *nubes* Strepsiades, quidam in scenam inducitur, qui cum exoriens primum luna ad soluendas vsuras eum adigeret, optabat sibi veneficam atque incantatricem dari, quæ suis carminibus efficeret ne vnquam luna exoriretur,
XI. ne scilicet vsurarum exactoribus, pecunias menstruas, seu primo quoque mensis die debitas exoluere cogeretur. Adde Plutarchum in libello de non fœnerando, sic fœneratores ipsos exagitare, quasi Kalendas perpetuo in corde habeant & in ore, & nouæ lunæ diem, quæ cum sit omnium dierum sacerrima & sanctissima, nefastam tamen, & horribilem, ac tristem faciunt fœneratores, quippe qui sicut ad nouilu-

Vsura centesima frequens Romanis apud Iudæos vsitatissima.

Quid vsura semisses quid trientaria, quid vncialis.

Ad Kalendas seu id nouilunium vsuræ exigi solitæ cum apud Græcorum apud Romanos.

A nia collocabant in fœnore pecuniam, sic etiam ad nouilunia vsuras exigebant: & hæc obiter in hunc locum de variis vsuris dixisse sufficiat. Cuiuscumque demum generis fuerit, vsuram omnem remitti vult Nehemias, atque hortatur, fœneratores illos, & pauperum (vt sic loquar) sanguisugas, vt non solum domos, & agros suos, pauperibus, quos ab illis acceperunt, restituant, sed etiam quam exigere hactenus soliti sunt, per summam licentiam,
B vsuram centesimam, indigentibus relaxent, piè ac liberaliter, sicque eorum subleuent, non premant inopiam. Aliò tamen deflectit hanc centesimam Lyranus, cum eam intelligi significat, quam exigerent Optimates, & Magistratus, à populo, vt solueretur Regi, pro tributo terræ; sed vtrumque dici potest, & bellè cum textu cohæret, nam & ad centesimam soluendam Regi, puta, bonorum, forte, quæ quisque possideret, accepta mutuo à fœneratoribus pecunia alteram etiam fortassis centesimam pendere coge-
C bantur.

Centesimã intelligit Lyranus pecuniam exigi solitã à Magistratibus vt Regi penderent pro tributo terra.

Vers. 12. *Et dixerunt, Reddemus & ab eis nihil quæremus, sicque faciemus vt loqueris, &c.* Tantum valuit Nehemiæ Ducis exhortatio; vbi cœteris omnibus, quibus persuadere dicendo volebat, primum ipse exemplo, & facto præluxit, vt tandem, à violentis alioquin hominibus & auaris, misericordiam in egenos, atque omne humanitatis, pietatisque officium extorserit, *& dixerunt*, inquit, *reddemus*, pignora scilicet, *& ab eis nihil quæremus*,
D vsuræ puta, aut fœnoris, quod exigi antea solebat, *sicque faciemus vt loqueris*, atque ita quod Romæ olim, tantis cum tumultibus, sæpe attentatum est, id nunc à Nehemia, facile, placidéque perfectum, vt nouæ inducerentur Hierosolymis tabulæ, & ex creditorum omnium condicto, sua debitoribus, egenis debita relaxarentur. XII.

Et vocaui Sacerdotes, & adiuraui eos, vt facerent iuxta quod dixeram, &c. Vocatos à Nehemia Sacerdotes notat Lyranus, non modo quia de Iudæis præcipui erant, sed etiam vel maxime, quod Gubernatores essent

populi, à tempore reditus captiuitatis Babylonicæ, sed cur ab aliis separatim coacti? ad pleniorem huius loci explanationem, aio ego, cum in primam concionem aduocati non fuissent Sacerdotes, vt pote, in qua tantum interfuerant cum alia populi multitudine, Optimates, & Magistratus illos postmodum conuocauit Nehemias, à reliqua multitudine secretos; tum quia eorum apud alios non vulgaris authoritas, quæ suam ab alia separatam concionem exposceret, tum quia, cum illorum forte plerique, ac præcipui, eiusdem, atque alii criminis essent participes, noluit eos, quod vrbanitatis leges non sinebant, coram vniuerso populo, pudore suffundere, ob reuerentiam ordinis Sacerdotalis; illos igitur aduocauit, petiitque ab iis, vt interposita iurisiurandi religione, cuius ipse authorem se, ac Ducem facit (quemadmodum versu sequenti animaduertere est) idem pollicerentur, quod alii se facturos iam ante receperant.

Cur ab aliis separatim coacti Sacerdotes à Nehemia.

XIII. Vers 13. *Insuper excussi sinum meum, & dixi, sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleuerit verbum istud de domo sua, &c.* Adiurationi imprecationem adiungit, seu adiurationem imprecatoriam facit, cum ait, *excussi sinum meum*, id est, extremam vestem, *& dixi, sic excutiat Deus omnem virum*, perfugam scilicet, & egenum, & extorrem reddat à Patria, *qui non compleuerit verbum istud*; familiare siquidem fuit Hebræi actione corporis, exprimere quæ verbis volebant: vnde significat Nehemias, vt vestis, quæ cum excutitur, libera, ac vacua à puluere manet, sic, qui contra quàm de communi omnium consensu statuerat, facerent, omni fructu vacuos, seu eodem modo, quo sinus excutitur à domibus, & agris excutiendos, atque excludendos esse, qui promissionem iureiurando confirmatam non seruauerint, sic in signum tristitiæ, aut detestationis alicuius rei vestimenta scindebant, vt superiori libro in exemplo Esdræ, fuse à nobis annotatum est. Paulo aliter Lyranus, nec male, *Nehemias*, inquit, *excussit sinum suum, orando, vt sic euacuaretur bonis suis, & eiiceretur de communitate populi, quicumque non consentiret verbo, & facto, in remissionem, & relaxationem pauperum*, de qua huc vsque agit: sic olim Prophetas aliquando vsos fuisse sensibilibus signis, vt Prophetiæ eorum magis essen notæ, quæ scilicet per externa illa signa, & spectabilibus notas, magis in sensus incurrerent, si ut Esaias ambulauit nudus, & discalceatus, vt habetur Isaiæ 20. cap. 2. & Hieremias posuit catenas in collo suo Hierem. 28. vt significaret sic populum aliquando in captiuitatem abducendum, passim norunt omnes non increduli. Porro quod aduertit Sanctius, cum iuramento in sacris Scripturis, sæpe execrationem coniungi facile probatur, vt loca passim obuia sunt, quæ id commonstrant, vt Psalm. 88. vers 36. Psalm. 94. vers. 11. Genes. 24. vbi Abraham adiurasse dicitur seruum suum Eliezer, id est, ad iusiurandum redegisse, quod fecit seruus, vt habetur ibidem vers. 7. cui adiurationi adiunctam fuisse execrationem significat idem seruus vers. 44. qui cum sermonem ab Abrahamo, cum ipso habitum refert, hoc cum dixisse non prætermittit, *innocens eris à maledictione mea, cum veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi.* Sic Romani, vt hoc ex Prophanis accersam, cum fœdus percutiebant, proiecto silice, quem manu tenebant, talem sibi à Deo casum optabant, nisi iusiurandum conceptum, & fœdus initum sancte conseruarent: hinc familiare olim apud illos iusiurandum, *per Iouem Lapidem*, quod pueri norunt, sic, vt ad sacros authores redeamus, denuntiat Deus Iudæis per Hieremiam cap. 34. vers. 18. viros illos, qui percussum fœdus violarent, neque obseruarent fidem, quam in conspectu suo ratam fore professi erant, volunt in frusta concidendos, ac similes futuros vitulo, qui in percutiendo fœdere concisus fuerat, atque discerptus, inter cuius dissecta membra, solemni, ac legitimo ritu transierant, quasi idem sibi imprecantes, si contra facerent, & fas, iusque violarent. *Et dabo*, inquit, *viros qui præuaricantur fœdus meum, & non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo vitulum, quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius, &c. Et dabo eos in manus inimicorum suorum, & in manus quærentium animam eorum, & erit morticinium eorum in escam volatilibus cæli, & bestijs terræ.*

Adiuratio imprecatoria Nehemiæ.

Quid significet, vestem excutere, in adiuratione Nehemiæ.

Lyrani sententia.

Olim Propheta Prophetias suas quibusdam sensibilibus signis magis notas nonnunquam reddebant.

XIV.

In scripturis sæpe execratio cum iuramento coniungitur.

Familiare apud Romanos iusiurandum per Iouem Lapidem.

XV. *Et dixit vniuersa multitudo, Amen*, & consensit in votum à Nehemia conceptum, coacta Iudæorum mul-

titudo, hic vna voce pronunciat, *Amen*, quid autem proprie significet vox, *Amen*, quosue in sacris paginis, vsus præcipuos habeat, operæ pretium est hic annotare: ac primo certum illud est, adhiberi solitam, ad confirmandum, siue asseuerandum aliquid, qua ratione, in Euangelio passim hæc verba vsurpantur: *Amen, Amen dico vobis*, siue ad indicandum, nos cum aliorum votis, & precibus, nostra quoque vota, ac preces coniungere, vti hoc loco fit, & in Ecclesia, publicis aliorum orationibus subiicere solemus, *Amen*, quod 70. transtulerunt, *fiat, fiat*, aliquando vox, *Amen*, non tam confirmatio, quam auxesis esse videtur, vt Isaiæ 25. vers. 1. *quoniam fecesti mirabilia cogitationes antiquas, Amen*, quo loco Sanctius existimat, licet, *Amen*, aduerbialiter sumatur, plerumque, pro *vere*, ac *fideliter*, tamen interdum etiam nomen esse, quod veritatem, seu fidelitatem significat, vt in alio quoque loco Isaiæ, capite sexagesimo quinto, versu decimo sexto. *In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, Amen, & qui iurat in terra, iurabit in Deo, Amen*, quod alii exponunt, *in Deo veritatis*; vnde non desunt, qui putent, *Amen*, nomen esse Dei, vt quemadmodum dicitur fortis consiliarius, sic etiam dici, fidelem, & veracem: quam coniecturam firmant non modo ex loco Isaiæ iam citato, sed & ex illo Apocalypsis tertio, versu decimo quarto *Hæc dicit Amen*, id est, qui verus est, aut ipsa veritas, & vero Christus de seipso ait: *Ego sum veritas*. Sed licet hoc nomen Deo conueniat, illique reipsa attributum sit, cum in sacra Scriptura sæpe dicatur, fidelis, & verax, tamen ea proprietas, seu perfectio, hac voce, *Amen*, non significatur, tanquam Deo conueniens, per modum adiectiui, seu nominis adiacentis, quia cum nomen est, veritatem significat, non verum; præterea, neque omittendum est, sanctum Thomam ad finem capitis vigesimi quinti Isaiæ annotare quandoque *Amen*, nomen esse Græcum, ab, *a* quod est, sine, & *μην*, quod est defectus, quasi sine defectu, atque ita exponit illud Roman. 9. *Qui est Deus benedictus in sæcula Amen*: sed vnde, aut quemadmodum hæc illi notatio nominis, in mentem venerit, non satis intelligo, deriuare fortasse potuit à *μὴν*, siue *μήνη*, quod

Quid significet Amen quosue in scripturis præcipuos vsus habeat.

Amen *interdum in scriptura* veritatē, *seu* fidelitatem *significat.*

Amen *censetur ab aliquibus nomē Dei.*

D. Thomas Amē *nomen Græcum facit.*

A est Luna, & ab *a* priuatiua particula, quasi Deus immutabilis, qui defectum, & mutationem non subeat, quam Luna patitur, & quæcumque Lunæ varietati, ac vicissitudini subiecta sunt. Quod si causam rogas, cur vulgatus interpres, Hebraicam vocem, *Amen*, potius, quam Græcam fere in textu retineat, nec Latine transferat, hæc esto inter alias præcipuas, quod non minus ex frequenti vsu nota esset, olim in Ecclesia, vox Hebraica, *Amen*, quod Latina, *veritas*, aut *vere*: quare Apocalyp. capite primo, versu se-
B ptimo, cum dixisset Ioannes *etiam*, quæ est vox affirmantis, tanquam aliquid magis notum, addidisse visus est, *Amen*, sic dicendo, *& plangent se super omnes tribus terræ etiam, Amen*, in quem locum rectè obseruat, idem qui supra Sanctius, scripturam, sæpe rem vnam, & eandem, duobus nominibus diuersorum idiomatum explicare solere, quo diuersarum linguarum hominibus sit nota, hinc, qui *Thomas*, Hebraicè, Græce, vocatur *Didymus*, quæ Hebraice, *Tabitha*, Græce, dicitur *Dorcas*, sic *Petrus*, etiam dicitur *Cephas*, Græce nimirum, atque He-
C braico idiomate: eadem ratione Ioannes Apocalypsis loco proxime citato, scripsit Græce *ναὶ ἀμήν*, quæ duæ voces, idem omnino valent, atque *etiam*, nam *ναὶ* Græcum, pro quo vulgatus reddit, *etiam* affirmat, sicut Latinum næ, & *Amen*, Hebraicum, atque adeo *etiam Amen*, idem est, quod, *Amen*, *Amen*, id est, quam verissime, eam enim auxesim frequenter, in scriptura facit vocis geminatio, ego, quod ad præsentem Nehemiæ locum spectat, *dixit vniuersa multitudo Amen*, id est, acceperunt Iudæi in
D suum caput superiorem illam execrationem, tam minaci, ac seuera denunciatione à Nehemia conceptam, ac se volentes vitro, ac libentes tanto infortunio, ac malo deuouerunt, si promissi fidem, aut iurisiurandi religionem vnquam violarent, id enim modo complectitur vox *Amen*, quam imprecatoriæ adiurationi, cœtus ille subiecit, cum esset primum vehementer Nehemiæ ipsius oratione commotus.

XV.

Scriptura sæpe rem vnam duobus nominibus diuersorum idiomatū explicat.

Et laudauerunt Deum, &c. Credo, opere magis, quam ore, vnde sequitur, *Fecit ergo populus sicut erat dictum*; opere siquidem ipso, laudat Dominum, qui quocumque modo, dignum illum esse ostendit, quem colant omnes, ac venerentur, & cuius voluntati pareant vniuersi, qua ratione, sol & luna, & quidquid in cœlo est, atque in terris illustre, gloriam Dei enarrare, & diuinas laudes prædicare dicuntur, quia scilicet Deum sapientissimum rerum opificem, & potentissimum tantæ ac tam pulchræ molitionis architectum ostendunt, quo item modo Sabæi, & Madianitæ populi, apud Isaiam cap. 6. vers. 6. dicuntur laudem Domino annunciaturi, quia, auro, thure, & vario aromate, quibus onustos agent camelos, & dromadarios, honore illum dignum esse profitebuntur, & cum sua ei dona offerent, suam quoque in illum fidem facto ipso testatum facient. Itaque iuxta hunc sensum *Deum laudare*, seu *Deo laudem dare*, sicut, *Dare confessionem Deo*, seu, *Deo confiteri*, nihil aliud est quam recte & sancte aliquid facere, sic Esdras superiori libro cap. 10. vers. 11. *Date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum eius, &c.* Quid si *laudare*, hic, idem sit, quod *orare* simpliciter, quem loquendi modum in Scriptura non infrequentem esse constat ex illo loco Threnorum cap. 2 vers. 19. *Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum tuarum*; & Hierem. cap. vers. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eis laudem, &c.* Et sane, potuerunt isti, mutato iam animo, & ad meliorem frugem conuerso, Deum orare, vt quam ante commiserant noxam, illis remitteret, & quod inierant consilium vitæ, posthac melius instituendæ, secundaret ipse, fortasse etiam hoc loco *laudare Deum*, illud ipsum significat quod propriè sonat, hoc est mente, ac spiritu psallere, ore ac voce illi gratulari, eius nomini, ac maiestati benedicere, ac pro acceptis beneficiis gratias agere, neque hominibus istis, qui prius immisericordes, vt auari, mutato iam ingenio syngraphis rescissis, debitoribus, siue æs omne sibi debitum relaxarent, multiplex ratio diuinas laudes celebrandi deesse potuit, nimirum quod diuini numinis impulsu, talis esset illis iniecta mens, vt priora damnarent consilia, atque illegitima & vsuraria pacta discinderent, quod talem haberent Ducem, qui non tam suis quàm publicis commodis seruiret, quique alios in officio, vt mox ante ostenderat, contineret, ac demùm cum libertate, sanctitas ipsa, in ciuitatem Hierusalem, hoc est iustitia, æquitas, & religio, rediisse videretur, hoc Deum laudandi vt verissimum, sic amplissimum esse potuit argumentum, & quocumque sensu de supra allatis vocem *laudis* aut *laudandi* sumpseris, à vero longius non aberrabis, neque quidquam video quod vlli ex omnibus, admodum repugnet.

Vox laudandi Deũ hic sumitur, vt sæpe alibi, pro opere & quauis actione qua Deus laude dignus ostenditur.

Sumitur aliquando etiam in Scriptura vox, laudandi pro vox orãdi simpliciter

Multiplex ratio laudandi Deũ in populo.

XVII. Vers. 14. *A die autem illa qua præceperat Rex mihi vt essem Dux in terra Iuda vsque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis Regis per annos, duodecim ego & fratres mei annonas quæ Ducibus debebantur, non comedimus, &c.* Deinceps hoc est, ab hoc versu ad finem vsque totius capitis, occasione indulgentiæ & remissionis tenuioribus de populo concessæ, Nehemias, pluribus suam in populum egenum charitatem, toto Ducatus sui tempore, commemorat; *A die illa*, inquit, *scilicet dimissionis meæ à Rege, & initi Magistratus, anno vigesimo Artaxerxis, vsque ad annum trigesimum secundum*, id est, totos duodecim annos, siue toto illo temporis spatio, in Hierusalem remanserit, siue, subinde, è Iudæa in Persidem, è Perside in Iudæam redierit, quod alibi discussimus, totos inquam duodecim annos, quibus nimirum eius durauit præfectura, *Annonas quæ Ducibus debebantur non comedi*, misericordia scilicet motus in egentiores è populo, quorum tributa tantumdem minuebantur, quantum sibi detrahebat. Hic igitur, si quando alias, boni Ducis partes egisse Nehemiam, liquido demonstratur, is siquidem, toto præfecturæ suæ tempore, ne populus grauaretur, destitit ab eo multa exigere, quæ ipsi tanquam Duci legitimè debebantur: quin & eos omnes quotquot à Rege veniebant, de Babylone, in Iudæam, excipiebat, ille siquidem suis sumptibus & suo ære sustentabat, quos alioquin de communi lege publicis populi expensis, ali, sustentarique oportuisset, vt infra dicitur versu 17.

Nehemia in populũ facilitas & indulgẽtia.

XVIII. Vers. 15. *Duces autem primi qui fuerunt ante me grauauerunt populum &c.* Vt hic locus intelligatur, non est necesse, cum recentioribus quibusdam,

asserere Nehemiam, aut ter venisse Hierosolymam, quod valde incertum est, aut cum se primum in itinere ad Zorobabelem adiunxit, licet magnæ esset authoritatis, non videri tamen vllam tum gessisse præfecturā, quod nullo etiam satis firmo argumento probari potest, illud modo sufficit recordari, ex superiori commentario, iam inde à primo reditu è Babylone in Iudæam, varios è Iudæis, varias præfecturas gessisse, saltem in aduentu Esdræ, siquidem ius ipsi concessum à Rege, constituendi Iudices, ac præsides, constat ex lib. 1. cap. 7. vers. 25. vbi Regis edictum sic habet, *Tu autem Esdra secundum sapientiam Dei tui quæ est in manu tua constitue iudices & præsides vt iudicent omni populo, &c.* de illis sermonem hic instituit Nehemias, qui cum inclementes & auari supra modum existerent, pecuniæ vndecumque corradendæ intenti fuerant, & populum immodicis exactionibus oppresserant, vt ex ipsa rei ipsius particularis pensitatione demonstrat, vnde subdit.

Post reditū è captiuitate tempore Esdræ varii e Iudæis varias præfecturas gesserūt ab Esdra ipso constituti.

XIX. *Et acceperunt ab eis in pane & vino & pecunia quotidie siclos quadraginta, &c.* Id est, quinquaginta quatuor Francos cum dimidio, vt ad nostram numerandi rationem summam hanc, subducit Salianus, ad Ann. Mundi 3621 num. 2. quippe, singuli sicli valebant, inquit, 27. solidos, cum dimidio, in Hebræo, paulo aliter legitur, atque in vulgata versione, nempe hoc modo, *Aggrauauerunt populum in pane & vino post argenti siclos quadraginta,* quibus verbis indicari videtur quadraginta hos siclos, solitos esse dependi, præter panem & vinum: quidquid sit vel si tantum quadraginta siclos quotidie à singulis de populo accipere solerent, onus profecto graue, atque ingens admodum, hominibus longa peregrinatione & captiuitate exhaustis, fuisse oportuit.

Siclus ex Saliano valebat 27 solidos nostrates.

XX. *Sed & ministri eorum depresserunt populum, &c.* A Ducibus ipsis, ac primariis Dominis, ad seruos, seu ad inferiores ministros, transibat etiam inhumanitatis culpa: *Depresserunt*, inquit, *ministri eorum populum*, sed quomodo tandem? vel exigendo seuerius, vel tractando inhumanius? nimirum, contingit sæpe, quod vtinam apud nos, & hoc sæculo nunquam essemus experti, vt Duces quidem ipsi ac Prouinciarum, aut Regii cuiusuis muneris præfecti, à rapinis publicis & populi divexationibus contineant se se, atque eiusmodi sint, vt in illis nihil subditi, aut auaritiæ, aut immodicæ cupiditatis insimulare possint, sed illorum ministri, & officiales vt vocant, quibus vices suas committunt, non eo semper ingenio sunt, nec eadem morum integritate, sed tanquam hirudines, tenuiorum exigunt sanguinem, ac sicut spongiæ, illorum reculas ebibunt, sint hi, auaros etiam esse nouerint Dominos suos, & lucris inhiare illegitimis, aliorumque facultates ambire, per fas & nefas; tum verò nihil non audent præfractè atque impudenter, spe veniæ, aut impunitatis illecti, nempe qui certo sciant, rapinas suas, à raptoribus minime puniendas: Ergo lugendi illi sane, ac miserabiles sortis infimæ Iudæi, præter illa quæ Ducibus suis præfectisque pendebant, alia etiam fortasse longe plurima, illorum ministris dare cogebantur, de quorum iniusta exactione nequidem conqueri, vt fere fieri solet, impune sinerentur, hinc, pro eo quod vulgata translatione legimus, *Ministri depresserunt populum*, Tygurina habet, *Tyrannidem exercuerunt in populum*, septuaginta Sixti, ἐξουσιάζοντες, Regia, κατεξουσίασαν, id est *dominati sunt, impensè egerunt.*

Quæ inter Præfectorum Regiorum ministri inhumanos se erga populum exhibere soleāt.

XXI. *Ego autem non feci ita propter timorem Dei, &c.* Laudat hîc quidem seipsum Nehemias, cum se à prædecessorum suorum duriori quam diù multumque inierant regendi populi ratione, desciuisse ait, & id quidem non ex humano metu, aut ex alia quauis minus honesta & laudabili ratione, sed tantum, vt ipse addit, *Propter timorem Dei*, magna sane laus quę tamen vt dixi cum seipsum laudantis sit, & in ore proprio sordescat, quod vulgo aiunt, intelligēda ab eo non fuerat ratione profecta. *Ego autem non feci ita*, inquit, non arroganter, & superbè, sed prudenter, & sanctè, id suggerit, partim ad excitandam in Deum fiduciam, ex conscientia boni operis, partim ad declarandum, quod sit officium boni principis; forte etiam propter quosdam æmulos & calumniatores, sic Paulus, & Iob seipsos laudarunt, sic Dauid sæpius, vt Psalm. 118. *Feci iudicium & iustitiam & sexcentis aliis locis*, Ezechias 4. Reg. cap. 2 vers. 3 *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod*

Quibus rationibus impulsus seipsum laudet Nehemias.

Sancti viri aliquando seipsos laudarunt.

placitum est coram te fecerim.

XXII. Vers. 16. *Quin potius in opere muri ædificaui, & agrum non emi, & omnes pueri mei congregati ad opus erant, &c.* Existimari potest satis probabiliter ex hoc textu Nehemiam multis in locis seu in diuersis murorum spatiis interfuisse ædificantibus, comitemque illis se adiunxisse potius, quam Ducem, tam ipsum per se, quam per seruos suos, quos ait omnes congregatos fuisse ad opus, aliis tamen honorem ædificationis liberaliter concessisse, quod iam supra indicasse memini, capite tertio, cum rationem attuli cur Nehemias, ibi inter ædificantes non numeretur,
B eodem etiam pertinet quod addit, neque se, neque domesticos, aut famulos suos, agrum vllum à pauperibus acquisiuisse oppigneratum scilicet quando soluendo non essent. cum nihilominus magnas expensas facere cogerentur: igitur, *in opere muri ædificaui,* inquit, *& agrum non emi,* quasi dicat non multa pecuniæ copia mihi erat, aut non mea commoda captaui, nec quæ mihi per Regem concessa est Ducis authoritas, me vnquam ab aliorum in me conditionis hominum operibus, sudore, ac laboribus liberauit: nam, & ipse *in opere muri ædificaui,* etiam propria manu, ait Lyranus, li-
C cet Ducis officio fungerer, vt per hoc populus ad operandum, exemplo meo studiosius incitaretur; & hæc est forma boni pastoris, vt det aliis exemplum boni operis, vt addit idem author, quamquam, vt ingenue dicam, quod sentio, neque sic hunc locum interpretari omnino necesse est, vt Nehemias censendus sit in opere muri ædificasse, vt propria manu fuerit operatus, sed id modo satis est, vt de expensis, quas in opus fecit intelligas, quod alias innui, cum præsertim in hoc textu, illud vnum maxime studeat, vt omnem auaritiæ suspicionem amoliatur.

In opere muri propria manu ædificasse Nehemia anthor est Lyranus.

[illegible] ... ligatur de expẽsis, quas fecit Nehemias in opus.

XXIII. Vers 17. *Iudæi quoque, & Magistratus, & centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos de gentibus, quæ in circuitu nostro sunt, in mensa mea erant, &c.* Aliquos de Iudæis intellige, quibus dabantur expensæ à populo, ratione communis status, vel officii, & similiter Gentiles qui constituti erant ad custodiam Prouinciæ. quibus quoque populus in commune de expensis prouidere debebat, & quorum numerus pertingebat ad centum quinquaginta
A viros, hi quotidie in mensa Ducis sedebant, ne populus iis sustentandis plus nimio grauaretur, tantum igitur absuit vt rem suam auxerit Nehemias, vel agelli tantum vnius accessione, vt aiebat antea, vt contra, dum publica curat at tuetur suas ipse facultates quotidianis exhauserit impendiis, nimirum ad sumptus ædificationi destinatos de quibus supra, accedebant & alii, nam cum vndecumque varii subinde Magistratus, Præsides, ac Iudices aduenirent, quos iuxta Regis Edictum, de quo superius, Esdras suæ genti præfecerat, præter alios non paucos, ex Iudæo, & Gentili sanguine, qui illos
B comitarentur, omnes illius mensæ accumbebant, quo onere ciuitatem releuabat, quæ publico sumptu hospitium præbere eiusmodi hominibus, ac mensam instruere debuisset; sic longe vt vides abfuit Nehemias ab aliorum, qui ipsum præcesserant ducum, ac præfectorum, viuendi instituto, quippe qui sua potius in publicam vtilitatem expenderit, quam ab aliis quidquam exegerit, & si forte non indebitum.

Magni Nehemiæ sumptus ad mensam hospitibus instruẽdam.

Vers. 18. *Parabatur autem per dies singulos, bos vnus, arietes sex electi, exceptis volatilibus, &c.* Facile intelligi XXIV.
C potest, splendidum illud conuiuium, quod enarrat, non ipsi Nehemiæ tantum, sed centum illis quoque quinquaginta viris, aliisque de comitatu suo non paucis parari solitum. Obseruandum illud modo est, tantas tamque exquisitas expensas, cùm ad apparatum mensæ quotidianæ instruendum, tùm ad populo gratificandum fieri solitas, non priuatas modo Ducis vnius facultates, sed Regis pœne opes exhaurire potuisse; huc accedit Iosephus, cùm ait, Nehemiam fuisse in populares suos beneficentissimum, sed inquies, vnde Nehemiæ pecuniæ ad tantos sumptus? videntur sane illi ex
D ærario Regis, procurante Regina Esther, & Mardochæo attributæ.

Nehemiæ pecuniæ attributæ ex ærario Regio procurãte Regina Esther & Mardochæo.

Et inter dies decem vina diuersa & alia multa tribuebam, &c. Inter sumptus domesticos, id est inter familiares. ac communes domus suæ expensas instruendæ mensæ quotidianæ necessarias, addit Nehemias, se tribuisse, & expendisse, *inter dies decem*, id est, decimo quoque die, *vina diuersa*, id est, vt interpretantur aliqui, tantum vini, in domo eius expensum fuisse, vt decem diebus, dolia multa eua-

Varia explicatio vinorum diuersorũ quæ inter dies decẽ in mensa Nehemiæ expendebantur.

cuarentur; & alia confestim sumi oporteret, nisi mauis vina diuersa, ad varietatem vini multiplicis, & diuersi, id est, varii generis, significandam referri: sunt qui decimum quemq; diem, in textu notatum, maxime omnium genialem fuisse, atque hilarem, atque adeo illo die, diuersa vinorum genera, conuiuis ipsis porrigi solita non male suspicantur: Alii vero existimant porrecta forte decem vinorum genera, diebus decem singulis, singula, ita vt exactis decem diebus, decem illa vini genera essent exhausta, & postea iterum, atque iterum singulis diebus, idem vinum propinandum, eademque series, eodem ordine recurreret. De his omnibus quodcumque demum fuerit, cum in bonum publicum, & ad populum inopia laborantem subleuandum factum fuerit, summam indicat Ducis humanitatem & beneficentiam, vt mirũ non sit, si postquam subiecit. *Insuper & annonas Ducatus mei non quaesiui, valde enim attenuatus erat populus*: tandem extremo versu, oratione ad Deum conuersa, sic concludit.

XXV. Vers. 19. *Memento mei Deus meus in bonum secundum omnia, quae feci populo huic, &c.* Quibus verbis vt & alias cap. 13. semel atque iterum, immo & tertio capite, vers. 14. 22. 31. merita sua, atque ardentem in populum charitatem proponens, optat se aequis oculis videri, atque audiri à Deo, & diuinam ipsius excitari memoriam in bonum, id est vt benefaciat, & illam tam excellentem, in populum beneficentiam, sua benignitate compenset, neque vero credendum est exigua bona, aut sperasse, aut expectasse, ab omnium bonorum largitore Deo, qui tam esset de omnibus bene meritus. Caeterum, ex hoc loco, aliisque similibus non obscure colligitur, hanc precandi rationem Hebraeis vsitatam fuisse, vt cum aliquid egissent religiosum, ac pium, illud orando proponerent Deo, quo nimirum memor rei illius praeclare gestae, postulata facilius concederet, & si quid forte furoris, aut iracundiae, in illorum capita concepisset, amice deponeret, sic Dauid Psalm. 131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*, & multis aliis locis, sic Ezechias apud Isaiam cap. 38 vers. 3. vt iam supra alia occasione retulimus: *Obsecro Domine, memento quaeso quomodo ambulauerim coram te in corde perfecto, & quod bonum est, in oculis tuis fecerim.* *Familiare Hebraeis, vt cum aliquid egerant religiosum, ac pium illud Deo proponant in orationibus suis.*

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quinti.

Allegoria in versum 1. 7. 8. 10. 12. 13. 14. Capitis quinti.

1. BREVEM hic continuam Ecclesia... REVEM hic versuum aliquot capitis quinti, & continẽtem illam quidem, nec alteram ab altera seiunctam, vt fieri aliàs à nobis interdum solet, Allegoriam texo, quae moralibus postea dissertationibus viam praestruat non incommode: quod ad primum attinet, vbi sic habetur: *& factus est clamor populi, & vxorum eius magnus aduersus fratres suos Iudaeos, &c.* Allegorice, ait Glossa Lyrani, clamor iste, figura fuit illius murmuris in Primitiua Ecclesia, de quo dicitur Actorum sexto. *In diebus illis crescente numero discipulorum, factum est murmur Graecorum aduersus Hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum, &c.* Sed sicut per Nehemiam, qui consolator interpretatur, clamor populi fuit pacificatus, vt in textu consequenter dicitur, sic per Spiritum sanctum, qui est verus consolator, murmur credentium in Ecclesia Primitiua, fuit compressum &c. quod autem ait Nehemias, versu primò, & octauo, *& increpaui Optimates, & Magistratus, & dixi eis: nos, vt scitis, redemimus fratres nostros, &c.* Sic Beda ad *Clamor Iudaeorum hoc loco aduersus fratres suos typus murmuris Graecorum aduersus Hebraeos in exordio nascentis Ecclesiae, Actor. 6.*

da ad moralem, & mysticum sensum transfert, his verbis, tanquam Dux optimus militiæ cœlestis, & sapiens architectus ciuitatis Dei, quod Optimates facere voluit, & Magistratus populi, id se prius fecisse declarauit Nehemias, eleemosynam scilicet pauperibus erogare, nihilque ab eis quærere, nisi custodiam legis, & ædificationem ciuitatis: placet autem mirum in modum quod ibidem statim addit idem author, nempe in huius textus lectione, aut etiam expositione, non oportere nos curiosius Allegoriam quærere, sed literæ textum diligenter operando seruare, vt scilicet exceptis quotidianis eleemosynarum fructibus vbi generalis fames ingruerit, quæ possumus egentibus præbeamus, & quæ à subditis quasi iure solebamus tributa exigere, ea dimittamus vt dimittat nobis pater debita nostra, & certe D. Ambrosius vt etiam refertur in Glossa expendens illud Nehemiæ, vers. 10. *Et ego & fratres mei & pueri mei commodauimus plurimis pecuniam, non repetamus in commune istud, æs alienum concedamus quod debetur nobis, &c.* & illud populi, vers. 12. *Dixerunt reddemus & ab eis nihil quæremus, &c. Boni*, inquit, *Patres qui statuerunt pignora debitorum esse reddenda, boni etiam fœneratores qui responderunt, quod & pignora redderent, & pecuniam non requirerent quam dedissent, &c.* Qui secus faciat in eum maledicta populi congeruntur Deusque iracundè detonat, hinc solemnis illa adiuratio Nehemiæ, versu decimo tertio, *Et insuper excussi sinum meum, & dixi*

Ex more institutoq; boni Ducis quod optimates & magistratus facere optat Nehemias id se prius fecisse ostēdit.

Tempore famis tributa relaxanda.

11.

A *sic excutiat Deus omnem virum qui non compleuerit verbum istud de domo sua & de laboribus suis*, vbi terribilis sanè, ac formidanda sententiæ clausula, apponitur, quicumque enim pauperibus misericordiam non impendit, vel ab eis qui non habent quod reddant, per violentiam exigit, de domo sua excutitur, id est, expellitur de cœtu Ecclesiæ, vero charitatis spiritu animatæ, in qua putabat se perpetuo permansurum, & de laboribus suis deiicitur, fructu nimirum, ac mercede bonorum operum priuatus, in quibus se laudabiliter desudasse arbitrabatur, labores enim sine pietate suscepti, fructuosi apud Deum, aut cuiusquam meriti esse non possunt: Iam vero quod B proximè subiungit Nehemias, vers. decimo quarto, *Per annos duodecim, Ego & fratres mei annonas quæ Ducibus debebantur non comedimus* teste Beda; hoc ipsum exponit Apostolus, 1. Corinthior. nono, dicens; *Statuit Dominus eos qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere: Ego autem nullo horum vsus sum.* Itaque duodecim annis Nehemias cum fratribus suis, ita in Ducatu viuebant, vt annonas quæ Ducibus debebantur, non comederent, insinuans Euangelicum opus esse, in regimine plebis, opus ac ministerium Rectoris notabiliter vt loquitur, hoc est excellenter circa Ecclesiam exercere, & à subditis commodum terrenum non quærere, quod fusius postea in morali tractatione dicendo persequi licebit.

Excuti de laboribus suis est priuari operum suorū fructu quod accidit ijs qui ea sine pietate suscipiunt.

Excellens Euangelij opus populum regere ac iuuare nec ab eo terrenum commodū quærere.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quinti.

Morale in illud verſ. 5. *Duces autem primi qui fuerunt ante me grauauerunt populum, & acceperunt ab eis, in pane, & vino, & pecunia, quotidie ſiclos quadraginta, ſed & miniſtri eorum depreſſerunt populum, ego autem non feci ita propter timorem Dei; &c.*

Boni Ducis eſſe, ac Regij adminiſtri ſua tantum commoda non ſpectare, in adminiſtratione publica, populum non grauare immodicis exactionibus, nec per ſe, nec per ſuos, ſed quantum in ipſo eſt, & per facultates licet, omni ope ſubleuare.

III.

VGENDVM profecto miſerandumque ſpectaculũ, progreſſu temporis, exhibuerunt, in republica Iudæorum, qui primi, poſt ſolutam captiuitatem, ab Eſdra, conſtituti ſunt, Rege Perſarum, annuente, approbanteque, populi Duces, ac Principes, nam cum illi, natura, atque ingenio, eſſent inclementes, & auari ſupra modum, ſic populum, onerauerunt, & quotidianis exactionibus vexauerunt vt tandem, ad extremam inopiam, egeſtatemque, redactus ſit, nimirum, vti narrat, hoc loco, Nehemias ipſe, accipiebant, à populo quotidie, *quadraginta ſiclos*, quod onus, præſertim, in exiguo Iudæorum numero, eoque egente ac vehementer exhauſto, durum prorſus atque ad ferendum difficile videbatur, quin ſi ad Hebræam lectionem attendis, grauius quiddam indicari videas, ſic enim habetur, *Aggrauauerunt populum in pane, & vino, poſt argenti ſiclos quadraginta*, ex quo licet, intelligi, præter panem, & vinum, hos quadraginta ſiclos ſolitos eſſe dependi, accedebat, vt in variis quoque Regnis, ac Prouinciis, non raro contingit, quod

Primi Duces ab Eſdra conſtituti poſt ſolutam captiuitatem auari ſupra modũ & inclemẽtes erga populum.

A Ducum illorum Miniſtri, eodem cum ipſis eſſent ingenio, &, vel aperta prædatione, vel artificio inſidioſo, omnia corraderent, & ſic tanquam hirudines, tenuiorum exugerent ſanguinem, aut ſicut ſpongiæ, illorum combiberent facultates, ſic enim fieri aſſolet, vt cum Miniſtri, auaros eſſe nouerint Dominos ſuos, & ad alienas aſpirare pecunias, ſpe impunitatis, ſecurius ipſi, atque impudentius quiduis audeant, quippe qui certo ſciant, prædationes ſuas, ac rapinas ab auaris Dominis, iiſdemque prædatoribus, nec punitum, nec compreſſum iri, atque id cauſæ fuit cur præter illa quæ
B Ducibus, præfectiſque pendebant, miſeri Iudæi, alia quoque plurima, illorum miniſtris, ſubminiſtrare paſſim cogerentur; neque de eorum iniqua exactione queti vnquam impune ſinerentur, vt vere ac iure, de eo conqueſtus ſit Nehemias his verbis, *Sed & miniſtri eorum depreſſerunt populum*, hinc clamores illi inconditi, hinc populi vociferationes, hinc egentium complorationes, quæ initio huius capitis recenſentur, cum ſic genus illud hominum miſerabile afficeretur, premereturque, rerum omniũ inopia, vt viri palam, & vxores, clamarent contra fratres ſuos Iudæos, dicerent.

Miniſtri Ducum ac Principũ ſecurius, ac impudentius in aliena inuolãt cum Dominos ſuos auaros eſſe norũt.

Populi cõplorationes recenſitæ à Nehemia ob Regiorũ adminiſtrorum inclementiam.

que, secum agi inclementer, & durè, & rem omnino tolerabilem non videri, vt sic ab illis premerentur, cuius idem esset genus & eadem cognatio, rem minime ferendam esse, fratrum suorum, in suum genus, & in sua prope viscera, crudelitatem, ea sibi imposita esse, à Regio fisco vectigalia, vt ad ea exactori pendenda, necesse esset, agros suos, & vineas, & domos

IV.

distrahi, *Mutuo sumamus pecuniam, in tributa Regis, demusque agros nostros, & vineas*, aiebant illi, quid ea conditione miserabilius? Iam ex historico sensu, ad mysticum, & moralem assurgo, aioque, boni Ducis, ac Regii administri perfectam ideam absolutumque exemplar, præ se tulisse Nehemiam, cum antecessorum suorum vestigiis insistere noluit; & Ducis exactionibus, vt ante fecerant grauare populum, iam longa captiuitate extenuatum, religioni duxit, *Ego*, inquit, *non feci ita propter timorem Dei*, is igitur in præfectura atque administratione populi sua tantum, non spectauit, quod boni Ducis est ac Regii administri, suis ipse priuatis commodis, non studuit, sed publicis, subditos vectigalibus ac tributis non vexauit, neque id modo, sed etiam egentiores quosque de populo, & suo ære ac mensa subleuauit, quid ad commendationem tanti numeris, ac Magistratus illustrius? vetus illud verbum est Senecæ, Epist. 9. *Qui respectat, & propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat*, quod in rem nostram sic commodè transferri potest (vt dicatur) non rectam, non firmam, non constantem, & qualem in Duce, ac Magistratu decet, illi mentem esse, qui priuatam tantum in gerendis, tractandisque negotiis, non publicam vtilitatem spectat, nimirum, dum se ipse cogitat, dum se vnum intuetur, suisque tantum commodis intentus est, sæpius, cum in rempublicam, præuaricari necesse est, *Vnum debet esse omnibus propositum, vt eadem sit vtilitas vniuscuiusque, & vniuersorum, quam si ad se quisque rapiat, dissoluatur omnis humana consociatio*, aiebat Tullius, lib. 3. Officiorum, & Ambrosius lib. item Officiorum 3 cap. 11. *Qui perfecte sapit, nescit sua spectare commoda, sed ad illud quod æternum est, quod decorum, atque honestum, toto corde intendit quærens non quod sibi vtile est, sed quod omnibus* præcipiebat, id olim omnibus ac singulis vniuersim, D. Paulus, *Nemo quod suum est quærat*, 1. Corinth. cap. 10. vers. 24. *Charitas non quærit quæ sua sunt*, 1. Corinth. cap. 13. vers. 5. *non quæ sua sunt singuli, considerantes, sed quæ aliorum, &c.* Philipp. cap. 2. vers. 4. quorum verborum is sensus est, vt nemo quæ sua sunt tam sollicitè inquirat & inuestiget, vt propria commoditate omnia metiatur, cum autem ait, vers. 22. *Omnes quæ sua sunt quærunt* eos potissimum carpere videtur Apostolus, qui aliorum emolumentis omnino despectis, siue odio habitis, in suis rebus, & commoditatibus, omnes cogitationes, deliberationes, ac studia figunt,

V.

quod si, spectat illud, omnes, ac singulos, quanto magis Principes, ac Magistratus & quoniam id Magistratus potissimum spectat, eosque demum omnes, qui pro communi reipublicæ bono ac salute, cùm ciuili tùm Ecclesiastico munere defunguntur, quid tam contra naturam, inquiebat ille, quam violare alterum, sui commodi causa, cum pro omnibus excubandum, subeundas molestias, suscipiendum laborem, naturalis affectus persuadeat, & gloriosum vnicuique ducatur, si periculis propriis quærat vniuersorum tranquillitatem, multoque sibi vnusquisque arbitretur gratius, excidia patriæ repulisse, quam propria pericula, præstantiusque esse existimet, quod operam suæ patriæ impenderit, quam si in otio positus tranquillam vitam voluptatum copiis functus egisset, & vero non aliam mentem fuisse priscis illis Romanæ Reipublicæ Ducibus, virisque primariis insitam quam vt omni priuata vtilitate posthabita in publicam vtilitatem studia, consiliaque sua impenderent, egregiè obseruat Saluianus, lib. 1. de Prouidentia, his verbis, *Sicut*, inquit, *nihil est tam leue quod ei graue non sit qui inuitus facit, sic nihil est tam graue quod non ei qui id libenter exequitur leue esse videatur, nisi forte antiquis illis priscæ virtutis viris, Fabiis, Fabriciis, Cincinnatis, graue fuisse existimamus, quod pauperes erant qui diuites esse nolebant, cum omnia scilicet studia sua, omnes conatus suos, ad communia emolumenta conferrent, & crescentes republicæ vires, priuata paupertate ditarent*, ita Saluianus, &c. qui & addit ibidem, *tunc illi pauperes Magistratus opulentam rempublicam habe-*

Sensus verborũ Apostoli de suis non quærendis nec considerandis.

Nehemias humanius agens cum populo quã antecessores sui fuit perfecta idea absolutumque exemplar boni Ducis ac Regii administri

Vt eadem sit vtilitas vniuscuiusque & vniuersorum, omnibus debet esse propositũ.

Qui perfecte sapit sua commoda spectare nescit

Prisci Romanæ Reipublicæ Duces post habita priuata vtilitate omnia sua studia in publicã vtilitatẽ & cõmunia emolumẽta conferebãt

bant, nunc autem diues potestas, pauperem facit esse rempublicam quam genere. placet admodum illa vox Theodorici Regis, apud Cassiodorum, lib. 1. variarum, epistola 16. *Illud*, inquit, *amplius nostris vtilitatibus applicatur quod misericordi humanitate concedimus, regnantis enim facultas, tunc fit ditior, cum remittit, & acquirit nobiles thesauros famæ, neglecta vtilitate pecuniæ*, & *epistola* 38. *opes nostras cupimus sine auro pietatis augeri, execrantes commoda quæ nobis fuerint vexatorum calamitatibus acquisita molesta est illatio nostræ clementiæ quæ defletur quia quicquid sub lætitia panditur accipiendis laudibus applicatur*, ex quo intelligas, nullum ferè principem aut ditiorem factum, à nimia tributorum impositione, aut fisci sui auctione contentum, adeo pessum eunt omnia, cum pessundatur humanitas, & publica omnium vtilitas; contra, qui in exigendo moderatiores exhibent se se, plus cæteris interdum videas abundare atque iis quæ necessaria sunt bonis omnibus circumfluere, hinc ad Traianum, bonum vtique principem, qui populum immodicis vectigalibus grauari non sinebat, sic Plinius in Panegyrico, *Mihi cogitanti eundem te collationes remisisse, donaria reddidisse, congiarium obtulisse, vectigalia temperasse, interrogandus videris, satisne computaueris imperij reditus, an tantas vires habeat frugalitas Principis, vt tot impendiis, tot erogationibus, sola sufficiat*, nempe Principis gloria, tributum laudis ambit, non pecuniæ, fert lubenti animo, decrescere paulum, & euacuari fiscum, vt crescat vberius magnum honoris & gloriæ argumentum, vnde Regium illud, Theodorici de quo iam proxime apud Cassiodorum, libro 1. D epist. 22. ac verè pium manauit edictum, *Sit interdum causa mala fisci, vt bonus Princeps esse videatur, maiori quippe compendio perdimus, quam si nobis indebita victoria suffragetur*, idem quoque qui antea Plinius, ad suum Traianum, *Quæ præcipua tua gloria est, sæpius vincitur fiscus*, cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono Principe sic omnium studia, voluntatesque in se se conuertunt, sic deliciæ generis humani censentur, qui dum aliis præsunt, eis prosunt, & publicam in administranda republica communemque omnium vtilitatem & spectant & procurant, id de se ipso testantem au-

Regnantis facultas tunc ditior cum remittit aliquid subditis.

VI.

Principis gloria tributum laudis ambit non gloria.

Fisci nunquam mala causa nisi sub bono Principe.

A di si lubet Apostolum, *Ego per omnia omnibus placeo non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis* 1. Corinthior. 10. vers. 33. cuius loci illustrandi causa D. Hilarius in illud Psalm. 54. *Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent*; *Scite*, inquit, *non est maius vinculum hominibus placendi, quam vt nemo sui causa velit aliquid, quia quod in profectum propriæ vtilitatis efficitur, non potest non aliquam offensionem ex causis accidentibus excitare, cum quod, alij vtile est, alteri sæpe fiat incommodum, at vero, qui nihil sui causa velit, & omnia in profectum alienæ voluntatis exerceat, necesse est, vt causam placabilitatis acquirat, quia & ex alienis vtilitatibus placet, nec offendat ex propriis, & hanc esse causam probabilem, placendi cunctis Apostolus docuit, quia vtilitatis suæ negligens, vtilitati se dedidisset alienæ*, Dauid ipse Psalm. 77. versu 75. de se ipso populum gubernante, ait, *& pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos*, &c. In quem locum Agellius, cum præmisisset, commemorat qua ratione Dauid oues, C populumque Dei pauerit, ac rexerit, in quo leges pascendi simul proponit, subiicit, *atque in innocentia cordis pascit*, qui non alio refert pastionem pecoris, quam ad ouium ipsarum vtilitatem, non sui magis quam gregis commoda quærit, non se magis quam gregem pascit; subiecti quidem populi iure omni vectigales sunt, tributa debent, subditi quique ad impensas Regis, ac Principis, *reddite omnibus debita*, inquit Apostolus Rom. 3. versu septimo: *cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, ait Christus ipse in Euangelio, Lucæ vigesimo, versu vigesimo quinto: *reddite*, inquit, non *date*, quod notat ex Chrysostomo Theophylactus, vt non donum, sed debitum esse intelligas, at certe molestiis exactorum, auarisque vexationibus opprimi non debent, quam in rem: eximium est illud, è iure ciuili desumptum, lib. 12. partit. 2. titul. 5. d. 14. *Etsi Rex popularium suorum Dominus est, vt illos in iustitia contineat, & illorum opibus, & diuitiis vtatur ita tamen illos conseruare debet, vt eum non deserant, cum illis indigebit, nam & Alexandro dixit Aristoteles: optimus Regis thesaurus, & qui tardissime perditur, est po-*

VII.

Commoda ratio per omnia omnibus placendi cum Apostolo non quærere quod sibi vtile est, sed quod aliis.

Quid sit in innocentia cordis pascere, seu regere populum Psal. 77.

Tributum, ac vectigal pendendum Principi, non donum, sed debitum, ex voce Christi: Redde quæ sunt Cæsaris Cæsari, Luc. 20.

Optimus Regis thesaurus, & qui tardissime perditur, populus est, cum diligenter custoditur.

pulus ; cum diligenter cuſtoditur , quo etiam ſpectat illud Iuſtiniani Imperatoris : *tunc Regnum , & Imperatoris , aut Regis fiſcum , & ærarium opibus affluere , cum populus ei commiſſus diuitiis abundat , tellusque fœcunda eſt , ac ferax* : propudioſum eſt Principi , cum illius *dignitas* , & *Maieſtas quæſtuaria* efficitur , vt Tertuliani verbis vtar , Apologet. cap. 13. Probroſum eius nomini , cum populi degrauati ſuſpirant ſub ſarcina tributorum, quæ ſæpe ad cupiditatem potius, ambitionemque illius fouendam , quam ad neceſſitatem ſubleuandam , penſitare coguntur , eo nomine infames fuere , apud Herodianum , Xiphilinum , & Spartianum ; Peſcennius Niger , apud Cedranum Michael, apud Dionem initio imperii , Octauius , apud Xiphilinum , & Dionem Nicæum Caracalla Imperatores; enim vero nullo repugnante fœtidum illud verbum eſt , vt ſic loquar , quod circumfertur ex Principis ore prolatum, ac minus Imperatore dignum . cuius fama bene oleat , *lucri bonus eſt odor ex re qualibet* , ex lotio , quod factum eſt à non nemine , cenſum, ac vectigal colligere , & ſi minus durum foret , atque immite , tamen illiberale eſſet , & indecorum ; exigere quidquam , non tantum pro ſolo, ſed & pro cœlo , decimam partem ex diurnis artificum , & operariorum quæſtibus , atque adeo laborantis operæ ſudorem vectigalem , ac tributarium efficere , ſex aſſes Senatori capitatim indicere , pro quaque tegula domus ſuæ , quod à ſupra nominatis inſtitutum accepimus : certe , vt à duriore verbo me contineam , auſterum eſt , & inſuaue , ruituram olim Hieruſalem , longe ante proſpiciens Iſayas cap. 3. verſ. 12. in hæc verba prorupit , *populum meum exactores ſui ſpoliauerunt* , vbi , poſtquam peccata populi , internam veluti ruinæ illius, cauſam fuiſſe demonſtrauit , verſ. 8. *Hieruſalem , & Iudas concidit , quia lingua eorum , & adinuentiones eorum contra Dominum , tum externam , quam eadem populi peccata commeruerant, Principes , & Prælatos ingenio auaros, & rapaces fuiſſe ſignificat.* Igitur eo loco , per exactores , qui Hieruſalem ſpoliarunt Principes , & Magiſtratus intelligit . qui non tam Prætores erant , quam prædatores populi, item Prælatos , & Doctores , puta

Tunc Regius fiſcus diuitiis abundat , cũ populus diues eſt , & tellus fœcunda , ac ferax.

X.

Qui Principes apud poſteros infames fuere , quod ſubditos ſuos nimiis tributis , ac vectigalibus grauauerint.

Cauſa ruinæ Hieruſalem Hieremiæ 3. auaritia , & rapacitas Magiſtratuum.

A Scribas , & Phariſæos , hi quippe , vt ex Euangelio conſtat , Marci ſeptimo, verſ. 11. auaritia , & cupiditate flagrantes , multa à populo contra legem exigebant , adeo vt iuberent filiis , negare alimoniam parentibus , & dicere, *Corban* , id eſt , munus hoc dedicatum eſt Deo , dandum eſt Scribis & Sacerdotibus, ſic queretabatur olim Saluianus, in Præfectos , ac Duces , qui populum vexabant lib. 4. de Gubernatione Dei. *Quid aliud* , inquit , *dignitas ſublimium , quam proſcriptio ciuitatum, aut quid aliud quorumdam , quos taceo præfectura quam præda ? nulla ſiquidem* B *maior pauperculorum eſt depopulatio , quam poteſtas , ad hoc enim honor à paucis emitur , vt cunctorum vaſtatione ſoluatur , reddunt miſeri dignitatum pretia , quas non emunt , commercium neſciunt , & ſolutionem ſciunt , vt pauci illuſtrentur , mundus euertitur , vnius honor orbis excidium eſt* , pergit idem ipſe ætatis ſuæ mores perſtringere , atque vt calamitoſæ illius tempeſtatis fatalem conditionem , & ineluctabilem miſeriam graphice depingat , & ſub ipſos pene oculos ponat , eodem libro quarto de Prouidentia hæc ait : *illud indignius , & pœnalius , quod omnia non omnes ſu-* C *ſtineat , immo , quod pauperculos homines tributa diuitum premant , & infirmiores , ferunt ſarcinas fortium , nec alia cauſa eſt , quod ſuſtinere non poſſunt , niſi quia maior eſt miſerorum ſarcina quam facultas , res diuerſiſſimas, diſſimillimaſque patiuntur , inuidiam, & egeſtatem ; inuidia eſt enim in ſolutione , egeſtas in facultate , ſi reſpicias quod dependunt , abundare arbitreris, ſi reſpicias quod habent , egere reperias, ſolutionem ſuſtinent diuitum , & indigentiam mendicorum.* Huc vſque Saluianus. Ergo qui bonus Princeps, regniſque adminiſter , Deo , hominibuſque gratus , acceptuſque audire D velit , cohibeat tributorum abſque iuſta cauſa imponendorum libidinem, auaram exactorum rapacitatem retundat , non ſinat moleſto ex ſe tributo nimis degrauari tributarios populos , tributis exigendis , colligendiſque ſicubi opus eſt , ii præficiantur , quibus illud dici queat , quod apud Caſſiodorum Caſſiodoro ipſi, Theodoricus Rex , libro primo , epiſtola tertia. *Cuncta prouida gubernatione diſponens , oſtendiſti quam leue ſit ſtipendia ſub iudicis integritate depen-*

XI.

Grauis , & elegãs querela Saluiani aduerſus Præfectos , & Magiſtratus ſui temporis Populum immodicis exactionibus vexantes.

XII.

dere, nullus enim grauiter obtulit quod sub æquitate persoluit: quicquid enim ex ordine tribuitur, dispendium non patitur. Ac licet de peccatis Principum, in tributorum impositione, disputare hic fusius nolim, nec mei instituti esse ducam, tum quia nulla forte, aut rara sunt, & leuia, quæ à plebe grauia nonnunquam existimantur, tum quia facilis in errorem lapsus est, si rem iudicatam, aut statutam in genere, atque vniuersim, ad singulare aliquod Principis factum voles deducere; dicam tamen fidenter, & sine cuiusquam offensione, si quid peccatur à Principibus in tributis exigendis, imponendisue duplici potissimum nomine ab iis peccari. Primo si eiusmodi ingenio sint, vt publicam in imponendo onere vtilitatem minus curent, sed suam tantum peculiarem spectent, de quibus sub Pastorum nomine dicitur Ezechiel. cap. 34. vers. 3. *Lac comedebatis, & lana operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis*: cum tamen tributa ea ratione pendantur à subditis, vt à Principe pascantur: vnde necesse est, vt sciat, intelligatque populus Regem, aut Principem veluti custodem esse, & dispensatorem bonorum illorum, vt communium, non vt suorum, sicut dixit Aristot. 5 Politic. cap. 11. quod cum probe nosset Alex. ille Romanus, raro cuiquam argentum, & aurum diuisit, nisi militi, nefas esse dicens, dispensatorem publicum in delectationes suas, suorumue id conuertere, quod Prouinciales dedissent, cum sint alii, qui diuitiarum, & pecuniæ fructum nullum alium existiment esse, quam profusam, minusque prudentem largitionem, quos Crates Philosophus recte olim assimilabat ficubus, quæ in altis, & præruptis locis nascuntur, è quibus homo fructum non accipit, corui tamen, & milui, id est, scorta, & adulatores, quemadmodum interpretatur Stobæus serm. 15. hæc depascuntur: deinde, etsi illud quando, & à quibus fiat, difficile est statuere, certum nihilominus peccare Principes, si tributa imponunt supra vires populi iuxta illud Michææ, cap. 3. vers. 1. & sequent. *Audite Principes Iacob, & Duces domus Israel nunquid vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis & carnem eorum desuper ossibus eorum, qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, &c.* In quibus Prophetæ verbis obseruare est, pulchram, & elegantem metaphoram desumptam à Pastoribus, qui non contenti lacte, & lana ouium, pelles earum etiam detrahunt, & carnes deuorant, quos Homerus Iliad. 1. δημοβόρος appellat, in quos illud quoque scite dictum est à Tiberio Cæsare, *boni Pastoris est tondere gregem, non deglubere*, sed melius adhuc Alexander quem dixisse refert Plutarchus de eiusmodi Principibus: *Odi Hortulanum, qui ab radice olera exscindit*: quod explicatius habet Cicero, libro quarto Epistol. ad Atticum Epist. 11. cum ait: *Et ego odi Principem, qui pennas ita incidit, vt nequeant renasci*: in eandem sententiam, vt eleganter, sic copiose disserit Philo, in lib. de Magistratu, vbi inter cætera hæc habet: *frugifera terra nimis graui onere ne prematur, nam Domino ex agro, siue Regi ex ciuitate satis est vnum vectigal quotannis exigere, plura autem tributa velle capere est insignis cuiusdam auaritiæ qua leges naturæ penitus prostratæ iacent.* Illud igitur magnopere curandum est, vt aperta sit causa cur noua imponantur tributa, nec vlla melior fingi animo potest quam si necessitas ostendatur. Et quoniam vix vnquam defuturi sunt qui fronte graui & tristi supercilio vtilitatibus fisci contumaciter inseruire videri velint, meminerint Plinij maioris in Panegyric. *Non esse exquirenda varia prædandi vocabula, centesimas, quadragesimas, quinquagesimas, & alia exactionibus illicitis nomina quæ Principes inuenerunt*: illud item Taciti lib. 4. Annal. & lib. 13. voluant animo reuoluantque identidem, *Indignum omnino Principe est ex omni occasione lucrum odorare & super singula populi bona singula imponere tributa.*

Peccant Principes in tributis exigendis, si ea non dispensant in publicã vtilitatẽ.

Peccant item Principes cum dura est, & supra vires populi tributorum exactio.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quinti.

Morale in illud, verſ. 7. *Vſuraſne ſinguli à fratribus veſtris exigitis.*

Vſuram exercere tam odioſum Deo, quam hominibus infeſtum eſſe.

XIII. XACTAS hic, A vt vides, à fratribus Iudæis vſuras Nehemias reprehendit, & iure quidem, cum odioſa diuino numini res, adeo ſit, generique mortalium infeſta, odioſam Deo, ſatis ſuperque monſtrant, ſacræ Scripturæ teſtimonia, prolixæ ſanctorum Patrum orationes, vox ipſa Eccleſiæ, in ſolemnibus publiciſque conuentibus, vt iam olim ratum firmumque ſit, Alexandri 3. oraculum cap. quia in omnibus, cap. ſuper eo de vſura, quo pronunciauit *vſuras, vtriuſque teſtamenti pagina condemnari, non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam*, Deuteronomij cap. 23. verſ. 19. quid hac lege expreſſius? Pſalm. 14. verſ. 5. cœlo dignus edicitur qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, atque adeo eius ingreſſu arcetur qui mutuum dat alteri, cum vſura, ſeu cum ſpe, pactoue fœnoris, in quem locum D. Ambroſius lib. de Tobia, cap. 15. *Dauid benedictum æſtimauit & dignum habitatione cæleſti qui pecuniam non dedit ad vſuram*, ſi ergo qui non dedit benedictus, ſine dubio maledictus, qui ad vſuram dedit, magnum profecto atque inſigne beneficium Dei, eiuſdem Dauidis ore prophetico prædicatur, in antiquos Patres olim collatum, *Quod ex vſuris & iniquitate liberauit eos* Pſalm. 71. verſ. 14. *ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum*, hanc præcipuè iniuſtitiam deplorat in miſera ciuitate idem ipſe Regius Pſaltes, Pſalm. 54. verſ. 12. *Et non defecit de plateis eius vſura & dolus*, & proprie quidem, ait, vt notat D. Ambroſ. *Ex vſuris liberauit eos quia vſura inferunt ſeruitutem*, quaſi diceret, ex ſeruitutis vinculo ereptos, reddidit libertati, in fœneratores quam grauiter & acerbè intonat Amos Propheta, cap. 8. verſ. 4. *Audite qui conteritis pauperem & deficere facitis egenos terræ, dicentes, quando tranſibit menſis, &c.* neque enim vt hæc verba expendens ait D. Gregorius Nyſſenus Patres, tantopere lætantur generatione filiorum, quantum fœneratores fine menſium, iam vero quam infeſta ſit hominibus B vſura, vel ex ipſa notatione nominis intellige, notant aliqui Scripturarum Interpretes, quod ex Hebraicæ Linguæ ſcientiſſimis mutuantur, vſuram ab Hebræis vocari, *Neſech*, id eſt morſum, quaſi caninum, puta, cum vero nemo lubens, cenſeri velit, canis famelicus, qui alios mordendo, ſe ipſum paſcat, ad probri velut effugium, vſuram paſſim ab iiſdem *Tarbit*, id eſt incrementum, appellari, quemadmodum à Latinis honeſto nomine, vſura nuncupatur, ſed probroſum, & propudioſum vtrumque nomen eſt in ſacris literis, ſeu, vt verius dicam, quod C vtroque nomine ſignificatur, peræquè damnat diuina lex, vt iam ante audiuimus Deuteronomii, cap. 23. verſ. 19. Pſalm. 14. verſ. 5. Pſalm. 54. verſ. 12. Ezechiel. cap. decimo octauo, verſ. 8. ſin ex Hebræis ipſum Rabbi Salomonem de vſuræ malignitate diſſerentem petitumque à morſu nomen eius interpretantem audire placet ſic ille, apud Cornelium à Lapide, in locum Deuteronomii, iam citatum, vbi exponit hæc verba, *Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram*, incrementum, inquit,

Capita ex quibus vſuram Deo odioſam eſſe conuincitur.

Damnatur in vtroque teſtamento.

Deuteron. 23.

Pſalm. 14.

Pſalm. 71.

Amos cap. 8.

XIV.

Ex ipſa nominis notatione infeſtam hominibus vſuram eſſe monſtratur.

Hebræis vſura morſus dicitur quæ vox à Rabbi Salomone explicatur.

A

vsuræ vocatur *Nesech*, quia se habet instar morsus serpentis, qui mordet latenter quodammodo, & vulnus paruum efficit in pede alicuius, ita vt non sentiat, mox autem serpit, & diffundit se venenum, donec perueniat ad verticem eius: sic quoque incrementum vsuræ se habet, non enim sentitur, neque cognoscitur, donec ita augeatur, vt totam substantiam alicuius exhauriat: hinc & vsura Chaldæis vocatur, *chabulia*, id est, perditio, quod omnes opes perdat, & deuastet: vnde *nesech* alludit per metathesim ad aliam vocem Hebræam *Nahas*, id est, serpens, quia instar serpentis arrodit, & enecat hominem, Chrysostomus vero in Mathæi caput 5. omnino ad eam vocis interpretationem accommodate, *pecunia*, inquit, *vsurarii similis est morsui aspidis*, si quidem percussus ab aspide, quasi delectatus vadit in somnum, & per suauitatem soporis moritur, quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit, *sic qui pecuniam sub vsura accipit, eo tempore quasi beneficium sentit*, sed vsura, per omnes eius facultates decurrit, & totum conuertit in debitum, id est, hominem deuorat, vt mirari desinam, quod sanctus Ambrosius libro tertio Officiorum vsuram vocat homicidium, sanctus Leo serm. de Ieiunio decimi mensis fœnus pecuniæ, funus animæ, quod licet ad conscientiam, siue animam fœneratoris referri videtur, tamen dici quoque potest fœnus pecuniæ, funus animæ, id est, vitæ illius, qui ad vsuram accipere cogitur, quia scilicet pecunia ipsa, sanguis, ac vita dicitur, vt pote sine qua hæc vita sustentari, non queat. *Nihil interest inter fœnus, & funus, inter sortem, & mortem*, ait iam proxime citatus Ambrosius libro de Tobia, capite decimo: Et sane si ex prophanis authoribus licet hic aliquid arcessere, sic Cato testis est olim fures damnatos esse ad duplum, fœneratores vero ad quadruplum restituendum, immo & rogatus ipse quid esset fœnerari, respondit hominem occidere, pauperes enim exhaurit vsura, eosque fame interficit, hinc Græci τόκον, id est, partum vocant, quod ex re sterili scilicet per se se fructum colligat, quasi fœnus dicas, ob fœtum, quam analogiam expendi video à D. Gregorio Nysseno, tom. 4. in Ecclesiasten, & D. Basilio in Psal. 14. vbi addit esse quoque parturitionem mœroris in mente vsurarii, ac veluti morsum viperini fœtus, matris vterum pertumpentis idem obseruat Ambrosius, lib. de Tob. capit. 13. & vsuram ab vsu esse, quod vt vestis vsu, ita vsuris patrimonia scindantur, propterea & Philosophi quoque ipsi vsuram, quasi repugnantem rationi naturali damnarunt: nam manifeste iniustum est, vt rei non fructiferæ, puta pecuniæ, exigatur fructus, idque cum proximi præsertim pauperis graui damno; vis pressius rem conficiam, & aliis quoque rationibus è schola petitis obiter concludam, saluo, quod aiunt, morales Theologi, damno emergente, lucroue cessante, pro re cuius per mutuum transfers in alium dominium, aliud exigere præter ipsam, est velle duplicem eiusdem rei compensationem: adde quod nemo sponte, ac libenter sibi fieri optat, aut contentus est, quod facit alteri, cum ei dat ad vsurã, & fœnus exercet: vnde colligas contractum eiusmodi ipsi rationi, ac naturæ legi minus esse consentaneum, quicquid contra senserint cum Hæreticis nostri temporis, alii nonnulli, certe Romani lege 12. Tabularum cauerunt, ne quis plus vnciario fœnore fœneraret, mox tribunitia rogatione ad semunciam fœnus redactum est, statim ad semissem, postea ad trientem; demum Lucius Gemutius Tribunus plebis tulit ad populum, ne omnino fœnerari liceret, paulatim succrescẽs iterum fœnus Cæsar succidit, nec minus memorabile, quod alicubi, nempe libro septimo Decadis primæ narrat Liuius, fœneratoribus Romæ diem dictam ab ædilibus, qui eodem teste libro decimo, ex illorum pecunia mulctatitia, posuerunt limina ænea in Capitolio, ex veterum etiam annalium repetita memoria, apud Romanos quoque, laudati olim sunt Lucullus, quod Asiam, Cato quod Siciliam fœnore liberassent; mauis alios quam Romanos? Cornelius Tacitus narrat, Germanis fœnus omne ignoratum, & nomen ipsum execrationi fuisse, Indos audio, nunquam fœnus admisisse, Agis Atheniensium Dux, adeo fœnus detestatus est, vt facto igne, in foro, tabulas omnes fœneratorum, exurandas curauerit, quo præclariorem luculentioremque ignem se nunquam vidisse exclamauit Agesilaus, à prophanis authoribus, rursum ad sacros calamum transfero, atque ex

multis

Chaldæis vsura perditio vocatur.

XV.

Morsui aspidis vsuram cõparat D. Chrysostomus.

Homicidium vocat sanctus Ambrosius.

Diuus Leo fœnus funus animæ appellat.

Nihil interest inter pecuniæ sortem, & mortem.

Ex Catonis testimonio olim fœneratores dãnati ad quadruplum restituendũ.

Vsuram Græci partum vocãt, ex re scilicet sterili.

XVI.

Vsuram ab vsu quoq; deducit D. Ambrosius quod vt vsu vestis, sic vsuris patrimonia scinduntur.

Vsuram repugnare legi naturæ ostenditur.

Exemplis Romanorum, aliorumque gentium illustratur: quare semper odiosa fuerit hominibus vsura.

multis paucos quidem, sed ornatiores A sceligo, vsuræ crimen insidiosum, odiosum fœnoris nomen, malas artes, occultas lethalesque eius illecebras, durum, & immite, fœneratorum ingenium in proximos egentes, quis D. Ambrosio, aut verius, aut melius repræsentat? Hierem. de Tobia cap. 13. sic ex illis quempiam virum graphicè depingit, *Simul vt aliquis necessitate constrictus, aut pro suorum redemptione sollicitus quos captiuos barbarus rogare ceperit, statim diues, vultum auertit, natum non recognoscit, humilitatem supplicis non miseretur, necessitatem non subleuat, fragilitatem communem non considerat, stat inflexibilis, resupinus, non precibus inclinatur, non lachrymis mouetur, non eiulatibus frangitur, iurans quod non habeat, immo & ipse fæneratorem requirat, vt necessitatibus subueniat suis, quid addis duritiæ, & auaritiæ tuæ, iuramentum? non absolueris periurio, sed ligaris, at vbi vsurarum mentio facta fuerit, aut pignoris, tam abiecto supercilio, fænerator arridet, & quem ante sibi cognitum denegabat eundem, tanquam paternam amicitiam recordatus, osculo excipit, hæreditaria pignus charitatis appellat, flere prohibet, quæramus* inquit *domi, si quid nobis pecuniæ est, frangam propter te argentum paternum, quod fabrefactum est, plurimum damni erit, quæ vsura compensabunt pretia emblematum? sed pro amico dispendium non reformidabo, cum reddideris reficiam, itaque antequam det reficere festinat, & qui in summa subuenire se dicit, vsuras exigit, Kalendis*, inquit, *vsuras dabis, fænus interim, si non habueris, vnde, restituas, non requiro, ita, vt semel det, frequenter exigit, & semper sibi debere efficit, hac rite tractat virum, itaque prius* D *eum chirographo ligat, & astringit vocis suæ nexibus, numeratur pecunia, addicitur libertas, absoluitur miser minore debito, maiore ligatur, talia sunt vestra diuites beneficia minus datis & plus exigitis, talis humanitas, vt spolietis etiam dum subuenitis, fæcundus vobis etiam pauper est ad quæstum, vsurarius est egenus, cogentibus vobis, habet quod reddat, quod impendat non habet, misericordes plane viri, quem alij absoluitis, vobis addicitis, vsuras soluit, qui victu indiget, an quidquam grauius? ille medicamentum quærit, vos offertis venenum, panem implorat, gladium porrigitis, libertatem obsecrat, seruitutem irrogatis, absolutionem precatur, informis laquei nodum stringitis*, &

Fœneratoris fœnus exercentis eximia descriptio ex D. Ambrosio petita.

Fœneratorum talis est humanitas vt spoliēt dum subueniāt.

cap. 4. eiusdem libri sermone item ad diuites in humanos atque immites, qui ex vsuris diuitias suas augent conuerso, *Quia vobis inquitis, qui pecuniam datis, & vitam obligatis, & patrimonium, accipitis aurum, argentumque, pro pignore, & adhuc illum debitorem dicitis, qui vobis plus reddit, quam accepit, vos creditores asseritis, qui amplius debetis, vos inquam dicitis creditores qui non homini, sed pignori creditis, bene fænus appellatur, quod datis, ita vile ac fænum est, sortem dicitis, quod debetur; Etenim velut vrna* B *ferali misera sors voluitur, perituri debitoris luenda supplicio stant pallentes rei, ad sortis euentum, non sic trepidāt de quorum damnatione, sors ducitur, non sic acie. cti, ac suspensi paustant, de captiuitate, expectatur sortis euentus, illic enim vnius captiuitas hic plurimorum addicitur*, & rursus cap. 13. Eleganter omnino fœneratorem, cum mari comparat, *Mare*, inquit, *fænerator est, omnium patrimonia, tanquam fluctus absorbet, & ipse nescit expleri, mari tamen plerique vtuntur ad quæstum, fæneratore nemo vtitur, nisi ad dispendium, illic multorum commodum est, hic vniuersorum naufragium*, C præclarè etiam in hanc materiam & prorsus disertè vt in cæteris, ferè argumentis solet, D. Gregor. Nyss. oratione, cuius titulus est, contra vsurarios, in qua Basilii quoque fratris sui, vsuram acriter perstringentis mentionem facit, *Tu quisquis es*, inquit, *odio habeto mores cauponum, cum homo sis, ama* XVIII.
homines, non pecuniam, obsiste tantisper peccato, insona aliquando grauissimis tibi vsuris vocem illam Ioannis Baptistæ, genimina viperarum, abite à me, perniciei estis iis, qui vos retinent, & accipiunt, paululum oblectationes affertis, sed temporis progressione, virus à nobis sparsum conuertitur anima, in acerbum maleficium, viam vitæ obrepitis, regni cælestis fores occluditis. Modicum quidem oculos aspectu, tinnituque vestro, aures recreatis, sed æterni doloris causa, & origo estis, hæc ibi dicta, *Valedic superflua rerum copiæ, & vsuris, pauperumque amorem in te excita, & illum qui mutuum petit ne auerseris, ob inopiam tibi fit supplex, foribusque tuis assidet, cùm egens sit confugit ad tuas copias, vt ab eo egestatem depellas, at tu contrarium facis, opitulator verteris in hostem, non enim opem fers, vt ex illa qua premitur inopia euadat, & ab vsuris pendendis liberetur, sed seris afflicto mala, nudum exuens, vulneratumque denuo vulne-*

Fænerator, mari comparatus quod omniū patrimonia tanquam fluctus absorbeat & expleri nō queat.

rans, curas curis accumulans, doloresque doloribus addens, nam qui pecuniam cum fœnore reddendam accipit, pignus & arrham paupertatis accipit, specie beneficij exitium domum reportans, tum A perquam eleganti hac similitudine vtitur, vt rem ipsam oculis subiiciat, *Quemadmodum*, inquit, *is qui precibus victus febricitanti & quem vehementissimus calor, sitisque, nimia exagitat, meri poculum porrigit, exhilarat quidem ægrum, perbreui tempore, dum poculum exhaurit, sed non longe post acerbissimam & decuplo grauiorem febrim misero parit, sic & qui egeno pecuniam sub fœnore* B *commodat necessitatem illius non subleuat, sed calamitatem potius auget*, pergit, *Ne vixeris igitur specie humanitatis vitam inhumanam, & efferatam, neque esto medicus, qui perimat, nomen quidem & formam præ te ferens, quasi serues, ob diuitias, sicut & ille, propter artem, voluntate autem tua, & animo ad alterius, qui se tibi committit, perniciem, abutens, segnis & insatiabilis est vita vsurarij, nescit laborem agrorum colendorum, mercaturam non exercet, sed vno in loco considens, immanes domi suæ feras nutrit, vult omnia sibi sine satu &* C *inarata progigni, cui quidem aratrum, est calamus, ager charta, semen atramentum, pluuia, tempus, quod illi pecuniæ, fructus occultis incrementis adauget & educat, falx illi est repetitio, area domus in qua miserorum fortunas ventilat, & quæ omnium sunt, propria sui ipsius videt, imprecatur hominibus calamitates, vt coacti ad ipsum confugiant, odit, quibus res suæ sufficiunt, & quos mutuum sub vsura petere non conspicit in hostium numero habet.* Hactenus D. Gregorius Nyssenus, qui & eadem oratione ex il- D la ipsa precationis Dominicæ formula, quam quotidie vsurpamus sic fœneratoris vrget conscientiam, *Saluator porro noster*, inquit, *omnisque honestatis magister, cum discipulis suis modum orandi nihil superuacanei continentem, præscriberet, hunc etiam adiecit precandi formula articulum, quasi qui maxime valeat ad exorandum Deum, & dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus*

Idem facit qui egenti pecuniam sub fœnore commodat ac qui febricitanti meri poculum porrigit.

debitoribus nostris, hoc quomodo à Deo postulabis ò fœnerator? qua conscientia voti tui, à Deo particeps fieri cupis? qui omnia accipis & nihil dare nosti, an nescis preces tuas nihil esse aliud quam in humanitatis tuæ repetitionem? Quid remisisti quod remissionem petis, cuius misertus es quod misericordiam imploras? Post D. Gregor. Nyssen. libens ego D. Basilium huc in medium proferrem concione de diuitiis & paupertate nisi quæ ex D. Ambrosio paulo antea à nobis adducta sunt, eiusmodi esse, hoc est sic paria, inter sese ac germana animaduerterem, vt alter ab altero expressisse, quod riuus è fonte, vel dictante altero, alter quasi eius Amanuensis, exscripsisse, & è Græco in Latinum transtulisse videatur, quare vt ex malo damnandoq; fœnore, in bonum ac laudabile sensim IX. prolabamur, concludendum cum Ecclesiastico, cap. 29. vers. 2. *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, & iterum redde proximo in tempore suo*, & vers. 13. *Perde pecuniam propter fratrem & amicum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem, pone thesaurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis quam aurum*, in quam sententiam D. Ambrosius lib. de Tobia, cap. 2. sic habet, *Malum est fœnus quo quæruntur vsuræ, sed non illud fœnus malum de quo scriptum est, fœnera proximo tuo in tempore necessitatis illius*, nam Dauid ait, *iustus miseretur & commodat, aliud fœnus execrabile dare in vsuram pecuniam quod lex prohibet, quo grauius malum fœnus est, eo laudabilior qui illud refugit, da pecuniam si habes, prosit alii quæ tibi ociosa est, da quasi non recepturus, vt lucro cedat, si reddita fuerit, qui non reddit pecuniam, reddet gratiam, si frauderis pecunia, acquires iustitiã: iustus est enim qui miseretur & cõmodat, si amittitur pecunia, comparatur misericordia*, Scriptum est enim, Ecclesi. 29. v. 1. *Qui facit misericordiam fœnerat proximo*, sed de hoc misericordiæ fœnore liberaliter exercendo, ad subleuandam inopum miseriam, nos iterum fusius sequenti dissertatione.

Nõ potest fœnerator dicere Deo, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Bonum fœnus misereri proximi sui.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis quinti.

Morale in illud, verſ. 8. *Nos vt ſcitis redemimus fratres noſtros Iudæos, qui venditi fuerunt gentibus ſecundum poſsibilitatem noſtram, &c.*

Quam ſit conſentaneum Chriſtianis, egenos quoſque, & rerum penuria laborantes, donis, & eleemoſynis adiuuare.

XX. ETSI longam ad A mores inſtituendos ſubteximus diſſertationē cap. 8. de largienda pauperibus eleemoſyna, deque illius copioſo atque vbere prouentu, tamen libet hic iam tùm ei velut proludere, & quam deceat Chriſtianam legem profitentes, quam eis honorificum ſit, magnique compendii, captiuos redimere, miſeris opitulari, egenos quoſque, facultatibus ſuis ſubleuare, tùm, ex illuſtri Nehemiæ Ducis exemplo, tùm ex ſanctorum Patrum dictis factiſue, breuiter aperire, ac primum de eximio pietatis monimento, quod in fratres ſuos, ac populares, egenos, exhibuit Nehemias, dum re ipſa præſtitit, quod hac voce conteſtatur, *Nos vt ſcitis redemimus fratres noſtros Iudæos qui venditi fuerunt gentibus ſecundum poſſibilitatem noſtram*, illud occurrit dicere, qui egenis beneficentiæ ſuæ fontes aperiunt, captiuoſque redimunt, ſeſe ipſos quoque redimere, atque in veram filiorum Dei libertatem aſſerere, fatetur enim Scriptura, vt notat etiam Clemens Alexandrinus, in Pædagogo, *Redemptionem animæ viri eſſe diuitias ſuas*, Prouerb. 14. verſ. 8 quia ſcilicet diuitiæ in pauperum vſus liberaliter atque ex charitate profuſæ, ſunt quidem digna peccatorum compenſatio, per quam anima, ad vitam à

Illuſtre exemplum Nehemiæ in ſubleuanda fratrum ac popularium ſuorum egeſtate & miſeria.

Animam ſuam redimit qui captiuum redimit.

XXI. morte vindicatur, notum illud eſt Prophetæ ad Aſſyriorum Regem Deo infenſum, faſtuque nimio turgentem, *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum*, Dan. cap. 4. verſ. 24. Sapientis item vox eſt, Prouerb. 16. verſ. 6. *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas*, ex quo ſanctus Ambroſius, lib. de Elia, & ieiunio ſic diſſerit, *Habemus plura ſubſidia, quibus peccata redimamus noſtra, pecuniam habes, redime peccatum tuum, non venalis eſt dominus, ſed tu ipſe venalis es, peccatis tuis venundatus eſt, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua, ſic benefacit animæ ſuæ vir miſericors*, ait Salomon, Prouerb. 11. verſ.
B 17. ſic, rem ſuam procurat vnuſquiſque augetque vehementer, dum alienæ ſtudet, & miſericordiam in proximos exercet; Odioſum ſanè (vt proxime vidimus) atque ipſis etiam auribus infeſtum, & fœnoris, & vſuræ nomen eſt, fœnerari tamen ſine crimine ac nulla culpa licet, fœnerandumque ſatis iudicat Chriſtus Dominus Luc 6. ſed illis, à quibus aut lucri, aut commodi temporaiis, ſperari nihil queat, ſic enim ille; *Etſi, mutuum dederitis, a quibus ſperatis recipere, quæ vobis eſt gratia? nam peccatores peccatoribus fænerantur, vt recipiant, veruntamen amate inimi-*
C *cos veſtros, & benefacite eis; & mutuum date, nihil ſperantes, & erit merces veſtra multa in cælo, & filii eritis altiſsimi, quia ipſe benignus ſuper ingratos, & malos, eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt, &c.* quaſi diceret non diſcutiatis quid mereantur inimici, ſed quid vos facere oporteat, date mutuum iis, à quibus, non ſperatis vos quod datum fuerit recepturos, nullum hic damnum eſt, ſed compendium,

XXII.

Fœnerari ſine crimine licet pauperibus eleemoſynam largiendo & mutuum dando ſine ſpe lucri vt præcipit Chriſtus.

minimum datis, multum recipietis, in terra datis & id vobis soluetur in cœlo, fœnus amittitis, sed mercedem magnam habebitis, fœneratores esse desinitis & filii eritis altissimi, eritis misericordes, quo vos patris æterni probetis hæredes. Itaque vis scire quomodo boni fœneratores esse possimus? quomodo bonas, easque non illegitimas, nec cuiquam mortalium graues, vsuras colligamus? *Foeneratur Domino qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei*, ait Sapiens Prouerb. cap. 19. vers. 17. in quem locum, sic D. Ambrosius, lib. de Tobia, cap. 6. *Ecce bonum fœnus de malo factum est, ecce irreprehensibilis fœnerator, ecce vsura laudabilis, nolite ergo, iam inuidentem me vestris commodis æstimare, putatis quod hominem substraham vobis debitorem? Deum prouideo, Christum subrogo, illum demonstro, qui vos fraudare non possit. fœnerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis, ille astringitur, & tenetur, ille scribit, quicquid egenus acceperit, Euangelium, eius, cautio est, ille promittit, pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem, quid dubitatis dare? si quis diues huius seculi, vobis offeratur, qui fide promittat sua, pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam, pauper est vobis, Dominus cæli, & conditor mundi huius, & adhuc deliberatis quem ditiorem quæratis fide iussorem?* & post pauca, *Date ociosam pecuniam & recipietis fructuosam gratiam, & pauperem subuenietis necessitatibus & vobis custodiæ sollicitudo minuetur non peribit, quod pauper acceperit, & vobis, quod dederitis inopi, sine custode seruabitur; quod si incrementum vsurarum quæritis, in lege benedictio, in Euangelio cælestis est merces, quid suauius benedictione? quid maius est cælo? qui pronus ad misericordiam benedicetur, de panibus suis dedit pauperi*, vt fert Salomonis oraculum, Prouerb. 22. vers.

Ei qui miseretur pauperis datur pro homine Deus debitor.

Euangeliū cautio Dei est apud eum qui pauperum sublenat.

XXIII. 9. sic D. Ambrosius, in hoc eodem argumento quam eleganter quoque ac nitidè versetur D. Gregorius Nyssenus, oratione contra vsurarios, attende, *& debitor quidem, licet inops*, inquit, *fidem facit, ob syngrapham, Deus autem, qui diues est, licet multa polliceatur, elata & sonora voce, non tamen auditur; Da & ego reddam, clamat in Euangeliis, in publico, totique terrarum orbi, noto chirographo, quod quatuor, loco & vice vnius, scripserunt, cuius testes omnes Christiani, à temporibus partæ salutis extiterunt, habes Paradisum pignus, pignus vtique dignum, quo fidenter nitaris, quod si & hic aliquid quæris totus mundus probi debitoris possessio est, circumspice copiam qua abundat is qui beneficium abs te petit, & inuenies ipsius diuitias, nam omnes auri argentique fodinæ debitoris possessio sunt, omne metallum argenti, & æris, & id genus aliorum, Domino & imperio ipsius subiicitur, respice in totum cælum, quà patet, mente concipe maris infinitatem, cogita terræ latitudinem, numera quas nutrit feras, omnia subiecta sunt, illius potentiæ, cuius tu paupertatem contemnis, moderatus & æquus esto, ne iniuria afficeris Deum, neque æstimes Deum, inferiore, & inhonoratiore loco esse, quam trapezitas, quibus, si spondeant, absque dubio credis, da sponsori immortali, crede chirographo inspectabili quidem, sed eiusmodi tamen, quod perdi nequeat, ne exigas lucrum, sed impende beneficium, siue quæstus videbisque Deum non sine additamento rependere gratiam*, sic ille, qua sancti Patres oratione, quid verius, aut pressius in rem nostram, dici, adducive potest?

Chirographum quo se Deus hominus obstringit toto orbe notum scriptum à quatuor vice vnius, & eiusmodi vt perdi nequeat.

XXIV. Iam vero cæteros inter qui ad opera pietatis charitatisue in proximum exercenda Christianos vehementius inflammant, vnus est, quantum arbitror, isque eximius, Gregorius Nazianzenus qui oratione 16. de pauperum amore totam contexuit ex qua cursim hæc tantum delibo, *Nullus*, inquit, *cultus Deo perinde gratus est vt misericordia erga pauperes neque vlla omnino res qua Dei beneuolentiam æque conciliat*, quod si rationes nonnullas, easque præcipuas, ob quas, & pauperes Deus esse voluit, & à ditioribus, eos subleuari mandauit, velut in vnum fascem hic recolligere volueris, eas sic habeto, petitas cùm ex Nazianzeno, tum ex aliis sanctis Patribus, nam primo Deus, vult quosdam esse pauperes vt nos infirmitatis nostræ submoneant, quid eo vtilius? Audi Lactantium Epitome suarum institutionum; *Multis bæ sibus & incommodis fragilitas nostra subiecta est, speres tibi accidere posse, quod alteri accidit ita demum excitaberis ad opem ferendam si sumpseris eius animum qui opem tuam tunc in malis constitutus implorat si quis victu indiget impertiamur si quis nudus occurrit vestiamus*, secundo pauperes iuuandi sunt, quia fratres nostri sunt, tum naturæ, tum imaginis Dei in Christo renouatæ, tum fidei, spei, dilectionis, & adoptionis di-

Nullus cultus adeo gratus Deo vt misericordia in pauperes.

Cur Deus pauperes esse voluit, & à ditioribus subleuari.

tinæ, tum vitæ beatæ respectu, audi reducem e captiuitate populum, rationem hanc animo versantem, dum clamat ad Nehemiam, & se fame, & inopia, ob vsuras, & iniurias potentiorum opprimi queritur vers. 5. *Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt, & sicut filij eorum ita & filij nostri?* tertio quia ad Christum communem fratrem aspiramus, *ipse enim frater noster & caro nostra est*, quarto, quia cum nihil sit stabile, in præsenti, de opibus per pauperes, in tuto collocandis, est cogitandum, Ea quoque mens est lib. de vero cultu c. 12. vbi hæc habet, *Quid verere fluxum & fragile bonum facere sempiternum, aut thesauros tuos custodi Deo credere vbi non furem prædonemque timeas, non tyrannum, qui apud Deum diues est, pauper esse nunquam potest*, quinto, ob infinita huius rei commoda, quæ ad tria summatim reuocari possunt, & sic vulgo nominantur scilicet ex malis præseruatio, salutis certitudo, præmiorum maxima fiducia sexto, quia Deus qui innumera, nobis cōtulit beneficia, iubet vt paucis fratribus largiamur, hinc D. Chrysost. homil. 47. in Matth. *Cur*, inquit, *non putas sufficere ad condemnandos nos, quod magna consecuti, parua non reddamus, ibique ea repetantur quæ inuiti relinquimus, quorum singula, ad condemnationem meam certe sufficiunt*, septimo, nihil tam Deo proprium, quam misericordia, & beneficentia, ille autem nobis imitandus est, *Estote misericordes sicut Pater vester misericors est*, Luc. 6. vers. 36. octauo, quia pauperes sub speciali cura, & Prouidentia Dei latent, teste Scriptura, nono ac postremo, tandem, quia in die iudicij, electi ob eleemosynas factas, cœlo, reprobi ob eas neglectas inferno adiudicabantur, discedite à me maledicti in ignem æternum esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, Math. 25. vers. 4. & Iacob. 2. vers. 13. *Iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam*, sed illud instar omnium sit, quod si misericordes sumus iam tum in hac vita Dei ipsius bonorum omnium largitoris munificentissimi similitudinem, in nobis, ad viuum exprimimus, præclare in eam rem Nyssenus lib. de Beatitudine, *Si*, inquit, *misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi, vt Deus fias, tanquam insignitus propria nota Deitatis*, vt iam supra à nobis citatus Gregorius Nazianzenus, *Nihil tam diuinum homo habet quam de aliis bene mereri, tametsi ille maiora, hic minora beneficia conferat, vterque nimirum pro suis viribus, fac*, inquit idem ille, *calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando*, & D. Chrysostomus Homil. 33. ad populum, *melius est hanc artem dandi eleemosynam scire, quam esse Regem, hæc enim domos ædificat in cælis semper mansuras*, hæc docet quomodo Deo possis similis fieri, & Homilia 36. *Magna res est homo & pretiosa vir misericors, hæc, maior est gratia, quam mortuos resuscitare: nam hic tu de Christo bene mereris, ille autem ipse de te, miracula enim Deo debes*, concludendum itaque nobis est, his D. Leonis Papæ verbis, Serm. 5. de Quadragesima, *Nihil dignius quam vt homo sit sui authoris imitator, & secundum modum propriæ facultatis, diuini sit operis executor, nam cum aluntur esurientes, vestiuntur nudi, fouentur infirmi, nonne auxilium Dei, manus explet ministri, & benignitas serui munus est Domini?*

A

B

C

XXV.

Nihil tam proprium Deo quam nobis imitandum est quam misericordiam benefacere.

Maior gratia proximi misereri quam mortuos suscitare.



CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CVM ædificantium Iudæorum ingens alacritas, atque ardens industria eo tandem rem perduxisset, vt citius longè quàm ipsorum aduersarij, cogitatione præceperant murorum instauratio, omni ex parte foret absoluenda, non destiterunt illi quidem, ab odio suo in eos explicando, sed aliis subinde atque aliis insidiis Nehemiam ipsum intercipere conati sunt. Primum specie ineundæ amicitiæ, & quasi fœderis cum eo sanciendi, multis sæpe in eam rem missis literis, atque internunciis, deinde, consuto etiam per fraudem mendacio, fingendoque, dubiam esse apud Regem Persarum eius fidem, & eo nomine suspectam, quòd contra ipsius authoritatem, meditari quidpiam hostile, & de Regno puta, aut sibi vendicando, aut certè à Persici nominis Imperio, ac dominatu liberando, cogitare videretur: sed illorum callidos sensus, veteratoriam artem, acutè odoratus Nehemias, remissis quinquies ac neglectis legatis, eos tùm ab omni eiusmodi insidiosæ, ac perfidæ societatis expectatione, longissimè remouit, tùm ingenua quadam animi libertate, simulatæ calumniæ coarguit, vt qui ea ipsi confinxerint, quorum denuntiatione deterritus (vti existimabant) ab operis molitione, statim ipse desisteret. Quin & Semeiam, vulgo Prophetiæ nomine insignem, apud populum, ab aduersariis mercede corruptum, metum ipsi ab illorum futura irruptione subita incutientem audire neglexit, ac tandem studio ad opus ardentius incitato, licet plerosque etiam in ciuitate, eosque viros Principes Iudaici nominis, hostibus fauere occulte persentiret, sic in rem sibi commissam totus incubuit, vt totam murorum fabricam, atque adeo ciuitatis instaurationem, duobus & quinquaginta diebus ad culmen fastigiumque perduxerit.

CAPVT SEXTVM ESDRÆ.

1. FACTVM est autem, cum audisset Sanaballat, & Tobias, & Gossem Arabs, & cæteri inimici nostri, quod ædificassem ego murum, & non esset in ipso residua irruptio; vsque ad tempus illud, valuas non posueram in portis.
2. Miserunt Sanaballat, & Gossem ad me dicentes, veni, & percutiamus fœdus pariter in viculis, in campo Ono; ipsi autem cogitabant, vt facerent mihi malum.
3. Misi ergo ad eos nuntios, dicens, opus grande ego facio, & non possum descendere, ne forte negligatur, cum venero, &descendero ad vos.
4. Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices, & respondi eis iuxta sermonem priorem.
5. Et misit ad me Sanaballat iuxta verbum prius, quinta vice puerum suum, & epistolam habebat in manu sua scriptam hoc modo.
6. In gentibus auditum est, & Gossem dixit, quod tu, & Iudæi cogitetis rebellare, & propterea ædifices murum, & leuare te velis super eos Regem, propter quam causam.
7. Et Prophetas posueris, qui prædicent de te in Hierusalem, dicentes: Rex in Iudæa est, auditurus est Rex verba hæc: idcirco nunc veni, vt ineamus consilium pariter.
8. Et misi ad eos, dicens: non est factum secundum verba hæc, quæ tu loqueris, de corde enim tuo tu componis hæc.
9. Omnes enim hi terrebant nos cogitantes, quod cessarent manus nostræ ab opere, & quiesceremus, quam ob causam magis confortaui manus meas.
10. Et ingressus sum domum Semaiæ, filij Dalaiæ, filij Metabeel secreto, qui ait, Tractemus nobiscum in domo Dei, in medio Templi, & claudamus portas ædis, quia venturi sunt, vt interficiant te, & nocte venturi sunt, ad occidendum te.
11. Et dixi, num quisquam similis mei fugit? & quis, vt ego, ingredietur Templum, & viuet? non ingrediar.
12. Et intellexi, quod Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, & Tobias, & Sanaballat conduxissent eum.
13. Acceperat enim pretium, vt territus facerem, & peccarem, & haberent malum, quod exprobrarent mihi.
14. Memento mei Domine pro Tobia, & Sanaballat, iuxta opera eorum talia, sed & Noiadæ Prophetæ, & cæterorum Prophetarum, qui terrebant me.
15. Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul quinquaginta duobus diebus.
16. Factum est ergo, cum audissent omnes inimici nostri, vt timerent vniuersæ gentes, quæ erant in circuitu nostro, & conciderent intra semetipsos, & scirent, quod à Deo factum esset opus hoc.

17. Sed & in diebus illis, multæ Optimatum Iudæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, & à Tobia veniebant ad eos.
18. Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum eius; quia gener erat Secheniæ, filij Area, & Iohanan, filius eius acceperat filiam Mosollam filij Balachiæ.
19. Sed & laudabant eum coram me, & verba mea nuntiabant ei, & Tobias mittebat epistolas, vt terreret me.

EXPOSITIO LITERALIS.

I

v. 1. *VM audisset Sanaballat, & Tobias, & Gossem Arabs, & cæteri inimici nostri, quod ædificassem ego murum, & non esset in eo residua interruptio, &c.* Et hic rursus Gentiles, atque externi populi, armantur in Nehemiam, sed tectis primum fraudibus, & fictæ amicitiæ simulatione, eum circumuenire satagunt, scilicet, cum iam muri perfecti sunt, & ad operis absolutionem, superest nihil, nisi vt portis, ianuæ seu claustra adhibeantur, (*vsque ad illud tempus valuas non posueram in portis*, inquit,) non desistunt, Iudæorum hostes infensissimi, variis insidiis Ducem illorum adoriri, persuasi illo sublato, cuncta facile pessum itura. Itaque, mittunt ad eum, specie iucundæ amicitiæ cum ipso, orantque, vti simul conueniant, in campo Ono, vt mox versu sequenti dicitur, ei aliquid mali, mortem puta, aut vincula illaturi, sed dum per nuntios persuadere nituntur Nehemiæ, vt in campestria descendat, & secum pacis fœdus inire ne grauetur, is prudenter, vel insidias subodoratus, & malam illorum mentem suspicione præsentiens, vel id tantum veritus, ne opus religiosum ædificationis muri Hierusalem negligeretur, in ciuitate remanet, fraudulentam hostium societatem declinat, atque omni ex parte illorum refutat commercium, sic autem suas ipsi tegunt insidias.

Tecta Samaritanorum aduersus Nehemiam insidie. Vers. 2. *Miserunt Sanaballat & Gessem Arabs ad me dicentes; Veni percutiamus foedus, &c.* Hic nempe significant, velle se, cum Nehemia fœdus inire pacis, rogantque propterea, quo id commodius fiat, vt ex vrbe digrediatur; A *Veni*, inquiunt, percutiamus fœdus, sed quæ cæremonia? atque vbi tandem locorum? *in viculis*, inquiunt, *in campo Ono*, quam planitiem Adrichomius constituit in Tribu Beniamin ad Iordanem, vt colligitur ex cap. 11. seq. vers. 31. & 35. vbi dicitur, *Vallis artificum*. *Quid & vbi sit campus Ono.* Cœterum rectè in Sixtinis Bibliis, tam ex Hebræis quam ex septuaginta duplex correctus error, qui in hunc locum irrepserat, nimirum *in vitulis in campo vno*, pro *in viculis in campo Ono*, quasi sensus sit, in locis quæ sunt in campo, siue planitie, quæ vocatur Ono. Addo Rabbi Salomonem, apud B Lyranum, velle vocem quoque Hebræam, hic positam, pro *in viculis*, significare nomen regionis, extra Hierusalem. *Duplex hic error expunctus à Bibliis Sixti.* Si quis tamen pro *in viculis* veterum codicum lectionem, *in vitulis* retinere atque interpretari volet, idem erit, ac si dicant Samaritani, percutiamus fœdus, mactatis per solemne sacrificium vitulis, in testimonium videlicet, pacti, & percussi fœderis, *Quomodo vetus lectio retineri atque intelligi possit.* moris enim fuit, apud Gentiles, vt animalium occisione fœdera sancirentur, quo significarent, qui contra pactiones initas, ac fœderis leges peccaret, de sancientibus, dignum eiusmodi C morte censendum.

II. Vers. 3. *Misi ergo ad eos nuncios, dicens; Opus grande ego facio, & non possum descendere, ne forte negligatur cum venero & descendero ad vos, &c.* Nempe, virum sagacem latere non poterat, quid Samaritani illi veteratores, & callidi animo designarent; *Insidias sibi paratas detegit Nehemias.* vnde negat sibi integrum esse ciuitatem relinquere, in qua grande opus ædificationis molitur, quod sine graui, & grandi item incommodo, intermitti non queat: hæc inter cæteras quidem vna erat causa, & itineris, & fœderis declinandi; sed præcipua quam subiicet (vt probè,

(vt probè, ac sine mendacio fieri potest cum multæ sint) atque omnium potissimùm causa erat, quod metueret insidias, & vitaret amicitias improborum, vnde superiori versu suam de illis suspicionem declarans, *Ipsi*, inquit, *cogitabant, vt facerent mihi malum*, quia simulabant in speciem, se velle cum eo fœdus sancire, vt illius simulationis velo obtecti, commodius eum de ciuitate abducerent, & sic proditoriè occiderent, quod periculum, hac responsione sæpius iterata, cùm sæpius etiam, iteratis eiusdem argumenti literis vrgeretur, sagaciter declinauit, *Opus grande facio & non possum descendere, &c.* vnde subiungit, versu sequenti, *miserunt ad me secundum verbum hoc per quatuor vices, & respondi eis iuxta priorem*, id est, cum iterum, & sæpius, idem ad Nehemiam aut mandassent, aut præscripsissent, eadem quoq; iterum, & sæpius, responsa retulerunt.

III. V. 5. *Et misit ad me Sanaballat iuxta verbum prius quinta vice puerum suum & epistolã habebat in manu sua, &c.* Vides improborum hominum importunissimum conatum? qui cum discruciarentur, quod insidiæ illorum irritæ fuerant Nehemiam ad se metu, & calumniis, pertrahere satagunt, mittit enim Sanaballat quinta vice puerum suum cum epistola in hanc sententiam, quæ sequitur, vers. 6. *In gentibus auditum est, & Gessem dixit, quod tu & Iudæi cogitetis rebellare, &c.* Quintus igitur hic est, Samaritanorum ad Nehemiam nuntius, cum epistola Sanaballat, plena illa quidem comminationis & terroris, cum scilicet commodè (quod antea sperauerant) per insidias hominem adoriri non posse animaduerterent: ideo autem asperius loquebantur, & minas intentabant, quod *in Gentibus*, (vt habet Epistolæ textus) *auditum esset*, id est, communi passim fama disseminatum, & certe virorum Principum, cuiusmodi erat Gossem Arabs testimonio confirmatum, statuisse Iudæos, rebellare aduersus Regem Persarũ, atque eo cõsilio murum ædificare, immo etiam, ipsum, præter cœteros, Nehemiam, Prophetas in eam rem constituisse, *vt de ipso prædicarent*, id est, de illius Ducatu atque Imperio, futura quædam prædicerent, & palam indicarent Regem in Iudæâ esse aut de Iudæo sanguine esse oportere, qui Regnum ad alienigenas translatum reuocet, ac instauret, quod sane magnam

Vi, & minis aduersus Nehemiam agere contendunt Iudæorũ aduersarii.

A apud Regem, in Iudæum genus inuidiam excitaturum videbatur. Hæc summa epistolæ, mendaciis confertæ, quam licet primis verbis, atque ipso aditu, [vt dixi] asperiorem, claudunt, tamen callidè, ficto item, vt antea, beneuolentiæ in Nehemiam prætextu, cum aiunt infra, in fine versus sequentis: *Auditurus est Rex verba hæc, &c.* id est ita sunt hæc communia, & vbique vulgata, vt Regem latere non possint, *idcirco nunc veni, &c.* extra Hierusalem, scilicet, *Vt ineamus consilium pariter, &c.* quasi dicerent, volumus tibi contra periculum imminens, fideli, & amico consilio prodesse, tuisque rebus studere, quod tamen falsum erat, & veteratorium, cum aliud nihil quam eius ruinam internecionemque machinarentur. IV.

B Vers. 7. *Propterquam causam & Prophetas posueris qui prædicent de te in Hierusalem, dicentes: Rex in Iudæa est, &c.* Vt fictum erat merè Samaritanorum commentum, quod de Iudæorum aduersus Regem rebellione vulgabant, sic illud præsertim, ex eorundem ingenio per fraudem dolosè, ac mendacium, compositum fuit, quod de Prophetis à Nehemia constitutis addiderunt, vt de eo prædicarent, & quasi per diuinum Imperium, in summi Imperii apicem, in Iudæa ambitiosius eueherent. Quis non intelligat, hoc manifestè falsum deprehendi? Cum Aggæus, Zacharias, tunc prophetantes, vt obseruat Lyranus, non prophetarent, quasi à Nehemia positi, sed à Deo inspirati, & ordinati, quin iidem ipsi, longe ante, Nehemiam è Babylone reducem prophetauerant, anno scilicet secundo Darii, nec de Nehemia, aut dominatu Nehemiæ, sed de Templi, aut ciuitatis ædificatione, quidquid Deo volente futurum erat, populo aperiebant. Quare magno animo contextam aduersariorum calumniam refellit Nehemias, his verbis, ad Sanaballat per nuntium, v. 8. proxime sequenti, *Non est factum secundum verba hæc, quæ tu loqueris de corde tuo cõponis hæc*, nempe, cum hostium insidiosa callidaque consilia præuidisset, tum illos quoque fraudis, ac mendacii, ingenua quadam libertate coarguit. Vult quidem Saltanus (quod & obseruatione dignum est, superioribus illis epistolæ verbis; *Nunc veni vt ineamus consilium pariter, &c.* Samaritanos, ambiguum

Samaritanorum calumnia refellitur de Prophetis à Nehemia constitutis qui de eo prædicarẽt.

C

D

KK x

relinquere Nehemiam, si forte vellet rebellare contra Artaxerxem, an velint coniurare cum eo, an vero audire duntaxat, quid ille afferret purgationis, ad huiusmodi calumniam, vt haberent quod possent ad Regem scribere, de defectione quæ vulgo iactabatur: sed quidquid sit, is & fidenti animo, & contempsit periculum & negauit calumniam, nec destitit ab vrgendo opere suo, immo tanto magis illud perficere conatus est, vnde consequenter addit.

V. Vers. 9. *Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quod cessarent manus nostræ ab opere, & quiescceremus, quam ob causam magis confortaui manus meas, &c.* Nihil aut contextis mendaciis, aut fictæ amicitiæ simulatione perfecerunt Iudæorũ aduersarii, quin potius ex eo Nehemias & suum ad operis molitionem studium incitauit ardentius, & manus suas confortauit, vt multo iam prouectam, murorum fabricam, persequeretur audacius. *Confortaui*, inquit, *manus meas*, id est cum viderem nos vndique terreri ab aduersariis, sperantibus fore si obstinato animo nobis obsisterent, *vt cessarent manus nostræ ab opere & quiescceremus*, illorum vt importuna, sic continenti conflictatione deterriti, animos ego maiores sumpsi, & in firmiorem spē, ac fiduciã, me erigendo, *confortaui manus meas*, vt vulgatus interpres habet, cõfortaui inquam, sic etiam quoq; 70. at in Hebræo est, *Conforta manus meas*, subintelligendo scilicet, vt interpretor, *ô Deus*, ad quem in angustiis positus, mentem & orationem dirigebat.

Quo manus est periculum eo firmiorem spem ac fiduciam, in Deum, cõcipit Nehemias.

VI. V. 10. *Et ingressus sum domum Semaiæ secrete, qui ait: Tractemus nobiscum in domo Dei, &c.* Et aliam quoque fraudem commenti sunt, aduersus Nehemiam, inimici Iudæorum, vt illum contẽptibilem ac despectũ apud suos redderent, Semeias enim, quidã pseudo-Propheta, qui nõnullis videtur fuisse Sacerdos de vice Dalaiæ quæ fuit 23. 1. Paralip. cap. 24. v. 18. domi suæ se continebat, & abstinebat publico, quasi vir quidã sanctus, & vocauit Nehemiam ad se, quasi aliquid ei nomine Domini dicturus, venit ergo in domum Semaiæ secreto, vt ipse narrat, vel ab eo accitus vt iam dixi, vel forte etiam vltro, & sponte sua, vt pote qui existimaret Semaiam virum esse fidelem, & sanctum, qui cum curas suas, & arcana consilia, absque vllo metu fidentissime cõmunicare posset. quod est in vulgata, *secreto*, in Græco, & Hebræo

A est, *qui erat clausus*, siue, *secretus à vulgi cõsortio*, vt solẽt Prophetæ, & viri sancti, qui ait, *tractemus nobiscum in domo Dei in medio Templi, &c.* Id est, recipiamus nos in Templum, vt tuti simus ab imminẽti periculo; *Et claudamus portas ædis, quia venturi sunt vt interficiant te, & nocte venturi sunt ad occidendum te, &c.* Sanè, probabile erat periculũ vtcumq; nam illi infensiores redditi erant Nehemiæ, cũ viderent se contemptos ab eo, quippe qui, & eorum amicitiam respueret, & minas minime formidare videretur: Et cum valuæ nondum appositæ essent portis, poterant noctu in vrbem irrumB pere, & domum Nehemiæ vi occupare, Templum autem, erat instar arcis magnæ, atque munitissimæ. Sic itaque nouo insidiarum genere appetitur Nehemias, per falsos Prophetas, cuiusmodi erat Semaias, in cuius domum clam, & nemine cõscio irrepserat, ratus illum sibi esse amicũ, & fidelem, contra quàm paulo post experitur; Nam cùm ait Semaias, *Tractemus nobiscum in domo Dei, &c.* Insidiosè loquitur, optabat quippe, per fraudem & mendacium, includere Nehemiam in Templum, tanquam ex metu, & timore impendentis ad hoste calamitatis, fugitiuum, vt sic populo ab opere recedente, & propriis neC gotiis intento, hosti ipsi, à quo petebatur ad necem, à popularibus suis traderetur, aut saltem de fuga, quam captasset, sibi ab hostibus metuendo, cum suppuderet, & turpiter confunderetur. Quare obseruandum, ad pleniorem huius loci intelligentiam, fuisse in Hierusalem de Iudæis aliquot vel acceptis muneribus, atque iniqua mercede, vel quacumque demum alia ratione corruptos, qui fauerẽt Samaritanis, ac proinde quærerent in manus eorum tradere Nehemiam, aut saltem variis cum terrere, scitè quidem, sed falso ad technas suas consutis serD monibus, fingendo se loqui propheticè. Certè nihil verius, quam quod vulgari illo, & communi dicto, omnium ore circumfertur, nullam esse pestem grauiorem, aut capitaliorem ad nocendum, quam familiarem inimicum.

Nouum insidiarum genus Nehemiæ intentatum ab hostibus Iudæorum per Semaiã Pseudoprophetam.

Iudæi aliquot mercede corrupti à Samaritanis qui proderent Nehemiam.

Nulla pestis grauior ad nocendum quam familiaris inimicus.

VII. Vers. 11. *Et dixi; Num quisquam similis mei fugit? & quis vt ego ingrediatur Templum & viuet? non ingrediar, &c.* Nimirum, probè sciens Nehemias, timorem hunc, quem Semaias incutere nitebatur, viro militari, indecorum esse, atque exprobrabilem, & alioqui, siue diuina reuelatione, siue humana

Consilium Semeiæ refutat Nehemias.

prouidentia intelligens hanc esse A fraudem inimicorum, non diuinam reuelationem, eius consilio non acquiescit, negatque se velle in Templum ea causa confugere, quasi malum aliquod graue immineret, ab hostibus, ad quod depellendum à ceruicibus suis asylum quæreret. *Num quis similis mei fugit?* inquit, sic falsi Prophetæ, ficti amici, & latentis inimici persuasionem iniquam repellit, & verbis castigat asperioribus, cum recusat ad Templum se recipere, quasi ad asylum, & ad extremum quoddam in calamitate perfugium, etiamsi hostes, quod futurum non multo post falso denuntiabat Semeias, irrupturi B essent, ne metus, aut delicti significationem præbeat ciuibus Hierosolymitanis, quod exitiale Principi esse solet; nam verendum erat ne subditi illico in illum insurgerent, si in præsenti rerum discrimine deseri se ab eo animaduerterent, dicat ergo: *num quis similis mei fugit?* id est, ita de diuino confidens auxilio, & quod adiicit, *quis vt ego ingredietur Templum, & viuet?* idem est, ac si diceret, si quis adeo de protectione diuina confidens, vt ego, ad Templum humano timore confugeret, dignus is sane esset, qui Deo vindice, vita priuaretur, sic Lyranus C in hunc locum, quod summam in Nehemia, cum pietatem in Deum, tum singularem in aduersis animi magnitudinem demonstrat, nisi mauis simpliciter hæc verba interpretari, *num quis similis mei fugit*, qui scilicet timidos confirmare debeo, *& quis vt ego ingrediatur Templum, & viuet, &c.* id est, vt vitam suam tueatur, quasi rebus omnibus iam perditis, & desperatis.

Verborum Nehemiæ varia interpretatio & paraphrasis.

Alii sic exponunt; *quis vt ego*, nempe qui cum potestate est, & causam sustinet publicã, *ingredietur Tẽplũ, & viuet?* id est fugam captabit, vt vitæ suæ consulat, & à mortis periculo, ac præsenti discrimine immunem, vndequaque se D præstabit? quasi dicat, etiamsi nullum ab externis periculum immineat, ipsi tamen domestici, & contribules, me quasi indignum Magistratu, aut tanquam hostem domesticum trucidabunt, sic enim vsu venire solet, vt qui aram sibi quærit, & asylum, præsertim si obductis claustris, vti faciendum Semeias suggerebat, seipsum, locumque communit, aut plus nimio meticulosum, aut sceleratum se esse profitеatur, vt dignum odio publico, certe indecorum esse admodum, & publicis rebus maxime perniciosum, si Dux qui patriæ propugnaculum esse debet, fugam meditetur, facile omnes intelligunt, scilicet in eorum qui cæteris præsunt, robore, & constantia ad salutem, securitatemque communem, magnum omnino momentum est, & sicut cadente Duce, omnium vires elanguescunt, & cum ipso acies quodammodo cadit vniuersa, sic, cum Dux timere existimatur, aut fugam meditari, alii etiam timore corripiuntur, & quia sub Duce pauido tutum nihil esse existimant, in fugam ipsi minimo negotio vertuntur.

Magnum ad securitatem publicam momentum in Ducis robore, & constantia.

De sexcentis eius rei, quæ apud prophanos authores passim occurrunt exemplis, vt omittam dicere, sacra non desunt in scripturis, vt libro primo Machabæorum, capite nono, versu decimo octauo, vbi occiso Iuda, fugæ statim alii se dederunt, & libro primo Reg. cadente Goliath Philistinorum, & in historia Iudith Holoferne extincto, Assyriorum illico animi ceciderunt, & fuga salutem quærere, quam vlterius cum hoste pugnare sibi consultius esse censuerunt, quæ si velis consule.

E multis exemplis etiam Historiæ sacræ constat Duce cadẽte aciem illico vniuersam cõcidere.

VIII. Vers. 12. *Et intellexi quod Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, & Tobias, & Sanaballat conduxissent eum, &c.* Cum Semeias, quasi spiritu afflatus esset Prophetico, paulo ante prædixisset Nehemiæ, venturum nocte Samaritanum hostem, à quo ipse ad cædem peteretur, cognouit Nehemias suo spiritu agi potius, quàm diuino, falsum illum Prophetam, vnde ait, *intellexi, quod Deus non misisset eum*, id est, deprehendi eum falso vaticinari, cum de fuga in Templum adornanda, consilium daret: sed quibus notis inquies? quibusue indiciis, siue qua tandem ratione intellexit Nehemias Semeiam loqui mendaciter? iam supra obiter indicaui, vel per reuelationem diuinam, vel per coniecturam humanam, sic ait Lyranus, ego, vt sagaci vir ingenio, ac firmo iudicio erat Nehemias, naturali coniectura, siue ratiocinando, & negotia cum negotiis, res alias cum aliis componendo, assequi id eum potuisse potius existimem, nisi quis velit, forte illum ipsum, ex aliquo, ex necessariis suis, ac familiaribus fraudem omnem intellexisse: nam & proxime Semeiam pretio corruptum, & à Tobia, & Sanaballat mercede conductum, mani-

Vel per reuelationem diuinam, vel per cõiecturam humanam deprehendit Nehemias Semeiam falsum esse Prophetã.

feste significat, se certo comperisse, A cum subdit.

Vers. 13. *Acceperat enim pretium, vt territus facerem, & peccarem, & haberent quod exprobrarent mihi, &c.* Sic dolus ingenii sagacitate, ac prudentia delusus est.

IX. Vers. 14. *Memento mei Domine pro Tobia, & Sanaballat, iuxta opera eorum talia: sed & Noadiæ Prophetæ, & cæterorum Prophetarum, qui terrebant me, &c.* Ex hoc versu, & duobus proxime præcedentibus constat insidiatos fuisse vitæ Nehemiæ, Tobiam, & Sanaballat, quod ab illo pendere inchoatum opus animaduerterent, nec facile eo sublato perfectum iri vmquam in animum inducerent, insidiatos item ab ipsis Iudæorum aduersariis mercede conductos, nugatores quosdam, aut ariolos, qui Prophetæ videri studebant, cum tamen tanto nomini sustinendo impares essent, & ab eo munere defungendo, toto cœlo distarent: vnde oratione ad Deum conuersa, *memento*, inquit, *mei Domine pro Tobia, & Sanaballat, iuxta opera illorum talia*, id est, vt mihi reddas bonum pro malo, quod machinati sunt in me, qui etiam alios Pseudoprophetas subornarunt, in quibus Noadia erat, quæ in Hebræo (vt strictim etiam hoc notatur) Prophetissa, dicitur in Græco, & Latino Propheta. Sunt qui paulo aliter hanc Nehemiæ orationem explicant, scilicet quasi Deum oret, vt quod tam hi, quam illi hostes sui, malum machinantur in ipsorum caput, pro eo, ac merentur, conuertat, vt suo ipsi infortunio discant aliquando diuinum numen vereri religiosius, desinantque vitam innocentem, & communem vtilitatem, aut aperta vi, aut fraudulentis consiliis, ac fictis mendaciis velle subuertere, quod etsi voce tenus imprecatorium aliquid, & hostile repræsentat in mente Nehemiæ, quasi ab offensione, & exulcerati animi maleuolentia profectum: magis tamen consentaneum est, vt aliàs in re simili obseruauimus, ex vera pietate, & syncero amore ortum credere, idque optare modo Nehemiam, vt illi admoniti eo supplicio, factique prudentiores meliora cogitent, & sic vesana omni, ac barbara crudelitate deposita, bene tandem, atque officiose de aliis mereri studeant.

Vitæ Nehemiæ insidiati sunt Tobias, & Sanaballat, aliique nugatores, & arioli ab ipsis mercede conducti.

Noadia in Hebræo Prophetissa, in Græco & Latino Propheta vocatur.

Vers. 15. *Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul, &c.* Is est mensis sextus, Augusto fere respondens, aut partim Augusto, partim Septembri, quo tandem omnibus obicibus, atque impedimentis, quæ sane multa superuenerant vniuersim tandem superatis completa est, & suis vndecumque numeris, partibusque absoluta muri Hierusalem ædificatio, idque *duobus & quinquaginta diebus*, vt addit textus, ex quo sane magnum in operando ædificantium ardorem, summam, indefessamque eorumdem diligentiam, immo, & maiorem fere quam vulgo credi posset, extitisse, nemo est, qui non intelligat, cum tam exiguo temporis interuallo, & tot, tantisque passim obiectis impedimentis, tam immanem structuram, tantam, & tam vastam, tamque immensam operis molem ædificando perfecerint, & ad fastigium perduxerint: vnde, si diebus quinquaginta duobus ædificatio murorum perfecta est (vt vero iuxta literam credi a nobis par est) percommode in textu paulo post subiungitur, de gentibus eam ob rem, & timore, & admiratione perculsis, *factum est, vt timerent gentes, & scirent quod a Deo factum esset opus hoc*, nec enim credibile erat, Iudæos in tantis temporis angustiis id perficere potuisse, nisi à Deo peculiari ope fuissent adiuti. Verum quidem est Nehemiam tum, talique in rerum statu, quod nihil non metueret ab hostium pertinaci conatu, atque inuidia, nec minus a domesticis largitione corruptis, quàm ab externis insidias reformidaret, opus vrsisse vehementer, nec quidquam temporis, seu noctu seu interdiu, vacuum à labore reliquisse, quó factum est, vt totum opus absoluerit, spatio, pro tantæ molis constructione longe breuissimo, nempe intra dies quinquaginta duos 25. die mensis *Elul*. vnde consequens est, vt quarto mensis quinti, qui dictus est *Ab* fuerit inchoatum, quintus enim mensis plenus fuit triginta dierum: nam 27 & 25. efficiunt 52.

Magnus ædificantium ardor & indefessa diligentia arguitur ex absoluto opere 52. diebus.

XI. V. 16. *Factū est ergo cum audissent omnes inimici nostri, vt timerent vniuersæ gentes, quæ erant in circuitu nostro, & conciderent intra semetipsos, & scirent quod à Deo factum esset opus hoc, &c.* Nempe Iudaici nominis hostes, & circumfusæ vndequaque gentes, tam cito vallatum iri ciuitatem numquam in animum induxerant, quare cum audierunt opus perfectum esse, vulgante fama, con-

ciderunt intra semetipsos, *&c.* id est, animo veluti ceciderunt, cogitatione scilicet suspensi, atque attoniti. secumque reputauerunt diuinam in illa tam subita murorum Hierusalem instauratione, manum intercessisse: scio quidem dubium hic à nonnullis proponi de breui illo temporis spatio, quod in ædificatione murorum positum est, quærique, an dies quinquaginta duo, quorum superiori versu mentio fit, numerandi sint ab eo tempore, quo primum inchoata est operis molitio, vel potius ab eo, in quo confictis literis, & corruptis largitione ciuibus, aliquot Hierosolymitanis, qui Prophetæ videri volebant, Nehemiam ab ædificando deterrere conati sunt fraudulenti, ac veteratores Iudæorum aduersarii. Certe (vt rem iam pene satis discussam breuiter expediam) non paucos reperio, qui ab hoc vltimo tempore numerent. quod difficile creditu existiment, tantam fabricæ molem, tam angusto temporis spatio absolui potuisse. In his ponit Iosephum Sanctium, authorem historiæ scholast. Caietanum, Vatablum, & Marianam, quos neque improbat ipse, quia, inquit, res videtur expedita magis, hoc est, si bene mentem eius interpretor, magis credibilis, si sic intelligatur, vti prædicti authores existimant: verum, vt ipsimet, sic & mihi quoque longe magis placet, in extruendis à principio mœnibus, vsque ad extremam illorum manum, seu totius operis absolutionem, duos tantum & quinquaginta dies fuisse consumptos, quia scilicet magis consentaneum est textui, in quo rem ipsam non obscure expressam animaduertere est, ita sentiunt Dionysius, Lyranus, Villalpandus, Torniellus, Pererius, alias rationes, quæ id conuincunt, aut minus incredibile faciunt, fusius alibi exposuimus in quæstionibus præambulis.

A quo tēpore numerandi dies 52 quibus perfecta est murorum ædificatio.

XII. Vers. 17. *Sedet in diebus illis multæ Optimatum Iudæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, & à Tobia veniebant ad eos, &c.* Aliam quoque fuisse tum temporis afflictionem Nehemiæ, à falsis fratribus, per quos Tobias Samaritanus Nehemiam ab instituto reuocare conabatur, hæc verba significant: *sed & in diebus illis*, inquit, pura quibus ædificabatur, *multæ Optimatum Iudæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam*, nouæ scilicet erant ab Optimatibus, per summam fraudem, ac nefariam proditionem, per literas, inquam, insidiæ, qui cum hostibus Iudaici nominis sentiebant, illisque, omnia per literas renuntiabant, in quibus dicta factaque Nehemiæ detegerentur, quæ tecta, occultaque esse oportebat, & publicæ rei admodum intererat; Nam, quoad rem bellicam spectat aut etiam iudiciariam, certum est, in explorandis inimicorum consiliis, seu id experimento, seu ingenii sagacitate, seu internuntiorum beneficio, consequaris, viam aperiri ad victoriam facilem, atque expeditam. Hinc est, cur hostes intestini & Iudæorum genere, summo suo dedecore, in suam veluti patriam, & sanguinem, armati, significarent per literas Tobiæ, quid intus in ciuitate fieret, quod esset Nehemiæ, & aliorum Optimatum, de re tota consilium, quo facilius & loci ac temporis opportunitatem: captaret, ad neruos ædificantium incidendos, & totam operis molitionem, si posset, disturbandam.

Alia Nehemiæ afflictio à falsis fratribus.

In bello viā in Iudiciis via facilis & expedita in victoriam si detegantur inimicorum consilia.

XIII. Vers. 18. *Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum eius, quia gener erat Sechenia, &c.* Nefandæ huius societatis, ac fœdæ proditionis, causam hic nota, quod nimirum, ex Iudæis aliqui, cum aduersariis ipsis, per matrimonia, cognationem, & affinitatem contraxissent: Nam Tobias Samaritanus, gener erat Secheniæ. quem inter Iudæos oportuit esse de primariis vnum, alius tamen est, ab illo Sechenia, cuius est mentio superiori lib. Esdræ cap. 10. v. 2. patris siquidem nomen diuersum est, cum huius pater, dicatur fuisse Area, illius autem Iehiel. rursum Iohanam filius Tobiæ, factus erat gener Mosollam, qui supra cap 3 vers. 4. numeratur inter ædificatores, qui ædificabant iuxta portam Piscium, in latere Aquilonari, & rursum ante Templum, in Ophel, contra gazophylacium suum, ex quo colligitur cum fuisse Sacerdotem, vt vult etiam Villalpandus, & potentem. Isti ergo, pro Tobia, contra patriæ bonū, apud Nehemiā patrocinabantur, vt mox infra apertius dicitur, sic apud illos, plus valuit res priuata, quam publica, plus affinitatis & cognationis, quam religionis & pietatis ratio, atque ideo, vt est in textu, *Illius habuerunt iuramentum*, id est, fœdus cum illo fecerant, iuramentoque firmauerant, seu, quia confœderati ei erant, & affinitate coniuncti, cum illo iurauerant, vel, quod idem valet, contra patriam, & commune ciuitatis

Causa insidiarum & nefandæ societatis Iudæorum aliquot cum Samaritanis contra Nehemiam & publicam vtilitatem orta ex cōtractis connubiis.

bonum, ad perdendam illam, & fun- A ditus euertendam, cum illo coniurauerant.

XIV. Verſ. 19. *Sed & laudabant eum coram me, & verba mea nunciabant ei, &c.* Omnino, fraudulentum hoc etiam artificium, atque inſignis vafrities fuit Iudæorum quorumdam, & falſorum Nehemiæ fratrum, qui Tobiam, boni publici ciuitatis Hieruſalem capitalem hoſtem, multis apud eum verbis, iiſque grauiſſimis extollebant, quaſi Iudaicæ gentis amantiſſimum, quo facilius induceretur Nehemias, ad exeundum è ciuitate, ipſumque Tobiam, ſub ſpecie fœderis ineundi conueniendum, & ſic repugnante nullo, nullo penitus obſiſtente, ab hoſtibus interficeretur, quas profectò, cum domeſticorum, tùm externorum inſidias, non ſine magno diuini numinis ſubſidio, ſaluum deprecari, aut hoſpitem defugere potuiſſe, quidquid alii ſentiant, mihi liquido ſatis compertum eſt, quod autem addit, & extremam huius capitis partem concludit; *Et Tobias mittebat epiſtolas vt terreret me, &c.* Indicat, non ſatis fuiſſe Iudæis iſtis, Tobiæ confœderatis, & affinibus, pro eo, apud Nehemiam patrocinari, aut ſpeciem honeſtam, homini ſceleſto, verbis ſuis affingere, ſed inſuper etiam, verba ipſius Nehemiæ, de toto negotio ſententiam dicentis, quaſi aſperiora, aut inimico animo prolata, aut inſidioſa, ad Tobiam retuliſſe, vnde ille anſam ſumeret, minaces epiſtolas perſcribendi, quas ſummittebat aliquando, vt ciuitatis ædificationem impediret, ſed vicit tandem, imperterrita B Nehemiæ, & patientia, & prudentia, nec parum illuſtre fuit, externis hoſtibus augmentum, vt crederent, opus illud, auſpice Deo, atque authore, ab eo fuiſſe ſuſceptum, cum neque externæ hoſtium inſidiæ, neque inteſtinæ coniurationes, impedimento eſſe potuerint ne feliciter ad exitum perduceretur.

Non ſine diuini numinis ope cùm domeſticorum, tùm externorum inſidias declinauit Nehemias

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA
Capitis ſexti.

Expoſitio Allegorica in illud verſ. 2. *Miſerunt Sanaballat & Geſſem ad me dicentes: Veni & percutiamus fœdus, &c. In vitulis, in campo Ono, ipſi autem cogitabant vt facerent mihi malum, &c.*

Quinam myſticè ſignificentur per eos qui fictè ac ſimulatè fœdus cum Nehemia percutere moliuntur.

I. AD literam, [vt textus, ſatis clare indicat] hoſtes ſanctæ ciuitatis, Iudæorumque aduerſarii, perſuadere conantur Nehemiæ, vt in campeſtria deſcendat, & fœdus pacis, ſecum inire, ne detrectet, mactatis ſimul vitulis, in teſtimonium compactæ fœderis, ſed ille, ne opus religioſum negligatur, in montanis perſeuerat, iam quod ad ſenſum myſticum & Allegoricum pertinet, C eo fere ſunt ingenio, hæretici, & falſi catholici [ait Beda] qui volunt, cum veris Catholicis pacis conſortium habere, non vt ipſi ad arcem Catholicæ fidei, & operationis aſcendant, ſed vt eos potius, quos in culmine virtutum commorantes aſpiciunt, ad infima operum, vel prauorum dogmatum deſcendere cogant, bene autem in campo Vno, volunt cum Nehemia pactum inire, quia in eadem libertate latioris vitæ, quam ſequuntur, omnes conſequenter reſol-

Hæretici & falſi Catholici per hoſtes Iudæorum deſignari qui ſimulatè cum eis pacem inire volunt.

ui desiderant, bene item pactum cum eo in vitulis pariter mactatis volunt percutere, quia falsi fratres orationis suæ, vel actionis Deo hostias vnà cum veris Catholicis gestiunt offerre, vt veri fideles crediti, per victimam communionis veros Catholicos corrumpere possint, sic olim Manichæi clam se Catholicis immiscebant, in ipsa sacrorum Mysteriorum vsurpatione, sed Nehemias personam Doctorum fidelium tenens, nec ad prophanos descendere, nec eorum hostiis inquinari consentit, sed incœptis virtutum operibus deuotus persistit, & quo acrius terrere nituntur, eo magis bene operando ipsis terribilis efficitur: vnde in sequentibus dicitur, versu nono, *Omnes hi terrebant nos, cogitantes quod cessaturæ manus nostræ ab opere, & quiesceremus, quam ob causam, magis confortaui manus meas, &c.* Similiter ergo nos in spirituali structura, quia versutus hostis, semper tentat manus nostras impedire; curemus eas semper diuino auxilio confortare,

Manichæi olim clam se Catholicis immiscebant, vt facilius eos corrumperent.

II. nec displicet in hæc verba is sensus, qui legitur in Glossa, & sic habet, per istos, qui cum Nehemiam, & socios eius, non possint per inuasiones apertas, ab opere muri, aut dispellere, aut abducere, confestim se ad fraudes, occultasque insidias, & machinationes conuertunt, vt sic commodius, sub specie pacis, & boni, eos impedire, aut remorari queant, significari dæmones, qui cum vident, se viros sanctos, per apertas tentationes, ab opere muri virtutum extruendo, auocare non posse, malum ipsis, sine fucata specie, suadendo occultis cuniculis, & per mala, quæ suggerunt, specie boni obtecta, omni opere, atque industria id moliri contendunt; refertur ad eam rem probandam, eo loco exemplum petitum, ex libro de Collationibus Patrum, collatione prima Abbatis Moysis de sancto Ioanne Abbate, quem diabolus sub specie boni ad immoderatum induxit ieiunium, eo vsque, vt per hoc à melioribus actionibus fuerit impeditus, ex quo postea factum est vt diabolus ipsum deridens, cum post talem abstinentiam, minus prudentem, nec moderatam, ad refectionem accederet in figura tetri Æthiopis, ad eius genua prouolutus dixerit: *indulge mihi, qui tibi hunc laborem indixi*, sexcenta sunt eiusmodi exempla eorum, quos cum dæmon

Per eosdem Iudæorum hostes fictam cum eis amicitiam simulantes, dæmones quoque significantur in malis hominibus suggerentes specie boni obtecta.

Exemplũ Abbatis à dæmone delusi per immoderatum ieiunium.

A aperta vi, ac veluti de die primum, atque in ipsa luce, aut tentare, aut debellare non potuerit, postmodum per occultas insidias, per negotium perambulans in tenebris, certis quibusdam virtutum præstigiis, de culmine ipso virtutis disiecerit, cum autem additur versu tertio, *misi ergo ad eos nuncios, dicens, opus grande ego facio, & non possum descendere*, per Nehemiam qui malitiam aduersariorum probè intelligens, eorum sermonibus non acquieuit, rectè significantur illi, qui

B cum fraudes, ac technas dæmonis animaduertant, eas magno animo defugiunt, atque omni contentione depellunt, exemplum quod in Glossa quoque refertur de B. Martino diabolum abs se verbis asperioribus abigente, cum ei in forma Christi apparuerit, quo incautum facilius deciperet, quia notum, ac vulgare est pluribus, hic enarrare non est necesse, addam hoc modo, cum pulsatus insidiis hostium, idem ipse Nehemias, domum Semaiæ quasi amici, & fratris ingreditur, sed ipsum insidiatorem, & hostem inuenit, tanquam externorum

Qui fraudes ac technas dæmonis, & norunt, & cautè defugiunt, per Nehemiã hostium insidias depellentem significantur.

III.

C donis, & amicitia corruptum, vt enarratur versu decimo, eo mystice illud referri, quod semper electi habent, *foris pugnas, intus timores*, quemadmodum expertum se olim aiebat Apostolus, nec solum Apostoli, sed & Prophetę quoque, *periculis ex genere, periculis ex falsis fratribus* subiectam vbique, atque obnoxiam vitam egisse comperiuntur: verbo dicam, & ad Tropologiam propius, istud ipsum iudicare (vt infra pluribus expendemus) nobis in virtutis studio, non cum externis modo, & apertis, sed etiam cum internis, &

D occultis hostibus, esse dimicandum; de quibus, quod in typo ac figura, infra dicitur versu decimo sexto: *Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri, vt timerent vniuersæ gentes, quæ erant in circuitu nostro, & conciderent intra semetipsos, & scirent quod à Deo factum esset opus hoc, &c.* Eius rei sensus hic est, atque intellectus mysticus, quemadmodum qui structores sanctæ ciuitatis terrere volebant, vt ab incœpto opere cessarent, perfecta tandem ædificatione terrentur ipsi, timentque, & animo concidunt, scientes tanti operis molitionem, ac structuram, authore Deo cœptam, atque completam, sic in Ecclesia, cum virtutum structura firma surrexerit, ti-

In studio virtutis dimicandum cum externis atque internis hostibus.

ment immundi spiritus, & viribus nostris tentatio eorum repellitur, & ad nostram victoriam proficit, Hæretici quoque, & falsi Catholici, iuxta superiorem Bedæ mystagogiam, constan- A ti bonorum fide, per dilectionem operante, aut corriguntur emendati, aut cauentur manifestati, & ab Ecclesia expulsi, sic ille, nos ad aliud mysterium detegendum transeamus.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis sexti.

Allegoria in illud vers. 15. *Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul quinquaginta duobus diebus, &c.*

Quid significetur, per id, quod vigesimo quinto die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus absoluta est muri Hierusalem ædificatio.

IV.

IHIL hic admodum immorari necesse est, vbi, quod sub literæ cortice, latet mysterium, facile est retegere, Elul, mensis sextus est, apud Hebræos, quod palam omnes intelligunt, eo mense, perfecta tandem est Solymitanæ ciuitatis instauratio, & quidem, rectè murus sanctæ ciuitatis, sexto anni mense completur, vt eo scilicet temporis spatio, perfecta fidelium viuendi ratio, vel omnibus suis numeris absoluta, pœnitentiæ actio, designetur; senario enim numero, in Scriptura, perfectio boni operis significatur, vel quia, vt iam proxime à nobis citatus Beda, interpretatur, Deus creationem mundi vniuersamque, operum suorum molitionem, sexto die consummauit, & in septimo, vt est in Genesi, ab opere conquieuit, vel quia, nos in sex huius sæculi ætatibus, bonis operibus intentos esse ac desudare, in septima autem, quæ est in alia vita, Sabbatum animarum, seu cessationem, ab omni labore, & perfectam quietem, voluit sperare, & quia numerus quinarius cuius, in sacris item paginis, alibi mentio est, nonnunquam, à sanctis Patribus, ad quinque corporis sensus Allegorice refertur; Rectè etiam vigesimo quinto huius mensis die, ædificatio muri absoluitur, propter quinque cor- B poris sensus, quorum ministerio, bona exterius operari debemus, sicut enim quinarius simplex, solet hos sensus significare, ita per se ipsum multiplicatus, & ad 25 perductus eosdem maiori perfectione demonstrat, perficimus ergo muros Hierusalem, vigesimo quinto die, mensis sexti, cum omnes sensus corporis nostri diligenter diuinis mancipamus ministeriis, & cœpta virtutum studia, ad finem constanter perducimus, quæque ad munitionem Catholicæ pacis, fideliter agere cœperimus, efficaciter iuuante Deo complemus, sic, per pœnitentiam, destructæ olim, spiritualis Hierusalem, my- C sticè instaurari, ac renouari solet, cum videlicet, qui sensus antea peccato, atque iniustitiæ seruiebant, postmodum virtuti, ac iustitiæ, mancipantur in perpetuum; quo spectat, illud Pauli Romanorum, cap. 6. vers. 19. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ, sicut enim exhibuistis, membra vestra, seruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem, ita nunc, exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*; is nimirum est veræ pœnitentiæ fructus, signumque non dubium, conuersæ mentis, ad Deum, nec minus commode muri Hierusalem, quinquaginta duobus diebus dicuntur esse, completi, quinquagesimus enim, pœnitentiæ, & remissionis est Psalmus, in quo de huius ædificatione

Per instaurationem murorum, completam, sexto mense significatur facilius vita perfecta vel pœnitentia.

Cur senario numero in Scriptura perfectio boni operis designetur.

Numerus qui quinus refertur sæpe in Scriptura a SS. Patribus ad quinque corporis sensus.

Vigesimo quinto die muri Hierusalem mystica perficiuntur cum omnes sensus corporis diuinis mancipantur ministeriis.

V.

In quinquaginta duobus diebus quibus muri per-

ſecti ſunt catione ciuitatis orans Propheta, di- A tia peccatorum, pro æterna vita la- *vita, intē-*
numerus cit, *Benigne fac Domine in bona vo-* borare iubemur, ideoque, murum *tum autem.*

gnantes; *Misit ad eum Sanaballat epistolam hoc modo, in gentibus auditum est, quod tu, & Iudæi, cogitatis rebellare, & propterea ædificas murum, &c.* vers. 6. *quid ad hæc Nehemias? misit ad eos dicens, Non est factum, secundum verba hæc, quæ tu loqueris; de corde enim tuo tu componis hæc*, vers. 8. sic quam antea repugnat, resistitque vehementius, sic, nec minis, nec terroribus hostium, percellitur, nec de suscepto consilio ciuitatis extruendæ deduci inquam potest, idem ipsum, quod in Nehemia suspicimus, in quo-

VII. tidiana congressione, pugnaque, nobis, cum Dæmone, eiusque asseclis ineunda, præstandum est, & quidem qui animis nostris insidiantur eorumque ruinam cogitant, externos, & internos hostes, habemus, & forenses, & domesticos, vtrosque debellandos, nunc de externis, potissimum, deuincendis agimus, postea de internis dicturis: Ergo, si in Hierusalem degis, quasi alter Nehemias, si, quieta tranquillaque mente operans, quod bonum est, in sede pacis, in virtutis domicilio commoraris, ne descende, alio te inuitat hostis teterrimus? ne audi, importunis el moribus, appellans, te impetiit? resiste, & consiste, præcipientem audis Apostolum, *Nolite locum dare diabolo*, Ephes. 4 vers. 27. vide, vbi sis, aut in qua statione positus, si cum Deo es, & tibi bene cum Deo est, nihil tibi, cum Dæmone est, immo, & ab eo longius es, nec locus illi dandus est, nec ab eo vsquam accipiendus, tibi Hierusalem; illi Babylon designata est; de loco in quo est, secede velocius, aut si abes in eum, quamuis, te inuitet, vrgeatque vehementius, vti venias; ne transmigra, sed insidiatur, etiam in Hierusalem morantibus, sed inuitat amicè, sed aduocat blande sed blanditur importunè, sed prolectat insidiosè, sit ita, sed, *resistite diabolo & fugiet à vobis*, ait D. Iacobus, in sua Canonica, c. 4. v. 7. quæso vocem hanc expende, *resistite & fugiet*, si resistis fugit, aduersarius, si volumus, fortis est, si volumus, imbellis, immo, si nolumus, quod vult ipse, ac velle nos satagit, imbellis est, atque ignauus, si volumus, fortis ac validus, hinc de salutis nostræ aduersario, sic D. Hieronymus epistola ad Demetiadem, *Nostra contra nos vtitur voluntate, de consensu nostro, aduersarius vires accipit, nostroque, nos iugulat, gladio*: & Cassianus libro 7.

Nec locus dæmoni dandus nec ab eo vsquam accipiendus.

Si volumus fortis est dæmon si volumus imbellis & ignauus.

A collation. cap. 8 sicut est, *illi instigationis copia, ita & in nobis virtus respuendi magna gratia vt sola resistentia sufficiat ad fugandum diabolum*, ait Caietanus, in prædictum Iacobi locum, standum modò in acie, nec descendendum, aut eundum vnquam, quo impellimur ab aduersario, standum in fide, & viriliter agendum, resistendumque duntaxat, & quod orat Paulus Rom. 16. vers. 20. *Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter*, certè, quod ad hunc agonem spectat, victoria, etiam, in statione inflexibili ponitur, non tantum in pro-

Sola resistentia vincitur dæmon.

B fligatione inimici, in qua, cæterorum certaminum victoria consistit; & id quidem, notat D. Chrysostomus Homilia 22. in epist. ad Ephesios, his verbis, *Non hic res se habet quemadmodum apud athletas, nam illic quidem, nisi deieceris, non vinces, hic vero vinces, si deiectus non fueris, illic ambo certantes, vincere student, & si alter deiectus, alter coronatur, hic vero non ita, sed diabolus, hoc laborat, vt nos inferiores reddat, & vincat*, quando igitur illi, hoc quod studet, abstulero vici, victoria vero eius, non eo est, *vt coronam adipiscatur, sed vt nos perdat; itaq; vici, etiamsi illum non deiecero duntaxat* VIII.

C *deiectus non fuero*, si homini te inuadenti resistas, non idcirco illum fugas, & vincis, at si diabolo resistas, illum fugas, & vincis, in tua ergo, vt vides potestate est immo facilis tibi, ac prompta est, si voles, de humani generis hoste victoria quia vt ait S. August. l. 50. Homil. Homil. 12. *Suadere diabolus & sollicitare potest, cogere, omnino non potest, & ideo, cum per Dei adiutorium in tua potestate sit, vtrum consentias diabolo, quare non magis Deo quam ipsi obtemperare deliberas?* dæmon itaque, tibi, mi homo, nocere nequit, nisi cum plus

Propria & facilis de dæmone victoria quia sollicitare quidem potest sed cogere non potest.

D æquo timeas, nisi timendo, sponte illi cedas & consentias, *Quemadmodum qui ante conflictum non telo, sed tuba prosternitur*, ait sanctus Bernardus serm. decimo tertio, in Psalm. 90. vbi docet leonem, cui dæmon comparatur, 1. Petri capite quinto, versu octauo, magis terrere rugitu, quam ferire morsu, adeoque animalia, quæ morsui resistunt, immo leonem subinde superant, non sustinere eius rugitum, *et rugientis eius sonitu, velut quadam vi attonita, atque icta, capiantur*: ait sanctus Ambrosius 6. Hexam. c. cap. 3. ex quibus constat, diabolum, magis

Leo cui comparatur Dæmon 1. Petri 5. magis terret rugitu quam morsu.

nocere, minis suis, & terroribus, quam robore, & verbere, vt ita loquar, quem ad fugam preuocamus, cum ei nos ad crimen preuocanti, voce tantum, aut nutu mentis resistimus, scio quidem, vt in certaminibus, ac dimicationibus hominum quotidianis, varia congressionum sunt genera, multæ dimicandi artes, confligendique, cum hoste, sic varias quoque pugnandi cum Dæmone rationes esse, varios, eius tentationes vincendi modos, vt passim in Theologorum scholis disputatur: fit enim id primo, non solum, non peccando, sed etiam proficiendo, aliquo modo, in ordine ad salutem, actumque virtutis alicuius exercendo, quem proprium esse victoriæ modum, notat D. Thomas in 2 disput. 28. quæst. 1. artic. 2. ad 6. ex Augustini doctrina, lib. 21. de Ciuitate Dei. cap. 16. vbi sic ait, *Tunc vitia victa deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur,* secundo, contingit, superari tentationem, non consentiendo peccato, ad quod inclinat, aliud tamen, licet fortasse minus committendo, vt cum quis vincit tentationem furti, ex solo affectu honoris, vel simili, & hæc non est victoria, nisi secundum quid, tertio contingit, superari tentationem, nihil omnino peccando, neque etiam in ordine ad salutem proficiendo, siue quia homo negatiue se habet, suspendendo actum, vt quidam scholastici volunt, siue, quod magis morale est, eliciendo actum ordinis naturalis, propter aliquam honestatem moralem, ac priorem illum vincendi modum, vt iam ex D. Thoma significamus cæteris omnino nobiliorem ac perfectiorem esse omnes intelligunt, sed de vanis illis congressionibus, quicquid sit, si resistis obsistenti, quoquo modo id fiat, fugit & fugatur imbellis aduersarius, resistite diabolo & fugiet à vobis. Rationem, porro quare victus abscedat diabolus, notat in hunc locum, iam supra, sæpius, à nobis citatum, Iacobi, Lyranus, quia videlicet, *ipse est Rex super omnes filios superbiæ,* Iob 41. quanto autem aliquis est superbior, tanto magis abhorret superari, propter quod, diabolus, videns aliquem, fortiter resistentem, dimittit, eum, tentare timens, ne ab eo superetur, propter quod recedit ab eo, ante faciem belli, vnde dicit Ambrosius super Lucam, cap. 4. quod diabolus instare formidat, quia frequentius refugit triumphari, quin ex eodem loco commodè omnino possumus intelligere, quod Matthæus de diabolo tentante Christum, ait cap. 4. tunc reliquit eum diabolus, vt scilicet reliquerit, non ad imperium Christi, vt aliqui volunt, inter quos est Chrysostomus, Homil. 13. in Matth. & D. Maximus, Homil. 2. sed quod nulla adhibita vi, recessit, victus, elusus, & confusus, *Legitime pugnanti reperitur agonum terminus* (ait quidam veterum, in catenam allatus) *quod aduersarius, vel sua sponte cedat vincenti, vel trino casu deponatur secundum pugnatoriæ artis decretum,* vnde D. Ambros. Luc. 4. *Vides,* inquit, *diabolum, non esse pertinacem in stadio, cedere solere veræ virtuti, & si inuidere non desinat, tamen instare formidat,* & vide quam belle veritati, figura conueniat, cum de Iudæorum hostibus, ciuitatis Hierusalem instaurationem impedire molientibus dicatur, in hac ipsa Nehemiæ historia, hoc capite vers. 16. *Factum est cum audissent inimici nostri, vt timerent vniuersæ gentes, quæ erant, in circuitu nostro; & conciderent, intra semetipsos, & scirent, quod à Deo factum esset verbum hoc,* quibus verbis, indicatur, cessasse tandem eos, à Iudæis lacessendis, fractosque animo cecidisse, cepisse timere quos antea inuadere cogitabant, fugisse, quodammodo, resistentes, cum insuperabilem illorum, cùm in ædificando, tùm in pugnando, resistendoque obsistentibus quibusque, vbi opus esset, constantiam animaduertissent, quare illud nobis semper præ oculis habendum est, quod monuit Cyprianus, de zelo & liuore, nimirum quia iugiter nos aggredi conatur inimicus, & circuit quærens, quà, ad nos possit ingredi, iugiter etiam, de illius resistentia nobis esse deliberandum; *Debet animus,* inquit ille, *esse tam paratus semper ad repugnandum, quam est ad impugnandum semper inimicus* peccato, vbi vbi se offerat, repugnandum modo, & vincimus, Dæmoni resistendum, inuitanti ad lapsum, & vsque ad sanguinem, repugnandum, resistēdumque, si res ferat, atque opus sit, & triumphemus, *Nondum vsque ad sanguinem,* restitistis peccato repugnantes, aiebat olim, cum nuper ad fidem Christianam conuersos, Hebræos, alloqueretur, dux ille strenuus in spirituali acie, confligendique cum Dæmone peritissimus. D. Paulus, Hebræorum 12. vers. 4. & quoniam resi-

IX. *Varij modi pugnandi cũ Dæmone & tentationes eius vincendi ex Theologis.*

Diabolus recedit ab eo qui restitit tentationibus suis, quia superbus est & frequentius refugit triumphari.

X. *Hostes Iudæorum ædificantium cessant ab eis lacessendis cum eos videnti cõstantes in resistendo vt sic veritati figura conueniat.*

Gratia Dei frequenter inuocanda ad superãdas Dæmonis tentationes.

stere non possumus, acriori saltem, & A longiori tentationi, sine nouo Dei auxilio, vti ex sancto Augustino passim docent Theologi, ante omnia, & assiduo, & magno animi feruore, Dei gratia inuocanda est, atque vbi hostem vicerimus, partam victoriam, non nostris sed Dei, eiusque gratiæ viribus, acceptam referre debemus, nam, vt ait sanctus Augustinus, lib. de natura & gratia, cap. 58. *Vt diabolo resistamus & fugias a nobis ideo precantes*, dicimus, ne nos inducas in tentationem, sed de armorum genere, quibus Dæmonum impetus, propulsandi sunt, fusius sequenti dissertatione.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis sexti.

Morale in illud vers. 9. *Omnes hi terrebant nos cogitantes, quod cessarent manus nostræ ab opere, & quiesceremus, quam ob causam magis confortaui manus meas, &c.*

Quo plures & acriores habemus aduersarios in via spiritus eo magis bonis operibus insistendum pugnandumque validius.

XI. IONYSIVS Carthusianus, in hæc verba, textus iam citati, *Magis confortaui manus meas*, primùm, hac vtitur paraphrasi, id est, inquit, tanto plus animaui me, ad operandum, quantò multiplicius, ac insidiosius, impius ille Sanaballat, volebat me impedire, tùm subiicit postea, omnino ad rem nostram, *Sic & nos debemus tanto feruentius Deo seruire, vitiisque resistere, quanto importunius, inuisibiles aduersarij, nos impugnant, aut homines praui impedire nostrum profectum nituntur*, magni animi est, erigere se contra aduersa, nec frangi, primo obsistentium impetu, eoque aduocandum est, illud Plinii, quod etiam ad institutum nostrum facit, *Vt palma imposito onere enititur, ita viri fortis animus, quo plus negotiis premitur quoque magis sæuit fortuna hoc est erectior*, nempe, firmat se audentius contra valentiorem hostem, generosa mens, & vires plerumque, ac robur addit, insultus vehementior, hinc Nehemias noster, ædificationi murorum Hierusalem, strenue addictus, cum ab hostibus vndique cingeretur qui populares suos terrerent, atque ab ædificando si qua arte possent, eos abducerent, stabat B ipse imperterritus, & quod acres vehementer, ac fortes essent Iudæorum aduersarii, eam ob causam, vt ipse ait, *magis confortabat manus suas*, maioresque animos, ad resistendum sumebat, persistendumque, in opere Dei, quod inchoauerat, de Dauide, quam insigne est illud, quod ait Psalm. 3. vers. 7. cum numerosiorem solito, fortioremque hostem, habet ceruicibus suis imminentem, *Non timebo millia populi circundentis me, exurge Domine saluum me fac*, dixerat paulo ante, vers. 1. 2. & 3. C *Domine quid multiplicati, qui tribulant me, multi insurgunt aduersum me, multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius, tu autem Domine susceptor meus, gloria mea, & exaltans caput meum*, quasi dicat, quid ego hostes istos, atque aduersarios pertimescam, quantolibet numero me aggredientes? si susceptorem Deum habeo, & auxiliatorem, si opem ferat, dum congredior, salua sunt omnia, in Domino confidens, confortansque manus meas, non dubito, quin ex præsenti hostium impressione superior, victor-

Magni animi est erigere se contra aduersa nec frangi ad primos aduersariorũ impetus.

Vir fortis palma similis quæ imposito onere sursum enititur.

Res illustratur exẽplo Nehemiæ & Dauidis.

XII. que euadam; vis scire quemadmodum alias idem ipse confortat manus suas, firmetque validius aduersus ingruentium inimicorum impetus, quo in genere, ex interpretum sensu, hominis pro Deo contra dæmonem pugnantis vmbram præ se fert, atque imaginem? attende: *Cum mihi molesti essent, induebar cilicio*, inquit, *humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu conuertetur*, Psal. 34. vers. 13. quo loco, Hugo Cardinalis attribuit cilicium, & ieiunium domandæ carni, orationem vincendo diabolo: & quoniam hac dissertatione de asciscendo robore, ad profligandum dæmonem, maxime seruo nobis est, præstat Apostolum audire, de hoc argumento tam acute, ac subtiliter disserentem his verbis, Ephesiorum sexto, versu decimo secundo: *De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli*, quæso aduerte, *confortamini*, inquit, *in Domino, & induite armaturam Dei*, ac si diceret, *confortamini*, seu *confidite* quidem *in Domino, & in potentia virtutis eius*, sed &, quod operæ vestræ est, cum auxilio Dei, strenue quoque impendite, *confortamini in Domino*, qui nunquam non vobis aderit, sed confortate quoque manus vestras, quid ita? aut quamobrem tandem vel languentes animos ad pugnam exsuscitat? audi, *quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates*, acre vobis certamen subeundum est, molesta, ac diuturna cum externo, internoque hoste pugna suscipienda est, *induite vos armaturam Dei*, & ad sustinendos tam vehementes aduersariorum impetus, vos, vt par est, comparate, sic, quasi buccinæ cantu pugnam indicit, sic, vt vides, vult accingi ad prælium, vult virtutum omnium paroplia armari militem Christianum, vult in aciem descendere loricatum, galeatum, calceatum, scuto tectum, instructum gladio, vult vallari vndique, ac muniri omni præsidio aduersus hostes, eosque formidolosos: *aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, en exercendæ fortitudinis seges amplissima, en quò se

XIII. proferat nostra in dimicando industria; sed vnde tandem, aut quo potissimum ex armorum vsu, & genere, arcessenda nobis est quàm commodissima dimicandi ratio aduersus dæmonem, hostem illum externum quidem, sed inuisibilem, & saluti nostræ adeo infestum: quænam hæc armatura Dei est, de qua proxime Apostolus, cum ait, *induite vos armaturam Dei*, lucem aliquam his verbis affert D. Bernardus Sermone tertio in dedicatione Ecclesiæ, cum sic exponit, *induite vos*, ait, *armaturam Dei, non modo ad resistendum, sed ad impugnandum, & expugnandum viriliter inimicum, quid enim putamus fratres, grauis equidē nobis est inimici tentatio, sed longe grauior illi oratio nostra, lædit nos iniquitas eius, atque versutia, sed multo amplius nostra cum simplicitas, & misericordia torquet, humilitatem nostram non sustinet, vritur charitate nostra, mansuetudine, & obedientia cruciatur.* Sic ille, nec longe ab eo dissentit D. Antonius apud S. Athanasium, dum arma suggerens, contra dæmonum insidias, sic habet. *Credite mihi experto, pertimescit Sathanas, recte viuentium vigilias, orationes, ieiunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, & præcipue purum cor erga Christi amorem.* Hæc sane confortant manus pugnaturi contra Sathanam, & aduersus spiritualia nequitiæ, quæ tamen, quia nimis vniuersè dici videntur, rursus Apostolum audiamus, ad certas quasdam, designatasque virtutes, panopliam suam, siue armaturam Dei reuocantem. *State*, inquit, *succincti lumbos vestros, in veritate, induti lorica iustitiæ, calceati pedes in Euangelium pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei*, in quem locum Beda ex D. Augustino libro de Doctrina Christi, *armauit nos Apostolus armis laudabilibus, & inuictis, insuperabilibus, & splendidis, spiritalibus sane, & inuisibilibus, quia & hostes inuisibiles expugnamus.* Hanc igitur, vt D. Pauli mens sit explicatior, imaginem, & panopliam militis Christiani, veluti à capite vsque ad talos armati, sic accipe; galea illi spes salutis est, siue spes in Christum, lorica, iustitia, id est, opera iusta, & sancta, quæ manus hominis confortant, fortioremque efficiunt ad dimicandum, baltheus, siue cingulum, quo succingitur, veritas est, siue fidelitas, integritas, & castitas, calcei, & ocreæ XIV.

Dauidis animus erectior contra aduersarios, eius hominis contra dæmonem pugnantis præ se fert imaginem.

Paraphrastica expositio verborum D. Pauli Ephes. 6. vers. 12.

Quæ sit commodissima dimicandi ratio aduersus dæmonem, & quanā armatura Dei, de qua Apostolus.

Armatura Dei Christiano militi induenda à D. Bernardo explicata.

Quas virtutes pertimescat dæmon ex D. Antonio.

Armatura Dei à D. Paulo ad certas virtutes reuocata.

sunt præparatio, & alacritas, ad viam A Euangelii ineundam, & propagandam, gladius illi, quem dextra tenet, verbum Dei est, scutum, quod sinistra præfert, fides inconcussa, paulo aliter S. Ephrem tractatu de Panoplia, siue armatura spiritali, hæc arma aptat militi Christiano, cum ait. *Galea est spes, baltheus est charitas, calceamenta, sunt humilitas, scutum est crux, arcus est oratio*: quin & huc alludere videatur Tertulianus libro de Corona militis, cum militem Christianum fidei, ac religionis, ergo dirè vexatum ita describit, *& nunc russatus suo sanguine, sic calceatus, de Euangelii paratura succinctus, acutiore verbo Dei, totus de Apostolo armatus, & de martyrii candida laurea melius coronatus, donatiuum Christi in carcere expectat*: addam Basilium, qui in admonitione ad filium spiritualem, militem Christianum cum milite seculari conferens, sic eum ad pugnandum excitat, & hæc arma, quibus tegendus est, pugnaturo repræsentat: *Miles terrenus quocumque loco mittitur, paratus, ac promptus est, neque se vxoris, aut liberorum gratia excusare audebit, multo magis miles Christi, sine aliquo impedimento Regis sui imperio debet obedire, ille in prælio galeam ferream gestat, sed tua galea Christus sit, qui est caput tuum, ille lorica, ne vulneretur, indutus est, sed tu pro lorica, sis fide Christi circundatus, ille contra aduersarium suum mittit lanceas, & sagittas, tu contra aduersarium diuina eloquia iaculare, ille donec pugna geritur, arma à semetipso non proiicit, ne ab aduersario vulneretur, ita & tu, nunquam debes esse securus, quia tuus hostis, hoste illius astutior est, ille si superauerit, ad domum reuertitur, tu vero hoste prostrato in illud cæleste regnum cum omnibus Sanctis.*

Eiusdem armaturæ explicatio à S. Ephrem diuersa paulum à superiori.

Comparatio militis Christiani cum milite seculari, eiusque armatura ex D. Basilio.

XV. Nos vero ex armis istis scutum tantum assumamus, & in fide explicanda, vt pote omnium commodissima, quæ vsurpetur in acie, conflictuque aduersus dæmones, paulum immoremur. *Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi*, aiebat Psaltes Regius, Psalmo decimo quarto, versu secundo, *scuto circundabit te veritas eius, non timebis a timore nocturno*, Psalmo nonagesimo, versu quinto, vt sub scuto reliqua omnis armatura contineri videatur, neque vero fides in Apostolo scuti, seu clypei tantum, sed etiam loricæ & thoracis nomine designatur, sic enim 1. Thessalon. capite quinto, versu octauo, *induti loricam fidei, & charitatis, & galeam spem salutis*, vt mirum non sit, quod sacræ literæ, adeoque SS. Patres, tam frequenter fidei vsum, exercitiumque commendent, ad debellandos hostes inuisibiles, cum ex ea cæteræ virtutes facile enascantur: hinc Beda loco iam antea citato, *si vides hostem tuum, videantur arma tua, armamur earum rerum fide, quas non videmus, & sternimus hostes, quos mox videmus, ab incredulis diabolus timetur, vt leo, à fortibus in fide, vt vermis contemnitur*, ait Isidorus, libro tertio de summo bono, capite quinto: *hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra*, ait B S. Ioannes, Epist. 1. cap. 5. vers. 4. & S. Antonius apud S. Athanasium, *signum crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est, cui resistite fortes in fide*, ait Apostolorum Princeps, Epist. 1. cap. 5. vers. 9. quod Hieronymus in cap. 55. Isaiæ, vertit, *confortati fide*, nec tamen, fides quælibet, puta exilis, & languida, sed viua, firma, fortis, & generosa, vincit diabolum, cum enim eius iacula, fere ignita sint, vt ait Diuus Paulus, iam sæpius citatus, Ephesiorum, cap. 6. vers. 16. & tentationes plerumque ac concupiscentias ardentes exsuscitet, iuxta illud, Iob. C cap. 40 vers. 12. *Halitus eius prunas ardere facit*, hæc non nisi, vehementi fide, extingui possunt; quare, sub fide, tanquam virtutum radice, intellige, spem, orationem, charitatem, siquidem fides, spe roborata, oratione armata, charitate succensa, atque ignita, salutis nostræ hostem, victum, prostratumque conculcat, ne frustra dictum sit Psal. 9. versu decimo tertio. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*, adeo vt in quauis tentatione fide armatis dicere liceat, cum Paulo, Roman. cap. 8. vers. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque creatura* D *alia, poterit nos separare à charitate Christi*, hinc est, cur diabolus, hanc fidei firmitatem & fortitudinem, nobis eripere conetur, vt fide destituti, quasi cæci oberremus, & incauti atque imprudentes, in eius laqueos impingamus, fides enim est oculus animæ, quem libens, eruat nobis, & effodiat, si possit, noster aduersarius, huius rei figura sit, ac symbolum, Naas Rex Ammon, qui 1. Reg. cap. 11. vers. 2. cum incolis Iabes pacisci voluit, ac fœdus

Scutum fidei commodissima omnium armatura.

Fides etiā loricæ, & thoracis nomine designatur ab Apostolo.

Ex fide cæteræ virtutes facile enascuntur.

Vis fidei ad debellādū dæmonē demonstratur ex sacris Scripturis, & ex SS. Patribus.

Sub fide velut radice virtutum spes, oratio, charitas intelliguntur.

XVI.

Fides oculus animæ quem diabolus nobis eruere omni ope nititur.

inire, ea conditione, vt dextrum oculum expungi sibi finerent, idque tùm in opprobrium, tùm vt rebellare non possent, reddendo se ipsos bello inutiles, & cæcos, cum enim sinistrum oculum scuto tegerent milites, effosso dextro, fuissent prorsus in prælio cæci: iam ad mysterium, sanctus Gregorius in locum citatum 1. Regum, *Dexter oculus*, inquit, *est intuitus æternæ claritatis, qui fit per fidem, sinister vero oculus, est concupiscentia carnalis, & intuitus terrenorum: Dexter vero oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percutitur, vt vltra ad videnda cælestia non aperiatur*, ergo *Naas*, id est, Hebraicè *serpens*, quod belle diabolo conuenit, dextros oculos fœderatorum suorum eruit, quando æternorum intuitum adimit, facitque vt homines carnalia solum cogitent, & cupiant, ac cœlestia quæ solebant amare non attendant, tunc enim non insidianti, nec bellanti, palam resistunt, sed prima congressione, primoque impetu

A sternuntur facile, ac deiiciuntur, *Sanctis autem per fidem*, quæ dexter animæ oculus est, per omnia se insinuans, ac penetrans *vicerunt regna*, ait Apostolus, Hebræorum vndecimo, versu trigesimo tertio, fides si charitate concalescit, ad omne opus bonum Christiani militantis animum impellit, hæc somnum animæ discutit, & vigilias inducit, ne vnquam ab satanæ fraudibus, & insidiis circumueniri queat: vnde toties in Scripturis sacris eam ob causam vigilare admonemur, *sobrij estote, & vigilate*, 1. Pet. 5. vers. 8. Quorsum istud? *quia aduersarius vester diabolus circuit, quærens quem deuoret, vigilate, & orate, ut intretis in tentationem*, Marc. 14. vers. 38. sed quid est vigilare? ex D. Augustino sermone 23. de verbis Domini, sic interpretare, & conclude, *corde*, inquit, *vigila, fide vigila, spe vigila, operibus vigila*. Iam de interno hoste, ac domestico, multo etiam cæteris periculosiore, sequenti tractatione differamus.

B

Quid sit vigilare, quod toties Christiano in Scripturis sacris commendatur.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis sexti.

Morale in illud vers. 11. *Num quisquam similis mei fugit? & quis, vt ego, ingredietur Templum, & viuet? non ingrediar, &c.*

Internos hostes, atque inimicos homines domesticos, quibus vtitur dæmon in eius perniciem, acri studio, ac vigilantia debellandos.

XVII.



PRIDEM illudà veteribus decantatum est, nullum ex omnibus hostibus capitaliorem esse, quàm domesticum, nullum periculosius bellum esse, quàm ciuile, & intestinum, & certe, cum sensum moralem historico, ac liberali inniti imprimis oporteat, non tantum Nehemiæ, vt ex historiæ contextu patet, cum externis hostibus, puta Sanabal-

In hac dissertatione

C lat, Gossem, & Tobia, sed etiam cum domesticis, & popularibus, Samaia scilicet, Nodaia, cæterisque nonnullis necessitudine, aut affinitate cum Tobia coniunctis, fictis illis quidem, ac fraudulentis amicis, aut falsis Prophetis pugnandum fuit, neque minus horum occultæ fraudes, atque insidiæ, quàm illorum apertæ vires, ac minæ fuerunt ei declinandæ, immo vberiori quodam ingenii acumine, ac solertia, maiori item mentis celsitudine præditum esse oportuit,

sensus moralis historica, ac literali maxime innititur, cum Nehemias non tantum ab externis hostibus, sed etiam ab domesticis fuerit appetitus

bonum, ad perdendam illam, & fun- A ditus euertendam, cum illo coniurauerant.

XIV. Verſ. 19. *Sed & laudabant eum coram me, & verba mea nunciabant ei, &c.* Omnino, fraudulentum hoc etiam artificium, atque inſignis vafrities fuit Iudæorum quorumdam, & falſorum Nehemiæ fratrum, qui Tobiam, boni publici ciuitatis Hieruſalem capitalem hoſtem, multis apud eum verbis, iiſque grauiſſimis extollebant, quaſi Iudaicæ gentis amantiſſimum, quo facilius induceretur Nehemias, ad exeundum è ciuitate, ipſumque Tobiam, ſub ſpecie fœderis ineundi conueniendum, & ſic repugnante nullo, nullo penitus obſiſtente, ab hoſtibus interficeretur, quas profectò, cum domeſticorum, tùm externorum inſidias, non ſine magno diuini numinis ſubſidio, ſaluum deprecari, aut hoſpitem defugere potuiſſe, quidquid alii ſentiant; mihi liquido ſatis compertum eſt, quod autem addit, & extremam huius capitis partem concludit; *Et Tobias mittebat epiſtolas vt terreret me, &c.* Indicat, non ſatis fuiſſe Iudæis iſtis, Tobiæ confœderatis, & affinibus, pro eo, apud Nehemiam patrocinari, aut ſpeciem honeſtam, homini ſceleſto, verbis ſuis affingere, ſed inſuper etiam, verba ipſius Nehemiæ, de toto negotio ſententiam dicentis, quaſi aſperiora, aut inimico animo prolata, aut inſidioſa, ad Tobiam retuliſſe, vnde ille anſam ſumeret, minaces epiſtolas perſcribendi, quas ſummittebat aliquando, vt ciuitatis ædificationem impediret, ſed vicit tandem, B imperterrita Nehemiæ, & patientia, & prudentia, nec parum illuſtre fuit, externis hoſtibus augmentum, vt crederent, opus illud, auſpice Deo, atque authore, ab eo fuiſſe ſuſceptum, cum neque externæ hoſtium inſidiæ, neque inteſtinæ coniurationes, impedimento eſſe potuerint ne feliciter ad exitum perduceretur.

Non ſine diuini numinis ope cùm domeſticorum, tùm externorum inſidias declinauit Nehemias

---

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA
Capitis ſexti.

Expoſitio Allegorica in illud verſ. 2. *Miſerunt Sanaballat & Geſſem ad me dicentes: Veni & percutiamus fœdus, &c.* In *vitulis, in campo Ono, ipſi autem cogitabant vt facerent mihi malum, &c.*

Quinam myſticè ſignificentur per eos qui fictè ac ſimulatè fœdus cum Nehemia percutere moliuntur.

I. AD literam, [vt textus, ſatis clare indicat] hoſtes ſanctæ ciuitatis, Iudæorumque aduerſarii, perſuadere conantur Nehemiæ, vt in campeſtria deſcendat, & fœdus pacis, ſecum inire, ne detrectet, mactatis ſimul vitulis, in teſtimonium compactæ fœderis, ſed ille, ne opus religioſum negligatur, in montanis perſeuerat, iam quod ad ſenſum myſticum & Allegoricum pertinet, C eo fere ſunt ingenio, hæretici, & falſi catholici [ait Beda] qui volunt, cum veris Catholicis pacis conſortium habere, non vt ipſi ad arcem Catholicæ fidei, & operationis aſcendant, ſed vt eos potius, quos in culmine virtutum commorantes aſpiciunt, ad infima operum, vel prauorum dogmatum deſcendere cogant, bene autem in campo Vno, volunt cum Nehemia pactum inire, quia in eadem libertate latioris vitæ, quam ſequuntur, omnes conſequenter reſol-

Hæretici & falſi Catholici per hoſtes Iudæorum deſignati qui ſimulatè cum eis pacem inire volunt.

ui deſiderant, bene item pactum cum eo in vitulis pariter mactatis volunt percutere, quia falſi fratres orationis ſuæ, vel actionis Deo hoſtias vnà cum veris Catholicis geſtiunt offerre, vt veri fideles crediti, per victimam communionis veros Catholicos corrumpere poſſint, ſic olim Manichæi clam ſe Catholicis immiſcebant, in ipſa ſacrorum Myſteriorum vſurpatione, ſed Nehemias perſonam Doctorum fidelium tenens, nec ad prophanos deſcendere, nec eorum hoſtiis inquinari conſentit, ſed incœptis virtutum operibus deuotus perſiſtit, & quo acrius terrere nituntur, eo magis bene operando ipſis terribilis efficitur: vnde in ſequentibus dicitur, verſu nono. *Omnes hi terrebant nos, cogitantes quod ceſſauerant manus noſtra ab opere, & quieſceremus, quam ob cauſam, magis confortaui manus meas, &c.* Similiter ergo nos in ſpirituali ſtructura, quia verſutus hoſtis, ſemper tentat manus noſtras impedire; curemus eas ſemper diuino auxilio confortare,

Manichæi olim clam ſe Catholicis immiſcebant, vt facilius eos corrumperent.

II. nec diſplicet in hæc verba is ſenſus, qui legitur in Gloſſa, & ſic habet, per iſtos, qui cum Nehemiam, & ſocios eius, non poſſint per inuaſiones apertas, ab opere muri, aut diſpellere, aut abducere, confeſtim ſe ad fraudes, occultaſque inſidias, & machinationes conuertunt, vt ſic commodius, ſub ſpecie pacis, & boni, eos impedire, aut remorari queant, ſignificari dæmones, qui cum vident, ſe viros ſanctos, per apertas tentationes, ab opere muri virtutum exuendo, auocare non poſſe, malum ipſis, ſine fucata ſpecie, ſuadendo occultis cuniculis, & per mala, quæ ſuggerunt, ſpecie boni obtecta, omni opere, atque induſtria id moliri contendunt; refertur ad eam rem probandam, eo loco exemplum petitum, ex libro de Collationibus Patrum, collatione prima Abbatis Moyſis de ſancto Ioanne Abbate, quem diabolus ſub ſpecie boni ad immoderatum induxit ieiunium, eo vſque, vt per hoc à melioribus actionibus fuerit impeditus, ex quo poſtea factum eſt vt diabolus ipſum deridens, cum poſt talem abſtinentiam, minus prudentem, nec moderatam, ad refectionem accederet in figura teterri Æthiopis, ad eius genua prouolutus dixerit: *indulge mihi, qui tibi hunc laborem indixi*, ſexcenta ſunt eiuſmodi exempla eorum, quos cum dæmon

Per eoſdem Iudæorum hoſtes fictam cum ipſis amicitiam ſimulantes, dæmones quoque ſignificantur mala hominibus ſuggerentes ſpecie boni obtecta.

Exemplū Abbatis à dæmone deluſi per immoderatum ieiunium.

aperta vi, ac veluti de die primum, atque in ipſa luce, aut tentare, aut debellare non potuerit, poſtmodum per occultas inſidias, per negotium perambulans in tenebris, certis quibuſdam virtutum præſtigiis, de culmine ipſo virtutis diſiecerit, cum autem additur verſu tertio, *miſi ergo ad eos nuntios, dicens, opus grande ego facio, & non poſſum deſcendere*, per Nehemiam qui malitiam aduerſariorum probè intelligens, eorum ſermonibus non acquieuit, recte ſignificantur illi, qui cum fraudes, ac technas dæmonis animaduertant, eas magno animo defugiunt, atque omni contentione depellunt, exemplum quod in Gloſſa quoque refertur de B. Martino diabolum abs ſe verbis aſperioribus abigente, cum ei in forma Chriſti apparuerit, quo incautum facilius deciperet, quia notum, ac vulgare eſt pluribus, hic enarrare non eſt neceſſe, addam hoc modo; cum pulſatus inſidiis hoſtium, idem ipſe Nehemias, domum Semaiæ quaſi amici, & fratris ingreditur, ſed ipſum inſidiatorem, & hoſtem inuenit, tanquam externorum donis, & amicitia corruptum, vt enarratur verſu decimo, eo myſtice illud referri, quod ſemper electi habent, *foris pugnas, intus timores*, quemadmodum expertum ſe olim aiebat Apoſtolus, nec ſolum Apoſtoli, ſed & Prophetę quoque, *periculis ex genere, periculis ex falſis fratribus* ſubiectam vbique, atque obnoxiam vitam egiſſe comperiuntur: verbo dicam, & ad Tropologiam propius, iſtud ipſum iudicare (vt infra pluribus expendemus) nobis in virtutis ſtudio, non cum externis modo, & apertis, ſed etiam cum internis, & occultis hoſtibus, eſſe dimicandum; de quibus, quod in typo ac figura, infra dicitur verſu decimo ſexto: *Factum eſt ergo cum audiſſent omnes inimici noſtri, vt timerent vniuerſæ gentes, quæ erant in circuitu noſtro, & conciderent intra ſemetipſos, & ſcirent quod à Deo factum eſſet opus hoc, &c.* Eius rei ſenſus hic eſt, atque intellectus myſticus, quemadmodum qui ſtructores ſanctæ ciuitatis terrere volebant, vt ab incœpto opere ceſſarent, perfecta tandem ædificatione terrentur ipſi, timentque, & animo concidunt, ſcientes tanti operis molitionem, ac ſtructuram, authore Deo cœptam, atque completam, ſic in Eccleſia, cum virtutum ſtructura firma ſurrexerit, ti-

Qui fraudes ac technas dæmonis, & norunt, & cauti defugiunt, per Nehemiā hoſtium inſidias depellentem ſignificantur.

III.

In ſtudio virtutis dimicandum cum externis atque internis hoſtibus.

fecti sunt numerus quinquagenarius ad pœnitentiā refertur bi narius additus ad duo præcepta charitatis, Dei scilicet & proximi quibus observandis pro æterna vita, initium quem, quę esse oportet.

catione ciuitatis orans Propheta, di- A cit, *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem*, sin duorum etiam dierum, omnino, qui ad quinquaginta adduntur, mysterium, perscrutari voles, quinquagesimo die à Dominica resurrectione, Spiritus sanctus aduenit, per quem deuotio nobis pœnitendi, & pœnitentibus venia confertur, duo autem sunt præcepta charitatis, Dei scilicet, amor, & proximi, quibus data nobis per Spiritum sanctum indulgentia peccatorum, pro æterna vita laborare iubemur, ideoque, murum reædificantes ciues, quinquaginta duobus diebus restauraret, quia hæc est iustorum, in hac vita perfectio, vt quæ deliquerunt pœnitendo, per gratiam diuinæ inspirationis, castigent; & deinceps, se in Dei, & proximi, dilectione, in piis ac bonis operibus adornent, sicque anteactæ vitæ dispendia nouis quotidie virtutum incrementis compensent.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis sexti.

Morale in illud vers. 3. *Misi ergo ad eos nuncios dicens; Opus grande ego facio & non possum descendere, ne forte negligatur cum venero et descendero ad vos.*

Resistendum tentanti diabolo & machinationes eius omnes seu apertas, seu occultas, constanti animo depellendas.

VI.
IC Nehemiæ locus, B atque adeo, eius ipsius insigne exemplum, in depellendis hostium fraudibus, & machinis, docet hominem, condendæ sibi æternæ Hierusalem, hoc est, salutis suæ, & gloriæ cœlestis acquirendæ studiosum, nequaquam cedere debere tentationibus dæmonum aduersantium, sed contrà, fortiter, illis, constanterque obsistere. Et quidem nos iam supra, in Allegoria, significauimus, per Sanaballat eiusque socios, Iudæorum hostes, infensissimos, adumbrari dæmones, qui viros sanctos, quà insidiis, quà aperta vi, ab extruenda virtutum fabrica, seuocare contendunt, audi insidiantes, *Miserunt*, inquit, *Sanaballat & Gossem ad me dicentes: Veni, & percutiamus fœdus pariter in vitulis in campo Ono, ipsi autem cogitabant vt facerent mihi malum*, versu secundo: quid tum Nehemias? cum eum, inuitant aduersarii vt emigret è ciuitate, eiusque cœptam instaurationem relinquat? *Misit ad eos nuncios, dicens: Opus grande facio, & non possum descendere*, v. 3. nimirum, non latuit Nehemiā virum sagacem, & industriū, quid homines illi veteratores & callidi, animo designassent? ciuitatis scilicet, ruinam, atque exitum, quare, negat sibi licere, ciuitatem relinquere, in qua grande moliatur opus, quod sine magno ciuium incommodo, intermitti, non posset, non eo, inquit, non descendo, C cumque iterum, & sæpius, eadem ad Nehemiam mandata darent Sanaballat, & Gossem, eadem quoque semper responsa retulerunt, vides, ingenium acre, expende, inuictam constantiam, pugnantis Nehemiæ, aduersus hostes, externa specie, amicitiam simulantes; audi iam, eosdem Nehemiæ aduersarios, deposita larua congredientes cum eo, & aperto marte pu-

Nehemiā sagacitas & industria in depellendis hostium fraudibus & insidiis quam imitari debet vnusquisque in quotidianis cū dæmone pugnis & congressionibus.

gnantes; *Misit ad eum Sanaballat* A *epistolam hoc modo, in gentibus auditum est, quod tu, & Iudæi, cogitatis rebellare, & propterea ædificas murum, &c.* vers. 6. *quid ad hæc Nehemias? misit ad eos dicens, Non est factum, secundum verba hæc, quæ tu loqueris; de corde enim tuo tu componis hæc*, vers. 8. sic quam antea repugnat, resistitque vehementius, sic, nec minis, nec terroribus hostium, percellitur, nec de suscepto consilio ciuitatis extruendæ deduci inquam potest, idem ipsum, quod in Nehemia suspicimus, in quo-

VII. tidiana congressione, pugnaque, nobis, cum Dæmone, eiusque asseclis ineunda, præstandum est, & quidem qui animis nostris insidiantur eorumque ruinam cogitant, externos, & internos hostes, habemus, & forenses, & domesticos, vtrosque debellandos, nunc de externis, potissimum, deuincendis agimus, postea de internis dicturis: Ergo, si in Hierusalem degis, quasi alter Nehemias, si, quieta tranquillaque mente operans, quod bonum est, in sede pacis, in virtutis domicilio commoraris, ne descende, alio te inuitat hostis teterrimus? ne audi, importunis ei moribus, appellans, te impellit? resiste, & consiste, præcipientem audis Apostolum, *Nolite locum dare diabolo*, Ephes. 4 vers. 27. vide, vbi sis, aut in qua statione positus, si cum Deo es, & tibi bene cum Deo est, nihil tibi, cum Dæmone est, immo, & ab eo longius es, nec locus illi dandus est, nec ab eo vsquam accipiendus, tibi Hierusalem; illi Babylon designata est; de loco in quo est, secede velocius, aut si abes in eum, quamuis, te inuitet, vrgeatque vehementius, vti venias; ne transmigra, sed insidiatur, etiam in Hierusalem morantibus, sed inuitat amicè, sed aduocat blandè sed blanditur importunè, sed prolectat insidiosè, sit ita, sed, *resistite diabolo & fugiet à vobis*, ait D. Iacobus, in sua Canonica, c. 4. v 7. quæso vocem hanc expende, *resistite & fugiet*, si resistis fugit, aduersarius, si volumus, fortis est, si volumus, imbellis, immo, si nolumus, quod vult ipse, ac velle nos satagit, imbellis est, atque ignauus, si volumus, fortis ac validus, hinc de salutis nostræ aduersario, sic D. Hieronymus epistola ad Demetiadem, *Nostra contra nos vtitur voluntate, de consensu nostro, aduersarius vires accipit, nostroque, nos iugulat, gladio*; & Cassianus libro 7.

Nec locus dæmoni dandus nec ab eo vsquam accipiendus.

Si volumus fortis est dæmon si volumus imbecilis & ignauus.

collation. cap. 8 sicut est, *illi instigationis copia, ita & in nobis virtus respuendi magna gratia vt sola resistentia sufficiat ad fugiendum diabolum*, ait Caietanus, in prædictum Iacobi locum, standum modò in acie, nec descendendum, aut eundum vnquam, quo impellimur ab aduersario, standum in fide, & viriliter agendum, resistendumque duntaxat, & quod orat Paulus Rom. 16. vers. 20. *Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter*, certè, quod ad hunc agonem spectat, victoria, etiam, in statione inflexibili ponitur, non tantum in profligatione inimici, in qua, cæterorum VIII. B certaminum victoria consistit; & id quidem, notat D. Chrysostomus Homilia 22. in epist. ad Ephesios, his verbis, *Non hic res se habet quemadmodum apud athletas, nam illic quidem, nisi deieceris, non vinces, hic vero vinces, si deiectus non fueris, illic ambo certantes, vincere student, & si alter deiectus, alter coronatur, hic vero non ita, sed diabolus, hoc laborat, vt nos inferiores reddat, & vincat*, quando igitur illi, hoc quod studet, abstulero vici, victoria vero eius, non eo est, *vt coronam adipiscatur, sed vt nos perdat; itaque* C *vici, etiamsi illum non deiecero duntaxat deiectus non fuero*, si homini te inuadenti. resistas, non idcirco illum fugas, & vincis, at si diabolo resistas, illum fugas, & vincis, in tua ergo, vt vides potestate est immo facilis tibi, ac prompta est, si voles, de humani generis hoste victoria quia vt ait S. August. l. 50. Homil. Homil. 12. *Suadere diabolus & sollicitare potest, cogere, omnino non potest, & ideo, cum per Dei adiutorium in tua potestate sit, vtrum consentias diabolo; quare non magis Deo quam ipsi obtemperare deliberas?* dæmon itaque, tibi, mi homo, nocere nequit, nisi cum plus D æquo timeas, nisi timendo, sponte illi cedas & consentias, *Quemadmodum qui ante conflictum non telo, sed tuba prosternitur*, ait sanctus Bernardus serm. decimo tertio, in Psalm. 90. vbi docet leonem, cui dæmon comparatur, 1. Petri capite quinto, versu octauo, magis terrere rugitu, quam ferire morsu, adeoque animalia, quæ morsui resistunt, immo leonem subinde superant, non sustinere eius rugitum, *et rugientis eius sonitu, velut quadam vi attonita, atque ita, capiantur*: ait sanctus Ambrosius 6. Hexamer. cap. 3. ex quibus constat, diabolum, magis

Sola resistentia vincitur dæmon.

Prompta & facilis de dæmone victoria quia sollicitare quidem potest sed cogere non potest.

Leo cui comparatur Dæmon 1. Petri magis terret rugitu quam morsu.

nocere, minis suis, & terroribus, quam robore, & verbere, vt ita loquar, quem ad fugam prouocamus, cum ei nos ad crimen prouocanti, voce tantum, aut nutu mentis resistimus, scio quidem, vt in certaminibus, ac dimicationibus hominum quotidianis, varia congressionum sunt genera, multæ dimicandi artes, confligendique, cum hoste, sic varias quoque pugnandi cum Dæmone rationes esse, varios, eius tentationes vincendi modos, vt passim in Theologorum scholis disputatur: fit enim id primo, non solum, non peccando, sed etiam proficiendo, aliquo modo, in ordine ad salutem, actumque virtutis alicuius exercendo, quem proprium esse victoriæ modum, notat D. Thomas in 2 disput. 28. quæst. 1. artic. 2. ad 6. ex Augustini doctrina, lib. 21. de Ciuitate Dei. cap. 16. vbi sic ait, *Tunc vitia victa deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur*, secundo, contingit, superari tentationem, non consentiendo peccato, ad quod inclinat, aliud tamen, licet fortasse minus committendo, vt cum quis vincit tentationem furti, ex solo affectu honoris, vel simili. & hæc non est victoria, nisi secundum quid, tertio contingit, superari tentationem, nihil omnino peccando, neque etiam in ordine ad salutem proficiendo, siue quia homo negatiue se habet, suspendendo actum, vt quidam scholastici volunt, siue, quod magis morale est, eliciendo actum ordinis naturalis, propter aliquam honestatem moralem, ac priorem illum vincendi modum, vt iam ex D. Thoma significamus cæteris omnino nobiliorem ac perfectiorem esse omnes intelligunt, sed de vanis illis congressionibus, quicquid sit, si resistis obsistenti, quoquo modo id fiat, fugit & fugatur imbellis aduersarius, resistite diabolo & fugiet à vobis. Rationem, porro quare victus abscedat diabolus, notat in hunc locum, iam supra, sæpius, à nobis citatum, Iacobi, Lyranus, quia videlicet, *ipse est Rex super omnes filios superbiæ*, Iob 41. quanto autem aliquis est superbior, tanto magis abhorret superari, propter quod, diabolus, videns aliquem, fortiter resistentem, dimittit, eum, tentare timens, ne ab eo superetur, propter quod recedit ab eo, ante faciem belli, vnde dicit Ambrosius super Lucam, cap. 4. quod diabolus instare formidat, quia frequentius refugit triumphari, quin ex eodem loco commodè omnino possumus intelligere, quod Matthæus de diabolo tentante Christum, ait cap. 4. tunc reliquit eum diabolus, vt scilicet reliquerit, non ad imperium Christi, vt aliqui volunt, inter quos est Chrysostomus, Homil. 13. in Matth. & D. Maximus, Homil. 2. sed quod nulla adhibita vi, recessit, victus, elusus, & confusus, *Legitime pugnanti reperitur agonum terminus* (ait quidam veterum, in catenam allatus) *quod aduersarius, vel sua sponte cedat vincenti, vel trino casu deponatur secundum pugnatoriæ artis decretum*, vnde D. Ambros. Luc. 4. *Vides*, inquit, *diabolum, non esse pertinacem in stadio, cedere solere veræ virtuti, & si inuidere non desinat, tamen instare formidat*, & vide quam belle veritati, figura conueniat, cum de Iudæorum hostibus, ciuitatis Hierusalem instaurationem impedire molientibus dicatur, in hac ipsa Nehemiæ historia, hoc capite vers. 16. *Factum est cum audissent inimici nostri, vt timerent vniuersæ gentes, quæ erant, in circuitu nostro; & conciderent, intra semetipsos, & scirent, quod à Deo factum esset verbum hoc*, quibus verbis, indicatur, cessasse tandem eos, à Iudæis lacessendis, fractosque animo cecidisse, cepisse timere quos antea inuadere cogitabant, fugisse, quodammodo, resistentes, cum insuperabilem illorum, cùm in ædificando, tum in pugnando, resistendoque obsistentibus quibusque, vbi opus esset, constantiam animaduertissent, quare illud nobis semper præ oculis habendum est, quod monuit Cyprianus, de zelo & liuore, nimirum quia iugiter nos aggredi conatur inimicus, & circuit quærens, quâ, ad nos possit ingredi, iugiter etiam, de illius resistentia nobis esse deliberandum; *Debet animus*, inquit ille, *esse tam paratus semper ad repugnandum, quam est ad impugnandum semper inimicus* peccato, vbi vbi se offerat, repugnandum modo, & vincimus, Dæmoni resistendum, inuitanti ad lapsum. & vsque ad sanguinem, repugnandum, resistẽdumque, si res ferat, atque opus sit, & triumphemus, *Nondum vsque ad sanguinem*, restitistis peccato repugnantes, aiebat olim, cum nuper ad fidem Christianam conuersos, Hebræos, alloqueretur, dux ille strenuus in spiritali acie, confligendique cum Dæmone peritissimus, D. Paulus, Hebræorum 12. vers. 4. & quoniam resi-

Margin notes: IX. — *Varij modi pugnandi cũ Dæmone & tentationes eius vincendi ex Theologis.* — *Diabolus recedit ab eo qui resistit tentationibus suis, quia superbus est & frequentius refugit triumphari.* — X. — *Hostes Iudæorum ædificantium cessant ab eis lacessendis cum eos vident cõstantes in resistendo vt sic veritati figura conueniat.* — *Gratia Dei feruenter inuocanda ad superãdas Dæmonis tentationes.*

ſtere non poſſumus, acriori ſaltem, & A longiori tentationi, ſine nouo Dei auxilio, vti ex ſancto Auguſtino paſſim docent Theologi, ante omnia, & aſſiduo, & magno animi feruore, Dei gratia inuocanda eſt, atque vbi hoſtem vicerimus, partam victoriam, non noſtris ſed Dei, eiuſque gratiæ viribus, acceptam referre debemus, nam, vt ait ſanctus Auguſtinus, lib. de natura & gratia, cap 58. *Vt diabolo reſiſtamus & fugiat a nobis ideo precantes*, dicimus, ne nos inducas in tentationem, ſed de armorum genere, quibus Dæmonum impetus, propulſandi ſunt, ſuſius ſequenti diſſertatione.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis ſexti.

Morale in illud verſ. 9. *Omnes hi terrebant nos cogitantes, quod ceſſarent manus noſtra ab opere, & quieſceremus, quam ob cauſam magis confortaui manus meas, &c.*

Quo plures & acriores habemus aduerſarios in via ſpiritus eo magis bonis operibus inſiſtendum pugnandumque validius.

XI. IONYSIVS Carthuſianus, in hæc verba, textus iam citati, *Magis confortaui manus meas*, primùm, hac vtitur paraphraſi, id eſt, inquit, tanto plus animaui me, ad operandum, quantò multiplicius, ac inſidioſius, impius ille Sanaballat, volebat me impedire, tùm ſubiicit poſtea, omnino ad rem noſtram, *Sic & nos debemus tanto feruentius Deo ſeruire, vitiiſque reſiſtere, quanto importunius, inuiſibiles aduerſarÿ, nos impugnant, aut homines praui impedire noſtrum profectum nituntur*, magni animi eſt, erigere ſe contra aduerſa, nec frangi, primo obſiſtentium impetu, eoque aduocandum eſt, illud Plinii, quod etiam ad inſtitutum noſtrum facit, *Vt palma impoſito onere enititur, ita viri fortis animus, quo plus negotiis premitur quoque magis ſæuit fortuna hoc eſt erectior*, nempe, firmat ſe audentius contra valentiorem hoſtem, generoſa mens, & vires plenumque, ac robur addit, inſultus vehementior, hinc Nehemias noſter, ædificationi murorum Hieruſalem, ſtrenue addictus, cum ab hoſtibus vndique cingeretur qui populares ſuos terrerent, atque ab ædificando ſi qua arte poſſent, eos abducerent, ſtabat B ipſe imperterritus, & quod acres vehementer, ac fortes eſſent Iudæorum aduerſarii, eam ob cauſam, vt ipſe ait, *magis confortabat manus ſuas*, maioreſque animos, ad reſiſtendum ſumebat, perſiſtendumque, in opere Dei, quod inchoauerat, de Dauide, quam inſigne eſt illud, quod ait Pſalm. 3. verſ. 7. cum numeroſiorem ſolito, fortioremque hoſtem, habet ceruicibus ſuis imminentem, *Non timebo millia populi circundantis me, exurge Domine ſaluum me fac*, dixerat paulo ante, verſ 1. 2. & 3. C *Domine quid multiplicati, qui tribulant me, multi inſurgunt aduerſum me, multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius, tu autem Domine ſuſceptor meus, gloria mea, & exaltans caput meum*, quaſi dicat, quid ego hoſtes iſtos, atque aduerſarios pertimeſcam, quantolibet numero me aggredientes? ſi ſuſceptorem Deum habeo, & auxiliatorem, ſi opem ferat, dum congredior, ſalua ſunt omnia, in Domino confidens, confortanſque manus meas, non dubito, quin ex præſenti hoſtium impreſſione ſuperior, victor-

Magni animi eſt erigere ſe contra aduerſa nec frangi ad primos aduerſariorū impetus.

Vir fortis palmæ ſimilis quæ impoſito onere ſurſum enititur.

Res illuſtratur exēplo Nehemiæ & Dauidis.

que euadam; vis scire quemadmodum alias idem ipse confortat manus suas, firmetque validius aduersus ingruentium inimicorum impetus, quo in genere, ex interpretum sensu, hominis pro Deo contra dæmonem pugnantis vmbram præ se fert, atque imaginem? attende: *Cum mihi molesti essent, induebar cilicio*, inquit, *humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu conuertetur*, Psal. 34. vers. 13. quo loco, Hugo Cardinalis attribuit cilicium, & ieiunium domandæ carni, orationem vincendo diabolo: & quoniam hac dissertatione de asciscendo robore, ad profligandum dæmonem, maxime seruo nobis est, præstat Apostolum audire, de hoc argumento tam acute, ac subtiliter disserentem his verbis, Ephesiorum sexto, versu decimo secundo: *De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli*, quæso aduerte, *confortamini*, inquit, *in Domino, & induite armaturam Dei*, ac si diceret, *confortamini*, seu confidite quidem *in Domino, & in potentia virtutis eius*, sed &, quod operæ vestræ est, cum auxilio Dei, strenue quoque impendite, *confortamini in Domino*, qui nunquam non vobis aderit, sed confortate quoque manus vestras, quid ita? aut quamobrem tandem vel languentes animos ad pugnam exsuscitat? audi, *quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates*, acre vobis certamen subeundum est, molesta, ac diuturna cum externo, internoque hoste pugna suscipienda est, *induite vos armaturam Dei*, & ad sustinendos tam vehementes aduersariorum impetus, vos, vt par est, comparate, sic, quasi buccinæ cantu pugnam indicit, sic, vt vides, vult accingi ad prælium, vult virtutum omnium paroplia armari militem Christianum, vult in aciem descendere loricatum, galeatum, calceatum, scuto tectum, instructum gladio, vult vallari vndique, ac muniri omni præsidio aduersus hostes, eosque formidolosos: *aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, en exercendæ fortitudinis seges amplissima, en quò se proferat nostra in dimicando industria; sed vnde tandem, aut quo potissimum ex armorum vsu, & genere, arcessenda nobis est quàm commodissima dimicandi ratio aduersus dæmonem, hostem illum externum quidem, sed inuisibilem, & saluti nostræ adeo infestum: quænam hæc armatura Dei est, de qua proxime Apostolus, cum ait, *induite vos armaturam Dei*, lucem aliquam his verbis affert D. Bernardus Sermone tertio in dedicatione Ecclesiæ, cum sic exponit, *induite vos*, ait, *armaturam Dei, non modo ad resistendum, sed ad impugnandum, & expugnandum viriliter inimicum, quid enim putamus fratres, grauis equidē nobis est inimici tentatio, sed longe grauior illi oratio nostra, lædit nos iniquitas eius, atque versutia, sed multo amplius nostra cum simplicitas, & misericordia torquet, humilitatem nostram non sustinet, vritur charitate nostra, mansuetudine, & obedientia cruciatur.* Sic ille, nec longe ab eo dissentit D. Antonius apud S. Athanasium, dum arma suggerens, contra dæmonum insidias, sic habet. *Credite mihi experto, pertimescit Sathanas, recte viuentium vigilias, orationes, ieiunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, & precipue purum cor erga Christi amorem.* Hæc sane confortant manus pugnaturi contra Sathanam, & aduersus spiritualia nequitiæ, quæ tamen, quia nimis vniuersè dici videntur, rursus Apostolum audiamus, ad certas quasdam, designatasque virtutes, panopliam suam, siue armaturam Dei reuocantem. *State*, inquit, *succincti lumbos vestros, in veritate, induti loricæ iustitiæ, calceati pedes in Euangelium pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei*, in quem locum Beda ex D. Augustino libro de Doctrina Christi, *armauit nos Apostolus armis laudabilibus, & inuictis, insuperabilibus, & splendidis, spiritalibus sane, & inuisibilibus, quia & hostes inuisibiles expugnamus.* Hanc igitur, vt D. Pauli mens sit explicatior, imaginem, & panopliam militis Christiani, veluti à capite vsque ad talos armati, sic accipe; galea illi spes salutis est, siue spes in Christum, lorica, iustitia, id est, opera iusta, & sancta, quæ manus hominis confortant, fortioremque efficiunt ad dimicandum, baltheus, siue cingulum, quo succingitur, veritas est, siue fidelitas, integritas, & castitas, calcei, & ocreæ

XII. *Dauidis animus erectior contra aduersarios, cuius hominis contra dæmonem pugnantis præ se fert imaginem.*

Paraphrastica expositio verborum D. Pauli Ephes. 6. vers. 12.

XIII.

Quæ sit commodissima dimicandi ratio aduersus dæmonem, & quanā armatura Dei, de qua Apostolus.

Armatura Dei Christiano militi induenda à D. Bernardo explicata.

Quas virtutes pertimescat dæmon ex D. Antonio.

XIV. *Armatura Dei à D. Paulo ad certas virtutes reuocata.*

sunt præparatio, & alacritas, ad viam Euangelii incundam, & propagandam, gladius illi, quem dextra tenet, verbum Dei est, scutum, quod sinistra præfert, fides inconcussa, paulo aliter S. Ephrem tractatu de Panoplia, siue armatura spiritali, hæc arma aptat militi Christiano, cum ait. *Galea est spes, thorax vero est charitas, calceamenta, sunt humilitas, scutum est crux, arcus est oratio*: quin & huc alludere videatur Tertulianus libro de Corona militis, cum militem Christianum fidei, ac religionis, ergo dirè vexatum ita describit, *& nunc russatus suo sanguine, sic calceatus, de Euangelii paratura succinctus, acutiore verbo Dei, totus de Apostolo armatus, & de martyrii candida laurea melius coronatus, donatiuum Christi in carcere expectat*: addam Basilium, qui in admonitione ad filium spiritualem, militem Christianum cum milite seculari conferens, sic cum ad pugnandum excitat, & hæc arma, quibus tegendus est, pugnaturo repræsentat: *Miles terrenus quocumque loco mittitur, paratus, ac promptus est, neque se vxoris, aut liberorum gratia excusare audebit, multo magis miles Christi, sine aliquo impedimento Regis sui imperio debet obedire, ille in prælio galeam ferream gestat, sed tua galea Christus sit, qui est caput tuum, ille lorica, ne vulneretur, indutus est, sed tu pro lorica, sis fide Christi circundatus, ille contra aduersarium suum mittit lanceas, & sagittas, tu contra aduersarium diuina eloquia iaculare, ille donec pugna geritur, arma à semetipso non proiicit, ne ab aduersario vulneretur, ita & tu, nunquam debes esse securus, quia tuus hostis, hoste illius astutior est, ille si superauerit, ad domum reuertitur, tu vero hoste prostrato in illud cœleste regnum cum omnibus Sanctis.*

Eiusdem armatura explicatio à S. Ephrem diuersa paulum à superiori.

Comparatio militis Christiani cum milite saculari, eiusque armatura ex D. Basilio.

XV. Nos vero ex armis istis scutum tantum assumamus, & in fide explicanda, vt pote omnium commodissima, quæ vsurpetur in acie, conflictuque aduersus dæmones, paulum immoremur. *Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi*, aiebat Psaltes Regius, Psalmo decimo quarto, versu secundo, *scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno*, Psalmo nonagesimo, versu quinto, vt sub scuto reliqua omnis armatura contineri videatur. neque vero fides in Apostolo scuti, seu clypei tantum, sed etiam loricæ & thoracis nomine designatur, sic enim 1. Thessalon. capite quinto, versu

Scutum fides commodissima omnium armatura.

A octauo, *induti loricam fidei, & charitatis, & galeam spem salutis*, vt mirum non sit, quod sacræ literæ, adeoque SS. Patres, tam frequenter fidei vsum, exercitiumque commendent, ad debellandos hostes inuisibiles, cum ex ea cæteræ virtutes facile enascantur: hinc Beda loco iam antea citato, *si tera vides hostem tuum, videantur arma tua, armamur earum rerum fide, quas non videmus, & sternimus hostes, quos mox videmus, ab incredulis diabolus timetur, vt leo, à fortibus in fide, vt vermis contemnitur*, ait Isidorus, libro tertio de summo bono, capite quinto: *hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra*, ait

Fides etiã lorica, & thoracis nomine designatur ab Apostolo.

Ex fide cæteræ virtutes facile enascuntur.

B S. Ioannes, Epist. 1. cap. 5. vers. 4. & S. Antonius apud S. Athanasium, *signum crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est, cui resistite fortes in fide*, ait Apostolorum Princeps, Epist. 1. cap. 5. vers. 9. quod Hieronymus in cap. 55. Isaiæ, vertit, *confortati fide*, nec tamen, fides quælibet, puta exilis, & languida, sed viua, firma, fortis, & generosa, vincit diabolum, cum enim eius iacula, fere ignita sint, vt ait Diuus Paulus, iam sæpius citatus, Ephesiorum. cap. 6. vers. 16. & tentationes plerumque ac concupiscentias ardentes exsuscitet, iuxta illud, Iob.

Vis fidei ad debellãdũ dæmonẽ demonstratur ex sacris Scripturis, & ex SS. Patribus.

C cap. 40 vers. 12. *Halitus eius prunas ardere facit*, hæc non nisi, vehementi fide, extingui possunt; quare, sub fide, tanquam virtutum radice, intellige, spem, orationem, charitatem, siquidem fides, spe roborata, oratione armata, charitate succensa, atque ignita, salutis nostræ hostem, victum, prostratumque conculcat, ne frustra dictum sit Psal. 9. versu decimo tertio. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis leonem & draconem*, adeo vt in quauis tentatione fide armatis dicere liceat, cum Paulo, Roman. cap. 8. vers. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque creatura*

Sub fide velut radice virtutum spes, oratio, charitas intelliguntur.

XVI.

D *alia, poterit nos separare à charitate Christi*, hinc est, cur diabolus, hanc fidei firmitatem & fortitudinem, nobis eripere conetur, vt fide destituti, quasi cæci oberremus, & incauti atque imprudentes, in eius laqueos impingamus, fides enim est oculus animæ, quem libens, eruat nobis, & effodiat, si possit, noster aduersarius, huius rei figura sit, ac symbolum, Naas Rex Ammon, qui 1. Reg. cap. 11. vers. 2. cum incolis Iabes pacisci voluit, ac fœdus

Fides oculus animæ quem diabolus nobis eruere omni ope nititur.

inire, ea conditione, vt dextrum oculum expungi ſibi ſinerent, idque tùm in opprobrium, tùm vt rebellare non poſſent, reddendo ſe ipſos bello inutiles, & cæcos, cum enim ſiniſtrum oculum ſcuto tegerent milites, effoſſo dextro, fuiſſent prorſus in prælio cæci: iam ad myſterium, ſanctus Gregorius in locum citatum 1. Regum, *Dexter oculus*, inquit, *eſt intuitus æternæ claritatis, qui fit per fidem, ſiniſter vero oculus, eſt concupiſcentia carnalis, & intuitus terrenorum: Dexter vero oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percutitur, vt vltra ad videnda cæleſtia non aperiatur*, ergo *Naas*, id eſt, Hebraïcè *ſerpens*, quod belle diabolo conuenit, dextros oculos fœderatorum ſuorum eruit, quando æternorum intuitum adimit, facitque vt homines carnalia ſolum cogitent, & cupiant, ac cœleſtia quæ ſolebant amare non attendant, tunc enim non inſidianti, nec bellanti, palam reſiſtunt, ſed prima congreſſione, primoque impetu ſternuntur facile, ac deiiciuntur, *Sanctis autem per fidem*, quæ dexter animæ oculus eſt, per omnia ſe inſinuans, ac penetrans *vicerunt regna*, ait Apoſtolus, Hebræorum vndecimo, verſu trigeſimo tertio, fides ſi charitate concaleſcit, ad omne opus bonum Chriſtiani militantis animum impellit, hæc ſomnum animæ diſcutit, & vigilias inducit, ne vnquam ab ſatanæ fraudibus, & inſidiis circumueniri queat: vnde toties in Scripturis ſacris eam ob cauſam vigilare admonemur, *ſobrij eſtote, & vigilate*, 1. Pet. 5. verſ. 8. Quorſum iſtud? *quia aduerſarius veſter diabolus circuit, quærens quem deuoret, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*, Marc. 14. verſ. 38. ſed quid eſt vigilare? ex D. Auguſtino ſermone 23. de verbis Domini, ſic interpretare, & conclude, *corde*, inquit, *vigila, fide vigila, ſpe vigila, operibus vigila*. Iam de interno hoſte, ac domeſtico, multo etiam cæteris periculoſiore, ſequenti tractatione diſſeramus.

Quid ſit vigilare, quod toties Chriſtiano in Scripturis ſacris commendatur.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis ſexti.

Morale in illud verſ. 11. *Num quiſquam ſimilis mei fugit? & quis, vt ego, ingreditur Templum, & viuet? non ingrediar, &c.*

Internos hoſtes, atque inimicos homines domeſticos, quibus vtitur dæmon in eius perniciem, acri ſtudio, ac vigilantia debellandos.



XVII. PRIDEM illud à veteribus decantatum eſt, nullum ex omnibus hoſtibus capitaliorem eſſe, quàm domeſticum, nullum periculoſius bellum eſſe, quàm ciuile, & inteſtinum, & certe, cum ſenſum moralem hiſtorico, ac liberali inniti imprimis oporteat, non tantum Nehemiæ, vt ex hiſtoriæ contextu patet, cum externis hoſtibus, puta Sanabalat, Goſſem, & Tobia, ſed etiam cum domeſticis, & popularibus, Samaia ſcilicet, Nodaia, cæteriſque nonnullis neceſſitudine, aut affinitate cum Tobia coniunctis, fictis illis quidem, ac fraudulentis amicis, aut falſis Prophetis pugnandum fuit, neque minus horum occultæ fraudes, atque inſidiæ, quàm illorum apertæ vires, ac minæ fuerunt ei declinandæ, immo vberiori quodam ingenii acumine, ac ſolertia, maiori item mentis celſitudine præditum eſſe oportuit,

In hac diſſertatione ſenſus moralis hiſtorica, ac literali maxime innititur, cum Nehemias non tantum ab externis hoſtibus, ſed etiam ab domeſticis fuerit appetitus.

vt ciuium, ac popularium suorum, à quibus vir fere pertimescendum, quidquam videretur, praua consilia & detegeret prouide & eluderet aut contemneret, eorumque non secus atque hostium externorum, malas artes, tectinasque omnes, & fortiter, & ingeniosè dissueret; quo tam excellenti Nehemiæ facto, indicatur, in spirituali lucta ac certamine nobis incundo, dum moliendæ virtutum fabricæ incumbimus cauendos formidandosque intestinos hostes, ac domesticos, multo etiam magis, quam externos, nec dæmonem ipsum, quantumuis ferocem ac sæuum quidquam in nos posse, aut efficere, nisi vires quodammodo, ab eo quem intus, in visceribus nostris, gerimus, aduersario mutuetur, nisi molitur insidias, nisi se obtegit, vafrè & callidè agit, nihil agit, si solus pugnat, in socium sibi de fœderatis nostris adiungit, facile victus è pugna descedit, facile inquam, leui ac modica, non tam corporis, quam mentis declinatione, eius ictus eluduntur, franguntur conatus, sed vt cauendæ, sic pertimescendæ admodum. eius artes, atque insidiæ, formidandæ auxiliares copiæ, quas è nostro veluti solo, eruit & aduocat, vti nos impugnet expugnetque, si possit, vt iure dicat D. Augustinus in Psalm. 143. expendens illud, Galat. 5. vers. 17. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem, hæc enim sibi aduersantur vt non quæcumque vultis illa faciatis, & hoc genus bellum, & quod est molestius internum, in quo bello, sit quisquis victor, illos quos non videt inimicos continuo superabit, non enim tentat diabolus, vel Angeli eius, nisi quod in te carnale dominatur, nam quomodo vinimus illos hostes quos non videmus nisi quia carnales motus nostros interiores sentimus his confligimus, illis percutimur, & illos percutimus*, Sic D. Augustinus, *Diabolus nostris ipsorum desideriis nos oppugnat*, inquit sanctus Basilius, Homil. 23. &, vt ait D. Ambrosius lib. de Cain & Abel, *Oculos delectat, aures demulcet, sed mentem inquinat, multa mentitur, falsa adiungit, vera subducit, spondet pecuniam, aurum offert, sed aufert disciplinã*, ad hæc illa est dæmonis calliditas, vt ea parte, qua infirmiores sumus, nos oppugnet. sicut Dux oppugnat arcem ea parte, qua debilior est, ait Gregorius 31. Moralium qui & addit, *Dolosus aduersarius simul ferire ni-*

Dæmon sæuus licet ac ferox aduersus nos moliri nihil potest nisi vires ab internis hostibus nostris mutuetur & callidè nos circumueniet.

Dæmonis artes atque insidiæ ad nos oppugnandos. XVIII.

A *titur & apertè sæuiens, & in insidiis latens, &c. sæpe enim tentationem proponit de libidine, & subito fraudulentius cessans, elationem suggerit, de seruata castitate, & sunt nonnulli qui dum multos ex castitatis arce, in foueam elationis cecidisse conspiciunt, vita sua castitatem negligentes, in immunditia libidinis demerguntur, sunt vero è diuerso nonnulli, qui dum libidinis immunditiam fugiunt, per castitatis culmen in voraginem elationis ruunt*, audi in hanc eandem sententiam S. Cyprianum, oratione de zelo, B *Circuit ille nos singulos*, inquit, *& tanquam hostis, clausos obsidens muros, explorat, & tentat, an sit pars aliqua membrorum, minus stabilis & minus fida cuius aditu, ad interiora penetratur*, & post pauca, *ingerit perniciosa compendia, honores terrenos promittit, vt cœlestes adimat, ostentat falsa vt vera subripiat, & cum latenter non potest fallere exactè atque apertè minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad debellandos Dei seruos, inquietus semper, & semper infestus, in pace subdolus in persecutione violentus quamobrem contra omnes diaboli vel* C *fallaces insidias, vel apertas minas, stare debet, instructus animus, & armatus*, sic sanctus Cyprianus, ac proinde, qui diabolo resistere volet, omnia sua circumlustrat, omnes sensus, acri custodia muniat, omnia vitia mortificet, præsertim, ea in quæ pronior est, vbi infirmior est, ibi magis se obfirmet, totusque excubat, & se se obarmet, idem sanctus Cyprianus tract. 3. de prælat. simplic. *Diabolus*, inquit, *dictus est serpens, quia, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, (vnde nomen* D *serpentis accepit) ea est eius astutia, ea circumueniendi homines, cæca & latebrosa fallacia, vt asserere videatur; noctem, pro die, venenum, pro salute, desperationem, sub obtentu spei, perfidiam, sub prætextu fidei, Antichristum, sub vocabulo Christi, vt dum verisimilia mentitur veritatem subtilitate frustretur, nam transfigurat se, in Angelum lucis*, cauendus quidem insidiosus inimicus, sed eo longè etiam magis, quod per nos ipsos fere nobis struere insidias solet, quas minus aduertimus, nec tam diabolus ipse, per se se, quam per carnem, diabolus nos oppugnat, quæ vt ait Bernardus, in meditationibus, *assiduè murmurat, impatiens est disciplinæ, illicita suggerit, nec rationi obtemperat,*

Qui vult resistere diabolo debet sensus suos custodire, & ea præsertim vitia mortificare in quæ pronior est.

Diabolus ob astutiã serpens dictus. XIX.

Non tam diabolus per se, quã per carnem nostram nos oppugnat.

perat, nec inhibeatur vllo timore, quid tum facias? in tanta rerum nostrarum perturbatione, vbi periculosa, vbi formidolosa sunt omnia, ni dicas cum Apostolo, Roman. 7. vers. 24. *Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia per Iesum Christum*, & miraris vitam hominis dici militiam super terram? Iob 7. bellum, quod aduersus nos, in nobis ipsis geritur, non acre modo ac vehemens sed etiam diuturnum, immo perpetuum? cuius intestini belli, si vis fontem agnoscere, si vis, vnde externis hostibus, valentiores ad nos oppugnandos, vires suppetant, perui dere, attende, & B caue, tentamur quidem, à mundo, tentamur à dæmone, sed quod deplorandum multo etiam magis, *Vnusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus*, Iacobi 1. vers. 14 apud D. Paulum, *Lex carnis repugnat legi mentis*, Rom. 7. vers. 23. *caro concupiscit aduersus spiritum*, vnde fatendum, vltro, nobis est, præcipuam peccatorum causam, & originem, intra nos esse, ac degere, ex primigenia lapsi hominis corruptione, quam naturæ labem, ac maculam, dum animo versat, S. August. lib. Soliloq c. 15. sic ait, *Quod cecidi fuit ex me, quod surrexi ex te*, C *quoniam si quid boni est, parui, vel magni, donum tuum est, & nostrum non nisi malum est*, quin, ex hoc superiore Apostoli loco, colligunt Theologi, cum D. Thoma 1. 2. quæst. 8. non omnium peccatorum causam esse diabolum, quod etiam probat Augustinus, libro de Ecclesiasticis dogmatibus, ex hac item prædicta Iacobi sententia facile cuiuis est deducere, valde lubricam, & periculosam esse, vitam humanam, cum nobis incedendum sit, inter voluptates, & appetitus, qui nos ad varia peccatorum genera alliciunt, lubricam dico, quia sicut dixit D. Ambrosius, lib. de bono mortis cap 3. exponens illud Iob. cap. 10. vers. 9. *Memento quæso quod sicut lutum feceris, si lutum est corpus, oblinit nos vtique non diluit, & coinquinat animam inquinamento intemperantiæ*, sic ille, vbi, & illud aduertendum censeo lutum, & lubricum esse, & ad inquinandum accommodatissimum, quia lubricum carnis nostræ lutum est, hinc toties prolabimur, quia sordidans iuxta, ac, sordidum ipsum, hinc toties inficimur, nempe, vt ait D. Bernardus, ad fratres de monte Dei, *Hac maledictio*

Diabolus non est omnium peccatorum causa ex Augustini & Theologorum sensu.

Lubrica hominis vita & corpus eius lutum quod sæpe animã inquinat.

A *est Adæ, vt in terra laboris nostri, & in agro cordis, vel corporis nostri, noxia, vel inutilia, gratuitò passim, vbique pronaseant, vtilia vero, vel necessaria, & salutaria, cum labore*; Adde ex Gregorio Nazianzeno, oratione 1. vel ex eo maxime formidolosum vitæ nostræ certamen, & periculosam eius aleam, quod cum eo hoste dimicandum nobis est, qui nos interne oppugnat, ac nobismet ipsis, quo nihil miserius est, tanquam armis, in perniciem nostram vtitur, & sanè, tolerabilis est hostis, cum muros arietat extrinsecus, cum foris positus cedit aliquando conflictui, cùm verò est intus inimicus, cuius ad reusarius, in ipsis penetralibus iam deseuit, iste aut nihil sapit, aut se intelligit, & sentit oppressum vehementius; nec abs re D. Fulgentius, epist. 4. ait in vincendis propriis cupiditatibus, magnam esse certaminis difficultatem, quia non extrinsecus ex altero, sed intrinsecus ex se ipso certanti homini concupiscentiæ carnalis generatur aduersitas, præclare illud quidem, hinc Tertullianus, lib. de Monogam cap. 15. *Rideo*, inquit, *cum infirmitas carnis opponitur, quæ summa fortitudo dicenda est.* Bellè autem D. Gregorius Nazianzenus, oratione de pauperum amore; corpus, infidum appellat, quia scilicet, nullam fidem seruat animæ, sed fugiter, illi aduersatur, vnde & idem ipse orat. 16. ait. *Corpus vt inimicum odi, atque auersor, vt vinculum fugio, hostis est blandus, insidiosus amicus, semper namque est in insidiis, vt aggrediatur, incendat, & euertat animam*, quod ipsum D. Bernardus libro de anima, cap. 15. luculenter deplorat, his verbis, *Caro mea de luto & ideo lutosas ac voluptuosas cogitationes ab illa habeo, vanas & curiosas à mundo, à diabolo malas & malitiosas, isti tres inimici me impugnant & persequuntur, nunc quidem* D *apertè, nunc vero occultè, semper autem malitiosè, diabolus namque plus confidit in adiutorio carnis, quoniam magis nocet domesticus hostis, illa vero ad subuersionem meam cum illo fœdus init, vt pote de peccato nata, & in peccato nutrita, vitiis corrupta ab ipsa origine, sed multo amplius vitiata praua consuetudine, hinc est quod tam acriter concupiscit aduersus spiritum, &c. huic accedit, hanc adiuuat, hac vtitur, tortuosus ille serpens, hostis humani generis, &c. hic est qui ingerit malum machinatur, &c. illicitos motus insufflat, & ve-*

XX.

Magnã certaminis nostri difficultas in vincendis propriis cupiditatibus.

Infirmitas carnis summa fortitudo dicenda.

Elegans descriptio infirmitatis humanæ ob varias tentationes mundi carnis & dæmonis quibus obnoxia est

[illegible] cogitationes inflammat, mouet A *bella, nutrit odia, &c. peccati occaſiones parat, & mille nocendi artibus corda hominum pulſare non ceſſat, hinc eſt, quod tam acriter concepit eſt aduerſus ſpiritum, hinc eſt quod diabolus baculo noſtro nos cadit, & manus noſtras proprio cingulo ligat & calceo quæ data eſt nobis in adiutoriũ, fit nobis in ruinam & ſcandalum, grauis lucta & graue periculum eſt, aduerſus domeſticum hoſtem pugnare, maxime cum nos aduenæ ſimus, & ille ciuis, ille ſuam habitat regionem, nos exules ſumus & peregrini*, ſic ille, nec minus eruditè, cap. 14. præcedenti, eiuſdem libri; idem ſanctus Pater, miſeram hominis B in aſſiduo velut agone conflictuque verſantis conditionem, repræſentat, cum ait, *Diabolus quem videre non poſſum & ideo minus ab eo mihi cauere, tendit arcum ſuum, & in eo parauit ſagittas ſuas vt vulneret me repente, narrauit vt abſconderet laqueos ſuos, & dixit quis videbit eos, laqueum poſuit in auro & argento, & in omnibus quidem, abutimur, cum illis male delectamur & illaqueamur nec ſolum laqueum poſuit, ſed & viſcum, viſcus eſt amor poſſeſſionis, affectus cognationis, cupiditas honoris, & carnis voluptas, quibus* C *anima inuiſcatur, & irretitur, ne pennis contemplationis, per plateas ſupernæ Sion volare poſſit, ſagittæ diaboli ſunt ira, inuidia, luxuria, & cætera de quibus anima vulneratur, & quis eſt ille qui iacula eius ignea extinguere poſſit? proh dolor! his telis ſuperatur ſæpe anima fidelis, heu mihi! quia vndique bella mihi video, vndique tela volant, vndique tentamenta, vndique pericula, &c.* vides quot & quanti ſint inimici hominis inteſtini & domeſtici eius? ergo quod difficiliorem, periculoſioremque reddit, pugnam nobis ineundam, iſtud potiſſimum eſt, quod non aperto marte, cum hoſte decertamus, immo ſemper, nobis eſt in inſidiis, ac

Laqueum & viſcum tendit diabolus, vt nos capiat.

Sagittæ diaboli vitia ſunt quibus anima vulneratur.

XI.

velut ſub amici habitu, latenter oppugnat, dum carnem noſtram, ac concupiſcentiam, ſuas in partes trahit, vt iure dixerit, Seneca epiſt. 57. *Omnia vitia in aperto leuiora eſſe, facile enim vitantur, quæ vero in occulto, grauiora & difficiliora, humiliaſti nos in loco afflictionis*, aiebat Dauid Pſalmo 43. poſtquam ſe deuictum, & expugnatum ſenſit, ſeu, vt ex aquilæ interpretatione, legit Ambroſius. *Humiliaſti nos in loco ſyrenum*, quod videlicet ſæculi voluptates, inſtar ſyrenum, nos quadam carnali adulatione delectent, vt decipiant, humilitas, autem, inquit Ambroſius, operis eſt, per quod caro iſta, peccati corpus effecta eſt, & locus afflictionis, ex cuius explicatione, vt vides, conqueri Dauidem, ſe abſtractum, & illectum, humiliatumque, ac victum ſyrenum & voluptatum vocibus permittente Deo, quæ ipſum delectando deceperant, ex quo intelligas, & vigilare nos quidem ſemper, paratoſque eſſe ad dimicandum, ſemper oportere, immo cum vbique bellũ ſit, vbiq; periculum vbiq; timendũ, *Sicut in hoſtili regione verſantibus*, vt ait D. Bernard. loco ſupra citato, hac illacque circumſpiciendum eſt, *& ad omnem ſtrepitum circumagenda eſt ceruix, caro ſuggerit mollia, mundus vana, diabolus amara*, & paulo poſt, *dæmonum officium eſt ſuggeſtiones malas ingerere, noſtrum eſt illis non conſentire, nam quoties reſiſtimus, diabolum ſuperamus, Angelos lætificamus, Deum honoramus, ipſe enim nos hortatur vt pugnemus, adiuuat vt vincamus certantes in bello ſpectat, deficientes ſubleuat, vincentes coronat*, ſemper itaque cauendum nobis ſemper prouidendum, proſpiciendumque in futurum, ſemper de periculo ac diſcrimine cogitandum, ſemper armis incumbendum, ne vnquam inimico ſuccumbamus.

Vitia in aperto leuiora quia facilius vitantur.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

TSI iam perfecto murorum ambitu vallata erat ciuitas, & portarum claustris vndequaque rite communita, quia tamen ab inimicorum insidijs, qui noua quotidie consilia moliebantur, etiamnum prudenter sibi metuendum ducit Nehemias, portas diligenter obseruari iubet, nec recludi, nisi prouecta multum iam die, idem quoque frequentes tota ciuitate disponit excubias, eosque de toto ciuium numero ad illius custodiam adhibet, quorum habet fidem exploratam, perspectamque animi fortitudinem: & quoniam pro ea qua erat amplitudine, impar erat ciuitati propugnandæ Judæorum habitantium multitudo, censum ille capitatim, numerationemque omnium instituit, qui tam proxime, quàm ante sub Esdra, ac Zorobabele è Babylonia redierant, vt ex illis, quos magis ipse censebit idoneos ad vrbem incolendam amica authoritate inducat. Postremo, vbi magna capitis pars in eo ciuium censu describendo posita est; tum quid ipse Nehemias, quid alij populi Principes, ac demum, quid de ipsa populari tenuiores quique in Templi sumptus, atque ornamenta contulerint, pressa quidem, sed fideli narratione repræsentatur.

CAPVT SEPTIMVM ESDRÆ.

1. POSTQVAM autem ædificatus est murus, & posui valuas, & recensui ianitores, & cantores, & Leuitas.
2. Præcepi Hanani fratri meo, & Hananiæ Principi domus de Hierusalem (ipse enim quasi vir verax, & timens Deum plus cæteris videbatur).
3. Et dixi eis: Non aperiantur portæ Hierusalem vsque ad calorem solis: cumque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, & oppilatæ: & posui custodes de habitatoribus Hierusa-

lem, singulos per vices suas, & vnumquemque contra domum suam.

4. Ciuitas autem erat lata nimis, & grandis, & populus prauus in medio eius, & non erant domus ædificatæ.

5. Deus autem dedit in corde meo, & congregaui Optimates, & Magistratus, & vulgus, vt recenserem eos: & inueni librum census eorum, qui ascenderant primùm, & inuentum est scriptum in eo.

6. Isti filij prouinciæ, qui ascenderunt de captiuitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor Rex Babylonis, & reuersi sunt in Hierusalem, & in Iudæam, vnusquisque in ciuitatem suam.

7. Qui venerunt cum Zorobabel, Iosue, Nehemias, Azarias, Raamias, Nahamani, Mardochæus, Belsam, Mespharath, Begoai, Nahum, Zaana. Numerus virorum populi Israel.

8. Filij Pharos, duo millia centum septuaginta duo.

9. Filij Saphatia, trecenti septuaginta duo.

10. Filij Area, sexcenti quinquaginta duo.

11. Filij Phahathmoab filiorum Iosue, & Ioab, duo millia octingenti decem, & octo.

12. Filij Ælam, mille ducenti quinquaginta quatuor.

13. Filij Zethna, octingenti quadraginta quinque.

14. Filij Zachai, septingenti sexaginta.

15. Filij Bannui, sexcenti quadraginta octo.

16. Filij Bebai, sexcenti viginti octo.

17. Filij Azgad, duo millia trecenti viginti duo.

18. Filij Adoricam, sexcenti sexaginta septem.

19. Filij Bequai, duo millia sexaginta septem.

20. Filij Adin, sexcenti quinquaginta quinque.

21. Filij Ater, filii Hazeziæ nonaginta octo.

22. Filij Azhasem, trecenti viginti octo.

23. Filij Besai, trecenti viginti quatuor.

24. Filij Hareph, centum duodecim.

25. Filij Gabaon, nonaginta quinque.

26. Filij Bethlehem, & Netupha, centum octoginta octo.

27. Viri Anathoth, centum viginti octo.

28. Viri Bethazmoth, quadraginta duo.

29. Viri Cariathiarim, Cephira, & Beroth, septinginti quadraginta tres.

30. Viri Rama, & Geba, sexcenti viginti vnus.

31. Viri Machruas, centum viginti duo.

32. Viri Bethel, & Hai, centum viginti tres.

33. Viri Nebo alterius, quinquaginta duo.

34. Viri Ælam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor.

35. Filij Harem, trecenti viginti.

36. Filij Iericho, trecenti quadraginta quinque.

37. Filij Iod, Hadid, Ono, septingenti viginti vnus.

38. Filij Senaa, tria millia nongenti triginta.

39. Sacerdotes, filii Idaia in domo Iosue, nongenti septuaginta tres.

40. Filij Emmer, mille quinquaginta duo.

41. Filij Phashur, mille ducenti quadraginta septem.
42. Filij Arem, mille decem & septem Leuitæ.
43. Filij Iosue & Cedmihel filiorum.
44. Oduiæ, septuaginta quatuor Cantores.
45. Filij Asaph, centum quadraginta octo.
46 Ianitores; filij Sellum, filij Ater, filij Thelmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobai, centum triginta octo.
47. Nathinæi; filij Soha, filij Hasupha, filij Tebbaoth.
48. Filij Ceros, filij Siaa, filij Phadon, filij Lebana, filij Hagaba, filij Setmai.
49. Filij Hanan, filij Geddel, filij Gaher.
50. Filij Raaia, filij Rasin, filij Necoda.
51. Filij Gezem, filij Aza, filij Phasea
52. Filj Besai, filii Munim, filii Nephassim.
53. Filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur,
54. Filii Besloth, filii Mahida, filii Harsa.
55. Filii Bercos, filii Sisara, filii Thema.
56. Filii Nasia, filii Haripha.
57. Filii seruorum Salomonis, filii Sothai, filii Iophereth, filii Pharica.
58. Filii Iahala, filii Darcon, filii Ieddel.
59. Filii Saphatia, filii Hatil, filii Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim, filio Amon.
60. Omnes Nathinæi & filii seruorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.
61. Hi sunt autem qui ascenderunt de Thelmala, Thelharsa, Cherub, Addon, & Emmer, & non potuerunt indicare domum Patrum suorum, & semen suum, vtrum ex Israël essent.
62. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quadraginta duo.
63. Et de Sacerdotibus, filii Habia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai, Galaaditis vxorem & vocatus est nomine eorum.
64. Hi quæsierunt scripturam suam in censu & non inuenerunt & eiecti sunt de Sacerdotio.
65. Dixitque Athersatha eis vt non manducarent de Sanctis sanctorum donec staret Sacerdos doctus & eruditus.
66. Omnis multitudo quasi vir vnus quadraginta duo millia trecenti sexaginta.
67. Absque seruis & ancillis eorum qui erant septem millia trecenti triginta septem, & inter eos Cantores & Cantatrices ducenti quadraginta quinque.
68. Equi eorum septingenti triginta sex, muli eorum ducenti quadraginta quinque.
69. Cameli eorum quadringenti triginta quinque, asini sex millia, septingenti viginti.

Huc vsque refertur quid in commentario scriptum fuerit, exin Nehemiæ Historia texitur.

70. Nonnulli autem de Principibus familiarum dederunt in opus, Athersatha dedit in thesaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas Sacerdotales quingentas triginta.
71. Et de Principibus familiarum dederunt in thesaurum operis,

auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia ducentas.

72. Et quod dedit reliquus populus auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia & tunicas Sacerdo tales sexaginta septem.

73. Habitauerunt autem Sacerdotes, & Leuitæ, & Ianitores, & Cantores, & reliquum vulgus, & Nathinæi, & omnis Israel in ciuitatibus suis.

EXPOSITIO LITERALIS.

v. 1. I.
OSTQVAM ædificatus est murus, & posui valuas, & recensui ianitores, & cantores, & Leuitas, &c. A

Quod ædificato muro, & valuis positis, Templi ministros recenset Nehemias: an ideo factum est, vt eximerentur à cura custodiendi muros? quod scilicet in Templo occupati essent, & ex officio suo erga diuini cultus obsequium semper vigilarent: non improbabilis coniectura, quam sequi videntur è recentioribus Sanctius, & Mariana; igitur ea videtur ratio, cur cantores, ianitores, & Leuitas recensuerit, quod cum hi Templi vacarent ministeriis, nec videbatur æquum, nec satis religiosum excubandi, custodiendique ciuitatem, onus illis imponere, sic recensere, hic idem est, ac constituere, vt volunt nonnulli, alio flectenda coniectura est, dicendumque forte eo significari, curæ primum fuisse Templum Nehemiæ, & ea quæ ad Templi ministerium pertinent, & postea ciuitatis custodiam.

Recenset Tēpli Ministros Nehemias vt eos eximat à cura custodiendi muros.

Recensere hic quidam sumūt pro constituere.

Vers. 2. *Præcepi Hanani fratri meo, & Hananiæ Principi domus de Hierusalem, &c.* Videtur hic Hanani ille idem esse, qui initio huius libri memoratur venisse in Persidem; de Hanania vero, qui dicitur, *Princeps domus de Hierusalem*, hoc annoto Tygurinam translationem vertere, *Principi arcis Hierosolymitanæ*, Vatablum, *palatij Regis*, 70. retinuerunt Hebræam vocem, *babira*, id est, *palatij*, vt vertit Paguinus, & hæc est Domus, pro qua nominatim videtur egisse Nehemias apud Artaxerxem, supra cap. 2. vers. 8. cum ait. *Et dixi Regi, si Regi videtur bonum, det mihi epistolam ad Asaph, vt det mihi ligna, vt tegere possim portas turris, domus, & muros ciuitatis, & domum quam ingressus fuero*, cui forte præpositus fuit ab ipso Nehemia Hananias, quod eum præ cæteris veracem, ac timentem Deum deprehendisset, nam & hanc infra rationem subdit, cur aliam ei prouinciam demandet; *ipse enim*, inquit, *vir verax, & timens Deum plus cæteris videbatur.*

Vers. 3. *Et dixi eis: non aperiantur portæ Hierusalem vsque ad calorem solis, &c.* His ergo præcipit, ne patiantur portas vrbis reserari, nisi prouecta iam multum, & à nocturno frigore libera, seu calefacta die; quando scilicet iam omnes vigilant, & se hostibus opponere queunt ipsi commodius, hoc enim esse videtur, *vsque ad calorem solis*, quamquam alii simpliciter sic interpretantur, *vsque ad calorem solis*, id est, vsque ad ortum solem, cum nocturnæ iam primum excessere tenebræ, nec cælari amplius possunt, quæ alioqui laterent hostium insidiæ, & imparatis graue aliquod damnum importarent: ergo cum ait, *non aperiantur portæ vsque ad calorem solis*, idem est, ac si diceret, toto tempore noctis maneant obseratæ, ne aut in tenebris hostes irrumpant in ciuitatem, subitoque irruant, antequam ciues ad bellandum excitentur, aut ciuium aliquis, si forte incautus è portis exierit, ab hoste captus pereat, quod autem addit: *Cumque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, & oppilatæ*, cuneis etiam adhibitis, vt est in Græco, in Hebræo significatur, iussos esse istos præpositos tenere, siue tractare ipsas ianuas, ad explorandum, num recte clausæ essent, ne videlicet mane, vel vespere hostes in vrbem ex improuiso inuaderent, quod iuxta ac

III. B C

Quid sit non aperiri portas vsque ad calorem solis.

præceptum fuerat, à Nehemia ſubito perfectum eſt, vrbis etiam cuſtodibus ſuos in ordines, ac vices ita diſtributis, vt pro ſua quiſque parte, ciues pro mœnibus excubarent, id eſt partem illam murorum cuſtodiendam quiuis aſſumeret, quam haberet e domus ſuæ regione erectam, hoc eſt, quod ait: *Et poſuit cuſtodes de habitatoribus Hieruſalem ſingulos per vices ſuas, & vnumquemque contra domum ſuam, &c.*

III. Verſ. 4. *Ciuitas autem erat lata nimis & grandis, & populus paruus in medio eius &c.* Hæc ideo narrantur à Nehemia, quod cum ad vrbis cuſtodiam conſtitutæ ciuibus ſingulis vices, crebro redirent, quod in exiguo eſſent numero augenda fuit ciuium frequentia, ad ſubleuandum laborem illum, nimis continentem & ad ciuitatem ipſam firmius muniendam, propugnandamque, quam quidem tunc vt iam olim ampliſſimam fuiſſe, vt ex eo eſt intelligere, quod eodem plane ſitu, ac loco ædificati ſunt poſteriores muri, quo priores, ſed vt ait Nehemias, pro eâ quæ erat amplitudine, perpauci admodum erant, eam incolerent, & ab hoſtium, qui maiori longè erant numero, irruptione, atque impetu defenderent, vnde ſubiungit.

Eodem plane loco ac ſitu ædificati poſteriores muri quo priores.

Et non erant domus ædificatæ &c. Certè grandem, atque amplam fuiſſe ciuitatem Hieruſalem facile eſt intelligere, vt iam diximus, populoſam, & ciuibus frequentem, eo tempore, non fuiſſe, ſuſpicari quiuis poteſt, ſed quod adiungit hîc, non fuiſſe domos ædificatas, pugnare videtur cum ſuperioribus, & enantiophaniam, ſeu apparentem vt aiunt, textus cum textu pugnam, & contrarietatem continere, nam proximè ante dictum eſt, ad cuſtodiam ciuitatis conſtitutum, vnumquemque per vices [illegible] ſuam quomodo ergo, ſi nullæ domus erant ædificatæ, vnuſquiſque contra domum D ſuam excubias de nocte agere potuit, ad cuſtodiendam ciuitatem? ſi ergo difficultatem hanc ſoluendam ex ſtimo, vt fatendum ſit, ædificatas quidem fuiſſe domos bene multas, ſed non ſic tamen, id eſt, non ita commodè, vt in perpetuum, vel etiam in longum tempus, ſic ædificatæ permanerent, ſed poſtea, habitationi magis idoneæ redderentur, quod indicat Lyranus, & ſic intellige, Iudæos ſcilicet, iuxta muros, à parte interiori feciſſe

Soluitur apparens in textu contrarietas de domibus ædificatis, & non ædificatis.

A quaſdam caſas, & tuguria, ſiue domos imperfectas, id eſt, minus amplas, & commodas, in quibus ad tempus commorari poſſent, donec ciuitate interius ædificata, vt ampliores, & elegantiores extruerentur: atque ideo forte (vt hoc etiam adiungam) quod ſuperius capite tertio habetur de ædificatione muri exterioris, & medii, & interioris, & domorum Sacerdotalium, & aliquorum aliorum per anticipationem dictum cenſeri poteſt. Ratio igitur, cur à Iudæis tam pauci, vt ſupra memoratum eſt, ciuitatem incolerent, quam tamen amabant plurimum, ea potiſſimum fuit, quod cum B vaſtæ potius ſolitudinis, quam extructæ ciuitatis ſpeciem referret, nec domos haberent ciues, vbi commode habitarent, immo vbi non minus anguſtè viuerent, quam cum captiui in Babylone degebant, aut in alias circumquaque ciuitates abſceſſerant à parentibus olim habitatas, aut certè rurſus in eaſdem ipſi Regiones, ac Prouincias redierant, vbi extorres olim, ſub externis ac barbaris gentibus, duriſſimam ſeruierant ſeruitutem quod feciſſe Ducem ipſum Zorobabelem, alioſque complures, illius conſilium ſecutos, & quod primum ſub Cyro ex- C cuſſerant, idem illud poſtea iugum ſubiiſſe, referunt Hebræi in [illegible]: Et ſane id feciſſe quoque videntur illi, e Iudæa, in Perſidem reduces de quibus cap. 1. verſ. 11 & murum Hieruſalem diſſipatum, & ciues, malè, ac durè tractari, & à vicinis vndequaque hoſtibus haberi ludibrio, Nehemias intellexit.

Pauci habitabant in Hieruſalem, quia domus ædificatæ nondum habitationi ſatis commodæ erãt.

IV. Verſ. 5. *Deus autem dedit in corde meo, & congregaui Optimates, & magiſtratus, & vulgus vt recenſerem eos &c.* Cùm non poſſet eo quo conſtituta erat in ſtatu ciuitas præ numero ciuium exiguo, & tantillo, ſine ingenti labore, atque incommodo, conſeruari, nec ſpes eſſet, D niſi longo poſt tempore, incolarum, qui tunc ibi degebant prole, populo frequentiorem fore, hanc Deus indidit mentem Nehemiæ, vt omnium, qui à principio, cum Zorobabele, in Iudæam è Babylone redierant, ad ſuum vſque tempus, cenſum inſtitueret, nimirum, vt videret, quinam ex illis ciuitatem incolere, & tantam ſpatii amplitudinem implere, quinam muros interiores, & domos ædificare commodè poſſent ait Lyranus, & latis aperte ſignificatur infra, cap. 11.

Cenſũ init Nehemias eorum omnium qui redierunt e Babylone vt videat quinã commodè habitare poſſint in Hieruſalem.

verſ. 1. & ſequentibus, vbi hæc leguntur; *Habitauerunt autem Principes populi in Hieruſalem, reliqua vero plebs miſit ſortem vt tolleret vnam partem de decem qui habitaturi eſſent in Hieruſalem ciuitate ſancta, Benedixit autem populus omnibus viris qui ſe ſponte obtulerant, vt habitarent in Hieruſalem &c.* Quam ad rem plurimum attulit adiumenti cenſus ille capitum quem fecit Eſdras, libro 1. cap. 2. in quo, numerati fuere diligenter, qui ſub Cyro primum in Iudæam remigrarant. Hanc porro deſcriptionem per capita, & totius populi cenſionem, factam ex inſpiratione diuina à Nehemia fuiſſe, ſatis indicant hæc illius verba; *Deus autem dedit in corde meo, & congregaui Optimates & Magiſtratus, vt recenſerem eos &c.* ſcilicet, vt prouideret vrbi de habitatoribus, pro ratione numeri familiarum, qui iampridem ex captiuitate redierant, tempore Cyri ſub Zorobabele, vnde ſubiungit.

Indicat Nehemias ſe hanc populi cenſionem feciſſe ex inſpiratione diuina.

Et inueni librum cenſus eorum qui aſcenderant primum, & inuentum eſt ſcriptum in eo &c. Itaque, per librum cenſus, intelligit, quod Hebræa vox indicat, librum Genealogiæ, ſeu proſapiæ, vbi Iudæorum ſinguli, & maiores eorum, erant deſcripti, quos magnam partem, ſequentibus verſibus enumerat. Cæterum, antequam pergam vlterius, duo hic breuiter obſeruanda ſunt; primum hunc Nehemiæ cenſum, qui reliquo capite deſcribitur, factum eſſe, prope centum annis, poſt illum qui factus eſt ab Eſdra, ille ſiquidem factus eſt anno ſecundo Cyri ſub Zorobabel, hic, poſt annum 2. Artaxerxis Longimani, illo autem tempore magna fieri potuit familiarum perſonarumque mutatio, cum aliæ, vt fere fit, extinguerentur omnino cognationes & familiæ, in aliis, alii naſcerentur, alii interirent, numero ſubinde inæquali. Alterum hic annotandum eſt, Nehemiam eo cenſu voluiſſe recognoſcere, quot & quænam familiæ, cenſore Eſdra, primum fuiſſent in patriam reuocatæ; vt illis recognitis, & rurſus ad cenſum reuocatis, intelligeret quod ex illis cognationibus ac familiis, eſſent reliqui, quoſque (vt iam ante dixi) ad vrbem incolendam, propugnandamque acceſſeret, ſic eo cenſu, plurimum aucta, munitaque eſt Hieroſolymitana ciuitas. Certe de aucta tùm temporis in vrbe, populi frequentia, ſic ſcribit Ioſephus, *Nehemias autem videns non ſatis magnam in vrbe populi frequentiam, perſuaſit circumquaque vicinis Sacerdotibus & Leuitis, vt migrarent in vrbem inibi habitaturi extructis, eis de ſuo, domiciliis, & agricolarum plebem decimas in vrbem conferre iuſſit, vt eſſet vnde Sacerdotes & Leuitæ viuerent nec auocarentur à diuino cultu & ceremoniis quod quidem illi perlibenter fecerunt, & hoc pacto factum eſt, vt vrbs magis frequentaretur impoſterum.* Sic ille, quamquam, quod ait, Nehemiam Sacerdotibus & Leuitis domicilium extruxiſſe de ſuo, nimirum Hieroſolymis & circa Templum ipſum, additum ſcripturæ videtur, ab eo autore, nec ita certum, cum præſertim in fine huius capitis legatur, verſ. 73. *Habitauerunt autem Sacerdotes & Leuitæ, & Ianitores, & Cantores & reliquum vulgus, & Nathinæi, & omnis Iſrael in ciuitatibus ſuis.* Deinde, neque ſolos agricolas, iuſſit Nehemias, decimas in vrbem conferre, ſed id ſolemni fœdere pro populo toto conſtitutum eſt, vt poſtea expendetur.

Hic cenſus factus eſt prope centum annis poſt illum qui factus eſt ab Eſdra.

Teſtimonium Ioſephi de aucta in vrbe populi frequentia.

Quod hic ſcripturæ addidit Ioſephus breuiter perſtringitur.

V.

Verſ. 6. *Iſti filij Prouinciæ qui aſcenderunt de captiuitate &c.* Eſt & hic Catalogus lib. 1. Eſdræ, cap. 2. in quo numerantur qui ſub Cyro primum cum Zorobabele & Ioſue in Hieruſalem migrarunt, & eodem pene hic quo illic ordine, licet aliqua ſubinde detrahantur, aut addantur, nec in omnibus familiis idem cenſeatur capitum numerus, neque familiarum ipſarum Principes, eodem ſemper in vtroque cenſu, notentur nomine. Quod autem ad nominum varietatem, & diſcrepantiam aliquam, quæ in altero reperitur, intelligendam, & conciliandam ſpectat, ſunt qui notant, ſæpe etiam alias contingere, quod hic fieri ſignificat Lyranus, vel eumdem pluribus nominibus appellari, vel eadem nomina nonnihil variari. Alii dicunt in quibus, Sa, in annotatiunculis, non eſſe iſtam deſcriptionem de qua ſuperius, Cod. Eſdræ cap. 3. aut certe, librum, vnde ſumpta eſt, alium fuiſſe, itaque non per omnia conuenire vni cum altera. Et vero, quod non eadem omnino fuerit, prima illa, & hæc poſtrema recenſio, licet familiarum ordo non fuerit niſi leuiter admodum immutatus, illud indicat, atque argumento eſt, quod cum Nehemias vellet eos qui tunc eſſent in viuis, ex aliis ciuitatibus in Hieruſalem transferre, non erat, cur de eorum qui iam exceſſerant,

Quomodo conueniat hic cenſus cum cenſu Eſdræ, & an vnus idemq; ſit.

rant è viuis, numero laboraret, sed satis habuit familias recognoscere, quæ primum è Babylone in Iudæam redierant, vt accuratius deinde, & certius scrutaretur, quot in earum singulis essent capita, quæ commode possent ad amplissima illa ciuitatis, pene desertæ spatia transcribi. Hæc porro vtriusque census diuersitas inde promanasse videtur, quod sæpius recensita sint Iudæorum, è captiuitate migrantium capita: primo cùm è Babylone discederent, secundo cum in Iudæam appellerent, tertio cùm instaurato iam Templo dedicationē illius celebrarent, vnde, & diuersi catalogi confici potuerunt, & diuersi numeri notari, prout decursu temporis alij aucti fuerant liberis alii orbati. Ex vno ergo illorum catalogorum, potuit Esdras sua excerpsisse, Nehemias ex alio, de hac re consule si voles Franciscum Lucam Burgensem in suis adhoc septimum caput Nehemiæ annotationibus.

Sæpius recensita Iudæorum è captiuitate migrantiū capita, bis terue diuersi eorū catalogi confecti vnde nata diuersitas census Esdræ à censu Nehemiæ.

VI. Vers. 7. *Qui venerant cum Zorobabel, Iosue, Nehemias, &c.* Etsi penè omnia quæ consequuntur hoc capite, iam à nobis alibi exposita sunt, videlicet lib. 1. Esdræ cap. 2 tamen occasione Nehemiæ, cuius hic & historiam teximus, & res gestas interpretamur, illud ex eo loco repetendum est in dubiū vocari, num qui vocatur hic Nehemias, idem sit. an alius ab eo, qui anno Artaxerxis 20. venit Iudæam, & vulgo libri huius, quē præ manibus habemus, quiq; Nehemias inscribitur, aut Esdræ secundus, author censetur. Alium esse sentiunt Caietanus & Dionysius, quorum vna hæc est, seu ratio, seu leuis coniectura, quod Nehemias hoc tempore, eius erat ætatis, vt illi vix quidquam negotii mandari debuerit, cum aut nondum esset natus, aut pueriles annos vix dum egressus: Sanctius eundem existimat, ex eo persuasus quod hoc lib. 2. Esdræ, cap. 8. vers. 9. Nehemias ille dicitur *Atherjatha*, de quo superiori lib. cap. 2. vers. 63. qui primùm venit cum Zorobabele, deinde reuersus est Babylonem, & post aliquot annos Hierosolymam rediit. Quidquid sit, quia in vtramuis partem, de re satis alioqui intexta ac dubia pronuntiare, aut sententiam ferre difficile est, si vnus idemque est, certum quoque est mihi, rediisse priuatum illum quidem primo, non vt postremò fecit Iudæis, aut supremi magistratus munere insignitum, si quidem, cum

An Nehemias qui in censu numeratur idem sit cum authore huius libri.

Varia authorum opinio de ea re alioqui satis incerta.

A Zorobabele rediit, quem tùm, cum Iosue, summo Sacerdote, toti populo præfuisse compertum est.

VII. Vers. 64. *Hi quæsierunt scripturam suam in censu, & non inuenerunt, & eiecti sunt de Sacerdotio, &c.* Eiecti sunt facta diligenti perquisitione de Sacerdotio nonnulli, non propter crimen, quod illis à quoquam impingeretur, sicut olim Abiathar, per Salomonem, sed, *quia scripturam suam in censu non inuenerunt*, id est, Sacerdotii sui, certum documentum, seu testamentum, proferre non potuerunt.

B Vers. 65. *Dixitque Athersatha eis vt non manducarent de Sanctis Sanctorum, donec staret Sacerdos doctus & eruditus, &c.* Etsi id, in superiori interdicto continebatur, tamen expressius adhuc vetitum voluit intelligi, *ne manducaret de Sanctis Sanctorum*, id est, de cibis, quibus vesci, solis Sacerdotibus licebat, iuxta illud Oseæ 4. *Peccata populi mei comedēt, & ad iniquitatem subleuabunt animas eorum*; quod autem sequitur, *donec staret, seu consurgeret Sacerdos doctus & eruditus*, Hebraicè, *in Vrim & Thummim*, iuxta 70. *Sacerdos illuminans*, sensus est, donec surgat Sacerdos, qui alicundè eruat eorum genealogiam, qui C interdicti fuerint munere Sacerdotii, aut certè respondeat, quid de talibus agendū censeat, de qua re iam superiori libro à nobis fusè dictum est, quia tamen Sacerdos. *Doctus & eruditus*, vt est in vulgata lectione, Hebraicè, dicitur, *Sacerdos in Vrim & Thummim*, ad ea quę superiori libro dicta sunt, addēdum est *Vrim & Thummim*, siue illuminationē, & veritatem, siue doctrinam & veritatē interpreteris, fuisse quemdam fulgorē, procedentem ex lapidibus rationalis, qui designabat Deum placatum, & sic impleri in effectu, quod Sacerdos petebat, (vt dicit Iosephus in Antiq. Iudaicis, qui & addit fulgorē illum cessasse, D per ducentos annos, antequam scriberet librum illum, quem scripsit, tēpore Titi & Vespasiani, & secundum hoc cōmuniter dicendum est post reditum captiuitatis Babylonicæ, surrexisse Sacerdotem ad Vrim & Thummim, siue doctum & perfectum modo prædicto, qui scilicet haberet signū placationis diuinæ, & signū acceptationis suæ petitionis in lapidibus rationalis, quia à consummatione Templi secundi vsq; ad destructionem eius per Titum & Vespasianum fluxerunt anni 420. secundū Hebræos, & multo plures secundum alios.

Quid fuerit Vrim & Thummim seu doctrina & veritas in rationali Sacerdotis, ex Iosepho, & Rabbi Salomone.

Quo autem tempore surrexerit talis Sacerdos post reditum captiuitatis Babylonicæ, non habetur ex scriptura determinate veram Rabb. Salom. Teste Lyrano censet, doctrinam & veritatem rationalis, fuisse nomen Dei tetragrammaton, inclusum sub lapidibus rationalis, virtute cuius, manifestabatur veritas, de interrogatis, ipsi Sacerdoti, quando consulebat Dominum, qui etiã addit, talẽ manifestationem nunquam fuisse tẽpore secundi Templi, & sic post reditum captiuitatis Babylonicæ, non surrexit Sacerdos doctus modo superius explicato. Quare iuxta posteriorẽ hanc sententiam, cum dicitur, *Donec surgeret Sacerdos doctus atq; perfectus &c.* vox ista, *donec*, sic sumenda, non quasi inferat, aut designet tẽpus determinatum, sed potius quasi significet idem, quod *nunquam*, sicut vulgo dicitur talis non egit pœnitentiam de peccatis suis donec vixit, id est nunquam, quia post mortem, pœnitẽtiæ locus non est, ac proinde nõ potuit pœnitere Sin vero prædictã Iosephi expositionem sequamur, quæ similior veri est, vox *donec*, designat tempus finitum, post quod surrexit, *Sacerdos doctus* siue, ad *Vrim & Thumim* licet quis, quoue tempore non sit determinate scriptum, &c.

VIII. V. 66 *Omnis multitudo quasi vir vnus quadraginta duo millia trecenti sexaginta &c.* Sic prorsus, iisdẽq; omnino verbis l. 1. Esdiæ c. 2 v. 64. sed illud hoc loco longe difficillimum est intelligere, quî fiat, vt in plurimarum familiarũ descriptione, varius sit vt valde inæqualis numerus, ab eo qui superiori libro ponitur, & longe inferior aliquando, aliquando superior, in vtroque tamen censu, idem sit in summã collectus numerus, nẽpe *quadraginta duo millia trecenti sexaginta*. Hærere hîc, atq; æstuare oportet interpretem, neque exitum inuenire, facile est, qui sit omnino expeditus, sunt qui dici putent posse, in altero horum censuum, corruptos esse numeros, quod in aliis scripturæ locis nonnulli existimant, quo se ex similibus nodis expediãt. Et fateor quidem, sicubi, maxime in numeris dari erroris occasionem facilem, cum illi interdum notis designentur quæ in magna numerorum varietate, magnam habent apud Hebræos similitudinem, sed durum est hoc asserere, nec effugium omnes eiusmodi probant, præsertim, quando codices, in eadem voce seu nota, vniuersi consentiunt. Quare Sanctius, sic existimat cuius sententiã non improbo, non hic agi de vtriusque censûs, sed de prioris summa, vt constaret, quãta foret, in eo tempore, tam angusto, quam duro, facta rerum personarũq; mutatio, quia scilicet, cum quędam hic, ad verbũ, expressa sint ex priori censu, vt pote, quæ ad principium, & finem pertinent, quæ autem inter vtrumq; extremum interiecta sunt, non vno loco, neque leuiter discrepent. Postrema hæc, quæ exponimus, ex priori censu desumpta sunt, atque ideo credibile est, illius præcipuè habitam esse rationem. Quæ porro causa sit, cur particulares numeri, simul coniuncti, subductum numerum totalem non æquent, aut cum eo non conueniant, & si singulatim familiarum numerum ineas, minorem multo summam deprehendas, siquidem in priori censu, non plures viginti nouem millibus & octingentis decem & octo, vt necesse sit si velis superiorem summam implere duodecim millia hominum, & præterea quingentos quadraginta duos addere, diximus superiori libro, qui addẽdi sunt ad numerũ implẽdum, fuisse ex aliis Tribubus, quam ex Tribu Iuda, Beniamin & Leui, quorum nomina non exprimuntur, quod cum ex decem Tribubus essent, & aliis tantum, ex occasione permixti, propriè ad captiuitatẽ Babylonicam non pertinerẽt.

Quomodo concilietur diuersitas summarum in vtroque censu.

IX. Vers. 67. *Absque seruis & ancillis, &c.* Quæ narrantur ab hoc versu vsque ad 70. satis alibi explicata sunt, neque necesse est ad prædicta quidquam adiungere: illud modo annotandum, quod in fine huius catalogi post versum 69. attexitur ab his verbis, quæ in communibus & vulgatis Bibliis leguntur, *Huc vsque refertur quid in commentario scriptum fuerit*, exin Nehemiæ historia texitur; manifesto constare, ab aliquo, claritatis gratia, additum fuisse, sed fortasse si diligenter attendatur, plus obscuritatis quàm lucis attulit, viderentur enim potius quæ proxime sequuntur cum superioribus contexenda, quãdoquidem non minus hæc, quam illa prodita sunt primum ab Esdra, & nunc à Nehemia repetita. Iam vero quis hæc addiderit, difficile est coniicere, sed illud certum, nec in Hebræo, nec in Græco legi, nec diuum quidem Hieronymum posuisse, & sanè diuersa literarum forma, qua vulgo ad seriem textus Biblici, hæc scribuntur, satis ostendit, inserta esse, nec de textu ipso sacræ scripturæ censenda: quo fit, vt eorum, nul-

Addita vocis aliquæ in textu, claritatis gratia.

la habenda, aut certe leuis ratio ad eu ius rei fidem, facit quod ante citatus Lucas Burgensis ait; in hunc locum manu scriptos codices, eosque antiquissimos, numero, omnino viginti, se vidisse, in quibus non esset hæc inserta, aut inscripta verborum formula.

Vers. 70. *Nonnulli autem de Principibus familiarum dederunt in opus: Athersatha dedit in thesaurum auri dracmas mille &c.* Ad claudendam huius capitis expositionem aduerte totis reliquis versibus 71. 72. 73. exprimi munera seu donaria, quæ dederunt Principes familiarum in Templo Domini; ac ne inutilem prorsus huius rei repetitionem putes, cum iam superiori libro ad calcem capitis secundi recenseantur. Obserua item citato Esdræ

Hinc magis in particulari res & persona notantur quam in censu Esdræ.

A loco, poni tantum generaliter, hic specialiter, & magis, quod aiunt, in particulari adductis etiam quibusdam cùm rerum, tùm personarum nominibus, quæ illic reticentur, vt diligenter ad literam attendenti patebit. Hæc igitur scripta quidem fuerant ab Esdra lib. 1. cap. 2. à versu 68 vsque ad finem capitis, sed hic tamen magis adhuc explicantur a Nehemia, qui forte tunc erat, cum Zorobabele, Hierosolymis, & his omnibus interfuit, ac vero etiam præfuit, vt Lyranus & Vatablus existimant. Vocatur autem is hoc loco vt in plerisque aliis, cum huius tùm superioris libri Chaldaico vocabulo; *Athersatha*, qui apud Hebræos, Hebraico idiomate; vulgo Nehemias appellabatur.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis septimi.

Expositio Allegorica in illud vers. 6. *Postquam ædificatus est murus, & posui valuas, & recensui* Ianitores, *& Cantores, & Leuitas, &c.*

Quid valuæ, quid Ianitores, quid Cantores, & Leuitæ symbolicè significent.

1. N spirituali & mystico sensu, si Bedam audimus lib. 3 expositionis Allegoricæ in Esdram, cap. 14. vbicumq; Ecclesiæ murus, collectis ad fidem nouis populis, vel correctis per pœnitentiam his qui ante errauerant, & à via Dei desciuerant, ædificatus fuerit, mox ponendæ sunt valuæ regularis disciplinæ & diuinæ legis strictiori censura animi coercendi, ne diabolus qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, in ouile Dei possit vsquam irrumpere & fidelium mentibus inferre perniciem, *Non minor est virtus quam quærere parta tueri*, ait ille. Hinc est cur prouidè, ac sagaciter recensentur a Nehemia, Ianitores, Cantores, & Leuitæ, qui easdem valuas custodiant. Quo-

Valuæ muro ædificato apposite regularem disciplinā significant & diuinæ legis censuram.

B rum sane omnium munus ipsum per se se, atque officium sanctis Ecclesiæ Doctoribus apprimè conuenire manifestum est. Ac primum quidem Ianitores illi, sunt qui scilicet claues Regni Cœlorum perceperunt, vt dignos & humiles suscipiant, superbos vero & indignos ab ingressu supernæ ciuitatis arceant, dicendo, vbi res feret, quod olim, Petrus Simoni Mago, Actorum cap. 8. vers. 21. *Non est tibi pars neque sors in sermone hoc; Cor enim tuum non est rectum coram Deo*: Deinde Cantores, vt vox ipsa præ se fert, intelliguntur illi, qui sanctitatem ac dulcedinem, patriæ cœlestis, auditoribus suis, in animum instillant, ac prædicant: Postremo Leuitæ quoque sunt illi qui erga obsequium diuini cultus semper inuigilant, quod autem, vti narratur, vers. 3. Iubet Nehemias pro ea qua pollet Ducis authoritate, vt to-

Ianitores mystici Sacerdotes & viri Apostolici.

Cantores sunt Præcones verbi diuini.

Leuitæ, quilibet Ecclesiæ Ministri cultus diui.

no inuigilantes.

to tempore noctis, portæ ciuitatis Hierusalem obserentur, *Nec aperiantur vsque ad calorem solis*, ne scilicet in tenebris hostis irrumpat aut ciuium quispiam minus cautè exiens ab hoste captus intereat ad Allegoriam sic trãsferri potest, vt dicatur, etiam tota huius sæculi nocte, ad custodes animarum pertinere, vt vigiles sint, & excubias agant diligenter, super gregem suum, ne si paulùm remittant, obseruantia piæ conuersationis neglecta, diabolus animarum prædo, aut fidelium cœtum perturbaturus subintrat, aut de ipsorum numero fidelium quempiam perditurus arripiat. Apparente autem atque illucescente sole iustitiæ, post hanc vitam, hoc est clarescente luce beatitudinis, quam futuram expectamus, iam non erit opus claustris continentiæ, quia nec aduersariis, vtpote sempiterna cum suo Principe vltione damnatis, fideles impugnandi tentandiue, facultas vltra concedetur, vnde illud Apocalypsis, cap. 21. vers. 25. quod ait D. Ioannes de sanctę ciuitatis ac cœlestis Hierusalem splendore ac gloria, *Et portæ eius non claudentur per diem, nox enim non erit illic.* Lyranus quidem in Glossa, portas ciuitatis Hierusalem obseratas à Nehemia refert, ad sensus nostros exteriores quos magna animi cautione custodiri oporteat, sed cum id Tropologiam potius, quam Allegoriam spectet, & commodius, & fusius à nobis in tractatione morali dissseretur. Placet etiam in eo mysterium quoque aliud aduertere, quod Nehemias instauratæ iam vrbis Hierusalem custodibus præcipit, ne aperirentur portæ vsque ad calorem solis. Nimirum id eo referri percommodè posse videtur, vt Allegoricè significaret, non esse portas Cœli seu supernæ ac cœlestis Hierusalem reserandas, antequam Christus Dominus Crucem subiret; isque perfectissimo amoris igne incalesceret, & sua morte vitam nostram mirabiliter operaretur. Oportuit Solem Iustitiæ summæ incalescere, vti reapse contigit antequam cœlum aperiretur. Christus enim Dominus, in Crucem erectus non tam inclaruit quam incaluit, quippe omnis ille fulgor diuinæ Maiestatis, in quamdam humilitatis nubem conditus, & Passionis caligine obductus, quamdam veluti eclypsim patiebatur, multo sane mirabiliorem quam illam, qua sol ipse in illo meridie obtenebratus est. Nihilominus seruor ille charitatis vehementior exæstuabat ardentius, quo factum est vt Sole iustitiæ, non quidem exterius, splendescente, sed mirum quàm efferuescente interius, salus mundo parta, & Cœlum apertum sit, ex Euangelii luce ac sole, *Hæc velut vmbra deprehenditur exaltari siquidem prius oportuit filium hominis, quam vt omnis qui crederet in eum non periret, & vitam haberet æternam*, Ioann. 3. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, Luc. 24. oportuit sane nobisq; *per eum, eiusque ingressum semel in sancta propalari tandem ac initiari viam Sanctorum*: vt ait Apostolus Hebræorum 10. sic portæ supremæ Hierusalem numquam bene patuerunt, nisi vsque ad calorem solis, id est donec diuini solis æstus, in amoris sui excessu, ad summum vsque incaluerit, & omnia nostri causa in Cruce ferendo patiendoque salutem nostram ipse confirmauerit. Nisi mauis easdem ciuitatis Hierosolymitanæ portas apertas quidem reseratasque duntaxat ad calorem solis, de Christo Domino, ad finem mundi iudicaturo exponere, quod nec etiam displicet, tunc enim propriè, Sole Iustitiæ in malos, & sole misericordiæ in bonos incalescente, reiectis impiis, non in anima modo, sed & in corpore, aditus bonis omnibus in Hierusalem cœlestem patebit, cum scilicet, vt ait Apostolus, omnia subiecta erunt ei, & ex tot tantisque ouibus quæ nunc huc illucque exerrantè caula semotæ, *Fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* Iam vero nec mysterio vacat quod Nehemias vt est eodem versu 3. quem Allegorice exponimus, *Posuerit custodes de habitatoribus Hierusalem, singulos per vices suas, & vnumquemque contra domum suam, &c.* De habitatoribus Hierusalem, quia scilicet vt iam alio loco indicare me memini, custodes animarum non sunt de Neophytis, nec de externis, & peregrinis in fide, nec de vulgari fidelis etiam populi turba constituendi, sed de illis qui iam extra luctam positi & à certamine vitiorum liberati, mentem in Hierusalem hoc est in visione tranquillæ pacis, habere consueuerant, ac proinde vsurpare merito possint illud Apostoli, Philipp 3. vers. 20. *Nostra autem conuersatio in cœlis est vnde Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum*, qui ipsi, *per vi-*

Tota huius sæculi nocte vigiles esse oportet animarum custodes.

Antequam portæ cœlestis Hierusalem aperiretur hominibus oportuit Solem Iu-

stitiæ Christum Dominum amoris igne in passione sua summè incalescere.

Possunt etiam portæ Hierusalem nona reserata vsque ad calorem solis mysticè intelligi de Christo ad finem mundi iudicaturo, & bonis omnibus in corpore & in anima aditum in Cœlum facturo.

II. ces suas singuli constituuntur, quod indicat, præfectis ac custodibus animarum, postquam cursum suum consummarunt, de hac luce substractis, alios mox, eorum loco, regendis, tutandisque fidelibus substitui & solere, & oportere, nec desunt sanè aut vllo vnquam tempore defuturi sunt, qui pro pace sanctæ Ecclesiæ propter timores noctu nos, vt ait Beda, excubare satagant, vt proferat se se, atque emineat, vsque ad consummationem sæculi: Veritas illa sermonis Prophetici, quo dictum est eidem Ecclesiæ, Psalm 44. vers. 17. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram, & memores erunt nominis tui in generationem & generationem.* Aptè quoque, hic & commodè subiungitur, de custodibus illis Hierusalem selectis à Nehemia, *Constitutum vnumquemque contra domum suam*, commodè inquam, ad Allegoriam, iam à nobis suprà indicatam. Sic enim custodia sanctæ Ecclesiæ ritè perficitur, eiusdemque pax & tranquillitas

Alii post alios custodes animarum constituuntur, nec vnquã in Ecclesia desunt.

A conseruatur, cum quisque, ita sollicitudinem omnium gerit fidelium eorumque saluti promouendæ studet, vt illis tamen peculiariter, quibus iuuandis, protegendisque, Deo authore, præfectus est, curam studii diligentiorem impẽdat, nec enim frustra dictum est ab Apostolo 1. Timoth. cap. 5. vers. 8. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet fidem negauit & infideli est deterior*, & Galat. cap. 6. vers. 10. *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Tandem quod ait Nehemias, vers. 4. *Ciuitas*
B *autem erat lata nimis & grandis & populus paruus in medio eius & non erant domus ædificatæ, &c.* Hoc illi tempori typicè conuenit quo disseminato per Apostolos longè lateque Dei verbo, totus orbis nouum fidei germen accepit. & necdum Ecclesiæ ædificatæ, sed tantum auditu verbi & sacramentis, populi adhuc rudes erant imbuti Hæc de Allegoria huius capitis breuiter: nunc ad mores aliquid delibemus.

Vnicuique domesticorum præsertim cura suscipienda.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA in Caput septimum.

Morale in illud vers. 2. *Præcepi Hanani, fratri meo, et Hananiæ Principi domus de Hierusalem, ipse enim quasi vir verax & timens Deum plus cæteris videbatur, &c.*

Muneribus publicis qui virtute & pietatẽ præstant quam quosuis alios potius esse præficiendos, &c.

III.

ONSVLTISSIME Nehemias vrbe iam ædificata, ac vero etiam mœnibus cincta, præfectus quasi vrbis constituit, præficitque murorum custodiæ viros è toto populo facile Principes, ac selectissimos, qui tanto muneri ob eximias dotes sibi cum à natura, tum à gratia inditas iure glorientur. *Præcepi*, inquit, *Ha-*
C *nani fratri meo, & Hananiæ Principi domus de Hierusalem (ipse enim quasi vir verax, & timens Deum plus cæteris videbatur) & dixi eis, non aperiantur portæ, &c.* In quo sane boni, atque excellentis Ducis partes cumulatissime expleuit, dum pietate, ac virtute reliquis de populo præcellentes, ad publicum munus, populique ipsius custodiam asciuit, quæso illud expende: *ipse enim quasi vir verax, & timens Deum plus cæteris videbatur, &c.* Ergo

Nehemias ut boni Ducis partes expleat tuendis ciuibus, vbique seruandæ viros veraces, & timentes Deum plus cæteris delegit.

tuendis ciuibus, vbique seruandæ viros veraces, & timentes Deum plus cæteris delegit; factum vero illud quam sanctè, quam pie, quam prudenter, dici enim vix potest, atque haud scio an cogitatione comprehendi, quantum intersit Reipublicæ, quantum imperii totius, optimos quosque in Magistratus eligi, & ad dignitates publicas, eos solum qui cæteris probitate morum insigniores sunt promoueri: id tamen quoquo modo ex his argumentis, sic ratiocinando assequi licet, quia ex naturæ ipsius ductu, ac lege iustum est optimos quosque, aut minus bonis, aut deterioribus præfici, quia indignus est imperio, qui virtuti non paret; hoc est, qui sibi imperare nescit, & vitiis famulatur, indignus est qui in alios dominetur, quia sapientissimi quique Reges ac Principes, tum semper maximè sapuerunt, cum sapientissimos quosque, ac sanctissimos, quo ad fieri potuit, regni sui administros muneribus publicis allegerunt, quia denique ex eo magnam partem populorum salus, atque integritas pendet hinc Beda in illud v. 3. hoc eodem capite. *Et posui custodes de habitatoribus Hierusalem, &c.* Custodes vrbis præfectos à Nehemia ad animarum custodes transfert: *Custodes*, inquit, *animarum, non sunt de Neophytis, nec de turba vulgari, sed de illis constituendi, qui à certamine vitiorum Dei gratia liberati, iam mentem in Hierusalem*, hoc est, *in visione tranquillitatis habere consueuerunt, qui dicere valent cum Apostolo, nostra conuersatio in cælis est, &c.* Verissime illud quidem dixit Democritus apud Stobæum Serm. 44. *Iustitiæ, & virtutis maximam partem habet, qui honore dignos honorat*, & in eandem omnino sententiam præclare de se ipso olim aiebat Rex Theodoricus apud Cassiodorum lib. 6. Epist. 23. *Hoc cunctis laudibus meretur efferri, quod diuersarum ciuitatum decora facies aptis administratoribus videtur ornari, &c.* Quibus tandem subiicit, *exeunt à nobis dignitates relucentes, quasi à sole radii, vt in orbis nostri parte resplendeat custodita iustitia*, quasi scilicet Princeps, qui munera, & dignitates aptis Magistratibus ornat, & splendidas reddit, simul seipsum pulcherrimum solem, pietatis, & iustitiæ assertorem, ac vindicem ostendit, à quo virtutis, & iustitiæ radii, tanquam illius pars exeant; ac quemadmodum sol ipse à radiis, & luce quam diffundit, fons quasi luminis esse cognoscitur, sic Princeps iustitiæ, & virtutis maximam partem habere creditur, cum honore dignos honorat, & Magistratibus præficit, cohæret illud egregie cum eo quod apud eundem Cassiodorum lib. 9. Epist. 22. regio ore pronuntiat Athalaricus, *electio nostra de meritis venit, & tanto genus regali animo proximatur, quanto bonis studiis societate coniungitur, &c.* Etiam ante citatus Theodoricus lib. 1. Epist. 12. *Pompa meritorum est regale iudicium, quia nescimus ista, nisi dignis impendere, & quanquam potestati nostræ Deo fauente subiaceat, omne quod volumus, voluntatem tamen nostram de ratione metimur, vt illud magis æstimemur elegisse quod cunctos dignum est approbare*, quod tanti Principis institutum cæteris Regibus, ac Principibus ob oculos obuersari, atque in animo esse deberet, vt in deligendis Magistratibus, non suos semper affectus, sed commune hominum bene sentientium iudicium sequerentur, nec tam priuati studii in eo, quam virtutis, aut existimationis publicæ rationem haberent, & id quidem in Valeriano Principe summe laudatum, & fœlicitate Romana dignum, narrat Trebellius Pollio in vitis triginta tyrannorum cap. .. de Regiliano. *Habeo autem hoc fuisse Valeriani Principis, quod omnes quoscumque Duces fecit postea multorum testimonio ad summum peruenerunt, vt appareat senem Imperatorem in deligendis Magistratibus talem fuisse, qualem Romana felicitas si continuari fataliter potuisset, sub bono Principe requirebat.* Sic olim quoque Constantium Imperatorem in oratione de Themistio in Senatu habita, gloriatum fuisse accepimus, quod eximium illum Philosophum, quem de facie non nouerat, ob eius sapientiæ famam Senatoria dignitate ornasset, atque in eo tantæ dignitati præficiendo imperatorii iudicii egregium specimen exhibuisset, nimirum Reges, ac Principes egregiam profecto laudem, eximiumque famæ splendorem, & ornamentum consequuntur, cum optimos quosque, ac dignissimos honoribus cumulant, & in ipso dignitatum fastigio collocant, quod ex omnium gentium historiis repetita memoria testatissimum inuenias, fuit id quidem omnino persuasum bono Imperatori Valentiniano, cum apud Theodoretum lib. 4. histor. cap. 6. mirum quan-

Rationum summa ob quas optimos & sapientissimos quosque in Magistratus eligi & ad dignitates publicas promoueri oporteat.

Custodes animarum non sunt constituendi de turba vulgari.

IV.

Maximam iustitiæ, & virtutis partem habet, qui honore dignos honorat.

Theodorici Regis de ea re sensus.

Athalarici & Theodorici Regum in hoc genere exempla, & instituta.

Principes in deligendis Magistratibus non suos affectus, sed communem hominum bene sentientium iudicium sequi debent.

Valerianus Imperator in deligendis Ducibus consultissimus cum in eligendis, qui ad imperium peruenerunt.

Applaudebat sibi, gloriatusque Constantius Imperator, quod Themistium Philosophum, quem de facie non nouerat ob eius sapientiæ famam Senatoria dignitate ornasset, Valentinianus.

nianus quod D. Ambrosium Mediolani præfectum designasset, qui post à eiusdem vrbis Episcopus à Deo factus sit.

tum sibi applauderet, quod Ambrosius, quem illi Mediolanensi vrbi præfectum designarat, eiusdem vrbis Episcopus a Deo factus fuisset, sic namque ipsi ea de re, Deo gratias agens dixisse fertur: *Gratias tibi sit Domine omnipotens, & Saluator noster, quod cum ipse corpora huic viro commisissem, tu etiam animas commendasti, indeque declarasti meam iustam fuisse sententiam*, & vero, quis nescit pessum ire Respublicas, regna, atque imperia funditus corruere,

V. vbi impietas sedet in throno iudicis, vbi dignitatū subsellia à nequissimis, aut B etiā indignis occupantur, vbi sceptrum in scelere est, vbi leges condit præceps, audacia, atque impotens sui potestas summa, vbi denique praui quique dominantur: sane nonnisi sub dominatu Regum, aut Imperatorum, quos fœda vitiorum lues conspurcat, fœditas ista solet contingere. Notum

Corruptæ dicuntur ab Historicis olim publicæ dignitates per infamem Heliogabalum quod illis immerentes & indignos præfecisset.

est illud ex historicis, sed potissimum ex Lampridio de infami Imperatore Heliogabalo ad notatum, corruptas ab illo, ac dedecore affectas publicas dignitates, dum illis indignos, & immerentes præfecit, sic enim ille in C eius vita, *Præsides, Legatos, Consules, Duces, omnes dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum, vt mirum non sit quod Alexander Seuerus eius successor, labem hanc imperij deterserit*, de quo idem author, *vbi*, inquit, *augustum agere cœpit Imperium, primum remouit iudices omnes à ministerijs, atque muneribus, quos impurus ille Heliogabalus, ex genere hominum turpissimus prouexerat, deinde Senatum, & Equestrem ordinem purgauit, ipsas deinde tribus & eos qui militaribus vtuntur prærogatiuis purgauit.*

Alexander Seuerus quos præfecturis, ac muneribus publicis præficere volebat prius exponebat publico omnium examini.

Et quoniam Alexandri Imperatoris iniecta est mentio, facit ad hanc dissertationem plurimum, quod illi erat D in more positum, eamque sibi legem præfixerat, vt quos præfecturis, & muneribus publicis præficere vellet, publico omnium examini prius exponeret, vt qui de hominum facultatibus, & vita essent iudicaturi, ab ipsis primum hominibus iudicarentur, siue probarentur, sic enim in eius vita refert Lampridius, *vbi aliquos voluisset vel rectores Prouinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores*, id est, *rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortaris populum, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus, si non probasset, subiret pœnam criminis*, addit idem author Gentilem illum

A Principem id ex Christiana disciplina didicisse, quem sic loquentem facit: *Dicebatque graue esse cum id Christiani, & Iudæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in Prouinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita*: sed nesciebat bonus Imperator animarum curam, & salutem æternam committi Magistratibus Ecclesiasticis, quibus de subditorum suorum animabus ipsis rationem Deo reddere ex officio, ac munere incumbit: *Oculi mei ad fi-* VI.

B *deles terræ, vt sedeant mecum*, aiebat olim Regius Propheta, Psalm. 100. vers. 8. en tibi pulcherrimum Principis exemplar, in deligendis Reipublicæ Magistratibus, Iudicibus, Præfectis non gratiæ, non fauori, non opibus, aut nobilitati quidquam dantis, sed probissimos quosque à morum integritate, prudentia, & eximia sapientia commendatos, muneribus, & præfecturis præficientis, &c. *Oculi mei*, inquit, *ad fideles terræ, vt sedeant mecum*, quasi dicant, sic enim interpretatur Agellius, fideles terræ vndique conquirebam, vt mecum essent ac mecum habitarent probos viros, & quibus tuto me, meaque committere possem, assumebat, non vt Reges ac Principes solent, admittebat adulatores, aut parasitos, & perfidos, atque improbos homines, vt ad iudicandum, & consultandum de grauissimis rebus mecum sederent, sic Iethro ad Moysem, Exodi cap. 18. vers. 21. & 22. *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicent populum omni tempore*, & D Deuteronom. cap. 1. vers. 13. Moyses ad populum, *date ex vobis viros sapientes, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis Principes*: *Prouide*, inquit ille, *de omni plebe viros potentes*, aliqui Codices Latini habent *sapientes*, Hebraicè, *viros virtutis*, id est, *viros valentes*, animo strenuos, & magnanimos, qui magnorum, & magnatum vultum non timeant, vt personas in iudicio accipiant, & iudicium peruertant, sed vnum timeant Deum, Iudicem Iudicum, & Regem Regum, *sapientes* etiam iudices, & Magistratus exegisse Mosem, patet ex loco Deuteronomii proxime citato, nec cuiquam dubium est, tam scien-

Dauidis prudentia ac delectus in asciscendis Consiliariis, constituendisque Respublicæ Magistratibus.

Magistratus potentes, & sapientes, & timentes Deum & veraces, optant Iethro, & Moyses.

tiam, & prudentiam, quam virtutem, animique constantiam in iudice requiri, addit, *in quibus sit veritas*, puta non tam doctrinæ, aut etiam vitæ, quam iustitiæ, de ea enim præcipue eo loco sermo est, id est, vno verbo viros iustos, & sanctos, ita septuaginta, qui scilicet neminem decipiant, sed faciant, quod promiserint, quodque æquum est, & legibus præscriptum, sapiat ergo, atque intelligat præ cæteris oportet, qui cæteris præest, teste ipso Sapiente, dum ait, *intelligens gubernacula possidebit*, Prou. 1. vers. 5. id est, aliis gubernandis, & administrandis præficitur, sic Lyranus Hugo, & Dionysius hunc locum interpretantur; Plutarchus vero in Moralibus Principem, optimos imperii administros adhibiturum esse, exemplo Naucleri ostendit, *gubernator*, inquit, *optimos quærit nautas, ita Princeps eos asciscit amicos, qui ad Rempublicam administrandam sunt idonei, &c.* Vis ab humanis ad diuina, vis ad illum, ipsummet iustitiæ fontem, rem transferam? scis quam à Regio Psalte, *speciosus præ filiis hominum*, & in cuius labiis gratia diffusa sit, ac proinde à Deo in æternum benedictus inducitur, Psalmo quadragesimo quarto, versu tertio, nec tamen à populis eximiè laudatus, & concelebratus dicitur, donec ab ipso relucentes dignitates, vt ante dicebamus, veluti à sole radii exiisse perhibeantur, sic namque vers. 27. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram, memores erunt nominis tui in omni generatione & generatione*, in quæ verba sic Cyrillus Alexandrinus, *in ordine patrum*, inquit, *discipuli sapientissimi Ecclesiæ præpositi sunt, ideo si sunt Principes in omni terra*, vide porro quid subiiciat Propheta, *propterea populi confitebuntur tibi in seculum, & in seculum seculi*, propterea inquit, sed propter quænam quærit D. Chrysostomus, qui illico respondet, *propterea quod tales Principes constitueris*, quasi dicat, omnino, propterea quod Ecclesiæ, ac publicis muneribus sapientissimos, & optimos quosque præposueris, miris ab vniuersis populis laudibus celebraberis, eximiamque iustitiam, & sanctitatem tuam omnes agnoscent, & posteris seculis prædicabunt; scilicet hæc sceptri quodammodo, seu dominationis lex est, & diuino oraculo sancita, & communi Sapientium calculo proba-

Christo eorum laudi ducitur Psal. 44. quod optimos quosque Ecclesiæ sua Principes constituent.

ta, vt non tantum bono, quantum fieri potest, sed ei qui omnibus melior, atque præstantior sit omnino deferatur, &c. *Rex constituitur ex tacitis, aptisque ob eminentiam virtutis, aut actionem, quæ ex virtute*, ait Aristoteles, libro quinto Politicorum capite decimo, *in nullo minor*, inquit Chrysostomus, Homilia decima tertia in Lucam, *qui cunctis est potior*, & statim, *non ideo sit melior, quia maior, sed ideo maior, quia melior.* Audi id, & condisce ex faustis acclamationibus Senatus Romani, apud Trebellium Pollionem in Valeriano, quibus olim demandata est censura ipsi Valeriano, antequam in imperium eueheretur, cum passim ab omnibus diceretur, *Valeriani vita censura est, ille de omnibus iudicet, qui omnibus est melior, ille de Senatu iudicet, qui nullum habet crimen, ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest obiici, Valerianus a prima pueritia censor fuit, in tota vita fuit censor, hostis criminum, hostis vitiorum, hunc censorem omnes accepimus, hunc imitari omnes volumus, primus genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis.* Cyrus quidē teste Xenophonte lib. 8. Cyropædiæ, non censebat conuenire cuiquam imperium, qui non melior esset iis quibus imperaret: De Alexandro Magno Iustinus, lib. 12. refert cum eum deficere amici viderent, & quærerent, quem imperii faceret hæredem respondisse. *Dignissimum*, hæc itaque reputantem, aiebat Isocrates in institutione Principis ad Nicoclem Regem, *niti decet, vt quantum cæteros antecellis honoribus, tantumdem ex virtutibus eos præcedas*: in eam rem porro quam eximie prædicanda Basilii Imperatoris vox in exhortatione ad Leonem filium. *Caue ne Regni malus custos degeneris aliquid, atque indigni committas, sed cum cæteris prælatus es, vt omnibus imperas, ita contende, vt virtute quoque cæteris antecellas*, & post pauca, *ne sis suppositus, atque adulterinus dominus, cum te alius præstantior reperiatur, sed verus Imperator cum cæteris omnibus virtute antecellas.* Hac voce quid magis Regium, atque illustre? profecto monstruosa res est, *gradus summus, & animus paruus*, ait D. Bernardus libro secundo de Consideratione capite septimo & Gregorius Nazianzenus in Apologetico, sic summam virtutem in Principe, aut Magistratu

Non tantum bonus sed melior quantum fieri potest eligendus qui cæteris dominatur.

Acclamationes populi Romani Valeriano tanquam omnium optimo censuram demandantis.

VII.

Cyri, & Alexandri iudicium de meliore ac dignissimo in imperium [illegible]

inuehendo. Basilii Imperatoris ad Leonem filium grauis in eam rem adhortatio.

Miniſtro ſacri gradus ſummus eſt, & animo inſignis.

ſtatu præſequi oſtendit. *Et etiam ſeſe aliquis ab omni, etiam labe purum conſeruet*, inquit, *haud tamen ſcio, idne ei ſufficiat qui alios ad virtutem erudire parat, neque enim ab eo, qui hanc curam ſuſcepit, hoc ſolum requiritur, vt malus non ſit, verum etiam vt virtute præſtet, nec vt vitioſas tantum animæ notas expungat, verum vt meliores etiam inſcribat, ita vt magis virtute antecellat, quam honore, ac dignitate ſuperet*, quod quidem egregie adumbrabit Regia illa, & procera Principis à Deo primum electi; Saulis nempe, ſtatura corporis, qua cæteros ab humero, & ſurſum antecellebat 1. Reg. cap. 9. verſ. 2. & cap. 10. verſ. 23. *Ab humero, & ſurſum eminebat ſuper omnem populum*, inquit Scriptura, *ſtetitque in medio populi, & altior fuit vniuerſo populo ab humero, & ſurſum*, vt inde facile eſſet animaduertere nihil in ſubditis adeo egregium, virtuteque conſpicuum inueniri, quod ab altitudine, & magnitudine virtutis, quæ Sauli inerat, longo interuallo non diſtaret & ſuperaretur: ſic interpretatur Gregorius Magnus lib. 4. cap. 4. cum ait. *Hac quippe ſpecie corporis præſignantur acta virtutis, vt qui altior eſſet in populo, capite vſque ad humerum Regis pertingeret, futurus vero Rex, collo, & capite altitudinem omnium ſuperaret*, quod paulo dilucidius explanans addit; *capita vero quæ ſunt, niſi ſubiectæ plebis mentes, quod cum valde tenduntur, vſque ad humerum ordinandi Regis pertingunt, quia is qui ad regendum culmen quæritur tanta debet eſſe perfectionis, vt quidquid populus, de bono opere ſibi vult proponere, in ſua conſeruatione debeat monſtrare.* Quære igitur, quiquis ſis, & cui ex munere, atque officio id incumbit, quos cæteris aut regendis, aut inſtituendis, aut iudicandis præficias, qui non tam corporis, quam animi dotibus eximiis ſupra cæteros emineant. Quære quos bonus odor vitæ, quos virtutis, ac boni nominis fama non magis conſpicuos, quam acceptos ſuis ſubditis, & amabiles reddat: propterea *viros boni teſtimonij*, requirebant Apoſtoli in eligendis Diaconis, Actorum ſexto, verſu tertio, in Epiſcopo Paulus 1. ad Timotheum tertio, verſu ſecundo, & ſequentibus: *Oportet*, inquit Apoſtolus, *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, audis irreprehenſibilem, vide qualis, & cuiuſmodi delectus hominum habendus ſit, notant hic aliqui peculiarem dicendi modum in Apoſtolo, vimque in eius verbo ſingularem, quo non tam inculpatum, & vitii expertem, quàm peccato fere non obnoxium, quod contra humanæ fragilitatis naturam eſt, Prælatum velle videatur, vnde Hieronymus Epiſtola octuageſima tertia ad Oceanum admirabundus ait, *pene rem contra naturam exigit, quis eſt enim ille, qui abſque peccato, & reprehenſione viuit*, ſed ſi diligentius rem ipſam attendimus, nec quidquam contra naturam, nec Principem, aut Prælatum, Magiſtratumue alterius naturæ, quam ſint alii, vult Apoſtolus, ſed eum adeo virtutibus inſtructum, atque ornatum eſſe optat, vt ab illarum ſplendore hominum iudicia, & linguæ præoccupatæ, nullam vitii in eo latentis ſuſpicionem habere queant. *Hoc vnico verbo*, inquit Chryſoſtomus, *genus omne virtutis expreſſit, eum quippe qui regit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt inſtar Solis cæteros veluti ſtellarum igniculos in ſuo fulgore obſcuret, &c.* Sed hæc tandem ſufficiant vt intelligas, quam inſigniter peccent Magnates, ac Principes, qui muneribus publicis non optimos, ac digniſſimos quoſque, quantum in ipſis eſt præficiendos curant.

Prælatum fere peccato non obnoxium optat Apoſtolus 1. ad Timoth.

Statura corporis maior in Saule primum in Regem à Deo electo, quam in reliquo populo maiorem eius virtutem indicabit.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA in Caput septimum.

Morale in illud, versu tertio. *Et dixi eis : Non aperiantur portæ Hierusalem vsque ad calorem solis, &c.*

Sensus exteriores magna vigilantia custodiendos, vitijsque omnibus occludendos.

VIII.

DITVM faciet A huic morali dissertationi non incommodum Lyranus in Glossa, vbi exponens hæc verba, *non aperiantur portæ Hierusalem vsque ad calorem solis*, sic ait secundum sensum moralem, Hierusalem, significat animam fidelem, in qua regnat verus Dauid, Iesus Christus per gratiam, huius autem ciuitatis portæ sunt, exteriores sensus animi, qui non debent aperiri de nocte, id est, ad opera mala peragenda, quæ sunt opera tenebrarum, vtpote visus non est aperiendus ad aspectum impudicum, nec auditus B ad verba detractionum, nec gustus ad gulæ vitium, nec tactus ad amplexum immundum, neque odoratus ad odorem meretricium, nec ad alia prædictos sensus respicientia debent vllo modo aperiri, &c. Sed portæ prædictæ ad calorem solis sunt aperiendæ, id est, ad faciendum opera charitatis, quæ significantur per calorem solis, aperiendus est enim visus, ad miserias pauperum subleuandas, Isaiæ 48. *Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris*, similiter auditus, ad exaudiendum clamores afflictorum Prouerb. 21. *qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, &* C *non exaudietur.* Exemplum habes Lucæ 16. de diuite Epulone, qui clamans ad Abraham, guttam aquæ non potuit impetrare, eo quod micas panis Lazaro non concessit : idem quoque dicendum est de apertione aliorum sensuum ad actus sibi conuenientes secundum ordinem charitatis. Hactenus Lyran. cuius sensum de portis sensuum nostrorum arcte obserandis, custodiendisue mire illustrat sanctus Bernardus, libro de Anima, cap. 14. vbi de insidiantibus animæ suæ inimicis, carne, mundo, & dæmone : his ad Deum verbis conqueritur. *Adiuua me Domine Deus meus, quoniam inimici animam meam circumdederunt, corpus, scilicet mundus, & diabolus, à corpore fugere non possum, nec ipsum à me fugare, circumferre illud necesse est, quoniam alligatum est mihi, perimere non licet, sustentare cogor, & cum illud impinguo, hostem meum nutrio, mundus vero circumcingit, & obsidet me vndique, & per quinque portas, videlicet per quinque corporis sensus, scilicet visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum, sagittis suis me vulnerat, & mors intrat per fenestras in animam meam, respicit oculus, & mentis sensum auertit, audit auris, & intentionem cordis inflectit, odoratus cogitationem impedit, os loquitur, & fallit, per tactum, ardor libidinis, pro aliqua parua occasione excitatur, & nisi illico respuatur, subito totum corpus occupat, vrit, & incendit, &c.*

Atque haud scio, an extremum istud ex sancto Ambrosio expresserit D. Bern. adeo alteri cū altero conuenit, non in sensu modo verborum, sed etiam in verbis ipsis, quæ sic lego apud sanctum Ambrosium libro de Esau, seu fuga sæculi capite septimo.

Animæ fidelis, seu mysticæ Hierusalem portæ, sensus exteriores ex Lyrano, qui in ministerium vitii, aperiri non debent.

Aperiri sensus debent, seu portæ Hierusalem mysticæ ad calorem solis, id est, ad faciendum opera charitatis.

Grauis D. Bernardi querela de corpore, mundo, & diabolo.

Mundus nos per quinque sensuum portas sagittis suis vulnerat.

Eadem D. Ambrosii ac D. Bernardi sententia de sensuum difficili custodia.

Respexit oculus & sensum mentis euertit, audiuit auris, & intentionem inflexit, inhalauit odor, & cogitationem impediuit, os libauit, & crimen retulit, tactus contigit, & ignem adoleuit:

IX. Omnino, custodia & vt, sic loquar claustra sensuum debet esse exactissima, quia, per eos, vt iam longa sæculorum experientia constat, vel vita, vel mors, intrat in animam, hinc, illud Hierem. cap. 7. vers. 21. *Ascendit mors per fenestras nostras*, quo loco, vt notat noster Delrio, in Adagialibus sacris, veteris Testamenti, adagio, 134. sancti Patres, magno consensu, vtuntur, ad ostendendum, sensus esse fenestras corporis, & per hos, mortem spiritualem, quæ est peccatum, more furis, sæpissime, se in animam nostram penetrare, cæteros inter, sic sentit, Origenes Homil. 3. in Cantic. sub finem, *Possumus*, inquit, *sensus corporis fenestras intelligere, per quas aut mors, aut vita, intrat in animam*, sic enim designat Hieremias Propheta, cum de peccatoribus loquitur, dicens; *Ascendit mors per fenestras, quomodo ascendit mors per fenestras? si oculi peccatoris, videant mulierem, & mœchentur eam in corde suo, sic mors ingressa est ad animam per fenestras oculorum, sed & cum recipit quis auditum vanum, & præcipue falsæ scientiæ dogmatum peruersorum, tunc, per aurium fenestras, mors intrat in animam, si vero anima, intuens ornatum mundi, & ex pulchritudine creaturarum, conditorem omnium intelligat, Deum, & opera eius miretur, laudetque operum creatorem, ad animam hanc, vita ingreditur, per fenestras oculorum, sed & cum auditum inclinat, ad verbum Dei, & rationibus sapientiæ, & scientiæ eius delectatur, hinc per aurium fenestras, ad animam, sapientiæ lumen ingreditur*, D. Ambrosius mox citatus, *intrauit mors per fenestras*, dixit Propheta, *Fenestra tua est oculus tuus, si videris, mulierem ad concupiscendum, intrauit mors, si audieris sermones meretricios intrauit mors, si luxuria sensus tuos capiat, penetrauit mors*: sic quoque eundem Prophetæ locum, spiritualiter intelligit D. Hieronymus in suis Commentariis, sanctus Augustinus Tom. 9. lib. de honestate mulierum, cap. 4. hac eadem Hieremiæ authoritate vtitur ad suadendum clericis,

X. vt non solum ab extraneis mulieribus, sed etiam à vicinis, & domesticis, & ancillis suis, secretam familiaritatem,

Ex sensu SS. Patrũ sensus exteriores fenestræ sunt corporis per quas intrat in animã sæpe mors spiritualis iuxta illud Hieremiæ 7. Ascendit mors per Fenestras.

Expositio Origenis quomodo intret mors vel vita per fenestras sensuum.

D. Ambr. D. August. D. Hieronymus eodem modo locum Hieremiæ variis in locis interpretantur.

A & incautam oculorum fragilitatem refrænent, ne illud ipsis eueniat, quod Dominus per Prophetam terribiliter clamat, dicens; *Mors intrauit ad animas nostras per fenestras nostras*, per quas? per visum oculorum & auditum aurium, &c. quod multis exemplis explicare pergit, D. August. D. Bernard. attexo, qui sermone 24. super Cantica, hinc docet, vt fugiamus, ab audienda detractione, *Conuenientibus*, inquit, *in vnum non est Dominicam cœnam manducare, sed magis propinare & libere calicem dæmoniorum, dum importantibus linguis aliorum perditionis virus aliorum aures intrantem mortem libenter excipiunt*, sic quippe iuxta Prophetam, *intrat mors per fenestras nostras, dum prurientes auribus, & oribus lethale poculum detractionis, inuicem nobis ministrare contendimus, non veniat anima mea, in concilio detrahentium, veniat potius in consilium eorum, qui fenestras has, spiritui Domini apertas, cæteris clausas habent*, denique D. Gregorius lib. 21. Moralium, cap. 2. exponens illud Iob. cap. 31. vers. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, cum sit inuisibilis anima*, inquit, *nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhærens corpori quasi quædam egrediendi foramina, eiusdem corporis sensus habet, visus quippe, auditus, gustus, odoratus, & tactus quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras venit & ea quæ extra eius sunt substantiam concupiscit, per hos etenim corporis sensus quasi per fenestras quasdam exteriora quæque anima respicit respiciens concupiscit*, hinc etenim Hieremias ait, *ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis, &c.* & paulò post, *Quisquis per has corporis fenestras incautè exterius respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens cadit, atque obligatus desideriis, incipit velle, quod noluit, Princeps quippe anima, dum ante non prouidet, nec incautè videat, quod concupiscat, cæca post incipit desiderare, quod videt*, infra quoque subiungit post multa, idem S. Pater, *Hinc etiã sub Iudææ voce quæ exteriora videndo concupiscens, bona interiora perdiderat*, Propheta dicit, Threnor. 3. *Oculus meus deprædatus est animam meam, concupiscendo enim visibilia, inuisibiles virtutes amisit, quæ ergo interiorem fructum per in-*

D. Bernardus item & D. Greg. sic de fenestris sensuũ ratiocinantur vt eas spiritui Domini apertas cæteris clausas esse velint.

Sẽsus quasi quædam viæ mentis quibus foras venit ad concupiscenda quæ extra eam sunt.

Quam periculosum per fenestras corporis incautè respicere.

XI. *Quod oculus non videt cor non amat.*

teriorem visum perdidit, per oculum corporis pertulit prædam cordi, hinc consultè prorsus ac sapienter Iob c. 31. pepigit fœdus cum oculis suis, ne cogitaret de virgine, nec frustra, in vulgari sermone circumfertur, quod oculus non videt, cor non amat, certè huius sensuum custodiæ defectu, periit Eua, nosque omnes perdidit, Genes. 3. Holophernes captus est in oculis suis Iudith, 16. vers. 18. Dauid, vir alioqui sanctissimus vidit Bethsabee, & sensum non coercens, incidit in adulterium, & homicidium, vt merito idem ipse Regius Psaltes Psal. 118. oret in hunc modum, *Auerte oculos meos ne videant vanitatem*, & verè Seneca, dixerit lib. de remedio fortuit. *Cæcitate multis cupiditatibus via incisa est, quàm multis rebus, quas ne videre, vel eruendi erant oculi? non intelligis, partem innocentiæ esse cæcitatem, huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concupiscat, hinc vrbē, & mala omnia, certè irritamenta sunt vitiorum, ducesque scelerum*; Nempe qui sensus custodit & cum oportuerit oculos claudit cæcitatem sibi cum vult, non sibi, nec alter cuiquam noxiam, sed salutarem inducit, vis scire quænam potissimum cordis nostri fores & quibus occludendæ sunt? audiendus est D. Augustinus in Psalm. 141. *Claude ostium*, inquit, *ne tentator ingrediatur, &c. tentator non cessat pulsare, vt irrumpat, si clausum inueniat trãsit*, ideo Apostolus, *quia in nostra potestate est ostium claudere, nolite*, inquit, *locum dare diabolo, etenim si intrauit, & possedit, attende, quia tu negligenter clausisti, aut claudere neglexisti, quid est autem claudere ostium? hoc ostium, tanquam duas habet valuas, cupiditatis, & timoris, aut cupis aliquid terrenum, & hac intrat, aut times aliquid terrenum, & hac intrat, timoris ergo, & cupiditatis ianuam claude, contra diabolum, aperi ad Christum, quomodo ipsas valuas aperis ad Christum? cupiendo Regnum Cælorum, timendo ignem gehennarum, per cupiditatem seculi, diabolus intrat, per timorem ignis æterni Christus intrat, ecce Martyres clauserunt ianuam contra diabolum, Christo aperuerunt, promisit eis multa mundus iste, riserunt, clauserunt valuam cupiditatis contra diabolum, minatus est mundus iste, bestias, ignes, cruces: non timuerunt, clauserunt timoris valuam, contra diabolum videamus, si aperuerunt illas Christo, qui confessus*, inquit, *me fuerit coram hominibus confitebor & ego illum coram patre meo qui in Cælis est*. Luc. 12. *amauerunt ergo Regnum Cælorum, vbi eos confitebitur Christus videamus, si & timoris, Christo valuam aperuerunt, quando diabolo clauserunt; vno eodemque loco Dominus monet, hoc, vt & diabolo claudatur, & sibi aperiatur, nolite*, inquit, *timere eos qui corpus occidunt animam autem non possunt occidere*, Mat. 10. *monuit vt timoris valua, in faciem diaboli clauderetur, ergo nihil est timendum, non ergo aperitur, aditus timoris Christo, qui clausus est diabolo? statim subiecit, tanquam dicens, exclusisti eum, aperi mihi, sed eum timete*, inquit, *qui habet potestatem & animam & corpus mittere in gehennam*.

Exempla eorum qui ex defectu custodiæ sensuum in peccatum inciderunt.

Oculi sæpe irritamenta vitiorũ ducesque scelerum & sæpe in cæcitate magna pars innocentiæ consistit.

XII. *Ideo intrat in ostium cordis diabolus quia negligenter clauditur.*

Quid sit ostium cordis clausum tenere ex D. Augustino.

Duæ valuæ timoris & cupiditatis claudẽdæ diabolo aperiẽdæ Christo aperiuntur.

Christo cupiendo Regnum Cælorum & timendo ignem gehennarum aperiuntur diabolo cupiendo aut timendo aliquid terrenum.

XIII. *Anima quæ sensuũ portas non custodit vt ac turris aut vrbis etiam munitissima quæ foramina habet aperta per quæ hostis ingreditur, non est secura.*

Ergo & portæ, & fenestræ, & ostia & ianuæ, cordis nostri, diligenter obserandæ sunt, si tuti ac securi, ab hostium deprædatione, esse volumus. sicut enim vrbi cuiuis, & turri, quamuis munitissimæ, nihil prosunt muri, aut propugnacula, quantumcumque validissima si foramina, aut fenestras habent apertas per quas hosti ingressus pateat, ita nihil prodest animæ quoduis gratiæ munimentum si sensuum portas aut fenestras habeat apertas per quas mundana & carnalia spectacula, aut varia rerum caducarum desideria, in animam ingrediantur, quid ei porro quantumuis immineat periculi qui in custodiendis sensibus minus segnis sit ac diligens aperte declarat D. Hieronymus in illud Threnor 1. *Manum suam misit hostis ad desiderabilia eius quia vidit gentes ingressas ad sanctuarium suum*, his verbis; *Quando per aliquem sensum nostrum hostis antiquus patentem inuenit introitum, tunc ingreditur per suggestionem in sacrarium animæ nostræ, vbi sancta Trinitas per fidem veram habitare consueuerat, & spoliat illud decore sapientiæ & ornatu virtutum*: vnde nobis, (sic enim liceat verbis D. Gregorii concludere loco iam supra citato; *Ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina seruanda est, nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet grauitate vigeat, carnales tamen sensus quarite, quiddam exterius perstrepunt. & nisi interioris grauitatis pondere, & quasi iuuenili quodam vigore, refrenentur, ad fluxa quæque & leuia, mentem eneruem trahunt.*

Ad custodiendam cordis munditiam exteriorum sensuum disciplina seruanda.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VONIAM perturbatis temporibus, diu multumque apud exules Iudæos, sacrorum voluminum lectio (contra quàm diuinæ Sanctiones imperabant) intermissa fuerat, commodius, vrbe iam mœnibus cincta, & coacta hinc inde populi multitudine, mense septimo, qui totus sacris rebus impenditur, primo ipso die, atque adeo solemni illo quidem nouiluniÿ, aut Neomeniæ festo, tandem postliminio reuocata est. Inde cum optante id multum, ac rogante populo, è ligneo suggestu, spectantibus quibusuis, atque audientibus, legem interpretaretur Esdras Sacerdos, sic omnium animi, perculsi statim, commotique sunt, vt à lachrymis, & complorationibus, quod pridem de lege nihil audiissent, temperare sibi vllo modo non possent. Sed mærentes atque afflictos consolari, illorumque fletus cohibere Esdras, & Nehemias, impensè studuerunt, cum palam, in die solemni, ac festiuo, indulgere lacrymis, ac diem illum quodammodo contaminare, & quasi è sacro profanum reddere, nequaquam diuinæ legis cultoribus expedire, sed lætandum potius, exultandumque esse verbis contestarentur grauissimis. Quorum illi consilium secuti, non grauatè, cùm ex libro legis, de septemdiali Tabernaculorum festo audiissent, & quemadmodum celebrandum foret, doctore Esdidicissent, tùm illud verò, suo tempore, ac statis diebus magnifico sane apparatu, sed ritu legitimo celebrarunt.

CAPVT OCTAVVM ESDRÆ.

1.
ET venerat mensis septimus, filij autem Israël erant in ciuitatibus suis congregatique est omnis populus quasi vir vnus, ad plateam quę est ante portam Aquarum, & dixerunt Esdræ Scribæ vt afferret librum legis Moysi quam præceperat Dominus Israëli.

2. Attulit ergo Esdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum cunctisque qui poterant intelligere in die prima mensis septimi.

3. Et legit in eo apertè in platea quæ erat ante portam Aquarum, de manè vsque ad mediam diem, in conspectu virorum & mulierum, & sapientium, & aures omnis populi erant erectæ ad librum.

4. Stetit autem Esdras Scriba super gradum ligneum quem fecerat ad loquendum, & steterunt iuxta eum Mathathias, & Semeia, & Ania, & Vria, & Helcia, & Maasia, ad dexteram eius, & ad sinistram Phadaia, Misaël, & Melchia, & Hasum, & Hasbadana, Zacharia, & Mosollam.

5. Et aperuit Esdras librum coram omni populo, super vniuersum quippe populum eminebat, & cum aperuisset eum stetit omnis populus.

6. Et benedixit Esdras Domino Deo magno, & respondit omnis populus *Amen, Amen*, eleuans manus suas, & incuruati sunt & adorauerunt Deum proni in terram.

7. Porrò Iosué & Bani, & Perebia; Iamin, Accub, Septhai, Odia, Maasia, Celita, Alarias, Iosabeth, Hanan, Phalaia, Leuitæ silentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus autē stabat in gradu suo.

8. Et legerūt in libro legis Dei distinctè, & apertè ad intelligendum & intellexerunt cum legeretur.

9. Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) & Esdras, Sacerdos, & Scriba & Leuitæ interpretantes vniuerso populo dies sanctificatus est Domino Deo nostro nolite lugere, nolite flere: flebat enim omnis populus cum audiret verba legis.

10. Et dixit eis; Ite, commedite pinguia, & bibite mulsum & mittite partes his qui non præparauerunt sibi quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari gaudium, etenim Domini est fortitudo nostra.

11. Leuitæ autem silentium faciebant in omni populo, dicentes; Tacete quia dies sanctus est, & nolite dolere.

12. Abiit itaque omnis populus vt comederet & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam quia intellexerant verba quæ docuerat eos.

13. Et in 2. die congregati sunt Principes familiarum vniuersi populi, Sacerdotes & Leuitæ ad Esdram scribam vt interpretaretur eis verba legis.

14. Et inuenerunt scriptum in lege præcipesse Dominum in lege Moysi, vt habitent filij Israël in Tabernaculis in die solemni mense septima.

15. Et vt prædicent & diuulgent vocem in vniuersis vrbibus

ſuis, & in Hieruſalem dicen-
tes; Egredimini in montem
& afferte frondes oliuæ, &
frondes ligni pulcherrimi, fron-
des myrthi & ramos palmarum,
& frondes ligni nemoroſi, vt
fiant Tabernacula ſicut ſcri-
ptum eſt.
16. Et egreſſus eſt populus, &
attulerunt feceruntque ſibi Ta-
bernacula vnuſquiſque in do-
mate ſuo, & in atriis ſuis, &
in atriis domus Dei, & in pla-
tea portæ Aquarum, & in pla-
tea portæ Ephraim.
17. Fecit ergo vniuerſa Eccleſia
eorum qui redierant de ca-
ptiuitate Tabernacula, & ha-
bitauerunt in Tabernaculis:
non enim fecerant à diebus
Ioſue filij Nun taliter, filij Iſ-
raël vſque ad diem illum, &
fuit lætitia magna nimis.
18. Legit autem in libro legis
Dei per dies ſingulos, à die
primo vſque ad diem nouiſſi-
mum, & fecerunt ſolemnita-
tem ſeptem diebus, & in
die octauo collectam iuxta
ritum.

EXPOSITIO LITERALIS.

V. 1.

1. T *venerat menſis ſeptimus, filij autem Iſraël erant in ciuitatibus ſuis, &c.* Interim dum Nehemias perquirit apud ſe ſe, animoque diligenter perluſtrat, ac prouidet, quinam in ciuitate quam ædificauerat habitare deberent, venit menſis ſeptimus, Hebræis *Tiſri*, qui cum à primo die vſque ad viceſimum ſecundum, totus legitimis ceremoniis conſecratus eſſet, illis tandem de more ritè celebratis, ad diſponendos vrbis habitatores, cum Principibus, & plebe reuerſus eſt. Primum ergo; *Congregatus eſt omnis populus*, puta, ad deprecandum Dominum, ne propter peccata populi, ciuitas iterum vaſtaretur, ait Lyranus, & quod additur, *quaſi vir vnus, &c. in eo* (inquit Beda) *notanda eſt deuotio populi, & concordia, qui quaſi vir vnus, eadem fide ac dilectione ad Templum Dei conuenerit, ac Pontificem rogauerit, vt allato libro mandata quæ agerent explicaret, vt cum ciuitate ædificata, operis quoque Deo placiti ſtructura conſurgeret, ac demum ne ſicut antea, propter religionis negligentiam, ciuitas periret, aut rurſum funditùs collaberetur. Deinde, collectus dicitur populus ad plateam quæ eſt ante portam Aquarum.* Sed quæ tandem hæc atque vbi conſtituta? Beda quidem, ante citatus, videtur indicare in Gloſſa, hanc

Menſis ſeptimus Hebræorum vulgo Tiſri, *totus pæne feſtiuus.*

Ob quam cauſam populus in Templum conueneris & Deum rogauerit iuxta Bedam.

A fuiſſe portam Templi, cùm ait; *Portam Aquarum reor dici in atrio Sacerdotum, quo Templum vndique per quadrum erat circumdatum, maximè ad Orientalem plagam Templi, vbi erat mare æneum ad lauandas manus, pedeſque introeuntium in Templum; vbi erant decem lateres ænei, ad lauandas hoſtias; vbi etiam altare holocauſti, inter quod & Templum, lapidatus eſt Zacharias filius Barachiæ. Nec vero huius atrij portam intrandi facultatem habebat populus, ſed tantum Sacerdotes & Miniſtri illorum, populus vero extra hanc portam, & maximè in platea, quæ ad Orientalem eius plagam ſpectabat, ad audiendum, vel ad adorandum, ſtare ſolebat:* Sic ille, B ſed melius, meo iudicio, Lyranus, qui portam Aquarum, vrbis fuiſſe, non Templi exiſtimat, ſiue (quod addit idem ipſe) eadem fuerit cum illa porta, quæ ſuperius capit. 3. nominatur porta Fontis, ſiue non: ſic igitur iuxta illius authoris mentem, intelligendum eſt ex aduerſo, atque è regione veluti illius portæ Aquarum, non tamen immediatè & proximè, fuiſſe atrium; vbi Iudæi orabant, & audiebant verbum diuinum, & hoc atrium, vocari in textu *plateam*. Addam hic [quæ obſeruatio eſt Dionyſii Carthuſiani] quod ſubditur in multis codicibus poſt hæc verba; *Et venerat menſis ſeptimus*, ſcilicet Scenopegiæ, *ſub Eſdra & Nehemia*, non eſſe de textu.

Quænam ſit & vbi ſita porta Aquarum

II. *Et dixerunt Esdræ Scribæ, vt afferret librum legis Moysis, quem præceperat Dominus Israëli, &c.* Hæc verba satis refellunt eorum sententiam, qui putauerunt sacras Scripturas in incendio Hierosolymitano funditus periisse, easque hoc tempore ab Esdra, diuina inspiratione rursum totidem verbis esse dictatas; dicit enim Scriptura, dictum esse Scribæ vt librum afferret, qui scilicet extabat, non vt eum recens ederet, aut ex sua mente dictaret. Cœterum, etsi non desint qui putent duos esse eiusdem nominis Sacerdotes qui dicantur Esdræ, & hac ratione conciliari commodius quæ alioqui satis implexa sunt, nec ita cohærere videntur nulli tamen dubium esse potest, quin hic Esdras idem ille sit, de quo superiori libro, vocatur enim hic, & illic, Scriba, & statim Sacerdos, versu proxime sequenti, & aliis sæpè locis, in hoc libro Sacerdos & Scriba. Et cum sacræ Scripturæ familiare sit, vt qui nomine conueniant, aliqua nota, certa, & propria distinguantur, nec vlla hic adhibeatur, quæ Esdram alterum, ab altero, siquis, eiusdem fuisset cum eo nominis, facile secernat, satis indicat, vt quidem existimo, vnum eundemque fuisse. Quare cõstat ex hoc loco, immo ex totis reliquis capitibus, eo tempore quo Nehemias moratus est Hierosolymæ, seu quamdiu muros eius instaurauit, & ciuitatem in meliorem formam statumque restituit, videri quoque cum illo fuisse Esdram Sacerdotem, qui sicut ille res curabat vrbanas & publicas, sic iste quæ ad religionem, & morum sanctitatem pertinerent, sapientissimè moderaretur.

Esdras hîc idem ipse est de quo superiori libro.

Nehemias res curabat vrbanas & publicas Esdras quæ ad religionem pertinebant.

Vers. 2. *Attulit ergo Esdras legem coram multitudine virorum & mulierum cunctis que qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi &c.* Quod votis suis expetierat populus, vt ab Esdra Sacerdote, lex Moysis afferretur, id vero cumulatè ab eo perfectum est, cum illam scilicet in medium produxit, coram omni cœtu ac multitudine virorum & mulierũ, & legendam & interpretandam die primo mensis 7. in quo præter nouilunium, aut Neomeniam festum erat Tubarum atque clangoris, vt præcipitur Numer. cap. 29. vers. 1. & Leuitic. cap. 23. vers. 24. sed quod addit Nehemias, *Cunctisque qui poterant intelligere &c.* Credo, id facit, vt excludi pueros, à reliquo spectantium & auidissimè audientium numero intelligamus, qui non intelligebant.

III. Vers. 3. *Et legit in eo apertè in platea quæ erat ante portam Aquarum, de mane vsque ad mediam diem &c.* Esdras scilicet, legit in libro legis apertè, id est clarè, & aptè ad omnium intelligentiam, declarando identidem ea, atque illustrando, quæ obscuriora videbantur, *De mane vsque ad mediam diem*, inquit, in quo apparet, cùm Esdræ Sacerdotis in docendo populo cura diligens. & indefessa constantis, tùm populi ipsius, in eo tamdiu, tamque attentè audiendo, pietas singularis, & fidelis perseuerantia, de qua subdit Nehemias, *Et aures populi erant arrectæ ad audiendum.* Quamquam nec putes, solum, hoc Iudæorum cœtu, legisse Esdram Sacerdotem, licet ille esset lectorum omnium Princeps, sed alios etiam, qui erant è Sacerdotali & Leuitico ordine, vt infra vers. 8. indicatur his verbis; *Et legerunt in libro legis Dei distinctè & apertè ad intelligendum.* iique fuisse videntur, qui proximè vers. 4. dicuntur adstitisse ipsi Esdræ, & vers. 11. congregato populo silentium indixisse; Neque vero Esdras, vir eo tempore admodum longæuus, vt pote, qui iam supra centum annos, longe ætatem produxerat, ea videtur contentione vocis quam tanta hominum exigebat frequentia, ad meridem vsque legendo, durare potuisse, vnde necessarium fuisse existimem, alios subinde substitui, qui ei succederent, fessumque subleuarent, ne quà pars diei à sacri libri lectione vacua relinqueretur, si quid tamen aliis etiam legentibus incidebat obscurius, id exponebat Esdras, & interpretabatur, clarè & apertè, vt apparet ex hoc loco, & plenius adhuc ex sequenti textus explanatione constabit.

Esdræ in docẽdo populo cura diligens atque indefessa & populi in audiendo pietas singularis.

Non solus legis Esdras librũ legit sed alÿ subinde cum eo siue Sacerdotes seu Leuitæ.

Vers. 4. *Stetit autem Esdras Scriba super gradum ligneum &c.* Per gradum ligneum, intellige suggestum, ex quo legebat, dicebatque ad populum: Et certe Salomon, olim stetit supra basim æneam ad loquendum populo, vt habetur 2. Paralipomen. 6. vers. 12. vnde placet hic cùm Lyrani, tùm etiam Bedæ obseruatio, videri authorem nostrum, in hoc textu, meminisse huius loci Paralipomen. (dicam ego, saltem subindicare) vbi hæc legantur; *Stetit Salomon coram altari Domini,*

Ex gradu ligneo tanquam ex suggestu legebat docebatque Esdras eo fere modo quo olim Salomon in primo Templo.

Domini, ex aduerso vniuersæ multitudinis Israel, & extendit manus suas, siquidem, *fecerat Salomon basim æneam, & posuerat eam in medio Basilicæ, habentē quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos in altum, in medio autem Basilicæ*, id est, in medio atrij Sacerdotum, de quo in eodem libro scriptum est, *Fecit etiam atrium Sacerdotum*, interius scilicet, *& Basilicam grandem*, id est, exteriora atria, quibus ex omniparte, Templum erat cinctum. Ergo cum esset Rex ditissimus & potentissimus Salomon: basim quidem fecit æneam, quam postea, vt & alia maioris pretij metalla, secum asportauerunt Chaldæi, quando Templum incenderunt. Esdras vero, quod longè minoris potentiæ & facultatis esset, gradum tantum ligneum extruxit, sicut Salomon & Moyses altare holocausti fecerunt æneum, & filii Transmigrationis lapideum, ita fere authores citati.

V. Vers. 5. *Et aperuit Esdras librum coram omni populo, super vniuersum quippe populum eminebat; Et cum aperuisset eum stetit omnis populus &c.* Ad superiora nihil clarius addi potest, ad probandum, conseruatum esse apud Iudęos librum legis, sed hic forte dubium esse existimes, omnesne libros legerit Esdras, an aliquos tantum? Ego quidem existimauerim eum non totum omnino Pentateuchum populo perlegisse, sed ea ex illis libris legenda duntaxat selegisse, quæ ad vniuersi populi eruditionem, & mores in melius conformandos pertinebant, bonam scilicet partem Exodi, & Leuitici, maximè autem Deuteronomium, in iis locis, in quibus horribiles comminationes continentur in præuaricatores, quas cum in seipsis experirentur impletas, ideo fortassis, in fletus & lachrymas soluebantur, vt mox infra discutiemus. Porro cùm dicitur, *aperto libro, & docente Esdra stetisse omnis populus*, satis indicatur morem fuisse Hebræis, non secùs atque aliis plerisque gentibus, & populis qui externis alienisque religionibus erant addicti, vt verba Dei, & quæcumque aliquid diuinum continerent, stantes auscultarent, quod religiosam in audiendo reuerentiam notat. Sic Iob. 37 vers. 14 Eliu stare iubet atque auscultare Iobum ipsum, quasi diuinum aliquod oraculum auditurum, his verbis: *Ausculta hæc, Iob, sta, & considera mirabilia Dei*; quo eodem

Non legit Esdras totum librū legis sed ea selegit quæ ad erudiendum populum commodiora erant.

Stãtes verbum Dei audiebant Hebræi vt constat ex hoc textu & aliis scripturæ locis.

A modo olim etiam Numer. cap. 23. vers. 18. Balaam hortatus est Balac Moabitarum Regem, vt verbum acciperet â Deo missum stans & erectus, non sedens aut iacens, quippe, cum dixisset Balac, *Quid locutus est Dominus?* respondit Balaam, vt illum ad religiosè audiendum disponeret, *sta Balac & ausculta.* Iuxta hanc quoque receptam apud plurimas gentes consuetudinem. Aod Iudex Israël Iudicium, cap. 3. vers. 20. cum per insidias, Eglonem, Moabitarum Regem, occidere cogitaret, & ad illud con-
B silium referret plurimum, stare illum erectum toto corporis trunco, quò commodius plagam lethalem indigeret, quæ momento temporis illum conficeret, rationem excogitauit, quo illum talem inueniret, statu recto, vt eam plagam acciperet, quæ necessario, & breui necem induceret, nimirum fingens se verbum habere à Deo, quod vt religiose & reuerenter de more acciperet stetit rectus, locumque lethali vulneri aperuit: sic enim de vtroque legitur loco citato; *Sedebat*, Eglon scilicet, *in æstiuo cœnaculo, dixitque Aod, verbum Dei habeo ad te, qui statim surrexit de throno.*
C Quid mirum igitur, si surrexisse dicantur Iudæi, vt & religiosius & attentius legem auscultarent, sic nos Christiani, hac etiam ætate, nihilo, hac in parte Iudæis inferiores, dum Euangelium in sacris Mysteriis legitur stantes audimus, quin & iam olim Christianos, maiores nostros, cum Martyrum passiones in Ecclesia legerentur, aut Lectiones etiam longiores, audiendo stare consueuisse refert Augustinus lib. 50. Homiliarum Hom. 26. his verbis, *Ante aliquot dies, propter eos, qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant in-*
D *terna charitate consilium dedi, & quodammodo supplicaui, vt quando passiones prolixæ, aut certè aliquæ longiores Lectiones leguntur, qui stare non possunt, humiliter & cum silentio sedentes intentis auribus audiant quæ leguntur.* Sed de hoc rursum alias & fusius & commodius in morali expositione huius capitis.

Stantes etiam de more Euãgelium audiunt Christiani in sacris Mysteriis vt olim Martyrum passiones quæ in Ecclesia legebantur.

Vers. 6. *Et benedixit Esdras Domino Deo magno, & respondit omnis populus, Amen Amen, eleuans manus suas, &c.* Eximius hic effectus Lectionis sacrorum librorum, docet quanto ad eos studio & reuerentia ferri debeamus, cuius rei longe illustrissimum

hic exemplum præbet, coacta Iudæorum multitudo, ad Esdram legentem, interpretantemque Dei legem audiendum. Cum enim Esdras lecturus esset librum, & *benedixisset Domino Deo magno*, id est [vt interpretor] diuinum auxilium implorasset, illis, vt videtur, atque admodum credibile est, verbis, quæ Moyses ad eum finem destinarat, Numeror. cap. 6. vers. 23. *Sic benedicetis filiis Israel & dicetis, benedicat tibi Dominus & custodiat te, ostendat Dominus faciem suam tibi & misereatur tui; Conuertat Dominus vultum suum ad te & det tibi pacem*: respondit populus; *Amen, amen, eleuans manus suas.* Certè qualis fuerit Esdræ benedictio, satis superque indicat, populi frequens acclamatio, optantis, precantisque talia euenire, qualia Esdras optabat, precabaturque in ipso, seu lectionis, seu precationis initio. Sanè, qui existimant, Esdram fortè in principio dixisse, illud Psalmi 105 *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo & vsque in sæculum*, quod huic benedictioni subiungatur; *Et dicat omnis populus fiat*, cum enim hic omnis populus responderit, *Amen, Amen*, quod idem est ac *fiat, fiat*, verisimile esse quoque, priora illa verba, ab Esdra fuisse præmissa. Quidquid sit, sicut oratio frequenter incipit à laude, quæ beneuolentiæ comparandæ idonea ratio est, vnde & sæpe etiam, oratio in scripturis, laus dicitur, sic exhortatio Esdræ, aut sacra lectio à Dei benedictione, seu laudatione, commodè ducit exordium.

Quid sit hic Benedicere Domino Deo magno, & quibus verbis Deo benedixerit Esdras.

Et incuruati sunt, & adorauerunt Deum proni in terram, &c. Situs hic quoque atque habitus corporis, summam quoad ea quæ sensibus patent, erga diuinum numen, reuerentiam exhibet, & repræsentat, siquidem, apud omnes planè gentes, adorantium Deum, & orantium est, incuruare se, ac prosternere in terram, qua corporis abiectione, aliquid in eo quem adoramus quod sublime sit, ac præ cœteris omnibus emineat, recognoscimus: sic Psalm. 94. de illis qui Christum Regem agnouere dicitur; *Coram illo procident Æthiopes, &c.* Quod etiam fecere Magi, Matth. cap. 2. Et cæcus à natiuitate Ioann. 9. & in Ecclesia quotidie audimus hortatorium illum Psalmum; *Venite adoremus & procidamus ante Deum*, vt mirer D. Hieronymum, in illud Danielis 3. vers. 5. *Cadentes adorate statuam auream*, postquam notauit vsitatum esse, vt homines adoraturi Idola, se prosternant, & cadant, quod Mat. cap 4. diabolum exegisse à Christo legimus, negare, à sanctis viris Deo exhibitum eiusmodi adorandi genus.

Apud omnes gentes adorantiũ & orantiũ est incuruare se ac prosternere

VI. Vers. 7 *Porro Iosue, & Bani, & Serabia, silentium faciebant in populo ad audiendam legem, &c.* Cum dicitur, legente Esdra librum legis, Leuitas silentium fecisse in populo, ad audiendam legem, ne sic intellige, quasi illi insolenter obstreperent, sed quod sonoro fletu audientiam impedirent, vnde & illi ipsi Leuitæ dicunt infra. v. 11. *Tacete quia dies sanctus est, & nolite dolere.* Nimirum, in tanta multitudine, eaque variis affecta motibus, non poterat strepitus aliquis, ex admiratione, aut lætitia, aut etiam dolore, aut sollicitudine non exoriri, quare cum verbo Dei, nemo aut obstrepere vsquam, aut aliis, quominus audire possint, impedimento esse permittendus sit, id percommodè Leuitarum curæ demandatum fuit, vt omnem sedarent strepitum & silentium populo amica, sed tamen graui denuntiatione indicarent: idipsum vero olim etiam fecisse lectores, in Ecclesia, dum libaret Sacerdos, & tremendum venerandumque Missæ Sacrificium perageret, habemus ex sancti Iacobi Liturgia, vt hic quoque notat erudite Sanctius, illi siquidem, eos qui sacris interessent mysteriis ad audiendum attente, ac deuotè, sic comparabant, indicto his verbis silentio: *Sileat omnis humana ac mortalis caro, stetque cum metu & tremore, ac nihil terrestre apud seipsam cogitet, Rex enim regnantium, ac Dominus dominantium, Christus Deus noster progreditur vt immoletur, ac detur in cibum fidelibus.* Stabat ergo populus, quod hic consequenter narrat Nehemias, *in gradu suo*, quasi spectans scilicet & expectans, donec sacram lectionem aggrederetur Esdras Sacerdos, & quia nouerat ex dicto sapientis, *Vbi non est auditus, non esse effundendum sermonem*, propterea, neque (opinor) pro ea etiam reuerentia quæ legi debebatur, lectionem inchoaret, nisi prius attentum, & silentem populum animaduerteret.

Leuitæ silẽtium faciebant in populo quia sonoro fletu audiẽtiam impediebantur.

Quibus verbis olim lector in Ecclesia silentium faciebat populo qui intererat sacris mysteriis.

Vers. 8. *Et legerunt in libro Legis Dei distincte, & aperte ad intelligendum, & intellexerunt, cum legere-*

tur &c. Hîc iam propriè describitur, eorum quæ ex libro legis publicè legebantur ad populum interpretatio, Leuitis legentibus, & Esdra, si quid occurrebat obscurius, id planum faciente. Non est ergo, (quod ineptè passim garriunt sectarii) tam facilis Scripturæ sacræ intellectus, vt omnibus peruius sit, & sola lectione indigeat, nec cuiusuis est indiscriminatim eam exponere, siquidem, hoc ipso loco ponuntur Leuitæ interpretantes vniuerso populo, infra vers. 8. forte, quæ Hebraicè scripta erant, illi vulgari Syrorum, vel Chaldæorum lingua pronuntiabant, & [quod semel atque iterum de Esdra significaui] obscuritatem sententiarum vel verborum, si qua erat, verbis suis, atque interpretationibus, pro modulo suo retegebant.

VII.

Vers. 9. *Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) & Esdras Sacerdos, & Scriba, & Leuitæ interpretantes vniuerso popolo, &c.* Aduerte ex Lyrano, locum hunc, non esse ita intelligendum, quasi isti omnes simul loquerentur, id enim confusionem potius quàm instructionem audientibus attulisset, nisi forte, in diuersis locis, & diuersis partibus populi, sic locuti fuerint, vt alius alium non impediret, quod ipsum etiam stare omnino non potest, cùm statim ipso huius capitis initio dicatur; *Congregatus est omnis populus quasi vir vnus ad plateam quæ est ante portam Aquarum,* ex quo, videtur certo constare totum populum confertim vnum in locum fuisse collectum. Quare dicendum, solum Esdram quidem, initio legisse in libro legis, & quæ obscura essent declarasse: sic tamen, vt alii in hoc opere ipsum adiuuerint, cùm nimirum ad latus ipsi assistentes, indicto silentio audientiam in populo fecerunt, & ipsos, à luctu & gemitu in quem toto impetu effusi ferebantur sua voce atque oratione repressere runt.

Quomodo Leuitæ Esdram in legendo adiuuerint.

Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere, &c. Nempe, septimi mensis, vt habetur supra vers. 1. primus dies erat, festusque, adeo, & lætitiam potius, quam lachrymas ostentans, quod infra quoque repetitur vers. 11. *Quia dies sanctus est, nolite dolere, &c.* quasi dicerent, ad illorum fletus cohibendos, non expedirè in die solemni, & publicis cæremoniis, in Dei cultum consecrato,

Primus dies mensis septimi lætitiam potius quam lachrymas

A indulgere lacrymis, & illum veluti contaminare eiulatu publico, & tam ingenti comploratione. Erat autem [vt iam superius obiter significaui] dies primus septimi mensis, duplici nomine festus, & sacer. Primùm, quia dies erat Neomeniæ, singulis mensibus antiqua religione venerabilis, vt constat ex Deuteronom. cap. 28. vers. 11. Deinde, quia idem ille primus dies septimi mensis, præcipua quadam religione colebatur, dicebaturque dies Tubarum seu clangoris, quique propter peculiarem eius celebritatem Sabbatum appellabatur memoriale, cuius mentio est Leuitici cap. 23 vers.

B 14. *Mense septimo prima die mensis erit vobis Sabbatum memoriale clangentibus Tubis, & vocabitur Sanctum:* Hebræi siquidem, existimabant, eo die liberatum Isaac, & eius loco suffectum arietem, atque adeo tubis corneis celebrari dies ille apud eos solebat, vocarique memorialis, quo scilicet liberati Isaac memoria recoleretur.

ostentans duplici nomine sacer ob Neomeniam & cō festum clangoris seu tubarum.

Primus dies mēsis . Vocabatur Sabbatum memoriale quod eo die liberati Isaac memoria recoleretur.

VIII.

Vers. 10. *Ite comedite pinguia & bibite mulsum, &c.* Fateor (quod notat Sanctius obseruatione quoque dignum esse, & opportunum satis, ad hunc locum exponendum) nempè, Esdram Sacerdotem prohibere quiC dem populum ne fleat in die festo, quod illud indecorum esse omnes penè populi existimauerint, apud quos, eiusmodi dies maxime geniales & læti vulgo habiti sunt; sed si liberius id suscipiatur quàm pudor & ratio postulant, paganismum sapere & à vero religionis sensu abesse plurimum, sin modestè & moderatè fiat, probare, ac vero etiam quodammodo præcipere Christianam ipsam religionem, dum vetat in Dominico die peragi ieiunia C. si quis Presbyter. dist. 3. ac C. Sacerdos, 26. quæst. 6. & C. ne quis ieiunet, de consecrat. dist. 3. quod autem addit, idem Author, & tam

Dies festi maxime geniales & læti apud omnes existimati.

Vetat Ecclesia ieiunium in die Dominico.

D fusè de pinguibus cibis edisserit, ad exponendam vocem *pinguia*, etsi verum id esse, atque ex humaniorum literarum scientia satis notum non diffiteor, illud tamen, vt existimo, ad præsentem locum intelligendum satis est, per *pinguia*, seu pinguem cibum, victumque, quidquid in cibis suaue, splendidum, sapidum magis, aut delicatum est significari, siue id à natura, siue à coquinariæ artis lenocinio concilietur. De mulso, certum est ex bonis authoribus, potionis genus fuis-

Quid per vocem pinguia intelligendum quid per mulsum.

le non vulgare, nec simplex illud A quidem, sed mixtum, seu quod ex multarum rerum admixtione componeretur, eiusmodi censendum est fuisse, quod Canticorum 8. *Poculum*, dicitur, *ex vino condito, & mustum malorum granatorum*, quod nonnulli *melicraton* vocant, quia ex vino & melle, vel ex melle & lacte confectum: alii vinum vnguentatum, seu odoriferum & arte pigmentarii elaboratum; alii vinum ex myrrha, cynamomo, aliisque eiusmodi conditurіs & aromatis compositum appellant. Certè præcipuum mulsum fieri ex vino cui nonnihil admiscetur mellis, & propterea οἰνόμελι dici- B tur. Habes id ex Plinio l. 22. cap. 24. vbi etiam alterius potionis meminit, quam *aquam* appellat *mulsam*, quippe quæ ex aqua concinnatur & melle, vnde & ὑδρόμελι passim ab omnibus hodie quoque nuncupatur.

Et mittite partes his qui non præparauerunt sibi, quia sanctus dies Domini est, &c. Gaudium hîc & festiua lætitia commendatur, sed ita, vt in gaudio, & festiuitate charitas erga fratres exercenda insinuetur. *Mittite*, inquit, *partes his qui non præparauerunt sibi*, id est, pauperibus & egenis, qui non habuerunt vnde possent sibi quantum sa- C tis esset prouidere, sic ergo vult epulis honestè ac religiosè per diem festum dent operam, vt tamen officii sui ac pietatis in proximos non sint immemores sequitur, *& nolite contristari.* Mox deinde huius siue ad excitandum in se gaudium vehementius, siue ad deponendam modo tristitiam, incitamenti causa subiungitur, *gaudium enim Domini est fortitudo nostra*, quasi diceret, spirituali gaudio fortiores efficiemur, vel certè hoc sensu, quod fortes sumus & impræsentiarum diuino robore, ac nomine suffulti, hinc D est quod non vanè quidem, sed verè atque in Domino gaudendi materiam sumere debemus, vel, gaudet Deus, cum erecto atque alacri animo nos esse animaduertit. Et sanè apud homines veræ pietatis ac religionis retinentes, plurimum valet hæc ratio, quæ quod suadet, aut præcipit, Deo gratum esse, ostendit, efficitque, si bene in animo hæreat, vt in summa etiam doloris causa, & in rerum omnium aduersitate lætemur, si gaudium nostrum gaudium quoque Dei esse intelligamus. Sic vero Lyranus, *Gaudium Domini est fortitudo nostra*, id est, gaudium spirituale quo debetis in Domino gaudere, in hac solemnitate, est consolatio nostra, quæ nos ad bonum vegetiores factos confirmat, ac multò quàm antea reddit alacriores, bellè videntur hæc omnia ad literam quadrare; sed ad extremum illud quoque obseruandum 70. habere hîc, *Quoniam Dominus est robur nostrum*, ὅτι κύριός ἐστι ἡμῶν ἰσχύς, & sic forte, sensum esse, nolite contristari, quoniam Dominus, siue gaudium Domini est robur nostrum, vt scilicet legem eius deinceps diligentiùs custodiamus, qui hactenus nostra infirmitate defecimus.

Insinuatur hic charitas in proximos egētes exercēda diebus quibus lætitiæ indulgetur.

Varia interpretatio horum verborum, Gaudium Domini est fortitudo nostra.

Vers. 11. *Leuitæ autem silentium faciebant in omni populo, dicentes; Tacete quia dies sanctus est, nolite dolere, &c.* IX.
Tertium iam idem repetitur, de luctu & dolore populi à Nehemia & Esdra, cœterisque de Sacerdotali aut Leuitico genere compresso: sed & causa fletus Iudæorum, de quo etiam supra vers. 9. tam apertè dicitur, *Flebat omnis populus, cum audiret verba legis*, vt hoc loco melius, & planius intelligatur, supponendum, è Iudæis docentem Esdram audientibus, plerosque omnes, vt credibile est, iampridem perturbatis, confusisque temporibus, de lege nihil audiisse, atque adeo, vel ipsa rei noua cognitione factos hilares, ex immoderata, vt assolet, lætitia lachrymas effudisse, vel, quod ex textu longe probabilius apparet, ipsa violatæ legis conscientia deterritos, in fletus vbertim prorupisse, sic multo ante, cúm inuentum olim fuisset Deuteronomium sub Iosia, & lectum coram populo, animos quoque Iudæorum tùm superstitum grauiter fuisse concussos, memoratur, libro quarto Regum, capite 22. vt mirum non sit quòd supra dicatur, fleuisse populus, adhibita, atque adiecta circunstantia, *cum audiret legem*, nempe, à se tanto tempore aut violatam, aut minus religiose obseruatam, vnde sequitur.

Fletus Iudæorū vel ex immoderata lætitia de nouo legis cognitione vel ex conscientia eiusdem legis violatæ.

Vers. 12. *Abijt itaque omnis populus, vt comederet, & biberet, & mitteret partes, &c.* Epularum scilicet partes intellige, quas ex Principum consilio, mitterent ad eos, qui tenuiores erant de populo de quo paulo ante, *& faceret lætitiã magnam, quia intellexerunt verba quæ docuerat eos.* Esdras puta, sed quæ verba tandem? Nimirum, quam bonus esset Dominus iis qui toto corde conuertuntur ad ipsum, aut summum hoc,

aut præcipitium, credo, in iis qui Legem proxime ab Esdra enarratam olim violauerant, lætitiæ fuit argumentum.

X. Vers. 13. *Et in die secundo congregati sunt Principes familiarum; vniuersi populi Sacerdotes, & Leuitæ ad Esdram Scribam, vt interpretaretur eis verba Legis, &c.* Postridie igitur, id est, die secundo mensis septimi, eodem modo, quo antea conuenerunt Iudæi omnes, rogaueruntque Esdram, vt quod fecerat primo, idem quoque die secundo mensis facere ne grauaretur, B nempe vt Legem ipse exponeret, & populum iam rudem, & incultum ex longa captiuitate ad veterem auitæ, & patriæ Religionis doctrinam informaret. Quod autem populus hic orat Esdram, vt lecto iam primum libro Legis, eiusdem Legis verba eis interpretetur, ex eo vniuersim plerique colligere voluerunt, linguam Hebræam desiisse tum Iudæis esse communem, ex diuturna scilicet conuersatione cum Chaldæis, Persis, Syris, aliisque alienigenis vt propterea, quod hic postulant, expositione indigerent, verum (vt recte etiam obseruauit Salianus ad annum mundi termillesimum sexcentesimum nonum, Num. 76.) C non parum obsistere videtur eorum opinioni, quod hi qui hoc loco Legis interpretationem requirunt, sunt ipsi Sacerdotes, & Leuitæ, & Principes familiarum, non autem rude vulgus tantum; & imperita plebs, & experientia aliarum linguarum docet apud eiusmodi conditionis homines, & populi primarios, linguæ patriæ puritatem, & multo magis intelligentiam facile retineri, quæ facilius vulgo corrumpitur. Deinde quamobrem, aut D quemadmodum amabo flebat populus, vt supra dictum est, si non intelligebat quæ legebantur? denique de populo item, vt ante vidimus, vniuerse scriptum est, *& intellexerunt cum legeretur*: itaque existimari potest, peculiarem aliquam exortam fuisse difficultatem inter Principes populi circa nonnulla, quæ pridie dicta fuerant, quæ non ex verborum, sed rerum intelligentia penderent, ac nominatim forte circa festum Tabernaculorum, de quo versu sequenti manifestius constabit.

Improbabile quod aiunt nonnulli linguam Hebræam desiisse Iudæis esse communem ex longo vsu cum externis gentibus.

XI. Vers. 14. *Et inuenerunt scriptum in Lege præcepisse Dominum in manu Moysi, vt habitent filii Israel in Tabernaculis,* A *&c.* De festo Scenopegiæ, seu Tabernaculorum octiduano, quod inchoabatur decima quinta die mensis septimi, consultus Esdras eam solemnitatem celebrandam esse ex Lege docuit; iussitque illico Nehemias voce præconis denunciari in vniuersis vrbibus Iudæ, & in Hierusalem, vt ad eam celebritatem parati essent quantocius, eo enim spectant hæc verba, quæ proxime consequuntur versu decimo quinto. *Et vt prædicent, & diuulgent vocem in vniuersis vrbibus suis, & in Hierusalem: egredimini in montem, &c.* Quibus indicare videtur, præceptum in Lege fuisse, Leuitis puta, aut Sacerdotibus, vt monerent ante populum, edicerentque, non iis modo, qui Hierosolymæ, sed illis etiam, qui in vicinis circumquaque ciuitatibus morarentur, vt ramos arborum ad illam Tabernaculorum celebritatem mature colligerent, vt quidquid tantæ festiuitatis Religio de more exigeret, diligenter conueherent, quod, & si, quo loco diserte, atque expresse præcipiatur non inuenias, tamen indictum fuisse Sacerdotibus, vt ad cuiusuis festi diei celebritatem populum admonerent, si non omnino certum, saltem verisimile admodum videtur nonnullis, ex Num. cap. 10. vers. 10. vbi hæc leguntur. *Si quando habebitis epulum, & dies festos, & Kalendas; canetis tubis in holocaustis; & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri,* & de Kalendis ipsis, seu Neomeniis; ex Psalm. 80. vers. 41. *Buccinate in Neomenia, tuba; in insigni die solemnitatis vestræ, quia præceptum in Israel est,* addit Sanctius, Montanum; cui nonnisi ægrè fidem adhibere videtur, in illud Nahum capite primo. *Ecce super montes pedes euangelizantis*, obseruare ex *Misnaioth*, Hebræorum libro, moris fuisse olim apud Hebræos, vt si quid publice cognosci, atque innotescere oporteret, id ex altis montium iugis, per præcones denunciaretur, qualia erant indicta ieiunia, Neomenia, læti, ac tristes nuncii, ac vniuersim quidquid in publicum vsum notum omnibus esse expediret: certe cum Regio illa scopulosa esset, & cliuosa, & ex vno in alium vox produci facile, ac deferri posset, facile quoque mandatum, quasi per manus eo modo transmissum, per totam Prouinciam vulgari potuit, præter locum citatum iam proxime ex Prophetia Nahum, facit

Verisimile est præceptum in Lege Leuitis, aut Sacerdotibus, vt populum admonerent de festis celebrandis, Num. 10.

Montani sententia de Hebræorum more ex altis montium iugis denunciandi per præcones quicquid in publicum vsum notum omnibus esse expediebat.

item illud probabile locus Isaiæ capite A decimo quarto, versu nono. *Super montem ascende tu qui euangelizas Sion*, & capite quiquagesimo, versu septimo. *Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, &c.* Sic faciebant (credo) præconum vocibus Iudæi, aut tubarum clangoribus, quod nunc in regionibus, vel ciuitatibus quibusdam fieri assolet, vbi cum à vicino hoste aliquid imminet, aut timetur periculi, id ex speculis, vario, opportunoque loco dispositis, de nocte, flamma, aut tæda ardente, de die fumo, aut quauis alia ratione, quam celerrime significatur.

Et afferte frondes oliuæ, & frondes Ligni pulcherrimi, &c. Vt aliarum B arborum, quæ in textu numerantur, puta oliuæ, myrti, palmæ, sic & istius taciti nominis, frondes erant comparandæ, ad vmbracula facienda, sed cuius tandem arboris. in Hebræo est, *ligni oleæ* seu, *pinguedinis*, quod 70. *cupressum* dixere, Paguinus *pinum*, alii *cedrum*, vt iam superiori libro significasse memini, sunt qui balsamum credant vnde vnguentum optimum, plerique etiam vertunt, *frondes ligni pinguis*, quia, *semen*, id quoque significat, scilicet pinguedinem. Porro quod ait, *vt fiant Tabernacula, sicut scriptum* C *est*, intellige Leuitic. capite vigesimo tertio, versu quadragesimo, vbi expresse hæc significantur.

Quæ sit arbor quæ hic vocatur, Lignum pulcherrimum.

XII. Vers. 16. *Et egressus est populus, & attulerunt, &c.* Magno studio, quod indictum à Lege fuerat & ab Esdra propositum aggressi sunt. feceruntque sibi Tabernacula, *vnusquisque in domate suo*, ita ex 70. id est. supra tectum domus suæ. sub dio, domus enim in Palæstina habebant tecta plana, iuxta illud, *quæ in aurem auditis, prædicate super tecta*, vnde sua ibi facere tentoria, quæ sub dio esse oportebat percommode posuerunt. *& in atriis suis*, D *& in atriis domus Dei, & in platea portæ Aquarum, & in platea portæ Ephraim*, quo loco duas memorat plateas primarias, illam prope Templum, in extremo montis Sion, ante Regiam Salomonis, hanc in angulo vrbis, quæ partem eius borealem Occiduæ coniungit. Obseruandum item est hoc loco, portam quidem Aquarum iam supra memoratam fuisse à Nehemia, cap. 3. sed portæ Ephraim, cuius hic quoque meminit nullam ibi fieri mentionem: forte hæc eadem erat porta

Quæ sint Domata apud Iudæos, in quibus facerent Tabernacula.

Gregis, de qua eodem libro primi capitis, vers. 1. quam ego quorumdam opinionem fuisse superius indicaui. Quidquid sit altera portarum, quæ ibi ponuntur, Ephraim dicta est, quod per eam egrederentur, qui ad Tribum Ephraim iter susciperent: *Fecerunt ergo, Iudæi*, inquit Nehemias, *sibi Tabernacula vnusquisque in domate suo*, idemque factum in id genus aliis locis, subdio, in quibus, frondeæ scenæ excitabantur, vbi per septem dies quasi in propria domo habitabant, vt olim Israël in deserto.

Cur porta Ephraim cuius hic mentio sic dicta.

Vers. 17. *Fecit ergo vniuersa Ecclesia eorum qui redierant de captiuitate Tabernacula & habitauerunt in Tabernaculis, &c.* Ad ea quæ superiori libro de festo Tabernaculorum diximus. cap. 3. vers. 4. visum est nonnulla hic adiungere, 1 cum dubium sit inter authores aliquos, an Tabernacula statuerentur extra ciuitatem in agris, aut intra mœnia, & domus, in subdialibus areis. Ego nihil aliud à lege requiri video, Leuitic. 23. quam vt sub Cœlo. siue subdio, id est in loco aperto, qui omnem Cœlorum inclementiam exciperet, figerentur vmbracula, siue hoc in agris fieret, siue in plateis areisque ciuitatis. Certè cum florèret abundaretque Hebræorum integra fortuna, non dubito pleraque Tabernacula in agris locisque desertis fuisse constituta, cum enim ex tota Israëlitica gente omnes qui essent è virili sexu, iuberentur Hierosolymam ascendere, qui fieri potuit, vt ciuitas quantuncumque ampla, tot in locis apertis, ac patentibus caperet vmbracula? sic de illo tempore quo Iudaicum nomen floreret, existimat Sanctius. At istis temporibus cum afflictæ & profligatæ essent res Hebræorum, & pauci adhuc ex Israëlitide gente in propriis sedibus commorarentur, neque in amplo spatio situque ciuitatis, multæ admodum domus essent, pleraque Tabernacula in vacuo ciuitatis spatio fixa fuisse satis intelligo, atque ita sane accidisse probabilius est, in primo Israëlitarum conuentu ad festum Tabernaculorum, de quo superiori libro, quod fuisse omnium primum constat, ex textu iam citato, cap. 3. vers. 4. si tamen alterum est, ab eo de quo hic agitur 2. cum satis obscurum sit, ex qua materia constructa atque contexta fuerint Tabernacula, possitque non ineptè de eo pro-

XIII.

Florente Hebræorũ fortuna multa in agris locisque desertis extra ciuitatem Tabernacula figebãtur, in festo Tabernaculorum.

Quomodo & ex qua materia contexta fuerant Tabernacula.

poni quæstio. Ego quidem, vt ad meliorum authorum sensum calculum adiungam, verisimilius puto, Israëlitas expressisse in Tabernaculorum constructione, quamdam eius rei formam atque imaginem, quam olim in deserto ipsorum parentes exhibuerant. Cum ergo, vt simile veri est filii Israël in eo progressu habuerint viatoria Tabernacula, qualia sunt militaria tentoria, firmata funibus, distenta velis, & perticis suspensa, & interdum virgultis constrata, obtecta ramis, operta frondibus, & alia eiusmodi materia siluestri idem omnino contigisse arbitror in festo Tabernaculorum. sic nonnulli ex arborum ramis, alii ex velis, aut linteis, sibi contexebant vmbracula. Neque enim credibile est, cum tanta, tamque immensa esset aduenarum multitudo, satis illis futuram fuisse, ex siluis agrisque materiam, vt infinita propè quotannis vmbracula construerent, neque vero illorum parentes, olim in deserto, oliuam, palmam, & myrtum. ex quibus sibi pararent familiare tugurium, habuisse credendum est. quod autem in lege, Leuitic. 23. vers. 40. dicitur, *Sumetis que vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Deo vestro*, hæc non cogunt vt credamus, ex his ramis vmbracula fuisse contexta, tùm quia hi rami dicũtur esse sumendi ex arboribus, die, qui v.39. futurus dicitur *sabbatum*, id est requies, in quo construi illa Tabernacula non poterant, quia aperte dicitur vers. 34. *omne opus seruile non facietis in eo*; tùm quia sumendi dicuntur manibus rami; ad lætitiam potius significandam coram Deo, id est in Tabernaculo, aut Templo, quàm ad Tabernaculorum tegumentum, negare tamen non ausim, in hoc reditu Iudæorum, videri ex arborum frondibus constrata fuisse Tabernacula, vt indicat litera, & vero à Magistratibus edicitur supra, vers. 15. his verbis, *Egredimini in montes & afferte frondes oliuæ & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, vt fiant Tabernacula sicut scriptum est*. Sed licet hoc indicent verba textus, non tamen omnino persuadent (ait Sanctius) quia, fortasse Tabernaculorum celebritatibus hæc adhibebantur, & erant quasi

Videntur in hoc reditu Iudæorum ex arborum frondibus constrata fuisse Tabernacula idque textus indicare.

A adiectanea neque si modo, id est in hoc reditu, ita fortasse contigit, argumentum est ita id fieri debuisse necessario, quia scilicet hoc tempore, perpauci erant qui Tabernaculorum obirent sacra, iidemque pauperes, qui non haberent è linteis parata tentoria, neque fortasse, vsque ad illud temporis punctum, plerique nouerant, illa tunc festa esse peragenda. Deinde, quia cum iam diu illa Tabernaculorum festa essent intermissa, facile quiuis intelligit, arbores illas oneratas fuisse ramis, quibus consterni commodè possent & ornari tuguria, aliis vero B temporibus, non item, quia teneri videbantur futuri germinantes rami, qui succisorum loco exiguo admodum interuallo succrescerent. Facit præterea, vt illud mihi facilius persuadeam quòd non ex omni arbore, & frutice, excitari iubentur Tabernacula, sed ex oliua modo, spatulisque palmarum, myrto, salice, & arbore pulcherrima, quam plerique omnes citrum esse putant, hæ autem plantæ, magis sunt ad instruendas manus, quam ad insternenda tuguria, neque ex his arboribus, ea videtur esse copia, quæ ad tot consternenda vmbracula C sufficeret. Et quidem Iosephus, qui huiusmedi festis non semel interfuit, harum arborum ramos gestatos esse tradit in manibus, non intextos vmbraculis, vt iam alibi retulimus. Adde nec si tentoria hoc tempore ex distentis velis non fuerint, qualia sunt viatoria, aut castrensia, necesse est credere, ex quatuor hisce arboribus fuisse intexta, sed ex aliis siluestribus, puta ex pino, abiete, vlmo, ilice, & similibus, aut è viuo cespite, quæ materia & prompta est, & texendis vmbraculis magis idonea. Quod autem ex his plantis, iam sæpius commemora- D tis rami sumi iubentur, eam sanctus Thomas rationem esse putat, quia hi diu viriditatem & speciem conseruant, atque ideo septem diebus manibus gestari possunt, sicut præcipitur Leuitic. 23. vers. 4. vbi cum actum esset proximè de his arboribus, additur *celebrabitis solemnitatem eius septem diebus*, eo nimirum modo, quo primo die. Deinde quia hæ arbores grati sunt odoris, & aptæ exhilarandis animis: sic sanctus Thomas, 1. 2. quæstion. 102. artic. 4. ad 10. *Debebant*, inquit, *habere fructus arboris pulcherrimæ*, id est citrum, *& lignum densarum frondium*

Non intexebantur ex quatuor arboribus in Leuitico nominatis tentoria sed earum rami manibus gestabantur.

id est myrtum; *quæ sunt odorifera, & spatulas palmarum, & salices de torrente, quæ diu seruant suum virorem.*

XIV. *Non enim fecerant à diebus Iosue filij, Num taliter filii Israel, vsque ad diem illum, &c.* Tanta scilicet deuotione, & lætitia. vnde subdit: *Et fuit lætitia magna nimis, &c.* Vel certe propter adiectam reliquis ceremoniis, etiam quotidianam diuinæ Legis expositionem, sequitur enim versu proximo. *Legit autē in libro Legis Dei per dies singulos, à die primo vsque ad nouissimum, &c.* Ex quo tanta lætitia in populo exorta est, quæ effecerit, vt hic dies illum exæquaret, in quo primum à Iosue Tabernaculorum solemnitas duxisset exordium. Quando autem, seu quo proprie tempore Tabernaculorum festum celebrarit Iosue, non constat aperte ex Scriptura, certum tamen est, cum primum illud celebrauit, id fecisse, cum magna populi lætitia, & cum ingenti sumptu victimarum, atque impendiis, cum quo conferri potuerit hoc ipsū, de quo agimus, si non celebritate, aut numero populi, aut sumptu, saltem lætitia, & alacritate, quia tunc primum post multos annos sancte, ac legitime, cum ingenti etiam satis populi conuentu, ac plausu peractum est.

Ob quam causam adeo læta fuit ac tātopere cōmendatur à Nehemia hæc præsēs Tabernaculorum celebritas.

Sed hic roges, quid sit, cur cum tempore ipso Moysis festum hoc institutum fuisse constet, temporis Iosue, ab authore sacro fiat mentio? sunt qui facilem hanc, & commodam eius rei rationem esse existimant, quam ego lectori expendendam relinquo, nempe quod omnia, vel saltem pleraque festa licet Moysi tradita, & Hebræis per illum indicta, non tamen pro omni loco, ac tempore instituta sint, aut celebrari iussa, sic in eam sententiam trahunt, & interpretantur boni authores, illud Stephani ad Iudæos, Actor. 7. vers. 42. ex Propheta Amos vers. 5. *Numquid victimas, & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto,* & Hieremiæ cap. 7. vers. 22. *Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustorum, & victimarum, &c.* Et exinde rationi iam allatæ authoritatem conciliant, nec enim (inquiunt) Deus voluit populum adigere ad holocaustorum, & victimarum sumptus, quo tempore in deserto commorabatur, vbi præter paupertatem, & rerum inopiam commode præstare non poterat, quod in illa sacrorum in-

Cur Iosue fiat mentio hoc loco, cum festum ipsum Tabernaculorum tempore ipsi Moysi institutū sit.

A stitutione præceptum fuerat: quare & si eodem tempore (quod tamen video à plerisque disputari) Decalogus à Deo traditus sit, & de victimis, sacrisque ceremoniis præceptum conscriptum, nihil obstat, quo minus, hoc illo longe posterius censeri queat, & cum proprium legis sit ac præcepti, vt ad id quod iubet obligationem inducat, tunc latum fuisse dici tantum potuerit, cùm Legislator necessitatem induxit illius obseruandi, ac eum qui non paruisset, præcepti illius, ac legis violatæ reum constituit. Iam vero, B quod de holocaustis puta, & victimis, à Deo per Moysem statutum est, necessitatem nullam aut obligationem induxisse nisi post multos annos, à condito præcepto, ac lege tradita, cùm id ex multis scripturæ locis, aut exprimatur, aut indicetur, præcipuè tamen constat, ex capite 12. Deuteronomii, vbi holocausta, & victimæ, & complura alia, quæ externam secum ceremoniam importabant, & ad sacrorum religionem spectabant, tunc fieri iubentur, cùm transmisso Iordane, ventum fuerit ad Terram C promissionis, certusque locus à Deo designatus, in quo subactis hostibus, pacatè isthæc, ac percommodè præstari possent: *Transibitis Iordanem,* inquit Moyses, *& habitabitis in terra quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum, & absque vllo timore habitetis in loco quem elegerit Dominus Deus vester, vt sit nomen eius in eo, illic omnia quæ præcipio, conferetis holocausta, & hostias ac decimas, & primitias manuum vestrarum, &c.* Hactenus diuina sanctio. Certè de festo Taber- XV. naculorum, maior adhuc, ac potior D longe erat ratio, quam de victimis, ac holocaustis, aliisque eiusmodi lege præceptis, cur, etiamsi in solitudine parata forent omnia, celebrari tamen aut non debuerit, aut necesse non fuerit, cum enim institutum sit (vt habetur Leuit. cap. 23.) *Vt discant ait Dominus posteri vestri, quod in Tabernaculis habitare fecerim filios Israël, &c.* Quid opus fuit festum illud memoriale Tabernaculorum celebrare in deserto, cum ipsi tunc in Tabernaculis degerent, viuerentque quotidie, quæ quidem non possent quolibet puncto temporis, ac momento, omnium oculis non obuersari, ita superuacaneum erat, rei præteritæ, cum iam adhuc

Tunc tantum lex lata censeri debet cum Legislator illius obseruandæ necessitatē inducit, & eum qui non paret reum constituit legis violatæ.

Non fuit necesse in deserto festum Tabernaculorum cele-

veluti

brare, cum Iudæi ipsum in Tabernaculis quotidie sibi degerent. veluti præsens erat, edere monimentum. Ex his igitur vides, cur toto peregrinationis tempore in deserto, neque circumcisi fuerint Hebræi, neque celebratum phase, à secundo anno post relictum Ægyptum, donec transmisso Iordane, in terram promissionis apertus est aditus, Iosue capite quinto, quia ad illud vsque tempus, nullum de holocaustis aut victimis vrgebat præceptum, nullum inquam vrgebat præceptum, quod obligatorium esset, aut Iudæos adstringeret: neque enim vllo modo credibile est, Moysem permissurum fuisse, aut dissimulaturum, tamdiu circumcisiones, aut phase, si quod præceptum de illis vim obligandi tunc habuisset, non obseruari, cum præsertim tanto legis ipsius zelo arderet, vt violati Sabbati crimen, collectis in eo lignis, impunitum esse noluerit. Quare primus omnium Iosue, à secundo anno egressionis ex Ægypto celebrauit phase & comedit azyma, & cum multis annis non esset circumcisus populus, ad ripam ipsam traiecti Iordanis illum circumcidit. Primus denique omnium festum Tabernaculorum celebrauit, hinc est, cur potius Iosue, quàm Moysis mentionem hic fecit Nehemias, dicatque; *Non fecerunt a diebus Iosue filij Nun taliter filij Israël, vsque ad diem illum.*

Iosue omnium primus celebrauit phase, comedit azyma, circumcidit populum, & festum Tabernaculorum celebrauit.

XVI. *Quid fuerit collecta quam fecit populus post festum Tabernaculorum.* Vers. 18. *Fecerunt solemnitatem septem diebus, & in die octauo collectam, iuxta ritum, &c.* Postquam significauit Nehemias Esdram legisse legem ad populum, per totos scenopegiæ dies, concludit, populum fecisse collectam, quam varias in expositiones trahi ab authoribus video, sic interpretatur Lyranus, *Fecerunt collectam, pro emendis necessariis, in vsum templi,* inquit, *iuxta ritum qui habetur.* Leuit. 23. sed, pace illius dixerim, citato loco, si literam præcise attendis, cuiusquam rei, aut emendæ aut distrahendæ, lex ne verbum quidem facit: aliter exponit Beda citatus in Glossa, cuius hæc verba sunt, *Scenopegia septem diebus agebatur*, id est, *a decima quinta Luna mensis septimi, vsque ad vigesimam primam octaua die*, id est, *vigesimam secundam mensis denuo collecta populi agebatur, maiori festiuitate insignis. Vnde 14. Leuitico, à decima quinta die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias septem diebus, die primo, & die octauo erit Sabbatum*, id est *requies*; sed, & si festum collectæ à festo Tabernaculorum secernere videtur, tamen, cur collecta fieret, non satis explicat, hinc forte nonnulli volunt, diem octauum qui dicebatur collectæ, ad scenopegiam, seu fixionem Tabernaculorum propriè non pertinuisse, quia scilicet, eo die, disturbata iam erant, & refixa tentoria. Alii non malè (vt existimat Mariana) putant collectam, significare præcipuam huius festi Tabernaculorum celebritatem, vt ludos, spectacula, aliaque id genus, quibus concluderetur die 22. mensis septimi, sed vereor vt hoc omnibus facile persuadeant, Iudæos videlicet, in eiusmodi ludis, & spectaculis, edendis operam suam, maxime ad rem sacram concludendam posuisse, cum eius rei, aut Scripturis sacris, aut in aliis authoribus, nulla omnino sit mentio. Ergò collectam intellige non pecuniæ, vt vult Lyranus, sed populi, vt fert vox Hebræa *Hazereth*, pro qua voce quidam vertunt *retentionem*, certe nihil aliud indicant verba legis capite vigesimo tertio, versu trigesimo sexto, quàm cœtum populi, in vnum locum collectum, *Dies octauus erit celeberrimus, atque sanctissimus, & offeretis holocausta Domino, est enim cœtus atque collecta.*

Opinio Lyrani.

Beda.

Mariana.

Omnium probabilissima.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis octaui.

Expositio mystica in illud vers. 1. *Et dixerunt Esdræ Scribæ vt afferret legem, &c.*

Et quid potissimum iudicetur per Esdram de gradu ligneo loquentem ad populum, versu quarto.

I.



IC ego totius capitis continentem ferè Allegoriam paucis aperio, ædificata tandem ciuitate, seu instaurata Hierusalem mystica, quæ est Ecclesia, congruum est sequi, lectionem diuinam, & tubas sonare crebriores, vt populus, Sacramētis cœlestibus initiatus, etiam sacris eloquiis ex tempore, ac diuinæ legis interpretatione adhibita solertius, qualiter viuere debeat instruatur, primùm igitur, *Congregatus est populus ad plateam quæ est ante portam Aquarum, &c.* id est lachrymarum, compunctionis, & deuotionis, tales enim, aquæ, in cœtu, ac congregatione fidelium, debent esse, ac vere, vt infra narratur vers. 9. *Flebat omnis populus, &c.* quæ verba exponens Beda, iuxta sensum Allegoricū, suo more, *Cum Præsules*, inquit, *quātùm honore, tantùm opere subditos antecellunt, ipsi eorum exemplis incitati, vita sua gradum exequuntur deuoti, & ab eis piè admoniti pro peccatis, vel desiderio patriæ cœlestis, lachrymas profundere delectantur*, hoc est quod dicitur, *flebat, omnis populus cum audiret verba legis*, sed, *quid est quod stetit Esdras Scriba super gradum ligneum quem fecerat ad loquendum*, vers. 4. sunt qui magnum in eo mysterium agnoscant, quod Esdras scilicet, librum legis, coram omni multitudine Iudæorum, de gradu ligneo, apertè, & publicè legente, Beda siquidem in hunc locum, per Esdram intelligit, quemlibet prædicatorem, stantem in gradu ligneo, hoc est, singulari imitatione

Ædificata Hierusalem mystica oportet vt populus fide initiatus ex diuinæ legis interpretatione intelligere quemadmodū vitam instituere debeat.

Congregatur populus ad plateam quæ est ante portam Aquarum quod aquæ seu lachrymæ cōpunctionis & deuotionis in cœtu fidelium frequentes esse debeant. Cuius rei typus ac figura fuit Esdras

A

B

Dominicæ Passionis, cæteris eminentem, esset qui fortasse non dubitaret accommodatius intelligi posse Christum Dominum, de gradu ligneo, hoc est de Cruce sua, librum legis siue totam scripturam, siue quod de eo, in veteri Testamento prædictum erat, mundo interpretantem, cum dixit, *Consummatum est*, Ioann. 19. vers. 30. hoc est tota in me, scriptura impleta est, quod si legente Esdra, *omnes intellexerunt*, vt hoc capite habetur vers. 8. quid mirum, si Christo Domino interpretante, nihil eius schola, de diuinis literis ignoret? de qua re, Tertullianus, libro aduersus Gnosticos, cap. 12. *Quis*, inquit, *nunc medullas scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi schola? quos & sibi Discipulos Dominus adoptauit, omnia vtique edocendos, & nobis Magistros, ordinauit, omnia vtique docturos*; iam ad Nehemiam populi lachrymas comprimentem vers. 9. gradum faciamus. *dixit Nehemias vniuerso populo; Nolite lugere, & nolite flere*, & vers. 10. & dixit eis, *Ite comedite pinguia, & bibite mulsum, nolite contristari, &c.* Nempe, Doctores, qui mentes auditorum sacris lectionibus ad lachrymas excitant, & ipsos quoque iidem consolantur, dum gaudia secutura promittunt, cuiusmodi se exhibent erga Iudæos, Esdras, & Nehemias, cum aiunt, *Gaudium Domini est fortitudo nostra, nolite contristari*, cuius sane mœroris comprimendi legitimam causam subiiciunt cum addunt, *quia dies sanctificatus est, &c.* dum scilicet, verbis Domini, audiendis, & implendis, operam damus, dies ille sanctificatus

C

legent librū legis de gradu ligneo.

Alij Esdrā legis librū legētem ad populum de gradu ligneo ad Christum de Cruce prædicantē alij ad quēuis Prædicatorē imitatione Dominicæ Passionis cæteris eminentem referunt.

II.

Doctores sacri qui ad lachrymas plerūque excitāt iidem quoque auditores suos sæpe consolantur spe proposita bonorum ipsis promissorum.

Dum verbis Dei au-

diendis & implendis operam danu dies sanctificatur.

est, in quo die, quamuis exterius aduersa patientes, nos in spe gaudere oportet, vnde illud Apostoli, *Quasi tristes, semper autem gaudentes*, 2. Corinth. vers. 6. restat vt scenopegiæ, per septem dies continuos celebratæ mysterium detegamus, audito itaque legis præcepto, de scenopegiæ celebritate, instituenda, vers. 11. & vers. 15. *Egressus est populus, & attulerunt, feceruntque sibi Tabernacula, vnusquisque in domate suo, & in atriis suis, & in atriis domus Dei & in platea portæ Aquarum, & in platea porta Ephraim*, vers. 16. quæ sic interpreteris Allegoricè, vnusquisque nostrum egressus facit Tabernacula in domate, tecto scilicet domus suæ, cum habitaculum suæ carnis, animo transcendens affectus noxios, sedula supernæ lucis & libertatis meditatione calcat, idem ipsum, & nos in atriis nostris facimus cum mente, ad cœlestia flagrante, quasi extra mundum consistimus, cuius mansionem, ocyus relinquere desideramus, & in atriis domus Dei, quando, & si nondum aulam supernæ habitationis, licet ingredi, in eius tamen vicinia, totam cogitationis nostræ memoriam, sedemque locamus & in platea portæ Aquarum cum dilatato corde, in via mandatorum Dei, *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima nostra ad Deum viuum*, & in platea portæ Ephraim, id est frugiferi, vel crescentis, quando, in latitudine liberi cordis, ita proficimus, vt patefacta nobis à Domino porta Iustitiæ, semper in illo, crescamus, in salutem, & maioribus bonarum actionum frugibus, abundare mereamur, denique quod extremo huius capitis versu 18. dicitur, *Legit autem in libro legis Dei, per dies singulos, à die primo, vsque ad diem nouissimum, & fecerunt solemnitatem, septem diebus, & in die octauo, collectam, &c.* Ex Beda item, in hunc modum licet exponere, sane legit Esdras typicus septem diebus scenopegiæ, populo, in libro legis Dei, quia hæc est vera solemnitas mentis, vt per dies singulos, id est per omnia bona opera, quibus adeo illustramur, legendis, audiendis, faciendisque eius sermonibus, intento corde vacemus, incipit autem hæc solemnitas à 15. die mensis, quando Luna noctè plenissima est, cum scilicet omnes mentis nostræ tenebræ, clarissimo, Christi lumine re-

Mystica interpretatio scenopegiæ per septē dies celebrata.

III.

Quid sit facere sibi Tabernaculum in tecto seu domate, quid in atriis domus Dei.

Quid in platea portæ Aquarum figere Tabernaculum.

Quid in platea portæ Ephraim

Vera solemnitas mentis legendis audiendis faciendisque Dei sermonibus intento corde vacare.

A soluuntur, sequiturque eam dies octauus Sabbati, id est quietis, quod erit tempore resurrectionis, in vita futura, cuius gaudio, interim, in spe, sub-bleuamur, tunc autem re ipsa perfruemur, cum optata illa collecta, omnis Sanctorum cœtus Angelorum scilicet, & hominum in conspectu Dei congregatus, & nunquam segregandus, exultauerit sic ferè author proximè à nobis citatus.

IV.

Ergo passim hic sancti Patres, ac Scripturæ interpretes, præcipue, ac primario sub Esdræ typo Christum Pontificem, legisque Doctorem, ac totius Scripturæ interpretem, *de gradu ligneo*, crucis docentem interpre-B tantur, quem quis non intelligit ad amussim, circunstantiis illis omnibus, quæ toto hoc capite enarrantur mire descriptum? nam primum apertus ille, & patens locus, seu vt in textu est, *platea ante portam Aquarum*, plateam illam amplissimam designat, & locum editum, ac conspicuum Caluariæ montis, qui fuit *extra portam vrbis Hierusalem*, deinde, & illa *porta Aquarum*, ad quam *congregatus est omnis populus, quasi vir vnus*, & tota illa *multitudo virorum, atque mulierum*, quid aliud repræsentat, quam omnem illam C effusam olim extra portam Hierusalem, *turbam eorum, qui simul aderant ad spectaculum*, vt ait Lucas, cap. 23. vers. 48. summum scilicet pro suggestu visuri, & audituri Pontificem, eiusque doctrinæ cœlestis fluenta bibituri & sane doctrinæ illius cœlestis Christi Domini de cruce docentis, aquæ illæ, iuxta portam, symbolum erant non incommodum: præterea *gradus ille ligneus*, seu suggestus Esdræ Sacerdotis docentis, ex lignis constructus, vnde *super vniuersum populum eminebat*, verius, aut germanius, quidquam nihil indicabat, quam erectam Crucem, erectumque, & innitentem D in ea Doctorem, & Concionatorem nostrum sustentantem, eique demum, pro suggestu, & cathedra deseruientem: nimirum inde Scripturæ nodos omnes dissoluens, totamque Legem & Prophetas aperiens, atque interpretans, Theologiam quoque moralem, hoc est, illustriora, & sublimiora virtutum omnium documenta, & supremę totius doctrinę capita, Doctor egregius, & Concionator optimus discipulos suos fideles edocuit: nam & *lignum illud* (teste Augustino, cuius hæc verba

Ex circunstantiis, quæ hic narrantur ostenditur Christum in Cruce docentem sui typo Esdræ adumbrari.

Aqua iuxta portam symbolum doctrinæ cœlestis Christi.

Ligneus Esdræ gradus Crucis figura.

Crux cathedra & schola Scripturæ ac moralis Theologiæ, totiusque supremæ doctrinæ.

sunt tractatu 119. in Ioann. *) Vbi erant* A to, tribusque linguis, toto orbe com-
fixa membra monentis, etiam cathedra fuit Magistri docentis, ex qua videlicet orbi vniuerso conspicuus non modo suæ dignitate personæ, verum etiam Doctoris officio eminere visus est, ad quod præstandum *ligneus ille gradus* suppositus, Crux scilicet, super omnes eum ita euexerat, vt spectari ab omnibus, & audiri commode posset, nec Mysterii expers, aut vacuum est, quod

V. *Gradus ille ligneus*, siue suggestus. Hebraice, *Migdal*, id est, turris, seu turricula à forma simili dicta sit: etenim B Dominus, spiritualis etiam in Cruce militiæ magister est, indeque milites suos, Concionatores Euangelicos, *gladium spiritus, quod est verbum Dei* vibrare docet, eosque de Cruce, velut ex arce munitissima, omnibus spiritualium armorum generibus armat, & instruit, illa quippe, illa est *turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*, Cant. cap. 4. vers. 4. Atque hinc nos iam supra ex Bedæ interpretatione audiuimus, Doctori, & Concionatori Euangelico, ad suggestum quoque Crucis ascendendum, Christi exemplo, indeque aliis docendum, concionandumque, sic vt ex ore ipso Christi Domini, velut in Cruce pendentis, *verbum Crucis* accipiat, *Christumque*, cum Paulo prædicet *crucifixum*, nunc ad typum nostrum reflectamus orationem, & reliquas circunstantias in textu positas diligentius perscrutemur, Esdræ *manuum eleuatio*, vers. 5. & 6. *libri apertio*, adeoque patens explicatio, vt *eo legente, ac interpretante*, versu octauo, alii etiam *legerent in libro legis Dei distincte, & aperte ad intelligendum* omnino eleuationem brachiorum Christi patientis, eiusque manuum in Cruce expansionem, cum ad Deum nobis placandum, tum ad nos adhortandos pertrahendosque ad sese mirifice repræsentat, si quidem ipsa brachiorum expansio, quædam quasi *libri aperti* fuit, atque idè ipse *& magister, & liber*, in Cruce Christus Dominus, *tanquam agnus occisus*, vt est in Apocalypsi, cap. 5. vers. 6. *librum aperuit*, cum in Cruce seipsum expandit, notis vulnerum exaratum adeo magnis, atque illustribus, vt nemo, etiam longe dissitus, non legere possit, *distincte, & aperte ad intelligendum*, præsertim titulo tam insigni, & eximio, capiti *libri* apposi-

Crux Turris Dauid ex qua arma ad pugnandum desumenda.

Esdras eleuans manus, & librum aperiens Christum brachia in Cruce eleuantem, & manus extendentem significat.

munioribus exarato, sic vt *libri* ipsius scriptura, non Hebræis modo, sed etiam Græcis, & Latinis, & lectu facilis esset, & intellectu, neque vero solum *Dei Legem* (vti Esdras noster hoc loco) Scripturarumque Mysteria, quæ implebat in Cruce, sed virtutum etiam omnium apertum veluti Codicem proposuit omnibus Christus patiens, nec viua etiam ei Doctoris vox defuit, cum ad circumfusam multitudinem, vt constat ex Euangelio, ex eminente, ac conspicuo illo Crucis suggestu clamauerit, sic inter cæteros Laurentius Iustinianus, libro de humilitate, capite 21 Assertorem nostrum simul appellat & *Præceptorem, & apertum Codicem, in quo legendo & meditando, vniuersa virtutum disciplina ediscitur, vitæ librum, exemplar verum, perfectionis speculum, magisterium religionis, cunctarumque normam, ac præceptorem virtutum*, immo & illum ipsum, *Codicem apertum*, quoque propositum docet ab Apostolorum Principe verbis illis 1. Petri cap. 2. vers. 21. C *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* Quin & alibi quoque idem author, nempe, libro de triumphali agone, sic in eam rem disserit: *Non in membranis*, inquit, *non in lapide, neque in ligno, sed sanguine proprio, in sua carne conscripsit librum hunc, atque ab vniuersis legatur publice exposuit, non autem sermone composito, vel humana sapientia exaratus est verbis, sed hominum interueniente malitia, digito Dei scriptus, nempe sæuientibus Gentilibus atque Iudæis depictus est foris, virtute autem & sapientia Christi formatus est* D *intus; Habet foris simplex & indoctus quid legat, habet spiritualis & perfectus quod intus intelligat, legit simplex, & satificatur atque compungitur, exercitatus vero intelligens irradiatur atque accenditur, quisnam nisi sapientia doctrix poterat paucis tam multa colligere? Abbreuiatam equidem legem, legalia sacramenta charitatis compendium, perfectionis celsitudinem, virtutum normam, & totum humanæ redemptionis modum, ordinemque in hoc sui corporis inclusit volumine quamobrem cum scribere complesset nihilque superesset*, inquit, *consummatum est.* Sic igitur, etsi sæpe aliis virtutum omnium documenta tanquam insignis ac præcellens Magister Christus tradiderit, tamen in su-

Christum in Cruce & Doctorem & apertum Codicem vocat Laurentius Iustinianus.

VI. blimi potissimum Crucis cathedra, seu suggestu Doctor operis factus, ita viuè ac efficaciter docuit, vt in seipso, velut aperto codice, & maiusculis characteribus inscripto, omnis doctrinæ suæ, viuum ac spirans exemplum præbuerit. Adde sollicitudinem illam, & curam docendi sedulam, in Esdra, quæ per hanc temporis circumstantiam aptè describitur his verbis, versu tertio; (*& legit in eo apertè de mane vsque ad mediam diem*) tempusque ipsum *meridiei* sollicitudinem illam feruoremque designare nostri Doctoris (quo infatigabiliter & indefessè in ipso eodem meridici puncto, qui summam eius charitatis ardorem indicabat, circumfusam vndique immensam multitudinem, ex ipsa Crucis *turricula* seu suggestu docebat & *voce magna* vsque ad raucedinem immo vsque ad *spiritus* emissionem *clamabat*, *erat*, enim, *fere hora sexta* quæ ipsa *meridiei* hora est, quando crucifixus est Dominus vt refert Matthæus cap. 27. vers. 50. Ad hæc, quòd aperiente librum Esdra populus omnis vers. 6. primum substiterit, velut admirans, & obstupescens, indictoque silentio, *aures* & *oculi* omnium essent intenti ad *librum* tum Doctorem, de nouo suggestu concionantem, non sine stupore spectantes, & audientes, illud est quod longe ante vaticinatus esse videtur Isaias cap. 30. vers. 20. *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*, quod efficacius sanè ac significantius dictum nonnulli existimant, quam si simpliciter Propheta dixisset, *Oculi tui videbant*. Vtrobique autem, dubitari vix potest, attentionem stuporem, & admirationem illam fuisse significatam qua, *Omnis turba eorum qui aderant ad spectaculum*, Crucis & *videbant quæ fiebant*, Luc. 23. vers. 48. obstupuerunt, quidni vero tantum Doctorem & concionatorem de tali suggestu docentem concionantemue admirantur homines aut etiam Angeli quando Sol ipse & Luna saxaque sensu carentia, elementa muta, orbis denique vniuersus ad *spectaculum* illud Christi morientis & obstupuit & cohorruit? Postremo quod Esdra docente diuinamque legem interpretante videns & audiens, *populus omnis flebat*, isque vers. 11. *tacere* ac *lætari* iubebatur, *quia dies sanctus* erat, & se iam liberum à captiuitate Babylonica videbat, luctum illum ingentem, tam Cœli, quam terræ, tam hominum, quam Angelorum, qui in Christi Domini morte accidit, & communem illam mundi tristitiam, solis stupenda prorsus ac præter naturæ ordinem subita defectione significatam referebat, *Angeli* etiam *pacis*, vt cui vnus è Prophetis, ad funestum adeo, miserandumque spectaculum *à mane flentibus*, de quo spectaculo, & mundi totius planctu, Zacharias item cap. 12. vers. 10. *Et aspicient ad me quem confixerunt; & plangent eum planctu, quasi super vnigenitum; & dolebant super eum vt doleri solet in morte primogeniti* quia tamen per luctuosam illam mortem à diabolica peccati seruitute, & captiuitate, liberi sumus, admoderari nobis ac temperare dolori iubemur, quod is dies luctuosus licet, *dies sanctus sit*, id est festiuus ac solemnis sanctificationis nostræ dies, & nostrum omnium, qui captiuitatem, & mortem criminibus nostris debitam euasimus, communi lætitia peragendus; Hæc, & alia, & fusius, & vberius, persequitur noster Iacobus Pinto lib. 1. de Christo crucifixo, titulo 2. loco 2. numero 11. & sequentibus, quæ si volet potest cum otium erit studiosus lector consulere.

Esdras legens in libro legis de mane vsque ad meridiem Christum adumbrat in meridie de suggestu Crucis ad populum concionantem.

XII. *Christo in Cruce docente totus mundus obstupuit.*

TROPOLOGIA
Capitis octaui.

Morale & myſticum in illud, verſu quinto; *Et aperuit Eſdras librum coram omni populo, & cum aperuiſſet eum ſtetit omnis populus, &c.*

De verbo diuino cum reuerentia audiendo, & opere ſtatim ab audientibus explendo.

VIII.

VM Eſdras librum diuinæ legis in medium afferret, de mane vſque ad mediam diem explicandum, omnes ad audiendum erectis auribus, *& quaſi vir vnus*, concurrerunt ait textus: quem in locum, Beda, lib. 3. capite 26. notanda, inquit, deuotio populi, & concordia, *quaſi vir vnus* ad Templum Dei conuenerunt, & Pontificem rogarunt, vt allato libro mandata diuinæ legis explicaret; ſed non minus (quantum exiſtimo) obſeruanda eſt, eiuſdem populi deuotio, in illa humili & diuturna ſtatione, qua diuinas præceptiones auſcultauit; ſic enim verſ. 5 *Aperto libro atque Eſdra legente ſtetit omnis populus*, inquit Nehemias, nec abs re fuerit, licet de eo iam nonnulla in ipſa literali expoſitione diximus, hic iterum obiter obſeruare, moris apud Hebræos fuiſſe, vt diuinum verbum, maioris reuerentiæ cauſa, ſtantes audirent, quod ex variis ſcripturæ locis eruitur, ac primum, Exodi 20 verſ. 18. cum diuina lex in monte Sinaï promulgaretur, *Cunctus populus*, inquit textus, *perterriti, & timore concuſſi, ſteterunt populi*, ſicut enim eos reuerentia cogebat, ne accederent, ita ne ſederent. Quin & rurſus Exodi 33. verſ 8. *Cum egrederetur Moyſes ad Tabernaculum, ſurgebat vniuerſa plebs, & ſtabat vnuſquiſque in oſtio papilionis ſui*: quem locum D. Gregorius Homil. 13. in Ezechielem

Populi inſignis pietas in audienda diuina legis explicatione.

Hebræi de more diuinum verbũ ſtantes audiebant.

A ad finem de bonis diuini verbi auditoribus myſtice interpretans, *ac ſuis* inquit, *papilionibus quaſi exeunt, atque in oſtio ſtant, quia & habitacula carnis relinquere, & ad illa æterna vitæ gaudia, quæ audiunt, progredi conantur*. Myſticus quoque eſt D. Chryſoſtomus Homil. 10. in Marcum ad illa verba, quæ aliquando, Chriſtus Dominus, inter concionandum, auditoribus ſuis inculcauit, *ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem*, Marci 9. verſ. 1. *Pulchrè*, inquit, *de his qui ſtant dicitur, non guſtabunt mortem, qui enim ſtat in eo quod ſtat, non guſtat mortem, nam vt Moyſes loquitur in* B *Deuteron. quadraginta*, inquit, *diebus, & quadraginta noctibus ſteti in monte cum Deo, ſolus ſtetit quadraginta diebus, & ideo meruit legem accipere, ſtantibus datur, non iacentibus datur*; Moyſes item Exodi 34. verſ. 5. Deum auditurus ſtetit; *Cum deſcendiſſet Dominus*, inquit textus, *per nubem, ſtetit Moyſes cum eo*, vbi Paulus Burgenſis, *mos*, inquit, *erat inter Hebræos audire doctrinam ſeu diuinam legem ſtantes*, quod ſtatim ipſe optimo exemplo confirmat, ex hoc Nehemiæ loco, C quem præ manibus habemus deducto nec ſane abſque myſterio Deus olim ad Ezechielem dixit, *Fili hominis ſta, ſuper pedes tuos, & loquar ad te*, Ezechiel. 2. verſ. 1. nam vt notat Hieronymus in hunc locum, *Iacens ſermones Dei audire non poterat*, ſed audit cum Moſe, *tu vero hic ſta*, quaſi diceret, ait Theodoretus in hunc locum, ſtans, audi quæ à me

Mos audiendi verbum Dei ſtãdo apud Hebræos ex pluribus ſcriptura exẽplis confirmatur.

dicuntur, non huc atque illuc te conuertens. Addo etiam improbum illum Eliu. Iob 311. vers. 14. diuini verbi auditorem ad standum compellere, *ausculta*, inquit, *hæc Iob, sta, & considera mirabilia Dei*, quod expendens Diuus Gregorius lib. 27. Moral. cap. 10. *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui miracula tacentes considerant, quia operationis eius potentiam non sequentes admirantur*. Et quamquam ad voces suas vtiliter excipiendas, statum mentis præcipue re-

IX. quirit Deus, tamen statum corporis, qui illius index esse solet non excludit: vult ille quidem coli potissimum, & adorari in spiritu, & veritate, cultu scilicet mentis interiori, externum tamen etiam corporis cultum, atque habitum non respuit, immo iure à nobis exigit, reposcitque meritissimo, sic in Euangelio Ioannes Baptista, de quo dicitur: *Amicus sponsi, qui stat, & audit eum*, Ioan. 3. quæ verba interpretans sanctus Augustinus Tractat. 14. in Ioann. *Si*, inquit *cadit, non audit eum ergo stare debet amicus sponsi, & audire, quid est stare, permanere in gratia eius, quam accepit*. Optat quidem D. Augustinus, vt stet animus diuinum verbum auditurus, sed ne ille languescat, opus est, vt & corpus humo erigatur; quid quod Christus Dominus Luc. 4. vers. 16. & 17. ad diuinam scripturam legendam surrexisse dicitur, & quandiu legit stetisse, *intrauit in Synagogam, & surrexit legere, &c.* Quod cum recte aduertisset Isidorus Clareus orat. 19. in Lucam, *ob reuerentiam*, inquit, *diuinarum scripturarum, ipse earum author, honorem eis detulit, quanto magis nos, &c.* Hinc, quod memineris olim etiam Christiani cum ad sacram concionem, vel lectionem in Templo audiendam conuenirent, non sedere, sed stare consueuerant: huius rei fidem facit sanctus Augustinus, lib. 50. Homiliarum Homil. 16. quæ est de permissione, & prohibitione sedendi in Ecclesia, vbi ægris tantum, atque infirma valetudine laborantibus, qui stare diu non possunt, sedendi humiliter in concione, vel lectione prolixiori potestatem facit, sic enim ille. *Ante aliquot dies propter eos, qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterna pietate sollicitus consilium dedi, & quodammodo supplicaui, vt quando, aut passiones prolixæ, aut certe aliquæ lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter, &*

Deus vtrumque cultum à nobis reposcit & internum, & externum.

Olim Christiani ipsi concionem audiebant non sedentes, sed stantes.

A *cum silentio sedentes, attentis auribus audiant quæ leguntur: nunc vero aliquæ de filiabus nostris putant, quod hoc aut omnes, aut certe plures quæ sanæ sunt corpore frequenter debeant facere, nam vbi verbum Dei cœperit recitari, quasi in lectulis suis ita iacere volunt, atque vtinam vel tacerent tantummodo, & tacentes verbum Dei, sitienti corde susciperent; non etiam se ita otiosis fabulis occuparent, vt quod prædicatur nec ipsæ audiant, nec alios audire permittant: vnde rogo vos, & sollicitudine paterna commoneo, vt quando aut lectione leguntur, aut verbum Dei prædicatur, nulla se in terram proiiciat, nisi forte quam nimium grauis in-* B *firmitas agit, sed magis sedeat, & attentis auribus, quæ prædicantur auido corde suscipiat*. Quo vultu, ac fronte hodie nostri Christiani molliores hac in parte, atque indulgentiores hæc in concione præcipientem excipiant? sic igitur ad Auditores suos Augustinus item sermone 49. de diuersis cum suos quoque auditores sic alloquitur: *Vt ergo*, inquit, *vos non diu teneam, præsertim quia sedens loquor, vos stando laboratis*: & Eusebius Cæsariensis lib. 4. de vita Constantini cap. 33. refert, præstantissimum illum Imperatorem non sedendo, sed stando se concionantem audiuisse, quamuis multis ab eo precibus efflagitaret, vt in Regia sella sederet. Et quoniam eximium imprimis, C atque illustre est tanti Imperatoris exemplum, sic de eo narrantem Eusebium audiamus. *Ac ne illud quidem*, inquit, *mihi facile prætermittendum, quod nobis ipsis præsentibus summa cum admiratione gessit, nam cum eius singulari erga Deum pietate adducti postularemus, vt de seruatoris monumento, & sepultura disputantes nos audire vellet liberalissime, sane aures suas sermonibus nostris præbuit, & in ipsa Basilica magno auditorum cœtu circumfusus, erectusque stans communem, cum reliquis audiendi operam exhibuit, cumque flagitaremus, vt Regali in solio, quod ibi sessionis causa positum erat se reclinaret, minime cessit* D *nostris precibus, quin potius contento animo quæ dicebantur secum iudicabat, & Theologiæ decretis testimonium dabat, sed cum iam multum temporis fluxisset, & nos longiores essemus, finemque facere statueremus, hic quidem ille restitit, & vt omnem sermonem absolueremus hortatus est, rursus vero sederit deposcentibus nobis, subtristi & austero vultu respondit, nefas esse institutis de Deo*

Constantinus Imperator audit stans concionantem Eusebium.

item illud probabile locus Isaiæ capite A decimo quarto, versu nono. *Super montem ascende tu qui euangelizas Sion*, & capite quinquagesimo, versu septimo. *Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, &c.* Sic faciebant (credo) præconum vocibus Iudæi, aut tubarum clangoribus, quod nunc in regionibus, vel ciuitatibus quibusdam fieri assolet, vbi cum à vicino hoste aliquid imminet, aut timetur periculi, id ex speculis, vario, opportunoque loco dispositis, de nocte, flamma, aut tæda ardente, de die fumo, aut quauis alia ratione, quam celerrime significatur.

Et afferte frondes oliuæ, & frondes Ligni pulcherrimi, &c. B Vt aliarum arborum, quæ in textu numerantur, puta oliuæ, myrti, palmæ, sic & istius taciti nominis, frondes erant comparandæ, ad vmbracula facienda, sed cuius tandem arboris? in Hebræo est, *ligni oleæ* seu, *pinguis*, quod 70. *cupressum* dixere, Paguinus *pinum*, alii *cedrum*, vt iam superiori libro significasse memini, sunt qui balsamum credant vnde vnguentum optimum, plerique etiam vertunt *frondes ligni pinguis*, quia, *scemen*, id quoque significat, scilicet pinguedinem. Porro quod ait, *vt fiant Tabernacula, sicut scriptum est*, intellige Leuitic. capite vigesimo tertio, versu quadragesimo, vbi expresse hæc significantur. C

Quæ sit arbor quæ hic vocatur, Lignum pulcherrimum.

XII. Vers. 16. *Et egressus est populus, & attulerunt, &c.* Magno studio, quod indictum à Lege fuerat & ab Esdra propositum aggressi sunt, feceruntque sibi Tabernacula, *vnusquisque in domate suo*, ita ex 70. id est, supra tectum domus suæ, sub dio, domus enim in Palæstina habebant tecta plana, iuxta illud, *quæ in aurem auditis, prædicate super tecta*, vnde sua ibi facere tentoria, quæ sub dio esse oportebat percommode potuerunt, *& in atriis suis, & in atriis domus Dei, & in platea portæ Aquarum, & in platea portæ Ephraim*, D quo loco duas memorat plateas primarias, illam prope Templum, in extremo montis Sion, ante Regiam Salomonis, hanc in angulo vrbis, quæ partem eius borealem Occiduæ coniungit. Obseruandum item est hoc loco, portam quidem Aquarum iam supra memoratam fuisse à Nehemia, cap. 3. sed portæ Ephraim, cuius hic quoque meminit nullam ibi fieri mentionem: forte hæc eadem erat porta

Quæ sint Domata apud Iudæos, in quibus facerent Tabernacula.

Gregis, de qua eodem libro primi capitis, vers. 1. quam ego quorumdam opinionem fuisse superius indicaui. Quidquid sit altera portarum, quæ ibi ponuntur, Ephraim dicta est, quod per eam egrederentur, qui ad Tribum Ephraim iter susciperent: *Fecerunt ergo, Iudæi*, inquit Nehemias, *sibi Tabernacula vnusquisque in domate suo*, idemque factum in id genus aliis locis, subdio, in quibus, frondeæ scenæ excitabantur, vbi per septem dies quasi in propria domo habitabant, vt olim Israël in deserto.

Cur porta Ephraim, cuius hic mentio sic dicta.

Vers. 17. *Fecit ergo vniuersa Ecclesia eorum qui redierant de captiuitate Tabernacula & habitauerunt in Tabernaculis, &c.* XIII. Ad ea quæ superiori libro de festo Tabernaculorum diximus, cap. 3. vers. 4. visum est nonnulla hic adiungere, 1 cum dubium sit inter authores aliquos, an Tabernacula statuerentur extra ciuitatem in agris, aut intra mœnia, & domus, in subdialibus areis. Ego nihil aliud à lege requiri video, Leuitic. 23. quam vt sub Cœlo siue subdio, id est in loco aperto, qui omnem Cœlorum inclementiam exciperet, figerentur vmbracula, siue hoc in agris fieret, siue in plateis areisque ciuitatis. Certè cum floreret, abundaretque Hebræorum integra fortuna, non dubito pleraque Tabernacula in agris locisque desertis fuisse constituta, cum enim ex tota Israëlitica gente omnes qui essent è virili sexu, iuberentur Hierosolymam ascendere, qui fieri potuit, vt ciuitas quantumcumque ampla, tot in locis apertis, ac patentibus caperet vmbracula? sic de illo tempore quo Iudaïcum nomen floreret, existimat Sanctius. At istis temporibus cum afflictæ & profligatæ essent res Hebræorum, & pauci adhuc ex Israëlitide gente in propriis sedibus commorarentur, neque in amplo spatio situque ciuitatis, multæ admodum domus essent, pleraque Tabernacula in vacuo ciuitatis spatio fixa fuisse satis intelligo, atque ita sane accidisse probabilius est, in primo Israëlitarum conuentu ad festum Tabernaculorum, de quo superiori libro, quod fuisse omnium primum constat, ex textu iam citato, cap. 3. vers. 4. si tamen alterum est, ab eo de quo hic agitur 2. cum satis obscurum sit, ex qua materia constructa atque contexta fuerint Tabernacula, possitque non ineptè de eo pro-

Florente Hebræorum fortuna multa in agris locisque desertis extra ciuitatem Tabernacula figebantur, in festo Tabernaculorum.

Quomodo & ex qua materia contexta fuerint Tabernacula.

poni quæstio. Ego quidem, vt ad meliorum authorum sensum calculum adiungam, verisimilius puto, Israëlitas expressisse in Tabernaculorum constructione, quamdam eius rei formam atque imaginem, quam olim in deserto ipsorum parentes exhibuerant. Cum ergo, vt simile veri est filii Israël in eo progressu habuerint viatoria Tabernacula, qualia sunt militaria tentoria, firmata funibus, distenta velis, & perticis suspensa, & interdum virgultis constrata, obtecta ramis, operta frondibus, & alia eiusmodi materia siluestri idem omnino contigisse arbitror in festo Tabernaculorum sic nonnulli ex arborum ramis, alii ex velis, aut linteis, sibi contexebant vmbracula. Neque enim credibile est, cum tanta, tamque immensa esset aduenarum multitudo, satis illis futuram fuisse, ex siluis agrisque materiam, vt infinita prope quotannis vmbracula construerent, neque vero illorum parentes, olim in deserto, oliuam, palmam, & myrtum ex quibus sibi pararent familiare tugurium, habuisse credendum est. quod autem in lege, Leuitic. 23. vers. 40. dicitur, *Sumetis que vobis die primo fructum arboris pulcherrima spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & latabimini coram Deo vestro*, hæc non cogunt vt credamus, ex his ramis vmbracula fuisse contexta tùm quia hi rami dicũtur esse sumendi ex arboribus, die, qui v. 39. futurus dicitur *sabbatum* id est requies, in quo construi illa Tabernacula non poterant, quia aperte dicitur vers. 34. *omne opus seruile non facietis in eo*; tùm quia sumendi dicuntur manibus rami, ad lætitiam potius significandam coram Deo, id est in Tabernaculo, aut Templo, quàm ad Tabernaculorum tegumentum, negare tamen non ausim, in hoc reditu Iudæorum, videri ex arborum frondibus constrata fuisse Tabernacula, vt indicat litera, & vero à Magistratibus edicitur supra, vers. 15. his verbis, *Egredimini in montes & afferte frondes oliuæ & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, vt fiant Tabernacula sicut scriptum est*. Sed licet hoc indicent verba textus, non tamen omnino persuadent (ait Sanctius) quia, fortasse Tabernaculorum celebritatibus hæc adhibebantur, & erant quasi

Videntur in hoc reditu Iudæorum ex arborum frondibus constrata fuisse Tabernacula idque textus indicare.

A adiectanea neque si modo, id est in hoc reditu, ita fortasse contigit, argumentum est ita id fieri debuisse necessario, quia scilicet hoc tempore, perpauci erant qui Tabernaculorum obirent sacra. iidemque pauperes, qui non haberent è linteis parata tentoria, neque fortasse, vsque ad illud temporis punctum, plerique nouerant, illa tunc festa esse peragenda. Deinde, quia cum iam diu illa Tabernaculorum festa essent intermissa, facile quiuis intelligit, arbores illas oneratas fuisse ramis, quibus consterni commodè possent & ornari tuguria; aliis vero

B temporibus, non item, quia teneri videbantur futuri germinantes rami, qui succisorum loco exiguo admodum interuallo succrescerent. Facit præterea, vt illud mihi facilius persuadeam quòd non ex omni arbore, & frutice, excitari iubentur Tabernacula, sed ex oliua modo, spatulisque palmarum, myrto, salice, & arbore pulcherrima, quam plerique omnes citrum esse putant, hæ autem plantæ, magis sunt ad instruendas manus, quam ad insternenda tuguria, neque ex his arboribus, ea videtur esse copia, quæ ad tot consternenda vmbracula

C sufficeret. Et quidem Iosephus, qui huiusmodi festis non semel interfuit, harum arborum ramos gestatos esse tradit in manibus, non intextos vmbraculis. vt iam alibi retulimus. Adde nec si tentoria hoc tempore ex distentis velis non fuerint, qualia sunt viatoria, aut castrensia, necesse est credere, ex quatuor hisce arboribus fuisse intexta, sed ex aliis siluestribus, puta ex pino, abiete, vlmo, ilice, & similibus, aut è viuo cespite, quæ materia & prompta est, & texendis vmbraculis magis idonea. Quod autem ex

Non intexebantur ex quatuor arboribus in Leuitico nominatis tentoria sed earum rami manibus gestabantur.

D his plantis, iam sæpius commemoratis rami sumi iubentur, eam sanctus Thomas rationem esse putat, quia hi diu viriditatem & speciem conseruant, atque ideo septem diebus manibus gestari possunt, sicut præcipitur Leuitic. 23. vers. 4. vbi cum actum esset proximè de his arboribus, additur *celebrabitis solemnitatem eius septem diebus*, eo nimirum modo, quo primo die. Deinde quia hæ arbores grati sunt odoris, & aptæ exhilarandis animis: sic sanctus Thomas, 1. 2. quæstion. 102. artic. 4. ad 10. *Debebant*, inquit, *habere fructus arboris pulcherrima*, id est citrum, *& lignum densarum frondium*...

brare, cum Iudas ipsum in Tabernaculis usque in diem illum degerent.

veluti præsens erat, edere monimentum. Ex his igitur vides, cur toto peregrinationis tempore in deserto, neque circumcisi fuerint Hebræi, neque celebratum phase, à secundo anno post relictum Ægyptum, donec transmisso Iordane, in terram promissionis apertus est aditus, Iosue capite quinto, quia ad illud vsque tempus, nullum de holocaustis aut victimis vrgebat præceptum, nullum inquam vrgebat præceptum, quod obligatorium esset, aut Iudæos adstringeret: neque enim vllo modo credibile est, Moysem permissurum fuisse, aut dissimulaturum, tamdiu circumcisiones, aut phase, si quod præceptum de illis vim obligandi tunc habuisset, non obseruari, cum præsertim tanto legis ipsius zelo arderet, vt violati Sabbati crimen, collectis in eo lignis, impunitum esse noluerit. Quare primus omnium Iosue, à secundo anno egressionis ex Ægypto celebrauit phase & comedit azyma, & cum multis annis non esset circumcisus populus, ad ripam ipsam traiecti Iordanis illum circumcidit. Primus denique omnium festum Tabernaculorum celebrauit, hinc est, cur potius Iosue, quàm Moysis mentionem hic fecit Nehemias, dicatque; *Non fecerunt a diebus Iosue filij Nun taliter filij Israel, vsque ad diem illum.*

Iosue omnium primus celebrauit phase, comedit azyma, circumcidit populum, & festum Tabernaculorum celebrauit.

XVI. *Quid fuerit collecta quam fecit populus post festum Tabernaculorum.*

Vers. 18. *Fecerunt solemnitatem septem diebus, & in die octauo collectam, iuxta ritum, &c.* Postquam significauit Nehemias Esdram legisse legem ad populum, per totos scenopegiæ dies, concludit, populum fecisse collectam, quam varias in expositiones trahi ab authoribus video, sic interpretatur Lyranus, *Fecerunt collectam, pro emendis necessariis, in vsum templi,* inquit, *iuxta ritum qui habetur,* Leuit. 23. sed, pace illius dixerim, citato loco, si literam præcise attendis, cuiusquam rei, aut emendæ aut distrahendæ, lex ne verbum quidem facit:

Opinio Lyrani.

aliter exponit Beda citatus in Glossa, cuius hæc verba sunt, *Scenopegia septem diebus agebatur*, id est, *à decima quinta Luna mensis septimi, vsque ad vigesimam primam octaua die*, id est, *vigesimam secundam mensis denuo collecta populi agebatur, maiori festiuitate insignis. Vnde in Leuitico, à decima quinta die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias septem diebus, die primo, & die octauo erit Sabbatum*, id est *requies*; sed, & si festum collectæ à festo Tabernaculorum secernere videtur, tamen, cur collecta fieret, non satis explicat, hinc forte nonnulli volunt, diem octauum qui dicebatur collectæ, ad scenopegiam, seu fixionem Tabernaculorum propriè non pertinuisse, quia scilicet, eo die, disturbata iam erant, & refixa tentoria. Alii non malè (vt existimat Mariana) putant collectam, significare præcipuam huius festi Tabernaculorum celebritatem, vt ludos, spectacula, aliaque id genus, quibus concluderetur die 22. mensis septimi, sed vereor vt hoc omnibus facile persuadeant, Iudæos videlicet, in eiusmodi ludis, & spectaculis, edendis operam suam, maxime ad rem sacram concludendam posuisse, cum eius rei, aut Scripturis sacris, aut in aliis authoribus, nulla omnino sit mentio. Ergo collectam intellige non pecuniæ, vt vult Lyranus, sed populi, vt fert vox Hebræa *Hazereth*, pro qua voce quidam vertunt *retentionem*, certe nihil aliud indicant verba legis capite vigesimo tertio, versu trigesimo sexto, quàm cœtum populi, in vnum locum collectum, *Dies octauus erit celeberrimus, atque sanctissimus, & offeretis holocausta Domino, est enim cœtus atque collecta.*

Beda.

Mariana.

Omnium probabilissima.

QQq

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis octaui.

Expoſitio myſtica in illud verſ. 1. *Et dixerunt Eſdra Scribæ vt afferret legem, &c.*

Et quid potiſſimum iudicetur per Eſdram de gradu ligneo loquentem ad populum, verſu quarto.



I. SIC ego totius capitis continentem ferè Allegoriam paucis aperio, ædificata tandem ciuitate, ſeu inſtaurata Hieruſalem myſtica, quæ eſt Eccleſia, congruum eſt ſequi, lectionem diuinam, & tubas ſonare crebriores, vt populus, Sacramētis cœleſtibus initiatus, etiam ſacris eloquiis ex tempore, ac diuinæ legis interpretatione adhibita ſolertius, qualiter viuere debeat inſtruatur, primùm igitur, *Congregatus eſt populus ad plateam quæ eſt ante portam Aquarum, &c.* id eſt lachrymarum, compunctionis, & deuotionis, tales enim, aquæ, in cœtu, ac congregatione fidelium, debent eſſe, ac vere, vt infra narratur verſ. 9. *Flebat omnis populus, &c.* quæ verba exponens Beda, iuxta ſenſum Allegoricū, ſuo more, *Cum Præſules*, inquit, *quātùm honore, tantùm opere ſubditos antecellunt, ipſi eorum exemplis incitati, vitæ ſuæ gradum exequuntur deuoti, & ab eis piè admoniti pro peccatis, vel deſiderio patriæ cœleſtis, lachrymas profundere delectantur*, hoc eſt quod dicitur, *flebat, omnis populus cum audiret verba legis*, ſed, *quid eſt quod ſtetit Eſdras Scriba ſuper gradum ligneum quem fecerat ad loquendum*, verſ. 4. ſunt qui magnum in eo myſterium agnoſcant, quod Eſdras ſcilicet, librum legis, coram omni multitudine Iudæorum, de gradu ligneo, apertè, & publicè legente, Beda ſiquidem in hunc locum, per Eſdram intelligit, quemlibet prædicatorem, ſtantem in gradu ligneo, hoc eſt, ſingulari imitatione

Ædificata Hieruſalem myſtica oportet vt populus fide initiatus ex diuinæ legis interpretatione intelligere quemadmodū vitam inſtituere debeat.

Congregatur populus ad plateam quæ eſt ante portam Aquarum quod aquæ ſeu lachrymæ cōpunctionis & deuotionis in cœtu fidelium frequentes eſſe debeant. Cuius rei typus ac figura fuetit Eſdras

A Dominicæ Paſſionis, cæteris eminentem, eſſet qui fortaſſe non dubitaret accommodatius intelligi poſſe Chriſtum Dominum, de gradu ligneo, hoc eſt de Cruce ſua, librum legis ſiue totam ſcripturam, ſiue quod de eo, in veteri Teſtamento prædictum erat, mundo interpretantem, cum dixit, *Conſummatum eſt*, Ioann. 19. verſ. 30. hoc eſt tota in me, ſcriptura impleta eſt, quod ſi legente Eſdra, *omnes intellexerunt*, vt hoc capite habetur verſ. 8. quid mirum, ſi Chriſto Domino interpretante, nihil eius B ſchola, de diuinis literis ignoret? de qua re, Tertullianus, libro aduerſus Gnoſticos, cap. 12. *Quis*, inquit, *nunc medullas ſcripturarum magis noſter, quam ipſa Chriſti ſchola? quos & ſibi Diſcipulos Dominus adoptauit, omnia vtique edocendos, & nobis Magiſtros, ordinauit, omnia vtique docturos*; iam ad Nehemiam populi lachrymas comprimentem verſ. 9. gradum faciamus, *dixit Nehemias vniuerſo populo; Nolite lugere, & nolite flere*, & verſ. 10. & dixit eis, *Ite comedite pinguia, & bibite mulſum, nolite contriſtari, &c.* Nempe, C Doctores, qui mentes auditorum ſacris lectionibus ad lachrymas excitant, & ipſos quoque iidem conſolantur, dum gaudia ſecutura promittunt, cuiuſmodi ſe exhibent erga Iudæos, Eſdras, & Nehemias, cum aiunt, *Gaudium Domini eſt fortitudo noſtra, nolite contriſtari*, cuius ſane mœroris comprimendi legitimam cauſam ſubiiciunt cum addunt, *quia dies ſanctificatus eſt, &c.* dum ſcilicet, verbis Domini, audiendis, & implendis, operam damus, dies ille ſanctificatus

legens librū legis de gradu ligneo.

Alij Eſdrā legis librū legētem ad populum de gradu ligneo ad Chriſtum de Cruce prædicantē alij ad quēuis Prædicatorē imitatione Dominicæ Paſſionis cæteris eminentem referunt.

II.

Doctores ſacri qui ad lachrymas plerūque excitāt iidem quoque auditores ſuos ſæpe conſolantur ſpe propoſita bonorum ipſis promiſſorum.

Dum verbis Dei au-

diendis & implendis operam damus dies sanctificatur.

est, in quo die, quamuis exterius aduersa patientes, nos in spe gaudere oportet, vnde illud Apostoli, *Quasi tristes, semper autem gaudentes*, 2. Corinth. vers. 6. restat vt scenopegiæ per septem dies continuos celebratæ mysterium detegamus, audito itaque legis præcepto, de scenopegiæ celebritate, instituenda, vers. 11. & vers. 15. *Egressus est populus, & attulerunt, feceruntque sibi Tabernacula, vnusquisque in domate suo, & in atriis suis, & in atriis domus Dei & in platea portæ Aquarum, & in platea portæ Ephraim*, vers. 16. quæ sic interpreteris Allegoricè,

Mystica interpretatio scenopegiæ per septē dies celebratæ.

III.

Quid sit facere sibi Tabernaculum in tecto seu domate, quid in atriis domus Dei.

vnusquisque nostrum egressus facit Tabernacula in domate, tecto scilicet domus suæ, cum habitaculum suæ carnis, animo transcendens affectus noxios, sedula supernæ lucis & libertatis meditatione calcat, idem ipsum, & nos in atriis nostris facimus cum mente, ad cœlestia flagrante, quasi extra mundum consistimus, cuius mansionem, ocyus relinquere desideramus, & in atriis domus Dei, quando, & si nondum aulam supernæ habitationis, licet ingredi, in eius tamen vicinia, totam cogitationis nostræ memoriam, sedemque locamus & in platea portæ Aquarum cum dilatato corde, in via mandatorum Dei, *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima nostra ad Deum viuum*, & in platea portæ Ephraim, id est frugiferi, vel crescentis, quando, in latitudine liberi cordis, ita proficimus, vt patefacta nobis a Domino porta Iustitiæ, semper in illo, crescamus, in salutem, & maioribus bonarum actionum frugibus, abundare mereamur, denique quod extremo huius capitis versu 18. dicitur, *Legit autem in libro legis Dei, per dies singulos, à die primo, vsque ad diem nouissimum, & fecerunt solemnitatem, septem diebus, & in die octauo, collectam, &c.* Ex Beda item, in hunc modum licet exponere, sane legit Esdras typicus septem diebus scenopegiæ, populo, in libro legis Dei, quia hæc est vera solemnitas mentis, vt per dies singulos, id est per omnia bona opera, quibus adeo illustramur, legendis, audiendis faciendisque eius sermonibus, intento corde vacemus, incipit autem hæc solemnitas à 15. die mensis, quando Luna nocte plenissima est, cum scilicet omnes mentis nostræ tenebræ, clarissimo, Christi lumine re-

Quid in platea portæ Aquarum figere Tabernaculum.

Quid in platea portæ Ephraim

Vera solemnitas mentis legendis audiendis faciendisque Dei sermonibus intento corde vacare.

A soluuntur, sequiturque eam dies octauus Sabbati, id est quietis, quod erit tempore resurrectionis, in vita futura, cuius gaudio, interim, in spe, subleuamur, tunc autem re ipsa perfruemur, cum optata illa collecta, omnis Sanctorum cœtus Angelorum scilicet, & hominum in conspectu Dei congregatus, & nunquam segregandus, exultauerit sic ferè author proximè à nobis citatus.

IV.

Ex circunstantiis, quæ hic narrantur ostenditur Christum in Cruce docentem sub typo Esdræ adumbrari.

Ergo passim hic sancti Patres, ac Scripturæ interpretes, præcipue, ac primario sub Esdræ typo Christum Pontificem, legisque Doctorem, ac totius Scripturæ interpretem, *de gradu ligneo*, crucis docentem interpretantur, quem quis non intelligit ad amussim, circunstantiis illis omnibus, quæ toto hoc capite enarrantur mire descriptum? nam primum apertus ille, & patens locus, seu vt in textu est, *plateam ante portam Aquarum*, plateam illam amplissimam designat, & locum editum, ac conspicuum Caluariæ montis, qui fuit *extra portam vrbis Hierusalem*, deinde, & illa *porta Aquarum*, ad quam *congregatus est omnis populus, quasi vir vnus*, & tota illa *multitudo virorum, atque mulierum*, quid aliud repræsentat, quam omnem illam effusam olim extra portam Hierusalem, *turbam eorum, qui simul aderant ad spectaculum*, vt ait Lucas, cap. 23. vers. 48. summum scilicet pro suggestu visuri, & audituri Pontificem, eiusque doctrinæ cœlestis fluenta bibituri & sane doctrinæ illius cœlestis Christi Domini de cruce docentis, aquæ illæ, iuxta portam, symbolum erant non incommodum: præterea *gradus ille ligneus*, seu suggestus Esdræ Sacerdotis docentis, ex lignis constructus, vnde *super vniuersum populum eminebat*, verius, aut germanius, quidquam nihil indicabat, quam erectam Crucem, erectumque, & innitentem in ea Doctorem, & Concionatorem nostrum sustentantem, eique demum, pro suggestu, & cathedra deseruientem: nimirum inde Scripturæ nodos omnes dissoluens, totamque Legem & Prophetas aperiens, atque interpretans, Theologiam quoque moralem, hoc est, illustriora, & sublimiora virtutum omnium documenta, & supremæ totius doctrinæ capita, Doctor egregius, & Concionator optimus discipulos suos fideles edocuit: nam & *lignum illud* (teste Augustino, cuius hæc verba

Aqua iuxta portam symbolum doctrinæ cœlestis Christi.

Ligneus Esdræ gradus Crucis figura.

Crux cathedra & schola Scripturæ ac moralis Theologiæ, totiusque supremæ doctrinæ.

sunt tractatu 119. in Ioann) *Vbi erant* A *fixa membra morientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis*, ex qua videlicet orbi vniuerso conspicuus non modo suæ dignitate personæ, verum etiam Doctoris officio eminere visus est, ad quod præstandum *ligneus ille gradus* suppositus, Crux scilicet, super omnes eum ita euexerat, vt spectari ab omnibus, & audiri commode posset, nec Mysterii expers, aut vacuum est, quod

V. *gradus ille ligneus*, siue suggestus. Hebraice, *Migdal*, id est, turris, seu turricula à forma simili dicta sit: etenim B Dominus, spiritualis etiam in Cruce militiæ magister est, indeque milites suos, Concionatores Euangelicos, *gladium spiritus, quod est verbum Dei* vibrare docet, eosque de Cruce, velut ex arce munitissima, omnibus spiritualium armorum generibus armat, & instruit, illa quippe, illa est *turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*, Cant. cap. 4. vers. 4. Atque hinc nos iam supra ex Bedæ interpretatione audiuimus, Doctori, & Concionatori Euangelico, ad suggestum quoque Crucis ascendendum, Christi exemplo, indeque aliis docendum, concionandumque, sic vt ex ore ipso Christi Domini, velut in Cruce pendentis, *verbum Crucis* accipiat, *Christumque*, cum Paulo prædicet *crucifixum*, nunc ad typum nostrum reflectamus orationem, & reliquas circunstantias in textu positas diligentius perscrutemur, Esdræ *manuum eleuatio*, vers. 5. & 6. *libri apertio*, adeoque patens explicatio, vt *eo legente, ac interpretante*, vers. octauo, alii etiam *legerent in libro legis Dei distincte, & aperte ad intelligendum* omnino eleuationem brachiorum Christi patientis, eiusque manuum in Cruce expansionem, cum ad Deum nobis placandum, tum ad nos adhortandos pertrahendosque ad sese mirifice repræsentat, siquidem ipsa brachiorum expansio, quædam quasi *libri apertio* fuit, atq. ideo ipse *& magister, & liber*, in Cruce Christus Dominus, *tanquam agnus occisus*, vt est in Apocalypsi, cap. 5. vers. 6. *librum aperuit*, cum in Cruce seipsum expandit, notis vulnerum exaratum adeo magnis, atque illustribus, vt nemo, etiam longe dissitus, non legere possit, *distincte, & aperte ad intelligendum*, præsertim titulo tam insigni, & eximio, capiti *libri* apposito, tribusque linguis, toto orbe communioribus exarato, sic vt *libri* ipsius scriptura, non Hebræis modo, sed etiam Græcis, & Latinis, & lectu facilis esset, & intellectu, neque vero solum *Dei Legem* (vti Esdras noster hoc loco) Scripturarumque Mysteria, quæ implebat in Cruce, sed virtutum etiam omnium apertum veluti Codicem proposuit omnibus Christus patiens, nec viua etiam ei Doctoris vox defuit, cum ad circumfusam multitudinem, vt constat ex Euangelio, ex eminente, ac conspicuo illo Crucis suggestu clamauerit, sic inter cæteros Laurentius Iustinianus, libro de humilitate, capite 21 Assertorem nostrum simul appellat & *Præceptorem, & apertum Codicem, in quo legendo & meditando, vniuersa virtutum disciplina ediscitur, vitæ librum, exemplar verum, perfectionis speculum, magisterium religionis, cunctarumque normam, ac præceptorem virtutum*, immo & illum ipsum, *Codicem apertum*, quoque propositum docet ab Apostolorum Principe verbis illis 1. Petri cap. 2. vers. 21. *Christus* C *passus est pro nobis vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* Quin & alibi quoque idem author, nempe, libro de triumphali agone, sic in eam rem disserit: *Non in membranis*, inquit, *non in lapide, neque in ligno, sed sanguine proprio, in sua carne conscripsit librum hunc, vtque ab vniuersis legatur publicè exposuit, non autem sermone composito, vel humana sapientiæ exaratus est verbo, sed hominum interueniente malitia, digito Dei scriptus, nempe sæuientibus Gentilibus atque Iudæis depictus est foris, virtute autem & sapientia Christi formatus est* D *intus; Habet foris simplex & indoctus quod legat, habet spiritualis & perfectus quod intus intelligat, legit simplex, & lætificatur atque compungitur, exercitatus vero intelligens irradiatur atque accenditur, quisnam nisi sapientia doctrix poterat paucis tam multa colligere? Abbreuiatam equidem legem, legalia sacramenta charitatis compendium, perfectionis celsitudinem, virtutum normam, & totum humanæ redemptionis modum, ordinemque in hoc sui corporis inclusit volumine quamobrem cum scribere complesset nihilque superesset*, inquit, *consummatum est* Sic igitur, etsi sæpe aliàs virtutum omnium documenta tanquam insignis ac præcellens Magister Christus tradiderit, tamen in su-

Crux Turris Dauid ex qua arma ad pugnandum desumenda.

Esdras eleuans manus, & librum aperiens Christum brachia in Cruce eleuantem, & manus extendentem significat.

Christum in Cruce & Doctorem & apertum Codicem vocat Laurentius Iustinianus.

blimi potissimum Crucis cathedra, seu suggestu Doctor operis factus, ita viuè ac efficaciter docuit, vt in seipso, velut aperto codice, & maiusculis characteribus inscripto, omnis doctrinæ suæ, viuum ac spirans exemplum præbuerit. Adde sollicitudinem illam, & curam docendi sedulam, in Esdra, quæ per hanc temporis circumstantiam aptè describitur his verbis, versu tertio; (*& legit in eo apertè de mane vsque ad mediam diem*) tempusque ipsum *meridiei* sollicitudinem illam feruoremque designare nostri Doctoris, quo infatigabiliter & indefessè in ipso eodem meridiei puncto, qui summam eius charitatis ardorem indicabat, circumfusam vndique immensam multitudinem, ex ipsa Crucis *turricula* seu suggestu docebat & *voce magna* vsque ad raucedinem immo vsque ad *spiritus* emissionem *clamabat*, *erat*, enim, *fere hora sexta* quæ ipsa *meridiei* hora est, quando crucifixus est Dominus vt refert Matthæus cap. 27. vers. 50. Ad hæc, quòd aperiente librum Esdra populus omnis vers. 6. primum substiterit, velut admirans, & obstupescens, indictoque silentio, *aures & oculi* omnium essent intenti ad *librum* tum Doctorem, de nouo suggestu concionantem, non sine stupore spectantes, & audientes, illud est quod longe ante vaticinatus esse videtur Isaias cap. 30. vers. 20. *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*, quod efficacius sanè ac significantius dictum nonnulli existimant, quam si simpliciter Propheta dixisset, *Oculi tui videbant*. Vtrobique autem, dubitari vix potest, attentionem stuporem, & admirationem illam fuisse significatam qua, *Omnis turba eorum qui aderant ad spectaculum*, Crucis & *videbant quæ fiebant*, Luc. 23. vers. 48. obstupuerunt, quidni vero tantum Doctorem & concionatorem de tali suggestu docentem concionantemue admirantur homines aut etiam Angeli quando Sol ipse & Luna saxaque sensu carentia, elementa muta; orbis denique vniuersus ad *spectaculum* illud Christi morientis & obstupuit & cohorruit? Postremo quod Esdra docente diuinamque legem interpretante videns & audiens, *populus omnis flebat*, isque vers. 11. *tacere ac lætari* iubebatur, *quia dies sanctus* erat, & se iam liberum à captiuitate Babylonica videbat, luctum illum ingentem, tam Cœli, quam terræ, tam hominum, quam Angelorum, qui in Christi Domini morte accidit, & communem illam mundi tristitiam, solis stupenda prorsus ac præter naturæ ordinem subita defectione significatam referebat, *Angelis* etiam *pacis*, vt cui vnus è Prophetis, ad funestum adeo, miserandumque spectaculum *à mane flentibus*, de quo spectaculo, & mundi totius planctu, Zacharias item cap. 12. vers. 10. *Et aspicient ad me quem confixerunt; & plangent eum planctu, quasi super vnigenitum; & dolebant super eum vt doleri solet in morte primogeniti* quia tamen per luctuosam illam mortem à diabolica peccati seruitute, & captiuitate, liberi sumus; admoderari nobis ac temperare dolori iubemur, quod is dies luctuosus licet, *dies sanctus sit*, id est festiuus ac solemnis sanctificationis nostræ dies, & nostrum omnium, qui captiuitatem, & mortem criminibus nostris debitam euasimus, communi lætitia peragendus; Hæc, & alia, & fusius, & vberius, persequitur noster Iacobus Pinto lib. 1. de Christo crucifixo, titulo 2. loco 2. numero 11. & sequentibus, quæ si volet potest cum otium erit studiosus lector consulere.

VI.

Esdras legens in libro legis de mane vsque ad meridiem *Christum adumbrat in meridie de suggestu Crucis ad populum concionantem.*

XII.

Christo in Cruce docente totus mundus obstupuit.

TROPOLOGIA
Capitis octaui.

Morale & myſticum in illud, verſu quinto; *Et aperuit Eſdras librum coram omni populo, & cum aperuiſſet eum ſtetit omnis populus, &c.*

De verbo diuino cum reuerentia audiendo, & opere ſtatim ab audientibus explendo.

VIII.

CVM Eſdras librum diuinæ legis in medium afferret, de mane vſque ad mediam diem explicandum, omnes ad audiendum erectis auribus, *& quaſi vir vnus*, concurrerunt ait textus: quem in locum, Beda, lib. 3. capite 16. notanda, inquit, deuotio populi, & concordia, *quaſi vir vnus* ad Templum Dei conuenerunt, & Pontificem rogarunt, vt allato libro mandata diuinæ legis explicaret; ſed non minus (quantum exiſtimo) obſeruanda eſt, eiuſdem populi deuotio, in illa humili & diuturna ſtatione, qua diuinas præceptiones auſcultauit; hic enim verſ. 5. *Aperto libro atque Eſdra legente ſtetit omnis populus*, inquit Nehemias. nec abs re fuerit, licet de eo iam nonnulla in ipſa literali expoſitione diximus, hîc iterum obiter obſeruare, moris apud Hebræos fuiſſe, vt diuinum verbum, maioris reuerentiæ cauſa, ſtantes audirent, quod ex variis ſcripturæ locis euitur; ac primum, Exodi 20. verſ. 18. cum diuina lex in monte Sinaï promulgaretur, *Cunctus populus*, inquit textus, *perterriti, & timore concuſſi, ſteterunt populi*, ſicut enim eos reuerentia cogebat, ne accederent, ita ne ſederent. Quin & rurſus Exodi 33. verſ. 8. *Cum egrederetur Moyſes ad Tabernaculum, ſurgebat vniuerſa plebs, & ſtabat vnuſquiſque in oſtio papilionis ſui*: quem locum D. Gregorius Homil. 13. in Ezechielem ad finem de bonis diuini verbi auditoribus myſtice interpretans, *ac ſuis* inquit, *papilionibus quaſi exeunt, atque in oſtio ſtant, quia & habitacula carnis relinquere, & ad illa æterna vitæ gaudia, quæ audiunt, progredi conantur.* Myſticus quoque eſt D. Chryſoſtomus homil. 10. in Marcum ad illa verba, quæ aliquando, Chriſtus Dominus, inter concionandum, auditoribus ſuis inculcauit, *ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem*, Marci 9. verſ. 1. *Pulchre*, inquit, *de his qui ſtant dicitur, non guſtabunt mortem, qui enim ſtat in eo quod ſtat, non guſtat mortem, nam vt Moyſes loquitur in Deuteron. quadraginta*, inquit, *diebus, & quadraginta noctibus ſteti in monte cum Deo, ſolus ſtetit quadraginta diebus, & ideo meruit legem accipere, ſtantibus datur, non iacentibus datur*; Moyſes item Exodi 34. verſ. 5. Deum auditurus ſtetit; *Cum deſcendiſſet Dominus*, inquit textus, *per nubem, ſtetit Moyſes cum eo*, vbi Paulus Burgenſis, *mos*, inquit, *erat inter Hebræos audire doctrinam ſeu diuinam legem ſtantes*, quod ſtatim ipſe optimo exemplo confirmat, ex hoc Nehemiæ loco, quem præ manibus habemus deducto. nec ſine abſque myſterio Deus olim ad Ezechielem dixit, *Fili hominis ſta, ſuper pedes tuos, & loquar ad te*, Ezechiel. 2. verſ. 1. nam vt notat Hieronymus in hunc locum, *Iacens ſermones Dei audire non poterat*, ſed audit cum Moiſe, *tu vero hic ſta*, quaſi diceret, ait Theodoretus in hunc locum, ſtans, audi quæ à me

Populi inſignis pietas in audienda diuinæ legis explicatione.

Hebræi de more diuinum verbũ ſtantes audiebant.

Mos audiendi verbum Dei ſtãdo apud Hebræos ex pluribus ſcripturæ exẽplis confirmatur.

dicuntur, non huc atque illuc te conuertens. Addo etiam improbum illum Eliu, Iob 37. vers. 14. diuini verbi auditorem ad standum compellere, *ausculta*, inquit, *hæc Iob, sta, & considera mirabilia Dei*, quod expendens Diuus Gregorius lib. 27. Moral. cap. 20. *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui miracula tacentes considerant, quia operationis eius potentiam non sequentes admirantur.* Et quamquam ad voces suas vtiliter excipiendas, statum mentis præcipue re-

IX. quirit Deus, tamen statum corporis, qui illius index esse solet non excludit: vult ille quidem coli potissimum, & adorari in spiritu, & veritate, cultu scilicet mentis interiori, externum B tamen etiam corporis cultum, atque habitum non respuit, immo iure à nobis exigit, reposcitque meritissimo, sic in Euangelio Ioannes Baptista, de quo dicitur: *Amicus sponsi, qui stat, & audit eum*, Ioan. 3. quæ verba interpretans sanctus Augustinus Tractat. 14. in Ioann. *Si*, inquit, *audit, non audit eum ergo stare debet amicus sponsi, & audire, quid est stare, permanere in gratia eius, quam accepit.* Optat quidem D. Augustinus, vt stet animus diuinum verbum auditurus, sed ne ille languescat, opus est, vt & corpus humo erigatur, quid quod Christus Dominus Luc. 4. vers. 16. & 17. ad diuinam scripturam legendam surrexisse dicitur, & quandiu legit stetisse. *intrauit in Synagogam, & surrexit legere, &c.* Quod cum recte C aduertisset Isidorus Clareus orat. 19. in Lucam, *ob reuerentiam*, inquit, *diuinarum scripturarum, ipse earum author, honorem eis detulit, quanto magis nos, &c.* Hinc, quod memineris olim etiam Christiani cum ad sacram concionem, vel lectionem in Templo audiendam conuenirent, non sedere, sed stare consueuerant: huius rei fidem facit sanctus Augustinus, lib. 50. Homiliarum Homil. 16. quæ est de permissione, & prohibitione sedendi in Ecclesia, vbi ægris tantum, atque infirma valetudine laborantibus, qui stare diu non possunt, sedendi humili- D ter in concione, vel lectione prolixiori potestatem facit, sic enim ille. *Ante aliquos dies propter eos, qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterna pietate sollicitus consilium dedi, & quodammodo supplicaui, vt quando, aut passiones prolixæ, aut certe aliquæ lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter, &* A *cum silentio sedentes, attentis auribus audiant quæ leguntur: nunc vero aliquæ de filiabus nostris putant, quod hoc aut omnes, aut certe plures quæ sanæ sunt corpore frequenter debeant facere; nam vbi verbum Dei cœperit recitari, quasi in lectulis suis ita iacere volunt, atque vtinam vel iacerent tantummodo, & tacentes verbum Dei, sitienti corde susciperent; non etiam se ita otiosis fabulis occuparent, vt quod prædicatur nec ipsæ audiant, nec alios audire permittant: vnde rogo vos, & sollicitudine paterna commoneo, vt quando aut lectione leguntur, aut verbum Dei prædicatur, nulla se in terram proiiciat, nisi forte quam nimium grauis in-* B *firmitas agit, sed magis sedeat, & attentis auribus, quæ prædicantur auide corde suscipiat.* Quo vultu, ac fronte hodie nostri Christiani molliores hac in parte, atque indulgentiores hæc in concione præcipientem excipiant? sic igitur ad Auditores suos Augustinus item sermone 49. de diuersis cum suos quoque auditores sic alloquitur: *Vt ergo*, inquit, *vos non diu teneam, præsertim quia sedens loquor, vos stando laboratis*: & Eusebius Cæsariensis lib. 4. de vita Constantini cap. 33. refert, præstantissimum illum Imperatorem non sedendo, sed stando se concionantem audiuisse, quamuis multis ab eo precibus efflagitaret, vt in Regia sella sederet. Et quoniam eximium imprimis, C atque illustre est tanti Imperatoris exemplum, sic de eo narrantem Eusebium audiamus. *Ac ne illud quidem*, inquit, *mihi facile prætermittendum, quod nobis ipsis præsentibus summa cum admiratione gessit, nam cum eius singulari erga Deum pietate adducti postularemus, vt de seruatoris monumento, & sepultura disputantes nos audire vellet liberalissime, sane aures suas sermonibus nostris præbuit, & in ipsa Basilica magno auditorum cœtu circumfusus, erectusque stans communem, cum reliquis audiendi operam exhibuit, cumque flagitaremus, vt Regali in solio, quod ibi sessionis causa positum erat se reclinaret, minime cessit* D *nostris precibus, quin potius contento animo quæ dicebantur secum iudicabat, & Theologiæ decretis testimonium dabat, sed cum iam multum temporis fluxisset, & nos longiores essemus, finemque facere statueremus, hic quidem ille restitit, & vt omnem sermonem absolueremus hortatus est, rursus vero sederit deposcentibus nobis, subtristi & austero vultu respondit, nefas esse institutis de Deo*

Deus vtrumque cultum à nobis reposcit & internum, & externum.

Olim Christiani ipsi concionem audiebant non sedentes, sed stantes.

Constantinus Imperator audit stans concionantem Eusebium.

item illud probabile locus Isaiæ capite A decimo quarto, versu nono. *Super montem ascende tu qui euangelizas Sion*, & capite quiquagesimo, versu septimo. *Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, &c.* Sic faciebant (credo) præconum vocibus Iudæi, aut tubarum clangoribus, quod nunc in regionibus, vel ciuitatibus quibusdam fieri assolet, vbi cum à vicino hoste aliquid imminet, aut timetur periculi, id ex speculis, vario, opportunoque loco dispositis, de nocte, flamma, aut tæda ardente, de die fumo, aut quauis alia ratione, quam celerrime significatur.

B *Et afferte frondes oliuæ, & frondes Ligni pulcherrimi, &c.* Vt aliarum arborum, quæ in textu numerantur, puta oliuæ, myrti, palmæ, sic & istius taciti nominis, frondes erant comparandæ, ad vmbracula facienda, sed cuiustandem arboris. in Hebræo est, *ligni olei* seu, *pinguedinis*, quod 70. *cupressum* dixere, Paguinus, *pinum*, alii *cedrum*, vt iam superiori libro significasse memini, sunt qui balsamum credant vnde vnguentum optimum, plerique etiam vertunt *frondes ligni pinguis*, quia, *semen*, id quoque significat, scilicet pinguedinem. Porro quod ait, *vt fiant Tabernacula, sicut scriptum* C *est*, intellige Leuitic. capite vigesimo tertio, versu quadragesimo, vbi expresse hæc significantur.

Quæ sit arbor quæ hic vocatur, Lignum pulcherrimum.

XII. Vers. 16. *Et egressus est populus, & attulerunt, &c.* Magno studio, quod indictum à Lege fuerat & ab Esdra propositum aggressi sunt. feceruntque sibi Tabernacula, *vnusquisque in domate suo*, ita ex 70. id est, supra tectum domus suæ, sub dio, domus enim in Palæstina habebant tecta plana, iuxta illud, *quæ in aurem auditis, prædicate super tecta*, vnde sua ibi facere tentoria, quæ sub dio esse oportebat percommode potuerunt. *& in atriis suis,* D *& in atriis domus Dei, & in platea portæ Aquarum, & in platea portæ Ephraim*, quo loco duas memorat plateas primarias, illam prope Templum, in extremo montis Sion, ante Regiam Salomonis, hanc in angulo vrbis, quæ partem eius borealem Occiduæ coniungit. Obseruandum item est hoc loco, portam quidem Aquarum iam supra memoratam fuisse a Nehemia, cap. 3. sed portæ Ephraim, cuius hic quoque meminit nullam ibi fieri mentionem: forte hæc eadem erat porta

Quæ sint Domata apud Iudæos, in quibus fecerunt Tabernacula.

Gregis, de qua eodem libro primi capitis, vers. 1. quam ego quorumdam opinionem fuisse superius indicaui. Quidquid sit altera portarum, quæ ibi ponuntur, Ephraim dicta est, quod per eam egrederentur, qui ad Tribum Ephraim iter susciperent: *Fecerunt ergo, Iudæi*, inquit Nehemias, *sibi Tabernacula vnusquisque in domate suo*, idemque factum in id genus aliis locis, subdio, in quibus, frondeæ scenæ excitabantur, vbi per septem dies quasi in propria domo habitabant, vt olim Israël in deserto.

Cur porta Ephraim, cuius hic mentio sic dicta.

Vers. 17. *Fecit ergo vniuersa Ecclesia eorum qui redierant de captiuitate Tabernacula & habitauerunt in Tabernaculis, &c.* Ad ea quæ superiori libro de festo Tabernaculorum diximus, cap. 3. vers. 4. visum est nonnulla hic adiungere, 1 cum dubium sit inter authores aliquos, an Tabernacula statuerentur extra ciuitatem in agris, aut intra mœnia, & domus, in subdialibus areis. Ego nihil aliud à lege requiri video, Leuitic. 23. quam vt sub Cœlo siue subdio, id est in loco aperto, qui omnem Cœlorum inclementiam exciperet, figerentur vmbracula, siue hoc in agris fieret, siue in plateis arcisque ciuitatis. Certè cum floreret, abundaretque Hebræorum integra fortuna, non dubito pleraque Tabernacula in agris locisque desertis fuisse constituta, cum enim ex tota Israëlitica gente omnes qui essent è virili sexu, iuberentur Hierosolymam ascendere, qui fieri potuit, vt ciuitas quantumcumque ampla, tot in locis apertis, ac patentibus caperet vmbracula? sic de illo tempore quo Iudaïcum nomen floreret, existimat Sanctius. At istis temporibus cum afflictæ & profligatæ essent res Hebræorum, & pauci adhuc ex Israëlitide gente in propriis sedibus commorarentur, neque in amplo spatio situque ciuitatis, multæ admodum domus essent, pleraque Tabernacula in vacuo ciuitatis spatio fixa fuisse satis intelligo, atque ita sane accidisse probabilius est, in primo Israëlitarum conuentu ad festum Tabernaculorum, de quo superiori libro, quod fuisse omnium primum constat, ex textu iam citato, cap. 3. vers. 4. si tamen alterum est, ab eo de quo hic agitur 2. cum satis obscurum sit, ex qua materia constructa atque contexta fuerint Tabernacula, possitque non ineptè de eo pro-

XIII.

Florente Hebræorum fortuna multa in agris locisque desertis extra ciuitatem Tabernacula figebãtur, in festo Tabernaculorum.

Quomodo & ex qua materia contexta fuerant Tabernacula.

poni quæstio. Ego quidem, vt ad meliorum authorum sensum calculum adiungam, verisimilius puto, Israëlitas expressisse in Tabernaculorum constructione, quamdam eius rei formam atque imaginem, quam olim in deserto ipsorum parentes exhibuerant. Cum ergo, vt simile veri est, filii Israël in eo progressu habuerint viatoria Tabernacula, qualia sunt militaria tentoria, firmata funibus, distenta velis, & perticis suspensa, & interdum virgultis constrata, obtecta ramis, operta frondibus, & alia eiusmodi materia siluestri idem omnino contigisse arbitror in festo Tabernaculorum. sic nonnulli ex arborum ramis, alii ex velis, aut linteis, sibi contexebant vmbracula Neque enim credibile est, cum tanta, tamque immensa esset aduenarum multitudo, satis illis futuram fuisse, ex siluis agrisque materiam, vt infinita propè quotannis vmbracula construerent, neque vero illorum parentes, olim in deserto, oliuam, palmam. & myrtum ex quibus sibi pararent familiare tugurium, habuisse credendum est. quod autem in lege, Leuitic. 23. vers. 40. dicitur, *Sumetis que vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Deo vestro*, hæc non cogunt vt credamus, ex his ramis vmbracula fuisse contexta. tùm quia hi rami dicũtur esse sumendi ex arboribus, die..qui v.39. futurus dicitur *sabbatum*, id est requies, in quo construi illa Tabernacula non poterant, quia aperte dicitur vers 34. *omne opus seruile non facietis in eo*; tùm quia sumendi dicuntur manibus rami, ad lætitiam potius significandam coram Deo, id est in Tabernaculo, aut Templo, quàm ad Tabernaculorum tegumentum, negare tamen non ausim, in hoc reditu Iudæorum, videri ex arborum frondibus constrata fuisse Tabernacula, vt indicat litera, & vero à Magistratibus edicitur supra, vers. 15. his verbis, *Egredimini in montes & afferte frondes oliuæ & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, vt fiant Tabernacula sicut scriptum est*. Sed licet hoc indicent verba textus, non tamen omnino persuadent (ait Sanctius) quia, fortasse Tabernaculorum celebritatibus hæc adhibebantur, & erant quasi

Videntur in hoc reditu Iudæorum ex arborum frõdibus constrata fuisse Tabernacula idque textus indicare.

A adiectanea neque si modo, id est in hoc reditu, ita fortasse contigit, argumentum est ita id fieri debuisse necessario, quia scilicet hoc tempore, perpauci erant qui Tabernaculorum obirent sacra. iidemque pauperes, qui non haberent è linteis parata tentoria, neque fortasse, vsque ad illud temporis punctum, plerique nouerant, illa tunc festa esse peragenda. Deinde, quia cum iam diu illa Tabernaculorum festa essent intermissa, facile quiuis intelligit, arbores illas oneratas fuisse ramis, quibus consterni commodè possent & ornari tuguria, aliis vero B temporibus, non item, quia teneri videbantur futuri germinantes rami, qui succisorum loco exiguo admodum interuallo succrescerent. Facit præterea, vt illud mihi facilius persuadeam quòd non ex omni arbore, & frutice, excitari iubentur Tabernacula, sed ex oliua modo, spatulisque palmarum, myrto, salice, & arbore pulcherrima, quam plerique omnes citrum esse putant, hæ autem plantæ, magis sunt ad instruendas manus, quam ad insternenda tuguria, neque ex his arboribus, ea videtur esse copia, quæ ad tot consternenda vmbracula C sufficeret. Et quidem Iosephus, qui huiusmedi festis non semel interfuit, harum arborum ramos gestatos esse tradit in manibus, non intexto s vmbraculis. vt iam alibi retulimus. Adde nec si tentoria hoc tempore ex distentis velis non fuerint, qualia sunt viatoria, aut castrensia, necesse est credere, ex quatuor hisce arboribus fuisse intexta, sed ex aliis siluestribus, puta ex pino, abiete, vlmo, ilice, & similibus. aut è viuo cespite, quæ materia & prompta est, & texendis vmbraculis magis idonea. Quod autem ex his plantis, iam sæpius commemora- D tis rami sumi iubentur, eam sanctus Thomas rationem esse putat, quia hi diu viriditatem & speciem conseruant, atque ideo septem diebus manibus gestari possunt, sicut præcipitur Leuitic. 23. vers. 4. vbi cum actum esset proximè de his arboribus, additur *celebrabitis solemnitatem eius septem diebus*, eo nimitum modo, quo primo die. Deinde quia hæ arbores grati sunt odoris, & aptæ exhilarandis animis: sic sanctus Thomas, 1. 2. quæstion. 102. artic. 4. ad 10. *Debebant*, inquit, *habere fructus arboris pulcherrimæ*, id est citrum, *& lignum densarum frondium*.

Non intexebantur ex quatuor arboribus in Leuitico nominatis tentoria sed earum rami manibus gestabantur.

brare, cum Iudæi ipsi in Tabernaculis usque tunc ibi degerent.

veluti præsens erat, edere monimentum. Ex his igitur vides, cur toto peregrinationis tempore in deserto, neque circumcisi fuerint Hebræi, neque celebratum phase, à secundo anno post relictum Ægyptum, donec transmisso Iordane, in terram promissionis apertus est aditus, Iosue capite quinto, quia ad illud vsque tempus, nullum de holocaustis aut victimis vrgebat præceptum, nullum inquam vrgebat præceptum, quod obligatorium esset, aut Iudæos adstringeret; neque enim vllo modo credibile est, Moysem permissurum fuisse, aut dissimulaturum, tamdiu circumcisiones, aut phase, si quod præceptum de illis vim obligandi tunc habuisset, non obseruari, cum præsertim tanto legis ipsius zelo arderet, vt violati Sabbati crimen, collectis in eo lignis, impunitum esse noluerit. Quare primus omnium Iosue, à secundo anno egressionis ex Ægypto celebrauit phase & comedit azyma, & cum multis annis non esset circumcisus populus, ad ripam ipsam traiecti Iordanis illum circumcidit. Primus denique omnium festum Tabernaculorum celebrauit, hinc est, cur potius Iosue, quàm Moysis mentionem hic fecit Nehemias, dicatque; *Non fecerunt a diebus Iosue filij Nun taliter filij Israël, vsque ad diem illum.*

Iosue omnium primus celebrauit phase, comedit azyma, circuncidit populum, & festum Tabernaculorum celebrauit.

XVI. Vers. 18. *Fecerunt solemnitatem septem diebus, & in die octauo collectam, iuxta ritum, &c.* Postquam significauit Nehemias Esdram legisse legem ad populum, per totos scenopegiæ dies, concludit, populum fecisse collectam, quam varias in expositiones trahi ab authoribus video, sic interpretatur Lyranus, *Fecerunt collectam, pro emendis necessariis, in vsum templi,* inquit, *iuxta ritum qui habetur.* Leuit. 23. sed, pace illius dixerim, citato loco, si literam præcise attendis, cuiusquam rei, aut emendæ aut distrahendæ, lex ne verbum quidem facit: aliter exponit Beda citatus in Glossa, cuius hæc verba sunt, *Scenopegia septem diebus agebatur, id est, a decima quinta Luna mensis septimi, vsque ad vigesimam primam octaua die, id est, vigesimam secundam mensis denuo collecta populi agebatur, maiori festiuitate insignis. Vnde in Leuitico, à decima quinta die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias septem diebus, die primo, & die octauo erit Sabbatum, id est requies;* sed, & si festum collectæ à festo Tabernaculorum secernere videtur, tamen, cur collecta fieret, non satis explicat, hinc forte nonnulli volunt, diem octauum qui dicebatur collectæ, ad scenopegiam, seu fixionem Tabernaculorum propriè non pertinuisse, quia scilicet, eo die, disturbata iam erant, & refixa tentoria. Alii non malè (vt existimat Mariana) putant collectam, significare præcipuam huius festi Tabernaculorum celebritatem, vt ludos, spectacula, aliaque id genus, quibus concluderetur die 22. mensis septimi, sed vereor vt hoc omnibus facile persuadeant, Iudæos videlicet, in eiusmodi ludis, & spectaculis, edendis operam suam, maxime ad rem sacram concludendam posuisse, cum eius rei, aut Scripturis sacris, aut in aliis authoribus, nulla omnino sit mentio. Ergò collectam intellige non pecuniæ, vt vult Lyranus, sed populi, vt fert vox Hebræa *Hazereth*, pro qua voce quidam vertunt *retentionem*, certe nihil aliud indicant verba legis capite vigesimo tertio, versu trigesimo sexto, quàm cœtum populi, in vnum locum collectum, *Dies octauus erit celeberrimus, atque sanctissimus, & offeretis holocausta Domino, est enim cœtus atque collecta.*

Quid fuerit collecta quam fecit populus post festum Tabernaculorum.

Opinio Lyrani.

Beda.

Mariana.

Omnium probabilissima.

diendis & implendis operam dare dies sanctificatur.

est, in quo die, quamuis exterius aduersa patientes, nos in spe gaudere oportet, vnde illud Apostoli, *Quasi tristes, semper autem gaudentes*, 2. Corinth. vers. 6. restat vt scenopegiæ, per septem dies continuos celebratæ mysterium detegamus, audito itaque legis præcepto, de scenopegiæ celebritate, instituenda, vers. 11. & vers. 15. *Egressus est populus, & attulerunt, feceruntque sibi Tabernacula, vnusquisque in domate suo, & in atriis suis, & in atriis domus Dei & in platea portæ Aquarum, & in platea portæ Ephraim*, vers. 16. quæ sic interpreteris Allegoricè, vnusquisque nostrum egressus facit Tabernacula in domate, tecto scilicet domus suæ, cum habitaculum suæ carnis, animo transcendens affectus noxios, sedula supernæ lucis & libertatis meditatione calcat, idem ipsum, & nos in atriis nostris facimus cum mente, ad cœlestia flagrante, quasi extra mundum consistimus, cuius mansionem, ocyus relinquere desideramus, & in atriis domus Dei, quando, & si nondum aulam supernæ habitationis, licet ingredi, in eius tamen vicinia, totam cogitationis nostræ memoriam, sedemque locamus & in platea portæ Aquarum cum dilatato corde, in via mandatorum Dei, *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima nostra ad Deum viuum*, & in platea portæ Ephraim, id est fructiferi, vel crescentis, quando, in latitudine liberi cordis, ita proficimus, vt patefacta nobis a Domino porta Iustitiæ, semper in illo, crescamus, in salutem, & maioribus bonarum actionum frugibus, abundare mereamur, denique quod extremo huius capitis versu 18. dicitur, *Legit autem in libro legis Dei, per dies singulos, à die primo, vsque ad diem nouissimum, & fecerunt solemnitatem, septem diebus, & in die octauo, collectam, &c.* Ex Beda item, in hunc modum licet exponere, sane legit Esdras typicus septem diebus scenopegiæ, populo, in libro legis Dei, quia hæc est vera solemnitas mentis, vt per dies singulos, id est per omnia bona opera, quibus adeo illustramur, legendis, audiendis faciendisque eius sermonibus, intento corde vacemus, incipit autem hæc solemnitas à 15. die mensis, quando Luna nocte plenissima est, cum scilicet omnes mentis nostræ tenebræ, clarissimo, Christi lumine re-

Mystica interpretatio sceno pegiæ per septē dies celebratæ.

III.

Quid sit facere sibi Tabernaculum in tecto seu domate, quid in atriis domus Dei.

Quid in platea portæ Aquarum facere Tabernaculum.

Quid in platea portæ Ephraim

Vera solemnitas mentis legendis audiendis faciendisque Dei sermonibus intento corde vacare.

A soluuntur, sequiturque eam dies octauus Sabbati, id est quietis, quod erit tempore resurrectionis, in vita futura, cuius gaudio, interim, in spe, subleuamur, tunc autem re ipsa perfruemur, cum optata illa collecta, omnis Sanctorum cœtus Angelorum scilicet, & hominum in conspectu Dei congregatus, & nunquam segregandus, exultauerit sic ferè author proximè à nobis citatus.

IV.

Ex circunstantiis, quæ hic narrantur ostenditur Christum in Cruce docentem sub typo Esdræ adumbrari.

Ergo passim hic sancti Patres, ac Scripturæ interpretes, præcipue, ac primario sub Esdræ typo Christum Pontificem, legisque Doctorem, ac totius Scripturæ interpretem, *de gradu ligneo*, crucis docentem interpre- B tantur, quem quis non intelligit ad amussim, circunstantiis illis omnibus, quæ toto hoc capite enarrantur mire descriptum? nam primum apertus ille, & patens locus, seu vt in textu est, *platea ante portam Aquarum*, plateam illam amplissimam designat, & locum editum, ac conspicuum Caluariæ montis, qui fuit *extra portam vrbis Hierusalem*, deinde, & illa *porta Aquarum*, ad quam *congregatus est omnis populus, quasi vir vnus*, & tota illa *multitudo virorum, atque mulierum*, quid aliud repræsentat, quam omnem illam C effusam olim extra portam Hierusalem, *turbam eorum, qui simul aderant ad spectaculum*, vt ait Lucas, cap. 23. vers. 48. summum scilicet pro suggestu visuri, & audituri Pontificem, eiusque doctrinæ cœlestis fluenta bibituri & sane doctrinæ illius cœlestis Christi Domini de cruce docentis, aquæ illæ, iuxta portam, symbolum erant non incommodum: præterea *gradus ille ligneus*, seu suggestus Esdræ Sacerdotis docentis, ex lignis constructus, vnde *super vniuersum populum eminebat*, verius, aut germanius, quidquam nihil indicabat, quam erectam Crucem, erectumque, & innitentem D in ea Doctorem, & Concionatorem nostrum sustentantem, eique demum, pro suggestu, & cathedra deseruientem: nimirum inde Scripturæ nodos omnes dissoluens, totamque Legem & Prophetas aperiens, atque interpretans, Theologiam quoque moralem, hoc est, illustriora, & sublimiora virtutum omnium documenta, & supremę totius doctrinę capita, Doctor egregius, & Concionator optimus discipulos suos fideles edocuit: nam & *lignum illud* (teste Augustino, cuius hæc verba

Aquæ iuxta portam symbolum doctrinæ cœlestis Christi.

Ligneus Esdræ gradus Crucis figura.

Crux cathedra & schola Scripturæ ac moralis Theologiæ, totiusque supremæ doctrinæ.

sunt tractatu 119. in Ioann *)Vbi erant* A *fixa membra morientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis*, ex qua videlicet orbi vniuerso conspicuus non modo suæ dignitate personæ, verum etiam Doctoris officio eminere visus est, ad quod præstandum *ligneus ille gradus* suppositus, Crux scilicet, super omnes eum ita euexerat, vt spectari ab omnibus, & audiri commode posset, nec Mysterii expers, aut vacuum est, quod

V. *gradus ille ligneus*, siue suggestus. Hebraice, *Migdal*, id est, turris, seu turricula à forma simili dicta sit: etenim B Dominus, spiritualis etiam in Cruce militiæ magister est, indeque milites suos, Concionatores Euangelicos, *gladium spiritus, quod est verbum Dei* vibrare docet, eosque de Cruce, velut ex arce munitissima, omnibus spiritualium armorum generibus armat, & instituit, illa quippe, illa est *turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*, Cant. cap. 4. vers 4. Atque hinc nos iam supra ex Bedæ interpretatione audiuimus, Doctori, & Concionatori Euangelico, ad suggestum quoque Crucis ascendendum, Christi exemplo, indeque aliis docendum, concionandumque, sic vt ex ore ipso Christi Domini, velut in Cruce pendentis, *verbum Crucis* accipiat, *Christumque*, cum Paulo prædicet *crucifixum*, nunc ad typum nostrum reflectamus orationem, & reliquas circunstantias in textu positas diligentius perscrutemur, Esdræ *manuum eleuatio*, vers 5. & 6. *libri apertio*, adeoque patens explicatio, vt *eo legente, ac interpretante*, versu octauo, alii etiam *legerent in libro legis Dei distincte, & aperte ad intelligendum* omnino eleuationem brachiorum Christi patientis, eiusque manuum in Cruce expansionem, cum ad Deum nobis placandum, tum ad nos adhortandos pertrahendosque ad se se mirifice repræsentat, siquidem ipsa brachiorum expansio, quædam quasi *libri apertio* fuit, atq; idè ipse *& magister, & liber*, in Cruce Christus Dominus, *tanquam agnus occisus*, vt est in Apocalypsi, cap. 5. vers 6. *librum aperuit*, cum in Cruce seipsum expandit, notis vulnerum exaratum adeo magnis, atque illustribus, vt nemo, etiam longe dissitus, non legere possit, *distincte, & aperte ad intelligendum*, præsertim titulo tam insigni, & eximio, capiti *libri* apposito, tribusque linguis, toto orbe communioribus exarato, sic vt *libri* ipsius scriptura, non Hebræis modo, sed etiam Græcis, & Latinis, & lectu facilis esset, & intellectu, neque vero solum *Dei Legem* (vti Esdras noster hoc loco) Scripturarumque Mysteria, quæ implebat in Cruce, sed virtutum etiam omnium apertum veluti Codicem proposuit omnibus Christus patiens, nec viua etiam ei Doctoris vox defuit, cum ad circumfusam multitudinem, vt constat ex Euangelio, ex eminente, ac conspicuo illo Crucis suggestu clamauerit, sic inter cæteros Laurentius Iustinianus, libro de humilitate, capite 21. Assertorem nostrum simul appellat & *Præceptorem, & apertum Codicem, in quo legendo & meditando, vniuersa virtutum disciplina ediscitur, vitæ librum, exemplar verum, perfectionis speculum, magisterium religionis, cunctarumque normam, ac præceptorem virtutum*, immo & illum ipsum, *Codicem apertum*, quoque propositum docet ab Apostolorum Principe verbis illis 1. Petri cap. 2. vers. 21. *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* C Quin & alibi quoque idem author, nempe, libro de triumphali agone, sic in eam rem disserit: *Non in membranis*, inquit, *non in lapide, neque in ligno, sed sanguine proprio, in sua carne conscripsit librum hunc, vtque ab vniuersis legatur publice exposuit, non autem sermone composito, vel humana sapientia exaratus est vertu, sed hominum interueniente malitia, digito Dei scriptus, nempe sæuientibus Gentilibus atque Iudæis depictus est foris, virtute autem & sapientia Christi formatus est* D *intus; Habet foris simplex & indoctus quid legat, habet spiritualis & perfectus quod intus intelligat, legit simplex, & lætificatur atque compungitur, exercitatus vero intelligens irradiatur atque accenditur, quis nam nisi sapientia doctrix poterat paucis tam multa colligere? Abbreuiatam equidem legem, legalia sacramenta charitatis compendium, perfectionis celsitudinem, virtutum normam, & totum humanæ redemptionis modum, ordinemque in hoc sui corporis inclusit volumine quamobrem cum scribere complesset nihilque superesset*, inquit, *consummatum est.* Sic igitur, etsi sæpe alias virtutum omnium documenta tanquam insignis ac præcellens Magister Christus tradiderit, tamen in su-

Crux Turris Dauid ex qua arma ad pugnandum desumenda.

Esdras eleuans manus, & librum aperiens Christum brachia in Cruce eleuantem, & manus extendentem significat.

Christum in Cruce & Doctorem & apertum Codicem vocat Laurentius Iustinianus.

blimi potissimum Crucis cathedra, seu A
suggestu Doctor operis factus, ita vi-
VI. uè ac efficaciter docuit, vt in seipso,
velut aperto codice, & maiusculis
characteribus inscripto, omnis do-
ctrinæ suæ, viuum ac spirans exem-
plum præbuerit. Adde sollicitudinem
illam, & curam docendi sedulam, in
Esdra, quæ per hanc temporis cir-
cunstantiam aptè describitur his ver-
bis, versu tertio; (*& legit in eo aper-
tè de mane vsque ad mediam diem*)
tempusque ipsum *meridiei* sollicitudi-
nem illam feruoremque designare no-
stri Doctoris quo infatigabiliter &
indefessè in ipso eodem meridiei pun- B
cto, qui summam eius charitatis ar-
dorem indicabat, circumfusam vn-
dique immensam multitudinem, ex
ipsa Crucis *curricula* seu suggestu do-
cebat & *voce magna* vsque ad rauce-
dinem immo vsque ad *spiritus* emis-
sionem *clamabat*, *erat*, enim, *fere ho-
ra sexta* quæ ipsa *meridiei* hora est,
quando crucifixus est Dominus vt
refert Matthæus cap. 27. vers. 50. Ad
hæc, quòd aperiente librum Esdra
populus omnis vers. 6. primum sub-
stiterit, velut admirans, & obstupen-
cens, indictoque silentio, *aure* & *ocu-
li* omnium essent intenti ad *librum* C
tum Doctorem, de nouo suggestu
concionantem, non sine stupore spe-
ctantes, & audientes, illud est quod
longe ante vaticinatus esse videtur
Isaias cap. 30. vers. 20. *Et erunt ocu-
li tui videntes præceptorem tuum*, quod
efficacius sanè ac significantius dictum
nonnulli existimant, quam si simpli-
citer Propheta dixisset, *Oculi tui vi-
debant*. Vtrobique autem, dubitari
vix potest, attentionem stuporem, &
admirationem illam fuisse significa-
tam qua, *Omnis turba eorum qui ade-
rant ad spectaculum*, Crucis & *videbant
quæ fiebant*, Luc. 23. vers. 48. obstu-

Esdras legens in libro legis de mane vsque ad meridiem Christum adumbrat in meridie de suggestu Crucis ad populum concionantem.

puerunt, quidni vero tantum Docto-
rem & concionatorem de tali sugge-
stu docentem concionantemue admi-
rantur homines aut etiam Angeli
quando Sol ipse & Luna saxaque sen- XII.
su carentia, elementa muta, orbis
denique vniuersus ad *spectaculum* il-
lud Christi morientis & obstupuit &
cohorruit? Postremo quod Esdra do-
cente diuinamque legem interpre-
tante videns & audiens, *populus omnis
flebat*, isque vers. 11. *tacere* ac *lætari*
iubebatur, *quia dies sanctus* erat, & se
iam liberum à captiuitate Babyloni-
ca videbat, luctum illum ingentem,
tam Cœli, quam terræ, tam homi-
num, quam Angelorum, qui in Chri-
sti Domini morte accidit, & commu-
nem illam mundi tristitiam, solis stu-
penda prorsus ac præter naturæ ordi-
nem subita defectione significatam
referebat, *Angeli etiam pacis*, vt cui
vnus è Prophetis, ad funestum adeo,
miserandumque spectaculum *à mane
flentibus*, de quo spectaculo, & mundi
totius planctu, Zacharias item cap.
12. vers. 10. *Et aspicient ad me quem
confixerunt, & plangent eum planctu,
quasi super vnigenitum, & dolebant
super eum vt doleri solet in morte pri-
mogeniti* quia tamen per luctuosam
illam mortem à diabolica peccati ser-
uitute, & captiuitate, liberi sumus,
admoderati nobis ac temperare dolori
iubemur, quod is dies luctuosus licet,
dies sanctus sit, id est festiuus ac so-
lemnis sanctificationis nostræ dies, &
nostrum omnium, qui captiuitatem,
& mortem criminibus nostris debitam
euasimus, communi lætitia peragen-
dus; Hæc, & alia, & fusius, & vbe-
rius, persequitur noster Iacobus Pin-
to lib. 1. de Christo crucifixo, titulo
2. loco 2. numero 11. & sequentibus,
quæ si volet potest cum otium erit stu-
diosus lector consulere.

Christo in Cruce docente totus mundus obstupuit.

dicuntur, non huc atque illuc te conuertens Addo etiam improbum illum Eliu, Iob 37. verſ. 14. diuini verbi auditorem ad ſtandum compellere, *auſculta*, inquit, *hæc Iob, ſta, & conſidera mirabilia Dei*, quod expendens Diuus Gregorius lib. 27. Moral. cap. 20. *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui miracula tacentes conſiderant, quia operationis eius potentiam non ſequentes admirantur.* Et quamquam ad voces ſuas vtiliter excipiendas, ſtatum mentis præcipue re-

IX. quirit Deus, tamen ſtatum corporis, qui illius index eſſe ſolet non excludit: vult ille quidem coli potiſſimum, & adorari in ſpiritu, & veritate, cultu ſcilicet mentis interiori, externum B tamen etiam corporis cultum, atque habitum non reſpuit, immo iure à nobis exigit, repoſcitque meritiſſimo, ſic in Euangelio Ioannes Baptiſta, de quo dicitur: *Amicus ſponſi, qui ſtat, & audit eum*, Ioan. 3. quæ verba interpretans ſanctus Auguſtinus Tractat. 14. in Ioann. *Si*, inquit, *cadit, non audit eum ergo ſtare debet amicus ſponſi, & audire, quid eſt ſtare, permanere in gratia eius, quam accepit.* Optat quidem D. Auguſtinus, vt ſtet animus diuinum verbum auditurus, ſed ne ille langueſcat, opus eſt, vt & corpus humo erigatur, quid quod Chriſtus Dominus Luc. 4. verſ. 16. & 17. ad diuinam ſcripturam legendam ſurrexiſſe dicitur, & quandiu legit ſtetiſſe, *intrauit in Synagogam, & ſurrexit legere, &c.* Quod cum recte C aduertiſſet Iſidorus Clareus orat. 19. in Lucam, *ob reuerentiam*, inquit, *diuinarum ſcripturarum, ipſe earum author, honorem eis detulit, quanto magis nos, &c.* Hinc, quod memineris olim etiam Chriſtiani cum ad ſacram concionem, vel lectionem in Templo audiendam conuenirent, non ſedere, ſed ſtare conſueuerant: huius rei fidem facit ſanctus Auguſtinus, lib. 50. Homiliarum Homil. 16. quæ eſt de permiſſione, & prohibitione ſedendi in Eccleſia, vbi ægris tantum, atque infirma valetudine laborantibus, qui ſtare diu non poſſunt, ſedendi humiliter in concione, vel lectione prolixiori poteſtatem facit, ſic enim ille. *Ante aliquot dies propter eos, qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterna pietate ſollicitus conſilium dedi, & quodammodo ſupplicaui, vt quando, aut paſſiones prolixæ, aut certe aliquæ lectiones longiores leguntur, qui ſtare non poſſunt, humiliter, &*

Deus vtrumque cultum à nobis repoſcit & internum, & externum.

Olim Chriſtiani ipſi concionem audiebant non ſedentes, ſed ſtantes.

A *cum ſilentio ſedentes, attentis auribus audiant quæ leguntur: nunc vero aliquæ de filiabus noſtris putant, quod hoc aut omnes, aut certe plures quæ ſacra ſunt corpore frequenter debeant facere, nam vbi verbum Dei cœperit recitari, quaſi in lectulis ſuis ita iacere volunt, atque vtinam vel iacerent tantummodo, & tacentes verbum Dei, ſitienti corde ſuſciperent; non etiam ſe ita otioſis fabulis occuparent, vt quod prædicatur nec ipſæ audiant, nec alios audire permittant: vnde rogo vos, & ſollicitudine paterna commoneo, vt quando aut lectione leguntur, aut verbum Dei prædicatur, nulla ſe in terram proiiciat, niſi forte quam nimium grauis in-* B *firmitas agit, ſed magis ſedeat, & attentis auribus, quæ prædicantur auido corde ſuſcipiat.* Quo vultu, ac fronte hodie noſtri Chriſtiani molliores hac in parte, atque indulgentiores hæc in concione præcipientem excipiant? ſic igitur ad Auditores ſuos Auguſtinus item ſermone 49. de diuerſis. cum ſuos quoque auditores ſic alloquitur: *Vt ergo*, inquit, *vos non diu teneam, præſertim quia ſedens loquor, vos ſtando laboratis*: & Euſebius Cæſarienſis lib. 4. de vita Conſtantini cap. 33. refert, præſtantiſſimum illum Imperatorem non ſedendo, ſed ſtando ſe concionantem audiuiſſe, quamuis multis ab eo precibus efflagitaret, vt in Regia ſella ſederet. Et quoniam eximium imprimis, C atque illuſtre eſt tanti Imperatoris exemplum, ſic de eo narrantem Euſebium audiamus. *Ac ne illud quidem*, inquit, *mihi facile prætermittendum, quod nobis ipſis præſentibus ſumma cum admiratione geſſit, nam cum eius ſingulari erga Deum pietate adducti poſtularemus, vt de ſeruatoris monumento, & ſepultura diſputantes nos audire vellet liberaliſſime, ſane aures ſuas ſermonibus noſtris præbuit, & in ipſa Baſilica magno auditorum cœtu circumfuſus, erectuſque ſtans communem, cum reliquis audiendi operam exhibuit, cumque flagitaremus, vt Regali in ſolio, quod ibi ſeſſionis cauſa poſitum erat ſe reclinaret, minime ceſſit* D *noſtris precibus, quin potius contento animo quæ dicebantur ſecum iudicabat, & Theologiæ decretis teſtimonium dabat, ſed cum iam multum temporis fluxiſſet, & nos longiores eſſemus, finemque facere ſtatueremus, hic quidem ille reſtitit, & vt omnem ſermonem abſolueremus hortatus eſt, rurſus vero ſederit depoſcentibus nobis, ſubtriſti & auſtero vultu reſpondit, nefas eſſe inſtitutis de Deo*

Conſtantinus Imperator audit ſtans concionantem Euſebium.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis octaui.

Morale in illud vers. 10. *Ite & comedite pinguia, & bibite mulsum, quia sanctus dies Domini est, &c.*

Festiuis diebus potissimum, ac Deo sacris, vacandum esse diuinis rebus hilariter, & spiritualibus conuiuiis indulgendum.

XII. ON immerito (quod in litera notauimus) Nehemias Dux & Sacerdos, flere prohibet populum, in die festo, & sanctificato, vt vocat, siquidem indecorum illud apud omnes pœne nationes, cùm vera fide imbutas, tùm falsorum numinum religione illusas, semper visum est, illis diebus, luctui publico ac lachrymis indulgere palam, quos maximè lætos, ac geniales existimauerint, quo in genere, peccabant quidem atque intemperantes erant, Gentiles olim, ac Pagani, qui festos dies, sic lætitiæ ac genio, dicatos arbitrabantur, vt eos tunc obitos religiosius ac decorè magis censerent, cum splendidioribus mensis accubuerant, & indecoris voluptatibus habenas omnes laxauerant sed quod illi liberius ac minus decorè quam pudor & ratio postulabat, præstare solebant, id si honestè, & moderatè fiat, probat ac vero etiam præcipit, Christiana Religio dum vetat, in Dominico die, peragi ieiunia, c. *Si quis Presbyter*, d. 30. &c. *Sacerdos*, 26. quæst. 6. & cap. *Ne quis ieiunet* de consecrat. d. 3. Ad quietem animæ à seruilibus, ac terrenarum rerum curis feriatæ captandam, atque ad obsequium summo omnium conditori Deo præstandum, instituti sunt diuinitus dies festi, iam olim ab ipso mundi nascentis exordio, *Benedixit Deus dies septimo, & sanctificauit illum*, Genes. cap. 2. vers. 3. id est, sanctificandum dixit ac piis sanctisque operibus impendendum, neque tamen existimandum est, ita festum diem, transigi oportere, solius religionis nomine, vt honestioribus animi & corporis laxamentis, omnis aditus præcludatur, sic enim Gregorius Nazianzenus orat. 3. vbi hoc argumentum tractat luculenter, *Non animi relaxationem*, inquit, *interdictam volo, sed petulantiam coerceo ne sancta impure, & sublimia demisse, & honore digna, turpiter, & spiritualia, terrenè celebremus; quid pacis cum tristitia, quid carnis voluptati, cum martyrum certaminibus*, quasi dicat hæc enim sanctorum Patrum vbique mens fuit sic corpori seruiendum, lautè, & lætè, vt animæ negotia minime negligantur, itaque diebus currentis anni solemnioribus lautius viuere quam aliis temporibus nunquam fuit quin licitum non modo, sed etiam rationi maxime consentaneum censeretur. & vero Diuus Gregorius libro 9. Epistol. epist. 71 permittit recens conuersis è Gentilismo ad Christianismum, *Vt die dedicationis, vel natalitio sanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, Tabernacula sibi, circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuiis solemnitatem celebrent*, cuius rei hanc rationem affert paulo infra, *vt dum eis aliqua exterius gaudia reseruantur ad interiora gaudia consentire facilius valeant* prorsus ad institutum nostrum percommodè, licet quidem festiuis diebus hilarius viuere, & honestis moderatisue vti conuiuiis, reficiendo corpori ita tamen, vt hæc signa sint, ac consectanea internæ lætitiæ, ac

Indecorum apud omnes omnino gentes certis quibusdam diebus lætis ac festiuis luctui publico indulgere.

Ad quid instituti dies festi.

Modestia & moderatio à Christianis adhibenda in exhibendis lætitiæ signis diebus solemnioribus

XIII.

RRr

mystici, & spiritualis epuli quo anima saginatur; Certè hæc verba, quæ ex textu deprōpsimus, *Ite comedite pinguia & bibite mulsum quia sanctus dies Domini est*, expendens Lyranus in expositione morali. *Per istam*, inquit, *refectionem, potest Eucharistiæ sumptio designari, quæ in diebus solemnibus, est potissimum assumenda*, vides ex quo fonte arcessenda sit homini, Christiano lætitia, vbi torrens voluptatis epotandus, vbi deliciari nos oporteat, ductu, hortatuque illius cuius hæc vox tam suauis est, *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum* peculiaris omnino, ac præcipua nobis esse debet, diuini istius epuli cura, in quo & ipsi, cum Deo accumbimus, Deoque ipso reficimur, *Dei memoria præcipuum festi caput est*, ait D. Gregorius Nazianzenus, orat. in sancta lumina, nullibi luculentius, aut magis ad sensum, quam in Eucharistia, Dei memoria peragitur, *Nobis sollicitius providendum est, vt solemnem diem, non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus*, ait S. Hieronymus, epistol. ad Eustochium nullibi magis, quam in Eucharistiæ sacra perceptione interna, externaque sensuum, animique exultatio, degustatur, hoc est Sabbatum, vere delicatum, & Christianum, si Origenem audimus, Homil. 69. in Exodum, his verbis, *Si desinas, ab omnibus secularibus operibus, & nihil mundanum geras, sed spiritualibus operibus vaces, ad Ecclesiam conuenias, lectionibus diuinis aurem præbeas, de cœlestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, &c. Hæc est obseruatio Sabbati Christiani*: nimirum, in Ecclesia, synaxis frequens est, & communio, & Sacramentum Communionis, mensa Eucharistica, vulgo nominatur. Scriptura sacra, seu, Scripturæ sacræ expositio, mēsa etiam dicitur mystica, vtraque nobis exponitur, in vtraque, sedere nobis, atque accumbere, conuiuari, & deliciari in vtraque quotidie, si volumus, sed festis potissimum diebus conuenit, repete memoria, si lubet, atque animo reuolue, tritam illam, de homine Rege, qui fecit nuptias filio suo, deque inuitatis ad nuptias, Euangelicam parabolam Matth. 22. & Luc. 14. prorsus inuenies ex SS. Patrū interpretatione, Christum, in Ecclesia, iugiter nobis apponere spiritualε conuiuium, sacræ doctrinæ, & gratiæ, multiplici-

XIV.

Dei memoria præcipuum festi caput, quod nullibi melius præstatur quam in Eucharistia.

Nullibi maior ad sensum exultatio quam in Eucharistia.

In quare sita sit obseruatio Sabbati vere delicati ac Christiani ex Origene.

Sacramentum communionis & scriptura etiam sacra expositio, mystica mensa nuncupantur.

A ter conditum sacris lectionibus, concionibus, exhortationibus immuneris sanctorum in omni virtutum genere exemplis, crebra oratione, meditatione, & sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, frequenti sumptione sanctissimi Missæ sacrificii celebratione, cum tanta ministrorum altarium & Templorum ornatu, cum tam suaui, & quasi cœlesti instrumentorum Musicorum cantu, atque harmonia, aliisque plurimis, quæ mentem fidelium, spiritualibus deliciis pascunt, oblectant, & inebriant, vt vere Christia-

B nismus, animis in virtute excultis, aut paulùm etiam exercitatis, nihil aliud quam, iuge festum & epulum esse videatur. Adde Christum ipsum, ac Deum iam incarnatum, perenne esse fidelium pabulum, & continens gaudium, quippe qui per incarnationem, non tantùm omnia gratiæ suæ dona, sed & totum se ipsum quantus quantus est, adeoque diuinitatem suam realiter nobis impertitur, & communicat, immo gustandam, comedendam, fruendamque exhibet totam, eamque, vti reor, ob causam, plerumque Propheta Isaias, ingentes

C delicias, & festiuitatem magnam, Ecclesiæ nouæ, ex Christo incarnato, aduenturam, aliquando prænuntians, exultat ipse totus, ac iubilat, omnesque Christianos ad lætitiam, & exultationem inuitat, cap. 2. 7. 30. 35. 60. 61. 62. & sequentibus, in hoc scilicet, sacro Christi incarnati conuiuio, puræ mentis deliciæ reperiuntur, hîc, si vllibi, anima colliquescit amoris suauitate, persentitque quam suauis est Dominus, hîc demum, quod ait D. Thomas. *Tanquam in fonte dulcedo gustatur*, vt propterea, præclare dixerit S. Chrysolo-

D gus serm. 1. dum sermonem instituit de mensa Eucharistica, *Mensa patris nos alit virtutis cibo salutis epulo deliciis honestatis & gloriæ*, quid quod illæ cœlestes epulæ Christum ipsum, hilariorem quodammodo faciunt, dum illis vtitur, ac quoddam veluti gaudii & delectationis incrementum, in eius animam transfundunt? quærit D. Thomas 3. p. quæstion. 81. art. 1. cur Christus se communicauerit paulo ante passionem, cum enim dubium non sit, sui corporis & sanguinis sumptionem, non auxisse habitualem Christi gratiam, quorsum Christus Deus se communicat? quem effe-

Christianismus in virtute exercitatis iuge festum & epulum.

XV.

Christus per incarnationem suam Ecclesiæ pabulum & gaudium.

In Eucharistia tanquam in fonte dulcedo gustatur.

Christus communicans seipsum habuit quandam delectationem ex susceptione Sacramenti

ctum ipsi præstat Eucharistia? quid conducit Christo, Christus ipse in Esdram conditus, & Eucharisticè sumptus? Respondet Angelicus Doctor; *Quòd Christus, ex susceptione huius Sacramenti, habuit quamdam spiritualem delectationem*, exulta & *lauda habitatio Sion quia magnus in medio tui sanctus Israël*, clamat Isaias capite duodecimo, versu sexto. Iam

XVI. Magnum à Prophetis Ecclesiæ denumeratur gaudium ex suscepto re Eucharistiæ.

proximè, aliis etiam locis, eam in rem, à nobis citatus, vides, vnde peruideat acutissimè, vberem Christianis futuram, gaudii ac lætitiæ segetem amplamque materiam, *Exulta quia magnus in medio tui Israël*, quasi dicat, nihil est quod timeas Christiane, multum est quod ames, & gaudeas, lætare tripudia, triumpha, quia in medio tui, in intimo tuo, in visceribus tuis, in medullis tuis, in ventre tuo, hæc omnia significat vox Hebræa *Cherub*, *Sanctus Israël*, vtique Messias, Dominus Iesus, qui cum fideles sacrosanctam sumunt Eucharistiam verè, ac realiter, in viscera corporis, & in intimum animæ ingreditur, *Exulta*, inquit, *& lauda habitatio Sion*, mira sane lætitia vbi Deus Saluator, venit ad homines, vbi salus ipsa hominis penitissima quoque peruadit, vbi sanctitas, & diuinitas Filii Dei, in ipsis, hominis, commoratur visceribus, *Quia magnus in medio tui sanctus Israël*, ac licet singulis diebus sternatur nobis hæc diuina mensa, apponanturque spirituales epulæ degustandæ, tamen festis præsertim diebus, ac Deo consecratis, ad eas accedendum esse Christianis, & ratio,

Diebus festis & Dominicis potissimum ad Eucharistiam accedendum ex SS. Patrum sensu & antiquo Ecclesiæ vsu.

Eucharistia vocata Cœna lucis, sicut dies Dominicus dies solis, dies lucis, & dies panis.

A & vsus, & Sanctorum dicta factaque persuadent, inualuisse hanc primis seculis in Ecclesia receptamque vbique consuetudinem refert Sanctus Iustinus Apologia secunda ad Antoninum Imperatorem cum ait, *Die qui solis dicitur, omnes qui in oppidis vel agris morantur vnum in locum conuenìunt conclusisque precibus, panis vinumque & aqua offeruntur, & iis quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, vnusquisque participat; &c.* Author verò libri de Ecclesiasticis dogmatibus in Tomo tertio,

B Diui Augustini quem multi volunt esse Gennadium, *Quotidie*, inquit, *Eucharistia Communionem percipere*, nec laudo, nec reprehendo, *omnibus tamen Dominicis diebus*, communicandum suadeo, & hortor, *si tamen mens sine affectu peccandi sit.* Hinc, vt dies Dominicus olim, *dies lucis*, aut *dies solis*, & *dies panis*, nuncupari solitus est, sic & Eucharistia quoque ipsa, *Cœna lucis*, vocatur ab Hesychio, Homilia secunda, de Deipara, vt intilligas, eo potissimum die, sumendam Eucharistiam, diuinumque à Christianis, celebrandum esse Conuiuium, videat igitur

C populus Christianus, vt hisce diuinis epulis, de quibus hactenus egimus, mentem pascat, & satiet, ac in sanctitate & iustitia, Christo seruiens, sic vitam agat iucundam, vt perennem fœlicitatem, quam hic inchoat, & prælibat, postmodum in Cœlo consummet, & atque perficiat, sed de interna hilaritate mentis, & gaudii spiritualis bono, mox fusius sequenti dissertatione.

TROPOLOGIA
Capitis octaui.

Expoſitio Moralis in illud verſu decimo, *Mittite partes his qui non præparauerunt ſibi, &c.*

De eleemoſyna à diuitibus in pauperes eroganda, eo maximè tempore quo conuiuia celebrant, ſatiuſque eſſe pauperes demereri quàm diuites.

XVII. OMMENDANT A enixè, verſu citato, & tantum non imperant Iudæis, Principes populi, Eſdras, Nehemias & alij, vt dum die feſtiuo epulis dant operam, officii ſui, & charitatis in pauperes ne ſint immemores, vt de eo quod ipſis abundat, & ſupereſt, aliquid egentibus impertiant, frangant panem eſurientibus, & tenuiores ſubleuent, quò ſcilicet melior ipſis fortuna, & lux maior impoſterum B affulgeat: quod cap. 58. Prophetiæ ſuæ tanto ante prædixerat Iſaias verſ. 7. *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris, tunc erumpet mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur, cum eſurienti effuderis animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua.* Hunc Nehemiæ locum, de partibus mittendis his, qui non præparauerunt ſibi, ait Beda, nos iuxta literam decet C imitari, & cum videlicet, diebus feſtis poſt orationem, lectionem Pſalmorum, ſtudia completa, carnis curam, reficiendo agere diſponimus, pauperibus quoque & peregrinis partem dare meminerimus: Certe proximi quique ſemper amicè tractandi, ſed tùm maximè cum magnifica gratiarum ſuarum largitione amiciſſimè nos habet Deus, ac complectitur: tùm inquam vel maximè cum dona ſua in nos largiſſimè effundit, prouidentiſſimi numinis liberalis manus; effundit ſiquidem in nos vberrimè vt in alios refundamus: ſed in quos tandem potiſſimum? ſane in egenos & pauperes non in eos qui bonis omnibus circumfluunt, in egenos, inquam, ſi Cœlum ſpectamus, ſi Dei cauſam, & noſtram agere volumus, proprium quidem hominis eſt, & locupletis, & potentis, ſi humanus eſt, hoc eſt, niſi hominem exuit, omnibus benefacere, omnes demereri, omnes deuincire ſibi, ſed præſertim egentiores, atque omni ope deſtitutos, vt *ſit* quantum in ipſo eſt, quod ait D. Gregorius Nazianzenus, *calamitoſo Deus.* Et quidem fauores, ac beneficia potius pauperibus quam diuitibus eroganda, ſuadet hæc ratio; quod ſcilicet de eo quod diues, forte dedignaretur pauper, maximam benefactori habere ſoleat gratiam. Quàm eximium eſt atque illuſtre, quod habet Ambroſius in hanc ſententiam lib. de Officiis cap. 25. *Quid autem tibi prodeſt*, inquit, *fauere diuiti: an quia citius amantem remuneres, his enim fauerunt frequentius, à quibus referendæ vicem ſperamus gratiæ, ſed eo magis infirmo & inopi, nos ſtudere conuenit, quia pro eo qui non habet remunerationem ſperamus à Domino Ieſu, qui ſub ſpecie conuiuij* Luc. 14. *Generalem virtutis edidit formam vt his potius noſtra conferamus beneficia qui nobis ea non poſſunt repræſentare, dicens; ad conuiuium atque epulas, non eos qui diuites ſunt, ſed pauperes inuitandos, diuites enim rogari viden-*

Aliis tum maxime benefaciendum cum Deus donis ſuis largius nos cumulat.

Homo locuples poteſt benefaciendo eſſe quaſi calamitoſo Deus.

tur, vt ipsi quoque nobis reddant conuiuium pauperes quia non habent quod restituant, cum acceperint remuneratorem nobis faciunt Dominum, qui se pro pauperibus obligandum obtulit: ad ipsum quoque sæculi vsum collatio beneficiorum facta, in pauperes magis quam in locupletes plus iuuat, quia diues dedignatur beneficium, & pudet eum debitorem esse gratiæ, quin etiam id quod collatum est sibi meritis suis arrogat, quod vel vt debitum acceperit, vel ideo datum sit, eò quod is qui dedit, reddendum sibi à diuite vberius existimauerit, ita in accipiendo beneficio, eo ipso quod acceperint diuites, dedisse se magis, quam accepisse existimant: pauper vero, etsi non habeat vnde reddat pecuniam, refert gratiam, in quo certum est, quod plus reddit quam acceperit: pecunia enim nummo soluitur, gratia numquam exinanitur, reddendo vacuatur pecunia, gratia autem & habendo soluitur, & soluendo retinetur; deinde quod diues refugit, pauper fatetur, quod sit obligatus debito, sibique subuentum, non honori suo delatum putat, donatos sibi arbitratur filios, vitam redditam, seruatam familiam. Hactenus Ambrosius. Certe ipsam per sese humanitatis, & misericordiæ honestatem, ingentis esse apud Deum meriti, quamuis ignotis, ac peregrinis hominibus, quamuis longe à nobis abeuntibus exhibitam, clare indicat illud Ecclesiastici cap. 12. vers. 2. *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam, etsi non ab ipso, certe à Domino,* in quam rem perelegans est Senecæ locus libro quarto de Beneficiis, vbi ipsam item per se beneficentiæ honestatem, erga peregrinos, erga nautas, erga nauigantes, erga exteros omnes, sine vlla propriæ vtilitatis spe ab illis colligendæ, sic exponit. *Si vtilitas me, & sordida computatio liberalem facit, si nulli prosum, nisi vt inuicem ille mihi prosit, non dabo beneficium proficiscenti in diuersas, longinquasque regiones, non dabo abfuturo semper, non dabo sic affecto, vt spes ei nulla sit conualescendi, non dabo ipse deficiens, non enim habeo tempus recipiendi, atqui vt scias rem per se expetendam esse, benefacere aduenis modo in nostrum delatis portum, & statim abituris succurrimus; ignosco naufrago nauem, qua reuehatur, & damus, & instruimus, discedit ille vir satis noto salutis authore, & nunquam amplius reuersurus, debitores nobis Deos delegat, precaturque, vt illi pro se gra-*

A *tiam referant, interim nos iuuat sterilis beneficii conscientia.* Hæc Seneca. Quibus addo, vix diuites benefactoribus suis cœlum promereri, quod ex solemni suo more præstare dicuntur egentes, vt mirum non sit, si iubemur eos nobis amicos facere de mammona iniquitatis, qui nos in æterna recipiant Tabernacula, eò spectat illud Pauli I. ad Timotheum 6. *Præcipe diuitibus huius sæculi non sublime sapere, neque sperare in merito diuitiarum, sed in Deo viuo, &c. Et bene agere diuites fieri in bonis operibus facile tribuere, communicare*, illud item Christi in Euange- XVIII.
B lio, quod ante innuimus Luc. 14. *Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, &c.* hoc est, qui ob defectum corporis laborare, & victum sibi parare nequeūt, &c. Causam hanc Chrysostomus in Catena. *Si pauperes vocaueris*, inquit, *Deum habebis debitorem, & quanto minor est frater, tanto magis per eum Christus accedit, & visitat; qui magnum suscipit, sæpe ob gloriam, aut vtilitatem facit: sed dicis, immundus est pauper, & sordidus, laua eum, & fac in mensa tecum sedere, si vestes immundas habet, mundum vestimentum ei exhibe; sed si non vis forsan*
C *recipere in solario, vel vbi famuli sunt, suscipe, si non vis vt tecum sedeat, mitte de mensa fercula.* Hoc Christi consilium secutus S. Gregorius Pontifex, sæpe duodecim pauperes mensæ suæ adhibebat, ideoque inter eos Christum ipsum specie pauperis se insinuantem aliquando mensa excipere meruit, idem fecit sanctus Ludouicus Rex Franciæ, qui quotidie 120. pauperes, in festis vero ducentos adhibebat, eisque sæpe ministrabat, quin & pedes abluebat; sanctum Ludouicum, quasi Patronum secutus est eius nepos sanctus Ludouicus, idemque Episcopus Tholosanus: item Hiduuy-
D gis Ducissa Poloniæ, eiusque neptis sancta Elizabetha filia Andreæ Regis Hungarorum, quæ quotidie nongētos pauperes magno gratiæ, & remunerationis diuinæ præmio excipiebat. Cœterum eleganter (verbis licet obscurioribus, quibus lucem affero) ad promptam in pauperes largitionem hortatur Salomon, vt spe futuri præmii ad impendenda misericordiæ opera cuilibet egenti libenter, ac liberaliter inducit Ecclesiastes II. vers. I. *Mitte*, inquit, *panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempo-*

S. Gregorius Papa 12. pauperes mensæ suæ adhibebat, S. Ludouicus Galliæ Rex quotidie 120. diebus festis 200. S. Elizabetha filia Regis Hungariæ nongentos.

Locus Salomonis illustratus Ecclesiast. 11. de eroganda liberaliter eleemosyna

ra multa inuenies illum, da partem septem, necnon & octo, &c. Si impletæ fuerint nubes imbrem super terram effundent, &c. Hoc est (sic enim Chaldæa paraphrasis exponit) porrige alimentum tuum pauperibus, qui ambulant in nauibus, super faciem aquarum, quoniam post tempus dierum multorum inuenies mercedem eius in sæculo hoc, & in sæculo venturo; nisi manis sic interpretari, mitte panem tuum super eos, qui transeunt aquas, nec non in quos aquæ intrant, nempe qui sunt flebiles, & tribulationibus immersi, quales viduæ, pupilli, inopes, cæterique eiusmodi, ita D. Bonauentura, *mitte panem tuum super aquas*, id est, si voles, effuse panem elargire, perinde, ac si quis res suas obiiceret in aquas sine fructu, vt quidam immites, & auari credunt, inquit Thaumaturgus: cum tamen progressu temporis appareat non infrugiferam beneficentiam fuisse, licet non pauperes ipsi retribuant, in quibus seminatur, ceu in aquis, sed Deus in retributione iustorum, vt est Luc 4 placet etiam is Caietani sensus, qui vult agi proprie de eleemosyna eroganda in absentes, idque indicare verbum, *mitte*, sicut in sequenti versu, in præsentes, vbi est, *da partem septem, necnon & octo*, vt belle omnino quadret istud Sapientis, *Mitte panem tuum*, cum illo Nehemiæ, *mittite partes his, qui non præparauerunt sibi*: addo etiam *mittere panem super aquas*, ex Hieronymo, idem esse, ac mittere iuxta aquas, trita satis phrasi, vt in Psalmo 136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus*, ac proinde cum prouentu, sicut fœlicius ad aquas, iactum semen, ac vberiore fruge prouenit, quomodo enim, qui super irrigua seminat fructum sementis expectat, ita qui largitur egentibus, non granum seminis, ait Hieronymus, sed ipsum panem serit, fœnore quodam multiplicationem illius præstolans, & cum dies Iudicii aduenerit, multo amplius quam dederat recepturus; ergo, quis quis sis, si rebus tuis probe consultum voles, *mitte panem tuum super transeuntes aquas*, pauperes cum suppetit abunde, sustenta, atque eo nomine quod pauperes sint, amici tibi magis sint, quam diuites, panem egentibus copiose elargire, quia, vt addit Sapiens, *post multa tempora inuenies illum*; quid istuc tandem, *post multa tempora*? Chaldæus, vt iam proxi-

Gregorius Thaumaturgus.

Sensus Caietani.

Mittere super aquas ex Hieronymo, idem ac mittere iuxta aquas.

XX.

A me audiuimus, in vtroque sæculo, & & vita interpretatur: alii passim de futura, Thaumaturgus de præsenti: vt primam amplectar sententiam facit quod, vt ait D. Paulus 1. Timoth. capite quarto, versu octauo. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ*, nec obstat quod dicitur, *post tempora multa*, vel vt est Hebraice, & Græce, *in multitudine dierum*, quod minus quid videatur, quoniam voluit præcauere, ne quis minus cito fructum suæ liberalitatis expectaret, certus tamen non defuturum etiam in hac vita, cumque etiam persæpe temporalem; Hiero-
B nymus quidem in Isaiam, libro decimo quinto, ait hoc loco, *multitudinem dierum*, seu, *multa tempora*, significare multa sæcula, post futura, ipsamque futuram beatitudinem, sed Thaumaturgus, etiam dixi, posteram diem simpliciter exponit, nempe tempus indefinitum etiam præsentis vitæ: pergit Salomon, *da partem septem, necnon & octo*, quia ignoras quid mali futurum sit super terram: cuius sententiæ, facilis est intellectus, ex Caietano, hoc modo, *da partem hominibus septem*, id est, certo numero pauperum, qui numerus fortasse tunc apud Iudæos eleemosynarios obseruabatur ob reuerentiam diuinarum actionum, quæ septem diebus describuntur à Mose supputato
C Sabbato quietis, sicut modo consueuerunt multi, pascere pauperes duodecim, in memoriam duodecim Apostolorum, *da etiam pauperibus octo*, videlicet, si quis ad illum decretum, ordinariumue numerum accesserit: verbo planius adhuc rem explico: vniuersim, cum ait, *da partem septem necnon & octo*, vult Salomon, vt quisque sit in dando largus, quam plurimis quidem, omnibusque, ac si fieri possit, iis quoque qui numerum excedunt, septenarius namque numerus maximam multitudinem significat, & vulgo in scriptura numerus vniuersitatis censetur: atque ita septem, & octo
D nullum non comprehendunt, valetque sententia ista, idem ac, quod præcipit Christus, Luc. 6. vers. 30. *omni petenti te tribue*, non quidem etiam ei, qui abundat, vt & velle visus est Tertullianus, lib. 4 contra Marcionem capite decimo sexto: verum cuiuis indigenti, vt cæteri explicant interpretes, necnon Cyprianus libro tertio, Testimoniorum capite primo, non

Merces & in hac vita & in futura largientibus eleemosynam proposita.

Dare partem septem, & *octo idem est, ac dare plurimis & omnibus quantum fieri potest simodo egentes sunt non examinando curiosius illorum merita, & conditiones.*

examinando & diiudicando, curiosiu've scrutando, singulorum conditiones, & merita, vt ait Euthymius, in Matthæum, in cap. 5. non excludendo peccatores, quatenus & ipsi egent, vt Augustinus inquit, in Psalm. 102. exemplum sequendo Dei *pluentis*, & solare lumen effundentis *super* iustos & iniustos, Christi ad Cœnam inuitantis, etiam *debiles*, *claudos*, *cæcos*, & hortantis vt tales potius inuitemus qui nequeant retribuere, certi nobis retributurum Deum, Luc 14. vt iam

XXI. ante significauimus. Aut *mitte* igitur, aut, *da partem septem nec non & octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram*: nempe, cum in alteram B vitam, vel ad Iudicium supremum transmigrandum erit; aiunt SS. Patres, Gregorius Homil. 16. in Ezechielem, D. Hieronymus & alii: Nisi magis placet, de malo potius improuiso sermonem esse, quod vel arceri potest, vel ei remedium adhiberi, benigna largitione, seu proprium sit eius qui prouocatur hic ad largiendum, seu aliorum qui egent aliena misericordia, iuxta illud Psalm. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus; Dominus conseruet & viuificet eum, & beatum faciat in terra, &c. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* Atque hinc quoque C subiungit Salomon, *Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent:* quo promisso, allici videtur is, cui eleemosyna imperatur; spondet nimirum fore, vt nubes imbrem super eum fundant, qui beneficus erit, in pauperes, ad irrigandos & locupletandos agros suos, quarum quoque nubium sit imitanda largitas, quæ iussu diuino imbres super omnes spargunt, sed iam de bono eleemosynæ piget vlterius differere, aut plura ex variis authoribus cùm sacris, tùm prophanis qui de eo scripserunt huc adducere. Illud modo dicam, cum, præter infinita tum exempla, tum testimonia, quæ hinc inde colligi possunt, nulla fere in re, liberaliores sint scripturæ, Patrumque sententiæ, quàm in liberalitate erga pauperes commendanda, illustrandaque diuini numinis largitate, in compensandis misericordiæ operibus, insigne mihi videri, præ cæteris omnibus, quod initio huius dissertationis leuiter attigimus, ex Isaia cap. 58. *Cum effuderis esurienti*

Imitanda largitas nubiũ quæ imbrem super omnes spargit

A *animam tuam & animam afflictam repleueris orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies; Et requiem dabit tibi Deus tuus semper & implebit, splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficiunt aquæ.* Paulo ante dixerat, promiseratque idem Propheta, ei qui frangeret esurienti panem suum, & *carnem suam*, id est proximum suum egentem, *Non despiceret, tunc erumpet lumen tuum, & sanitas tua citius orietur; & anteibit ante faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te, tunc inuocabis, & Dominus exaudiet.* Quid elegantius? quid verius? quid ad commouendos animos, ad impendenda proximis laborantibus, charitatis ac misericordiæ subsidia, aut illustrius, aut potentius? Vides hic quænam, & cuiusmodi bona viris misericordiæ promittat Deus, summa nempe, atque perpetua; quæ neque desint, neque deflorescant vnquam, qualia habere solet hortus, qui in pingui ac feraci solo situs est; & cui aqua perennis nunquam deficit. *Et eris*, inquit, *quasi hortus irriguus*, qua similitudine, fœlicitas insignis, diuque duratura optimè declaratur: magna sane est hortorum amœnitas, mirifica species sed si cœlestis aqua opportuno tempore non adsit, & fontana, & quasi propria desit, facile exarescet horti viriditas, & si quid erat speciosum ac viride, continuo senescit ac moritur, quo fit, vt Deus fœlicitatem homini misericordi paratam, cum horto compararet, cui iugis aqua deesse non solet, & suo tempore opportuna rigatio. Et quidem hæc quotidie experiuntur viri misericordes, quibus Dominus abundè hæc suppeditat bona, quæ hic à Propheta memorantur, quia scilicet, se illorum liberalitati debitorem quodammodo fatetur, & agnoscit, Prouerbior. 19. vers. 17. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis*, & ne à datis bonis seu fortuna cadant sedulo prouidet: vnde ait Isaias, *& eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum cuius non deficient aquæ*; qua & altera similitudine, eleemosynæ vim, atq; naturã egregiè ostendit Propheta, quámq; Deus misericordi attentè atq; assiduè prouideat: proprium fontis est (vt notat in hunc locum author valde bonus) suam aquam & quasi viscera, vltro omnibus qui ae-

Explicatur locus Isaiæ 58. de fructu eleemosynæ.

XXII.

Cur fœlicitas viri misericordis cum horto irriguo comparatur.

Item cum fonte cuius aqua non deficit.

Lorinus.

TROPOLOGIA
Capitis octaui.

Morale in illud eiusdem versu decimo, *Gaudium Domini est fortitudo nostra.*

De fructu gaudii spiritualis, & de eodem spirituali gaudio in animis excitando, ad præclara virtutis opera exercenda.

XXIV.

PRÆCLARA omnino Augustini sententia est libro 10. Confessionum, cap. 21. nec præclarior quam verior, *Vnum esse quo peruenire omnes nituntur vt gaudeant;* nec ab eo vel verbo dissentit, Chrysostomus, Homil. 18. ad populum Antiochenum, cùm ait; *Voluptatem quærunt & gaudere cupiunt omnes, & propter hoc omnia faciunt, & dicunt, & negotiantur, nam mercator ideo nauigat, vt pecunias congreget, congregat autem, vt iis gaudeat; & exercitus Dux ideo tractat arma, & agricola colet terram, & quisque artem suam tractat, vt honore, & lucro gaudeat,* pauci tamen quid gaudium sit, quod tanto studio atque opere exquiritur & expetitur, cuiusmodi illius indoles atque ingenium, in quo verè situm sit, aut vnde arcessi certò queat, probe intelligunt; *Gaudium Domini est fortitudo nostra,* aiebant Iudæi reduces è captiuitate, & recens in libertatem asserti: quippe qui, interiori gaudio delibuti, vegetiores ipsi, ac fortiores fiunt, ad opus Dei, & mirum in modum ad ciuitatem sanctam, Hierusalem, stabiliendam perficiendamque; eiusmodi gaudio excitantur, sic enim ferè fit, vt qui intus gaudent, quibusue in animo bene est, ad externa omnia, quantumuis aspera, nihil trepident, nihil reformident, vultuque ipso hilaritatem præferant. Omnino, *Non est gaudium super cordis gaudium,* ait Sapiens, Ecclesiastici cap. 30. vers. 16. *Loquor quod expertus nouit, inexpertus ignorat,* ait D. Bernardus, Serm. 2 in hæc verba Apostoli, *Non est Regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto,* Romanor. 14. vers. 11. *Nam quid non plerumque orantibus nobis, omnia viscerum succutiuntur occulta, ad memoriam gaudij illius, quod est in Hierusalem quæ sursum est, quæ est mater nostra, & lachrymarum vnda, vultus meditantium super perfundit? O si duraret? si oblitus fuero tuî Hierusalem obliuioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ, vere in principio lætitiæ, quia finis illic repositus est, principium gaudij illius, quod hic quandoque sentimus, stilla est, guttula est de flumine illo descendens, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei,* mirum profecto, quantum animi illi interiori gaudio perfusi, ad bonum animantur, & ad ea quæ Dei sunt exequenda prompti efficiuntur, vt iure dicatur, Ecclesiast. 30. vers. 23. *iucunditas cordis thesaurus sine defectione sanctitatis,* siquidem, lætitia fouet, & auget sanctitatem, eo ipso, quod efficit vt homo lætè, & alacriter, obeat opera sancta, orationis, ieiunii, eleemosynæ, cæterarumque virtutum, atque adeò, in iis perseueret: quæ enim cum tristitia fiunt, ferè remissius, ac cum tædio fiunt, nec iis diutius quisquam potest consistere. Adde quod lætitia ipsa, & excitat hominem continuo, ad maiora illustrioraq; sanctitatis opera aggredienda, & alacriter etiā atque animosè superat omnes difficultates, ac tentationes, quas dæmon

Omnes voluptatē & gaudium quærunt.

Qui interius gaudent vultu ipso hilaritatem præferunt.

Gaudium quod hic aliquando sentimus iusti stilla est & guttula de flumine descendens in quo beati merguntur in Cælo.

XXV.

Quomodo lætitia foueat & augeat sanctitatem.

mundus, & caro, suggerere solet, vt hominem ab studio pietatis, diuinoque obsequio auocent, & deterreant, *nulla re ita vincitur dæmon, ac lætitia spirituali & gaudio*, vti aiebat sanctus Antonius, in cuius rei symbolum, de Machabæis inuictis, immo hostium numerosissimorum victoribus, dicitur 1. Machab. cap. 3. vers. 2. *& præliabantur prælium Israel cum lætitia*, hæc enim lætitia, dæmonem terret, ac deiicit, spemque vincendi & nocendi, ei adimit vnde sanctus Augustinus libro vigesimo, de Ciuitate Dei, cap. 8. *Dæmon*, inquit, *est quasi canis alligatus, latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest nisi volentem, persuadere enim potest, præcipitare non potest, spem autem persuadendi amittit, cum videt hominem, in tentatione constantem, generosum, lætum, & hilarem*, vis rursum vocem ipsam Antonii, in hoc genere exercitatissimi, ex Athanasio, eius vita? *Si quod*, inquit, *in pectoribus nostris, malæ mentis, & pauoris semen inuenerint dæmones, mox quasi latrones, qui deserta obtinent loca, captos cumulant timores, & crudeliter imminentes, infælicem vexant animam, sin autem, alacres fuerimus in Domino, & futurorum nos bonorum cupido succenderit, si semper omnia manibus Dei committimus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere*. Et quoniam quæ de exercenda virtute præceptiones traduntur, sanctorum virorum instituto viuendi, atque exemplis ipsis, mirum in modum illustrantur, confirmanturque validius, hinc est illud prorsus insigne, quod refert Palladius, in Lausiaca, cap. 52. loquens, de sanctis Anachoretis, sociisque S. Apollo Abbatis, *Licebat*, inquit, *eos videre exultantes in solitudine, adeo vt nullam eiusmodi aliam exultationem in terra videre liceat, nec lætitiam corpoream: neque enim erat inter eos aliquis mæstus, aut tristis, sed si quis videbatur præ se ferre tristitiam, statim Abbas Apollo ex eo rogabat causã, & quæ erant in occulto vniuscuiusque cordis renuntiabat: dicebat autem, non oportet esse tristes propter salutem, cum futuri simus heredes Regni Cælorum, tristes autem erunt Gentiles, flebunt Iudæi, lugebunt peccatores, iusti autem lætabuntur, & qui terrena quidem animo agitant, lætantur in rebus terrenis, nos autem qui tanta spe digni sumus habiti, quemadmodum non lætamur perpetuo?* cum nobis Apostolus suadeat, Thessalonic. 5. *vt semper lætemur & oremus sine intermissione?* Itaque, vt ad vocem Nehemiæ, etiamnum adhuc me referam, *Gaudium Domini est fortitudo nostra*, id est, vt Lyranus ipse exponit ad literam, gaudium spirituale, quo debetis in Domino gaudere, in hac solemnitate, est consolatio nostra, nos fortificans ad bonum, &c. Ad excitandum porro, in mentibus nostris, spiritualem eiusmodi lætitiam, pertinet propriè illud Senecæ ad Lucilium, epistola vigesima tertia, *Ante omnia, mi Lucili, disce gaudere, fundamentum bonæ mentis quod sit quæris? ne gaudeas vanis fundamentum dixi, etiam culmen est, ad summa peruenit, qui scit quo gaudeat, animus debet esse alacer & fidens, & super omnia erectus, crede mihi res seuera est gaudium*, & epistola vigesima septima, *Sola virtus præstat gaudium perpetuum & securum, si quid obstat, nubium modo interuenit, quæ infra feruntur nec vnquam diem vincunt*. Cæterum, sit nec ne, aliquid discriminis quod solidum censeri queat, inter gaudium, & lætitiam, Stoicis disputandum relinquo, de eo ambigere videtur Diuus Hieronymus in epistolam ad Galatas, irridet Lactantius, libro sexto, Institutionum, libet hic pro synonimis cum Scriptura, & Patribus vsurpare, non quatenus significant animi passionem, vel perturbationem, sed actum amoris, vel actum internum charitatis, quo quis ita fertur in bonum diuinum, quod est Deus, vt in illo conquiescat, tanquam in eo, quod iam aliquo modo, nempe per gratiam, & spem possideat, vt vere seu lætitia, seu gaudium, gaudium Domini, seu de Deo, ac Domino, compellari possit; quo genere gaudii perfusum, Dauidem, fuisse constat, cum caneret, Psalmo 76. versu quarto; *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum*, & Psalmo octuagesimo tertio, versu tertio, *concupiscit & deficit anima mea in atria Domini, Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*; Certè, gaudium in secundo fructuum spiritualium loco positum est ab Apostolo, Galat. cap. quinto, versu vigesimo secundo, *Fructus*, inquit, *spiritus est charitas, gaudium, &c.* vbi vides, charitati gaudium subiici, quasi

Dæmon vincitur gaudio spirituali ex D. Antonii & D. Augustini sensu.

XXVI.

Olim inter Anachoretas nullus mæstus aut tristis.

Multum refert scire quo quisque gaudeat.

Bonæ mentis & fundamentum & culmen non gaudere vanis.

XXVII.

Quid sit propriè illud quod gaudium Domini seu de Domino vocari possit.

germanam eius sobolem, aut fidelem A veius assleclam, vt gaudere nemo verè, ac solide queat qui in Deo, ac cum Deo, non gaudeat, quod iam olim ab Apostolo, primis Christianis, præceptum esse nouimus, grauissimis verbis, *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete*, Philippens. 4. versu tertio, id est, vt exponit, & luculenter versat Diuus Anselmus, *Primum gaudete*, inquit, id est, *cor vestrum exhilarate, & omne bonum vnde gaudendum est, statuite vobis in Domino, non extra, & hoc adeo necessarium vobis est, quod iterum dico gaudete, vt tristitia seculi nullum in vobis locum inueniat, sed totos lætitia spiritualis vos repleat, gaudete in Domino, & non per interualla vt modo gaudeatis, modo non gaudeatis, sed semper gaudete, siue in prosperis, siue in aduersis, gaudete, sed in Domino, non in sæculo: sicut enim nemo potest duobus Dominis seruire, sic nemo potest in Domino, & in sæculo gaudere, contraria enim sunt hæc duo gaudia*, omnium autem pulcherrimè Pauli mentem sensumque explicat in hunc locum, Diuus Thomas, atque ad verba Nehemiæ, quæ huic dissertationi viam aperiunt perquàm accommodatè, sic enim ille, *Conditiones, inquit, veri gaudij, tangit Apostolus & primo, quod debet esse rectum, quod est, quando est de proprio bono hominis, quod non est quid creatum sed Deus*, Psalmo 72. *Mihi adhærere Deo bonum est, &c. tunc autem rectum est quando in Domino, ideo dixit, gaudete in Domino*, & Nehemiæ 8. *Gaudium Domini est fortitudo vestra*. vides vt in textum authoris nostri digitum intendit, cum ei, quo ex fonte verum ac spirituale gaudium hauriendum sit, libet ostendere, pergit; *Gaudium item debet esse continuum*, vnde dicit, *gaudete semper*, 1. ad Thessalonicens. vltimo, *semper gaudete quod fit quando* D *non interrumpitur peccato, tunc enim est continuum, aliquando vero interrumpitur per tristitiam temporalem, quod significat imperfectionem gaudij, cum enim quis perfectè gaudet, non interrumpitur eius gaudium, quia parum curat de re parum durante, & ideo dicit, semper; Item multiplicatum debet esse, si enim gaudes de Deo, imminet tibi gaudere de eius incarnatione*, Lucæ 1. *Euangelizo vobis gaudium magnum quia natus est, &c. imminet tibi gaudium de contemplatione*, Sapientiæ 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, item si gaudes de bono proprio, imminet tibi similiter gaudium de bono aliorum.* Hactenus D. Thomas, sed quam eximium est, in hoc genere quod fusè quidem sed fastidiosè minus edisserit: Beatus Prosper, libro de vita contemplatiua: *Gaudere quidem bonum est, sed qui gaudet, si non gaudeat vnde debet, non potest bonum esse quod gaudet, siquidem gaudet, & raptor, cum desiderata rapuerit, gaudet & ebriosus, cum exoptatæ occasionem potationis inuenerit, gaudet &* B *adulter, cum ad delectationem fruendi corporis concupiti peruenerit, sed cum sit gaudere bonum, de his atque huiusmodi gaudere, grande est malum, hæc & his similia sunt, quæ repudiare debemus, vt de bona conscientia, de sanctitate morum, de acquisitione virtutum, de dono Dei, & promissione futuri regni, ineffabiliter gaudeamus, &c.* Quin, vnde profluat, aut ex quo aptum pendeat, verum illud animi gaudium, cuius tantopere appetentes sumus: egregiè quoque commonstrat Diuus Bernardus scribens ad sanctimonialem quandam epistola 114. his C verbis, *Magnum est mihi gaudium, quod te ad verum & perfectum gaudium velle tendere comperi, quod non est de terra, sed de cælo*, id est, *non de hac conualle plorationis, sed de illa quam fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, & reuera illud verum, & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, & quod cum possederis nemo tollet à te, cui comparata omnis aliunde iucunditas, mæror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fædum, omne postremo quodcumque aliud delectare possit, molestum, &c.* Quam suauis item ac mellita vox est Diui Augustini in hanc sententiam, libro decimo, Confessionum iam supra citato, capite vigesimo secundo, colloquentis cum Deo! *Absit Domine, absit à corde serui tui, qui confitetur tibi, absit vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem, est enim gaudium, quod non datur impiis, sed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es, & ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te, ipsa est & non altera, qui autem aliam putant esse, aliud sectan-*

Margin notes:

Expositio paraphrastica vocis Apostoli, Philip. 4. Gaudete in Domino sēper. *ex D. Anselmo.*

XXVIII *Eiusdem loci illustratio ex D. Thoma*

Conditiones veri ac spiritualis gaudij.

XXIX. *Beati Prosperi fusior disputatio de obiecto veri gaudij.*

Veri item gaudij descriptio ex D. Bernardo.

XXX.

tur gaudium, neque ipsum verum, ab aliqua tamen imagine gaudij, voluntas eorum non auertitur, idem ipse Diuus Augustinus in hæc verba, Psalm. 96. vers. 12. *Lætamini iusti in Domino & delectentur omnes recti corde, iam forte*, inquit, *fideles audientes iucundamini conuiuia meditantur, calices preparant rosarum tempus expectant, vide quid sequitur, in Domino, expectas tempus veris, vt iucunderis, si Dominum habes iucunditatem, Dominus tecum semper est, non habet tempus, esto rectus corde, & semper est tibi de illo iucunditas, &c.* Lætentur in te omnes, qui sperant in te Domine, ait Dauid, Psalmo quinto, versu duodecimo, quæ vna quoque vox est *Siracidæ*, in Ecclesiastico capite A secundo, versu nonagesimo tertio. *Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia*, eo etiam spectat illud *spe gaudentes*, quod ait Paulus, Romanorum duodecimo, versu duodecimo; *Deum timens sicut oportet, & in ipso confidens voluptatis radicem lucratus est & omnem habet lætitiæ fontem*, ait Chrysostomus, Homil. 18. ad popul. ex quo, sic licet ad vnumquemque nostrum, cui bene cum Deo sit, quique in eo, spes omnes suas defixas habet illud Ecclesiastis capite nono, versu septimo, transferre: *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.*

Timor Dei radix voluptatis & gaudij fons

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

XACTIS illis ſolemnioribus ac feſtiuis præter cæteros Tabernaculorum diebus, quorum celebritas & lætitia importunis lachrymis & complorationibus turbari legitimè non poterat, tandem Iudæi, vbi ſe violatæ legis reos, ex frequentieius auditione perceperunt, ad lachrymas ipſas ac ieiunia, aliaſque familiares, apud ſuos, corporis afflictationes, toto animo conuertuntur: tùm ſeparatis primùm filiis Iſraël ab alienigenis, & pleriſq; omnibus emendatis quæ in prophanis coniugiis paſsim à populo peccabantur, ſacrorum etiam voluminum lectione ſæpius iterata, populo item crimen ſuum conteſtante, & magno doloris ſenſu palam confitente, publica inſtituitur oratio, prolixa illa quidem, ſed ad temperandum diuinum furorem, eumque ad miſericordiam inflectendum maximè idonea, qua ſcilicet commemorata diuini numinis in antiquos Patres munificentia, & ſingulari in eoſdem, ſi quando peccaſſent, lenitate, ac clementia, fœdus cum eo renouare contendunt, cuius hæc ſumma eſt, vt à diuino mandato recedant nunquam, vt prolixè Deo ipſi, reddat populus, quod ius & ratio exigit, fideſque olim à parentibus, ſolemni fœdere obligata, & Deus viciſsim, quod in parentum ac maiorum ſuorum gratiam fecit ſuperioribus temporibus non infrequenter, id vero ſuo æuo faciat, & veram populo adhuc vectigali, atque ingenuam omni ex parte libertatem aliquando concedat; Atque vt oſtendant illi, et reipſa confirment ſeriò, ſe, atque ex animo, quæ pollicentur, iis poſtmodum exequendis, fidem obſtringere, ſtatim ſeſe ad ſolemne pactum omnes accingunt, & ex vniuerſo Iudæorum cætu, delecti Principes, Leuitæ & Sacerdotes, quorum in populo maior erat & fides & authoritas, fœderis ipſius ſignatores accedunt.

CAPVT NONVM ESDRÆ.

1. IN die autem vigesimo quarto mensis huius conuenerunt filij Israël in ieiunio, & in saxis, & humus super eos.
2. Et separatum est semen filiorum Israël ab omni filio alienigena, & steterunt, & confitebantur peccata sua, & iniquitates patrum suorum.
3. Et consurrexerunt ad standum, & legerunt in volumine Legis Domini sui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.
4. Surrexerunt autem super gradum Leuitarum, Iosue, & Bani, & Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani, & Chanani: & clamauerunt voce magna ad Dominum Deum suum.
5. Et dixerunt Leuitæ Iosue, & Cedmihel, Bonni, Hasebnia, Sarebia, Odaia, Sebnia, Phathaia: Surgite, benedicite Domino Deo vestro, ab æterno vsque in æternum, & benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione, & laude.
6. Tu ipse Domine solus, tu fecisti cœlum, & Cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum, terram, & vniuersa quæ in ea sunt, maria, & omnia quæ in eis sunt, & tu viuificas omnia hæc, & exercitus cœli te adorat.
7. Tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne Chaldæorum, & posuisti nomen eius Abraham.
8. Et inuenisti cor eius fidele coram te, & percussisti cum eo fœdus, vt dares ei terram Chananæi, Hethæi, & Amorrhæi, & Pheresæi, & Iebusæi, & Gergesæi, vt dares semini eius, & implesti verba tua, quoniam iustus es.
9. Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto, clamoremque eorum audisti super mare rubrum.
10. Et dedisti signa, atque portenta in Pharaone, & in vniuersis seruis eius, & in omni populo terræ illius, cognouisti enim, quia superbe egerant contra eos, & fecisti tibi nomen, sicut & in hac die.
11. Et mare diuisisti ante eos, & transierunt per medium maris in sicco, persecutores autem eorum proiecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas.
12. Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, & in columna ignis per noctem, vt appareat eis via per quam ingrediebantur.
13. Ad montem quoque Sinaï descendisti, & locutus es cum eis de cœlo, & dedisti eis iudicia recta, & legem veritatis, ceremonias, & præcepta bona.
14. Et Sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis, & mandata, & ceremonias, & legem præcepisti eis in manu Moysi serui tui.
15. Panẽ quoq; de cœlo dedisti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxisti eis sitientibus, & dixisti eis, vt ingrederẽtur, & possiderent terram super quam leuasti manũ tuam, vt traderes eis.

16. Ipsi vero, & patres nostri superbe egerunt, & indurauerunt ceruices suas, non audierunt mandata tua.

17. Et noluerunt audire, & non sunt recordati mirabilium tuorum, quæ feceras eis, & indurauerunt ceruices suas, & dederunt caput, vt conuerterent seruitutem suam, quasi per contentionem: tu autem Deus propitius, clemens, & misericors, longanimis, & multæ miserationis, non dereliquisti eos.

18. Et quidem cum fecissent sibi vitulum conflatilem, & dixissent: Iste est Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto, feceruntque blasphemias magnas.

19. Tu autem in misericordijs tuis multis non dimisisti eos in deserto, columna nubis non recessit ab eis per diem, vt duceret eos in viam, & columna ignis per noctem, vt ostenderet eis iter per quod ingrederentur.

20. Et Spiritum tuum bonum dedisti, qui doceret eos, & manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, & aquam dedisti eis in siti.

21. Quadraginta annis pauisti eos in deserto, nihilque eis defuit, vestimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non sunt attriti.

22. Et dedisti eis regna, & populos, & partitus es eis sortes, & possederunt terram Sehon, & terram Regis Hesebon, & terram Og Regis Basan.

23. Et multiplicasti filios eorum, sicut stellas cœli, & adduxisti eos ad terram, de qua dixeras patribus eorum, vt ingrederentur, & possiderent.

24. Et venerunt filij, & possederunt terram, & humiliasti coram eis habitatores terræ Chananæos, & dedisti eos in manu eorum, & Reges eorum, & populos terræ, vt facerent eis, sicut placebat illis.

25. Ceperunt itaque vrbes munitas, & humum pinguem, & possederunt domos plenas cunctis bonis; cisternas ab aliis fabricatas, vineas, & oliueta, & ligna pomifera multa, & comederunt, & saturati sunt, & impinguati sunt, & abundauerunt delicijs in bonitate tua magna.

26. Prouocauerunt autem te ad iracundiam, & recesserunt à te, & proiecerunt legem tuam post terga sua; & Prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos, vt reuerterentur ad te, feceruntque blasphemias grandes.

27. Et dedisti eos in manu hostium suorum, & afflixerunt eos, & in tempore tribulationis suæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo audisti, & secundũ miserationes tuas multas dedisti eis saluatores, qui saluarent eos de manu hostium suorum.

28. Cumque requieuissent reuersi sunt, vt facerent malum in conspectu tuo: & dereliquisti eos in manu inimicorum suorum, & possederunt eos, conuersique sunt, & clamauerunt ad te: tu autem de cœlo exaudisti, & liberasti eos in misericordijs tuis multis temporibus.

29. Et contestatus es eos, vt reuerterentur ad legem tuam: ipsi vero superbè egerunt, & non audierunt mandata tua, & in iudicijs tuis peccauerunt, quæ

faciet homo, & viuet in eis, & dederunt humerum recedentem, & ceruicem suam indurauerunt, nec audierunt.

30. Et protraxisti super eos annos multos, & contestatus es eos in Spiritu tuo per manum Prophetarum tuorum: Et non audierunt, & tradidisti eos in manu populorum terrarum.

31. In misericordijs autem tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem, nec dereliquisti eos: quoniam Deus miserationum, & clemens es tu.

32. Nunc itaque Deus noster magne, fortis, & terribilis, custodiens pactum, & misericordiam, ne auertas à facie tua omnem laborem, qui inuenit nos Reges nostros, & Principes nostros, & Sacerdotes nostros, & Prophetas nostros, & Patres nostros, & omnem populum tuum à diebus Regis Assur vsque in diem hanc.

33. Et tu iustus es in omnibus, quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti, nos autem impiè egimus.

34. Reges nostri, Principes nostri, Sacerdotes nostri, & Patres nostri non fecerunt legem tuam, & non attenderunt mandata tua, & testimonia tua, quæ testificatus es in eis.

35. Et ipsi in Regnis tuis, & in bonitate tua multa, quam dederas eis, & in terra latissima, & pingui, quam tradideras in conspectu eorum, non seruierunt tibi, nec reuersi sunt à studijs suis pessimis.

36. Ecce nos ipsi hodie serui sumus, & terra quam dedisti Patribus nostris, vt comederent panem eius, & quæ bona sunt eius; & nos ipsi serui sumus in ea.

37. Et fruges eius multiplicantur Regibus, quos posuisti super nos propter peccata nostra, & corporibus nostris dominantur, & iumentis nostris secundum voluntatem suam, & in tribulatione magna sumus.

38. Super omnibus ego his nos ipsi percutimus fœdus, & scribimus, & signant Principes nostri, Leuitæ nostri, & Sacerdotes nostri.

EXPOSITIO LITERALIS.

v. 1. I.

IN *die autem vigesimo quarto mensis huius conuenerunt filij Israel, & in saccis, & humus super eos, &c.* Sic completa ritu legitimo solemnitate Scenopegiæ, de qua superiori capite diximus, vno tantum intermisso die, mox in ieiunio, & pœnitentia sponte conuenerunt Iudæi, vt quod gerendum ex lege audierant, diligenter exequerentur, separando scipsos mente, ac corpore ab eorum consortio, qui à Domino alieni essent, & externæ religionis, ne tandem per eorum societatem, & consortium in ea mala, aut eorum similia reciderent, quæ vix post longa tempora euaserant, nimirum (vt clare, atque aperte, quemadmodum, & quando, seu quid, quoque die gestum sit, sigillatim intelligas) cum præcedentibus festi Tabernaculorum diebus singulis legem audiissent Iudæi, & sic eam se transgressos fuisse percepissent, iungendo matrimonia cum alienigenis. Ideo

Quid, quoque die festiuitatis Tabernaculorum gestum sit.

nis. Ideo transacta die collectæ, quæ fuit 22. dies mensis septimi, postera die separauerunt semen filiorum Israël ab alienig nis, & 24. die *conuenerunt in ieiunio & in saccis, & humus super eos*, id est, ieiunauerunt induti saccis, & aspersi capita puluere in signum veræ pœnitentiæ, & humiliationis. Ac bene quidem hoc die celebrant ieiunium, nempe, 24. nam 23. die mensis *Tisri*, qui dies, post festum Tabernaculorum & collectæ proximè sequebatur, non se affligebant, quoniam eo die mortem Moysis, & dedicationem Templi Salomonis celebrare consueuerant, vt nonnulli hic obseruarunt. Neque vero eo die 24 ieiunijs & lachrymis se dederunt, quod illud eius diei exigeret stata Religio, & iam dies expiationis præterierat, qui ieiunio atque afflictioni consecratus, in decimum mensis incidebat, iuxta legem indictam Leuitic. 23. sed quia dolor de peccatorum grauitate, & fœditate conceptus, animos illorum exulcerabat, quare cùm scirent Iudæi pœnitentiæ nullum esse tempus importunum, statim atque, sine illius offensione potuerunt, induti sacco, & capiti insperso puluere, ieiuno stomacho, precibus se & lachrymis tradiderunt. Obseruatione autem hic dignum est, ad ea quæ in textu memorantur. Authorem seu Magistrum historiæ scholasticæ addere, non solum eos qui ætate essent adulta id fecisse, sed etiam septennes pueros & iumenta ipsa, quod apud Niniuitas contigisse olim refertur Ionæ cap 3. sed id vnde sumpserit prædictus author, sane non intelligo, vnde dubiam eius rei fidem lectoribus meis relinquo.

Non se affligebant Iudæi 23. die mensis Tisri quod eo die dedicationē Tēp'i Salomonis celebrare cōsueuerunt.

Opinio est Authoris Historiæ scholasticæ etiam septennes pueros & iumenta ieiunasse.

Vers. 2. *Et separatum est semen filiorum Israël ab omni filio alienigena, &c.*

II. Quænam pœnitentiæ Iudæorum causa fuerit, hæc verba non obscurè demonstrant, cum enim populus ex assidua legis auditione accepisset, quàm serió in ea præciperetur vt à coniugijs alienigenarum abstinerent, idque etiam fortasse Esdras vehementius indicasset vt iampridem fecerat, altero è Babylone in Iudæam reditu, sub annum septimum Artaxerxis, quicumque huic culpæ erant affines, siue qui nondùm eiecerant mulieres illas, siue qui eas repudiatas iterum acceperant, facti pœnitentes in Templum venerunt, & eiusdem Esdræ, vt videtur, opera, annitente quidem Nehemia iterum separatum est semen filiorum Israël ab omni filio alienigena, non quidem post ieiunium, aut in ieiunio ipso, vt constat ex prædictis, atque ita cum id iam factum esset præcedenti die, ideo dicitur, *Et separatum est*, in præterito, ait Lyranus, id est vt ego interpretor, *Et iam separatum erat*: quod autem additur, *& confitebantur peccata sua*, intellige, verbo, & signo. Cæterùm eo die mensis septimi, qui inter 22. diem & 24. intercedit, id est, inter diem qui cœtus seu collectæ dicebatur, & illum quo ieiunio macerati, saccisque induti in medium se protulere, afflicti ac dolentes Iudæi. Putat quidem author iam supra citatus historiæ scholasticæ à filiis alienigenis recessisse Iudæos, & eam ob causam idoneum sumpsisse orantium, & pœnitentiæ habitum, additque alienigenas expulsos, Moabitas, & Ammonitas fuisse, qui Deuteronom. cap. 23. prohibentur intrare in Ecclesiam Dei, sed quod rectè aduertit Sanctius) popularium hominum negotium hoc non fuit, & Sacerdotale delictum, vel nullo modo, vel leuiter admodum ad populum pertinebat, & inde nondum populus audierat Moabitis & Ammonitis prohibitum esse aditum in Ecclesiam, id est ad Templum Dei, vsque ad cap. 13. vers. 1. atque ideo neque de illis expellendis cogitare poterat. Itaque, per alienigenas, vt supra significaui, filios Hebræorum intelligere oportet, ex alienigena coniuge susceptos, quod proprium fuit Iudæorum & graue flagitium, de quo tam acerbè cōquestus iam olim fuerat Esdras lib. superiori c. 9. Et Nehemias item deplorat hoc libro cap. 13. Quod autem stetisse dicantur hic filii Israël; *Et steterunt*, inquit, *&c.* ne sic intellige, quasi in pedes erecti fuerint, ac stantes orauerint, tametsi hoc non videatur difficile, cùm hic status non sit orationi indecorus, sed stetisse, id est fuisse separatos ab alienigenis, quasi horrerent, quod diuina lege damnaretur, quamquam & verisimile est stetisse primum, aliquantisper, deinde procidisse, in ipsa peccatorum confessione, cum hic corporis habitus sacco, & pulueri maximè sit consentaneus, atque illud etiam verisimilius facit, quod statim versu proximè sequenti surrexisse dicuntur, quod profecto necesse non fuisset, si suis innixi

Non in ieiunio nec post ieiunium sed ante, separati sunt Iudæi ab alienigenis.

Quid sit quod stetisse dicuntur filij Israël, an de statu corporis erecto intelligendum.

pedibus stetissent erecti.

III. *Et confitebantur peccata sua, & iniquitates Patrum suorum, &c.* Solemne fuit Iudæis, & familiare, præsertim in ipso orationis aditu, & sua & parentum suorum peccata confiteri, quo solemni de more instituto profitebantur se prorsus indignos esse venia, quam exorare contendebant, cùm neque sua ipsorum neque parentum superiora merita illam exigerent; Sic Esdras ipse superiori libro, sic Dauid Psalmo 105. sic Daniel capite nono, sic Tobias capite tertio, sic Iudith capite septimo, hinc communis illa Christianorum precatio; *Ne reminiscaris Domine delicta nostra, neque parentum nostrorum*: ac licet, Deus, peccatorum quæ remisit non iam amplius recordetur, vt puniat, tamen, expedit nobis maximè, vt nunquam illa excidant è memoria: quod & Scriptura docet, & maiorem in modum commendant antiqui Patres, iuxta illud Ecclesiastici cap. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu*, sic Dauid, cum audiisset ex Nathan, translatum à se peccatum, dicebat tamen, peccatum suum ante oculos suos semper obuersari, Psalmo 50. *peccatum contra me est semper.* De hac re plura inuenias apud Patres, quæ ad moralem dissertationem apprimè conueniant, illud modo quasi per transennam, ex Diuo Ambrosio, libro secundo de Pœnitentia, cap. 6. hic affero; *Bonum Dominum habemus, qui velit donare omnibus qui te per Prophetam vocauit, dicens: Ego sum qui deleo iniquitates tuas & memor non ero, tu autem memor esto*: hoc est, non reuoco illa quæcumque delicta donaui tibi, velut quadam obligatione tecta sunt, tu autem memor esto, propter correctionem, memor esto, vt scias donatum esse peccatum, ne glorieris quasi innocens: vides hinc, quàm non immerito, nec sine magno suo compendio reminiscantur & confiteantur Iudæi peccata sua ac iniquitates Patrum suorum.

Familiare Hebreis initio orationis suæ & parentũ peccata confiteri.

IV. Vers. 3. *Et consurrexerunt ad standum & legerunt in volumine legis, &c.* Quis non miretur hunc populum tantam pietatis curam habuisse, vt quater in die, id est mane, hora tertia, sexta, & nona, (vt indicat & interpretatur Beda citatus in Glossa) se totum diuinæ legis auditioni traderet, quo renouata in Deum mente purior atque

A ardentior, vt ad implorandam obtestandamque, sic ad prædicandam eius misericordiam accederet, & quater item in nocte, ad confitenda peccata, & veniam expostulandam exurgeret? *Et quater*, inquit, *in nocte confitebantur & adorabant Deum suum*: ex quo apparet, per summum pœnitentiæ affectum, magnam eos sibi nocturnæ quietis partem substraxisse. Hinc forte, cùm hodie in textu vulgato nulla expresè fiat noctis mentio, vt olim in antiquis Bibliis, & legitur etiamnum adhuc in Glossa, Author Historiæ Scholasticæ in Iu-
B dith, ait conuenisse populum octies, ad audiendam legem, quater in die, quater in nocte, vbi & hoc quoque addit; *Lectione terminata prosternebantur populus ad orandum, & fiebant preces super eum, & tandem benedictio Sacerdotalis, &c.* Sed nulla habita noctis ratione, sed diei tantum, vti fit, in hodierno textu vulgatæ lectionis, iuxta Hebræum item & 70. *Et consurrexerunt* (inquit Nehemias) nempe à puluere, in quo strati ante iacuerant, peccata sua & parentum suorum humili confessione replicando: *ad standum, &c.* nimirum, ho-
C noris causa, lectionem sacram non sedentes, sed stantes audiebant, nosque à stantibus vulgo, ac erectis, verbum diuinum audiri solitum, superiori capite pluribus diximus: *Et legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, & quater confitebantur & adorabant Dominum Deum suum, &c.* quibus verbis significat alternatim Leuitas legisse in lege Domini, & populũ orasse, ita ut grata vicissitudine, vtrorũque minueretur labor, & opera; quater autem in die dicuntur audisse legem, & toties ad Dei orationem, seu mauis, cõfessionem & laudem rediisse, in terram
D prostrati, & incuruato (vt credibile est) corpore, sicut proximè illos fecisse c. 8. v. 6. hæc verba indicãt, *Incuruati sunt & adorauerunt Dominũ proni in terram, &c.*

Magna populi pietas in audienda lege, placandoque diuino numine quater in die & quater in nocte.

Vers. 4. *Surrexerunt autem super gradum Leuitarum, Iesue & Bani, &c.* A peccatorum confessione facta publicè à Iudæis, fit progressus ad diuinæ laudis confessionem, cui præmittitur opportunè exhortatio Leuitarum hoc loco, qui cùm dicuntur surrexisse super gradum, ex eo facile intelligitur, Leuitas ipsos, è quorum numero lectores fuerunt, habuisse sublimem aliquem gradum, seu pulpitum V.

ex quo aut legerent aut verba facerent ad populum, sicut habuisse Esdram Sacerdotem vidimus superiori cap. vers. 4. vbi de gradu ligneo, super quem stabat & quem fecerat ad loquendum. Porro Leuitæ, qui in textu cùm Latino, tùm Hebræo, hic nominantur, aliter habentur in 70. nam & plerique omittuntur, quia & sequens oratio soli Esdræ tribuitur vt mox infra videbimus, vers. 6.

Surgite, hic, vox hortantis, quæ idem sonat ac, Eia agite.

Vers. 5. *Et dixerunt Leuitæ, &c. Surgite, benedicite Domino Deo vestro, ab æterno vsque in æternum, &c.* Cum non esset cur Leuitæ populum hortarentur vt surgeret, quandoquidem illi iam ad audiendum surrexerant, vt patet ex textu proximè explicato, vox ista (surgite) sic tantùm aduerbij hortantis vices obtinet hoc loco, vt idem sit, ac si diceret, *Eia agite, agite dùm, venite, benedicite Domino Deo vestro ab æterno vsque in æternum &c.* quæ verba videntur apud Iudæos in diuinis laudibus decantandis, satis frequenter vsurpari solita. Certè illis iisdem pœnè aut non omnino absimilibus, vsus est Dauid lib. 1. Paralipomenon cap. 16. vers. 36. *Benedictus Dominus Deus Israël, ab æterno vsque in æternum, & dicat omnis populus Amen, & hymnum Domino*, & idem repetit cap. 29. vers. 10. vbi vides idem ibi dici ad populum à Dauide, quod hic à Leuitis, illud autem ab æterno vsque in æternum, modum esse loquendi Hæbraico idiomati familiarem quo cum auxesi aliquid perpetuum significatur, sicut cum alibi ex Scriptura dicitur, *in æternum & vltra, & in omnem æternitatem*, notius est quam vt in explicando diutius hæreamus.

Ab æterno in æternum modus loquendi Scripturæ quo significatur, cum auxesi aliquid perpetuum

Et benedicant nomini gloriæ tuæ excelso, in omni benedictione & laude, &c. Quibus, opinor, quasi in choro ab omnibus Leuitis communiter decantatis, solus Esdras vt est in 70. elata voce quam populus audire & affectu potius quam voce sequi posset longam inchoauit orationem à versu sexto consequenti ad finem capitis: in qua primo Deum omnium conditorem recognoscit, & conseruatorem humiliter commendat: Deinde pluribus commemorat cum gratiarum actione, diuinam Israelitici populi electionem in Patriarcha Abraham, & fœdus cum eo initum, & eius impletionem per innumera prodigia, atque miracula, in Ægypto, in mari rubro,

A in deserto, in quo legem per manum Moysi, singulari Dei beneficio acceperat, & insuper cœlestem cibum, & reliqua omnia, ad vitam opportuna, quamuis impiè in Deum suum, atque ingratè se gereret. Denique in acquisitione terræ Chanaan, deletis habitatoribus eius, vbi scilicet cum omnibus bonis ex diuina benignitate & munificentia circumfluxerunt, Deum ipsum flagitiis suis ad iracundiam prouocauerunt: Postremo tandem vehementer Deum obsecrat, vt omnes calamitates populi sui, & præsertim seruitutis suæ reliquias, quas iustè propter peccata sua iampridem patitur,

B propitius intueatur, & auertat. Iam ad ea quæ peculiariter in hac oratione explananda sunt accedamus.

VI.

Vers. 6. *Tu ipse Domine solus, tu fecisti Cælum, Cælum Cælorum, & omnem exercitum eorum, &c.* hic 70. habent, *& dixit Esdras, &c.* solus videlicet vt iam diximus. Quasi post Leuitas in textu memoratos Esdras Sacerdos, iterum locutus sit, & ab his verbis suam orationem auspicatus: sed hæc verba, *& dixit Esdras*, non sunt in Hebræo, vt notat Lyranus, nec in textu inserenda, vt nec in versione vulgata non leguntur, & cùm non sit

70. solum Esdram orasse indicant.

C hæc confessio diuinæ laudis solius Esdræ, sed etiam aliorum confitentium rerum omnium cœlestium ac terrestrium conditorem, & per omnia eius diuina beneficia tota passim oratione sua erumpentium, sic factum interpretari oportet, quod iam ante significaui, vt Esdras quidem solus aut Leuitæ etiam ipsi præcinerent, & illis præcinentibus alii audirent, & tacitè secum Deum laudarent. Quod autem aiunt, *Tu fecisti Cælum Cælorum & omnem exercitum eorum, &c.* Per Cœlum Cœlorum empyreum intellige, vbi Angeli, per exercitum Angelos,

D & Stellas, & Astra, & cœtera Cœlorum ornamenta, quæ passim in Scripturis dicuntur militia, siue exercitus Cœli, sensus igitur est, fecisti non solum Cœlum hoc quod videmus & terram continet aut coërcet ambitu suo, sed etiam illud amplissimum quod Cœlos alios inferiores orbe suo amplectitur, quod sæpe etiam Cœlum Cœli vocatur, vt Psalm. 67. vers. 35. Deuteronom. 10. vers. 14. quia splendidissimum, & maximum Cœlorum omnium, vt pote quod ita cœlos alios suo cohibet amplexu, sicut Cœlum

Cœli Cœlorum, est Cœlum empyreum exercitus Cœlorum Angeli, Stellæ, Astra, & reliqua eorum ornamenta.

hoc citimum nobis & aspectabile terram amplectitur, quo eodem loquendi genere vsus est Salomon lib. 3. Regum cap. 8. vers. 27. *Si Cælum & Cæli Cælorum te capere non possunt*, vbi sicut Cœlum priori loco positum sumitur pro Cœlo quod proxime continet elementa, atque ideo non ineptè posset Cœlum, terræ, aut elementorum dici, sic quoque quia Cœlum illud summum, vulgo empyreum alios inferiores continet, ideo Cœlum Cœli, seu Cœlum Cœlorum appellatur, sequitur in textu, *Fecisti terram, maria, & omnia quæ in eis sunt, &c.* B quia scilicet omnes creaturæ per diuinam gubernationem ad actus suos mouentur, qui motus, etiam in creaturis inanimatis, quamdam vitæ rationem induit, & quodammodo vita dicitur, vt indicat Philosophus 8. Physicorum, *& exercitus Cæli te adorat, &c.* id dicitur quia Angeli, qui sunt exercitus Cœli, vt iam annotauimus, Empyrei, adorant Deum adoratione propriè dicta, similiter exercitus Cœli sideræi, id est Stellæ, & reliqua astra, eum adorant adoratione late sumpta in quantum in eorum illuminationibus relucet Dei bonitas & C sapientia; & ex hoc, mouentur creaturæ rationales ad adorandum eum, adoratione propriè dicta, quemadmodū dicuntur à Psalmista, *Cæli enarrare gloriam Dei*, quia scilicet adeam enarrandā prædicandámq. mortales, suo more inuitant; Ex hoc autem loco (vt obseruauit Lyranus) Manasse dicitur, qui dum error Iudæorum dicentium Deum esse corporeum, & esse in loco determinato; scilicet in Occidente eo quod Stellæ mouentur ab Oriente, versus Occidentem; quasi adorando Deum ibidem existentem: sed hæc ratio friuola est, quia eadem ratione D diceretur, esse in Oriente, quia Stellæ mouentur ab Occidente in Orientem, in Hemisphærio nobis opposito, immo & contrariis motibus mouentur Planetæ, vt norunt Astrologi. Adde, inquit idem author, prædictum errorem esse manifestè contra dictum Hieremiæ 23. *Cælum & terram impleo.* Vnde quod nimis per sese absurdum sit illud Iudæorum figmentum: alia quoque prolixiori refutatione non indiget.

Vers. 7. *Tu ipse Domine Deus qui elegisti Abram & eduxisti eum de igne Chaldaorum, &c.* Inter peculiaria Dei

A beneficia in filios Israël collata, primo beneficium electionis exprimit, quo Deus populum illum sibi tanquam peculiarem elegit, ducto ab Abraham exordio, quem patrem credentium constituit, & cuius se filios esse Israëlitę iactabant gloriabunturq; tantopere, quod autem eductum significat de igne Chaldæorum, licet Hebraïcè sit *de Vr* & 70. habeant *de Regione*, quia tamen vulgatus interpres transtulit, *de igne*, omissis Hebræorum fabulis, de Abraham & Aram coniectis in ignem propter fidem vnius veri Dei, ex mandato Nemroth, & diuinitus inde eductis, quas carrat Hieronymus in 11. Genesis, si tamen ille harum traditionum author est, & post illum Lyranus, saltem sic accipi potest, Deum scilicet de idololatria Chaldæorum qui ignem vt Deum colebant liberasse, & eduxisse Abrahamum. Et sane in ea ciuitate, quæ in Chaldæorum Regione *Vr* vocabatur, & Latinè ignis nomine exprimimus, vixisse Thare Abrahami Patrem, & cum eo Abrahamum, totamque familiam probat Scriptura, cap. 11. Genesis vbi dicit plurimos de illius cognatione, de Vr Chaldæorum fuisse reductos, qui sane omnes, de igne (si ignis propriè pro incendio sumendus est) educti ac liberati non fuerunt. *Tulit*, inquit, *Thare Abraham filium suum, & Lot filium Aram filij sui, & Sarai nurum suam, & eduxit eos de Vr Chaldaorum vt irent in terram Chanaam.* Magnum aliunde tùm Abrahamo, cum in ea ciuitate moraretur impendere potuisse periculum à Chaldæorum multitudine concitata, cùm diceret Gentium deos habendus esse nihili, & vnum Deum esse colendum, refert Iosephus lib. 1. Antiquitat. sic enim ibi de Abrahamo, *cum Chaldai, Mesopotamitæque cæteri contra se insurgerent consilium migrandi cœpit, & voluntate ac fauore Dei fretus terram Chanaam tenuit*, nec displicet hic obseruatio Sanctii, quam hic leuiter attingo, in Scripturis sæpissimè, pro nomine proprio, eius notationem, aut significationem vsurpari, cuius rei exempla sunt, in nouo Testamento *Simon Chananæus* qui dicitur *Zelotes*, Thomas *Didymus*, Silas *Syluanus*, in quibus priora nomina quæ sunt propria, posterioribus etiam significantur, quæ communia sunt, in veteri Testamento, 1. Paralipomen.

VII.

Quomodo intelligendus sit Abrahā eductus de igne Chaldæorum

Sæpissime in Scriptura pro nomine proprio eius notatio aut significatio ponitur.

cap. 4. vers. 12. quater pro nominibus propriis, eorum adhibentur significationes, *Qui stare fecit solem, virique mendacij, securus, & incendens*, pro, Iochim, Chozebæ, Ioas, Saraph, & quod in propriis virorum, id quoque in locorum nominibus accidit, vt Hieremias cap. 31. vers. 11. pro *Ramah*, quod nomen proprium ciuitatis est, *excelsum* posuit, *vox in excelso audita est*, Psalm. 7. *Pax* ponitur pro *Salem*, *& factus est in pace locus eius*, 2. Reg. cap. 8. pro *Metheg*, quod nomen item ciuitatis est, *frenum* legimus Cantic. 6. *Thirsa*, quod ciuitatis Regiæ nomen est. *Iuauitatis* exprimitur vocabulo, & pro *Bersabea* bis Genes. 46. ponitur, *Puteus iuramenti*, vt mirum non sit, si quod fecit alibi vulgatus interpres, hoc etiam loco fecerit, & cum *Vr*, quod nomen est ciuitatis & Patriæ Abrahæ, ignem significet, in illius locum eius significationem substituerit. Quod autem in fine huius versus subiungitur, *& posuisti nomen eius Abraham* ex Genesis cap. 17. vers. 5. petitum, vbi causa nominis illius redditur, *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellabitur Abraham, quia Patrem multarum gentium constitui te*, ecertè *Abram* quo nomine vocatur vsque ad caput Genesis 17. Patrem significat excelsum, *Abraham* vero, Patrem multitudinis, seu multarum gentium, plura de his interpretes in Genesim, quæ hic transferre non est necesse, & quia infinitum esset, & quia breuiter hæc tantum, & strictim indicando, satis lucis huic Esdræ orationi afferri potest.

Vers. 8. *Et inuenisti cor eius fidele coram te, & percussisti cum eo fœdus, &c.* Pergit de Abraham dicere, & cor eius à Deo fidele inuentum fuisse commemorat, quia scilicet ex mandato Dei sibi patefacto, atque ex summo diuinæ in omnibus voluntatis exequendæ studio, paratus fuit filium suum, vnicum, atque vnicè sibi charum, & dilectum immolare vt habetur Genes. 22. Alii fidelitatem Abrahami erga Deum interpretantur de eo quod cum multa olim pateretur à Chaldæis popularibus suis, & plura etiam ab iisdem timere potuerit, quod vnum Deum contempto, reiectoque Idolorum cultu veneraretur, tamen in fide persticit firmius quàm ipse nunquam vel in præsenti rerum vitæque discrimine deseruerit, sed malim ad

VIII.

Varia interpretationes fidelitatis Abrahami erga Deum de qua hoc loco.

A tentationem referas, de qua Genesis loco citato, quando filium suum Isaac sacrificare iussus est à Deo, vbi in re admodum ardua, & difficili suam in Deum fidem, ac pietatem, egregio sanè, atque illustri monimento contestatus est, quia postquam tentauit Deus Abraham, & is *credidit Deo*, vt ait Iacobus, cap. 2. vers. 23. id est, fidelis fuit fidem suam tentanti, & exploranti, statim successu pactum, de quo hic, tam expressus sermo, cum dicitur, *& percussisti cum eo fœdus, vt dares ei terram Chanaam, &c.* Nempe, his verbis Genes. 22. vers. 16. *Per*
B *memetipsum iuraui*, dicit Dominus, *quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, propter me, Benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris, possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, &c.* Hinc Ecclesiast. cap. 44. vers. 11. vbi Abrahami fides laudatur, huius quoque pacti ac fœderis mentio fit, & simul hæc duo commodè coniunguntur, *In tentatione*, inquit, *inuentus est fidelis, ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente sua.*

C Vers. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *Et vidisti afflictionem Patrum nostrorum in Ægypto, clamoremque eorum audisti, &c.* Quæ reliquis postmodum consequentibus, & citatis etiam iam proximè versibus, diuina beneficia enumerat sacer Author, tota passim Genesi, Exodo, atque historia Iosue, continentur, & quia satis nota sunt, atque illustrata, alia expositione indigere minus videntur, quod ait de Hebræorum afflictione in Ægypto his verbis, *Et vidisti afflictionem Patrum nostrorum in Ægypto, clamoremque eorum audisti super mare rubrum*, id late prosequitur Moyses, in Exodo, à cap. 3. vbi
D dicit Dominus ad ipsum Moysem, *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto*, quod autem vers. 13. significat de apparitione Dei, siue Angeli, in persona Dei, descendentis ad montem Sinaï, expressum habes, eiusdem Exodi cap. 19. vbi fusè admodum ac distinctè describuntur, quæ hic paucis tantum, & generatim perstringuntur.

Vers. 15. *Panem quoque de cælo præstitisti eis in fame eorum, &c.* Per hunc panem à Cœlo præstitum, manna intellige, sic enim cum nondum deplueret, & tantum à Deo per Moysem promissus esset populo, panis vocatur Exod. 16. vers. 8. *Dabit vobis Dominus* IX.

mane panes in saturitate : deinde vers. 12. *Mane saturabimini panibus*, id est, manna, ex quo tanquam ex tritico, mola, vel pilo contuso, tortulas panis conficiebant, & tandem vers. 15. vbi manna è cœlo depluente, & demirantibus Hebræis, palamque sciscitantibus quid esset, respondit Moses, *iste est panis quem dedit Dominus vobis ad vescendum*: Multa de manna prædicantur, eaque sane præclara, citato Exodi capite, & Numerorum cap. 11. & Sapientiæ 16. Singulare est istud, quod omnem haberet saporis suauitatem, & priusquam decideret, Deus è cœlo rorem immitteret, qui manna illud suauissimum pollui non fineret, vt purum esset ab omni concretione, atque immunditia terrestri, & sic ex aere, ac cœlo sumi potius videretur, quam ex terra, aut puluere. Habes istud clare expressum Exod 16. vers. 13. & Numerorum 11. vers. 7 hinc ex Dauide Psalm 77. vers. 25. *Et panis Angelorum, & panis cœli vocatur*, panis Angelorum, non comedentium quidem, si quidem cibo duntaxat inuisibili vtuntur, vt ex illis vnus aiebat ad Tobiam, sed producentium manna, ex materia ad id in nubibus disposita; vnde & *panis cœli*, id est, nubium dicitur quia manna in nubibus formabatur, & è nubibus depluebat. Adde & vocari panem Angelorum, id est, panem delicatissimum, ita vt si comederent Angeli, non alio pane, quàm manna vescerentur, sicut 1. Corinth. 13. vers. 1. linguæ Angelorum, dicuntur linguæ omnium pulcherrimæ, & elegantissimæ, pro voce *Angelorum*, Hebraicè est, *Abbirim*, id est fortium, seu robustorum, quod est Epithetum Angelorum, qui fortitudine, & virtute præcellunt hominibus, nisi mauis, panem Angelorum, siue fortium dici, quia per manna validi, & fortes fiebãt. in quo (vt fere omnes interpretes animaduertunt) eximium Eucharistiæ typum exhibebat, quæ mirum quantum confirmat, & corroborat corda nostra in vitam æternam.

Manna promissum, & nondum depluens è cœlo panis vocatur.

Quid singulare de manna prædicetur in Scriptura.

Cur vocatur manna. Panis cœli, & panis Angelorum.

Et aquam de petra eduxisti eis, &c. Vbi, & quando, & quoties, quoniam non exprimitur, exquirendum est, & vt exquiratur, prius præmitendum est (quod obseruat hîc Sanctius, vt erudite, sic omnino ex rei veritate) ridiculum plane Rabbinorum esse commentum, apud Genebrardum in illud Psalm. 94. vers. 10. *Sicut in exacerbatione secundum diem tentationis*, ex antiquis Patrum traditionibus, è manna duabus horis ante meridiem colliquescente, fundi solitos aquarum riuos, ea vbertate, vt ad pecorum etiam sitim explendam, idoneè sufficerent; ridiculum sane commentum est, in quo multa peccari video, primum quod liquefieri dicat manna paulo ante meridiem, cum Scriptura doceat, neque exorientis solis radios sustinere potuisse, atque ideo Hebræos ante solis ortum illud colligere debuisse, quia si egrederentur serius, liquefacto illo cœlesti cibo, nihil habituri erant, quod domum reportarent, sic enim Sapientiæ 16. *Quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat, vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam.* Deinde si (quod antiqui isti Hebræorum Doctores somniarunt) verum esset, vt ex manna quotidie, tanta vis aquarum profluere soleret, neque sitiuisset populus, neque murmurasset contra Deum & Sem, quod homines, & iumenta aqua deficiente perirent, vti faciunt Exodi 17. licet iam cap. 16. datum esset manna de cœlo, dicitur enim, *Sitiuit populus præ aquæ penuria, & murmurauit contra Mosem dicens, cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos, & liberos nostros, & iumenta siti*: Explosis igitur, ac longum valere iussis, eiusmodi Rabbinorum somniis, ac deliriis dico constare cum authore iam citato, ex scriptura ter omnino Israelitis datam esse aquam diuinitus, antequam terram Promissionis ingrederentur. Primum in vndecima mansione ad Rapsidim, de qua Exod. 27. secundo in vigesima tertia mansione ad Cadesbarne, anno fere quadragesimo ab egressu ex Ægypto, de qua Numeror. cap 20. tertio ad torrentem Arnon ad terminos Moab, vt habetur Numeror. 21. de his, vel omnibus generatim, vel singulis speciatim hæc verba intellige: *Et aquam de petra eduxisti eis*, & quidem de aquis Rapsidim, cum citato iam Exodi capite 17. vers. 1. filii Israel anno secundo egressionis ab Ægypto castrametati essent in Rapsidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo, & iurgati essent contra Moysem, dicentes: *da nobis aquam, vt bibamus, &c.* dixit Dominus ad Moysem vers. 6. *En ego stabo coram te super petram Horeb, percutiesque petram, & exi-*

X.

Ridiculũ est Rabbinorum cõmentum certis horis è manna liquescente fundi solitos aquarum riuos qui ad omnium sitim explendam sufficerent.

Ter data Israelitis aqua diuinitus, antequam terrã Promissionis ingrederentur.

bit ex ea aqua, *vt bibat populus*, *&c.* Nempe illic Deus venam subterraneam aquarum, in lapidem à Moyse percussum elicuit, quæ lapidē findens ex eo prosiliret, idque assidue & continuo, tradunt enim Cosmographi, inquit Abulensis, fontem hunc petræ à Mose percussæ in Raphidim, perdurare etiamnum adhuc hodie, aquasque continuo scaturire, quin & addit idem Abulensis in cap. 20. Numeror. quæst. 3. Arabiam ex hac aqua, & petra Mosis perenni fluxu scaturiente factam esse habitabilem, cum antea ob nimiam siccitatem esset inhabitabilis, idem censet Gaspar Sanches in Isaiæ cap. 43. vbi de aquis istis per miraculum à Deo populo concessis, sic Propheta in persona Dei ipsius vers. 20. *Dedi in deserto aquas*; *& flumina in inuio, vt darem potum populo meo*, quo in loco, vti etiam ex Psalm. 77. & 106. vbi, tum flumina in deserto, & stagna aquarum, & torrentes inundasse dicuntur, facile deducitur vim aquarum fuisse maximam, quæ tunc excussa fuit à Moyse de silice, atque id ipsum ratio persuadet, cum non solum ex ea aqua ingentem hominum multitudinem, sed etiam illorum iumenta, & pecora bibisse oportuerit. De secundis aquis excussis item à Moyse de petra in Cadesbarne, cum filii Israel iterum vrgente siti seditionem excitarunt, vt ante in mansione Raphidim, & ex quadam diffidentia peccarunt, Moses ipse, & Aaron, sic Numeror. cap. 20. vers. 9. 10. 11. *Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixitque eis: audite rebelles, & increduli: num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere, cumque eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem egressæ sunt aquæ largissimæ, &c.* De tertiis aquis, non ex percusso silice, sed ex effossa humo ad torrentem Arnon, habes Numerorum capite vigesimo primo, versu decimo sexto, *ex eo loco*, ait Scriptura, *apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysem, congrega populum, & dabo ei aquam.* Hinc satis constare videtur, populum etiamtum laborasse siti, & aquarum penuria, & Mosem pro ea leuanda rogasse Dominum, qui exoratus ostenderit ei puteum, sequitur versu decimo septimo, *Tunc cecinit Israël carmen istud: ascendat puteus*, id est, aqua putei, quasi dicat, continuo ebulliat, & ascendat

Etiamnū adhuc hodie fons petræ à Mose percussæ perdurat.

Ex perenni illius aquæ fluxu Arabia facta habitabilis.

XI.

A aqua è fundo putei, vt quotquot hic sumus, ex eo bibere possimus, equi, & iumenta nostra: *Et concinebant, puteus, quem foderunt Principes, & parauerunt Duces, in*, id est cum, *datore legis*, id est Moyse, *& in*, id est cum, *baculis suis*, ex quo carmine gratulatorio exultantium de tanto diuini numinis beneficio, apparet Deum quidem ostendisse Mosi fontem, vt ante diximus, seu venam aquarum, sed Moysem ipsum, etiam & Principes populi suis baculis, ferratis puta, id est ligonibus terram circumfodientes dilatasse, & profundiorem effecisse, vt esset instar putei.

B *Et dixisti eis vt ingrederentur, & possiderent terram, super quam leuasti manum tuam, vt traderes eis, &c.* Quod de terra promissa populo ait, super eam leuasse Deum manum suam, intellige ad veritatis confirmationem stabiliendam, more scilicet iurantium quibus solemne est manum sursum attollere, cum certò aliquid asseuerant, quasi à Deo id factum sit, ne vmquam Israelitæ de diuina promissione diffiderent.

Deus dicitur leuasse manum suam ad veritatis confirmationem.

Vers. 16. 17. 18. *Ipsi vero*, *& patres nostri superbe egerunt, &c.* Postquam superius de diuina in filios Israel beneficentia dixit, mox eiusdē populi de acceptis tot, tantisque à Deo beneficiis ingratitudinē annectit, interponitq; artificiose, alia etiam postmodū beneficia

C enumeraturus: credo, vt eluceat magis tam insignis diuinæ bonitatis in ingratos indulgentia, eiusque beneficiorum, & multitudo, & magnitudo, extet illustrior, *patres*, inquit, *nostri superbe egerunt*, vis scire quid sit, *superbe egerunt*? audi, *indurauerunt ceruices suas, & non audierunt mandata tua, & noluerunt audire*; superbis si quidem familiare est, & quasi naturale vitium, repugnare monitis, nolle quemquam audire, & aliorum iugum detrectare, pergit, *& dederunt caput*, id est, retro verterunt, quidam sic vertunt, *Ducem elegerunt*, scilicet, vt eos reduceret in Ægyptum, cum (vt

D textus ipse hoc loco indicat) reuerti vellent in seruitutem suam pristinam, aliud igitur hic quidquam significari non video, quam populum tot diuinis ornatum beneficiis, illorum fuisse immemorem, neque Dei obsecutum imperio, vt par erat, sed suæ magis voluntati, ac genio paruisse, quod fecerunt non semel, cum adhuc recens ex Ægyptiorum seruitute essent liberati, & mare rubum, demersis in eo ho-

Proprium superbia repugnare monitis, & aliorum iugum detractare.

stibus, sicco ipsi vestigio feliciter transmisissent. Quod autem speciatim meminit vituli conflatilis, quem in deserto pro Deo coluerunt, toto cap. 32. Exodi fere descriptum inuenias, quoties porro aut quàm sæpe reuerti voluerunt in Ægyptum & ad Gentilium mores & sacra transfugere, plenæ sunt sacræ Historiæ, consule [si otium est] totum caput lib. 2. Iudicum, & intelliges quam varium & mutabile fuerit ingenium Israëlitarum, qui de noua pœnè quotidie amplectenda religione cogitabant, immmo, & hoc ipso tempore reditus è captiuitate, cùm iam essent Patriæ restituti, videmus eos, vxores duxisse alienigenas, vt infra narratur, cap. 13. cum tamen libro superiori cap. 9. fuissent ab Esdra eo nomine reprehensi, & fœdus ipsi cum Domino de illis ac liberis ex eo coniugio susceptis eiiciendis percussissent, vt iure de illorum maioribus, apud illos ipsos, per Angelum suum, Deus conquestus sit, lib. Iudicum, capite citato vers. 1. *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram pro qua iuraui, & pollicitus sum vt non facerem irritum pactum meum in sempiternum, Ita duntaxat vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & noluistis audire vocem meam, cur hoc fecistis? &c.*

XIII. Vers. 19. *Tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto, &c.* Magnum profectò diuinæ bonitatis ac misericordiæ argumentum, quod licet toties Israëlitæ superbè egerint, ac diuina mandata inuerecundè neglexerint, tamen nec illorum curam Deus abiicerit, sed contra post tot etiam offensiones, post tot immemoris atque ingrati animi aperta indicia, paternum semper in illos studium explicuerit, illis siquidem, & columnam nubis de die, & columnam ignis de nocte concessit; quæ tota annorum quadraginta peregrinatione per desertum viam ostenderet. Hæc sæpe in Psalmis à Dauide amplificari animaduerte est, & in Deuteronom. à Moyse cap. 32. vbi etiam ingrati ac obdurati huius populi flagitia prolixè commemorantur.

Vers. 20. *Et spiritum tuum bonum dedisti, qui doceret eos, &c.* Quisnam fuerit is spiritus bonus, quem Deus Israëlitis sic tanquam viæ Ducem, ac Doctorem concesserit, etsi dubitari potest, tamen satis expressum videtur Exodi cap. 23. vers. 20. *Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te & custodiat in via, & introducam in locum quem paraui, &c.* sed per hunc Angelum, quemnam tandem intelligas? sunt qui Mosem ipsum cum Caietano, sūt qui Iosue intelligant, quia hic introduxit Hebræos in terram illis à Deo promissam, ita Iustinus, contra Tryphonem, & Eusebius lib. 4. demonstrationis Euangelicæ, & Rabanus. Alii vt Rupertus in Exodum. & Athanasius lib. de communi essentia Patris ac Filii & Spiritus sancti & Hesychius lib. 7. in Leuiticum, putant eo loco filium Dei, Angelum vocari, quia additur, *& est nomen meum*, puta Dei, *in illo*, quasi dicat, æque dicitur Deus ac ego, sed hæc Allegorico sensu potius quam literali dixerunt prædicti Patres. Ergo, Angelus hic, seu spiritus bonus, de quo item Deus ad populum Exodi 33. vers. 2. *Mittam præcursorem tui Angelum*, verus fuit, & merus Angelus, & Angelus bonus, qui propterea hîc, seu minister Dei bonus dicitur, præses nimirum exercitus Hebræorum qui præibat eis viam, in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem, qui Dei nomine præcipiebat Moysi, & Hebræis, qui demum rebelles cum opus esset puniebat. Postremo, & hunc Angelum seu spiritum bonum probabile est fuisse Michaëlem, qui Danielis 10. versu vltimo vocatur, *princeps populi Israel*, hunc enim olim præfuisse Synagogæ Iudæorum, vti nunc præest Ecclesiæ Christianorum communis authorum est sententia.

Quis sit Spiritus Dei bonus ad ducendos Hebræos destinatus.

Vers. 21. 22. 23. 24. 25. *Quadraginta annis pauisti eos in deserto, nihilque eis defuit, &c.* Horum pœnè omnium quæ hic commemorantur, fusam item ac disertam habes narrationem Deuteronomii cap. 29. vers. 5. & sequentibus. Summa est, peregrinanti populo per desertum quadraginta totos annos, ad vitam sustentandam nihil omnino defuisse, non cibum, non potum, non vestimenta, nec demum eorum quidquam, quæ aut inculto corpori ornando, aut ægro etiam curando necessaria viderentur. Et quidem cùm hic dicitur, *Vestimenta eorum non inueterauerunt, & pedes* id est, calcei, *eorum non sunt attriti, &c.* Satis indicatur, vestes illis non defuisse, nam cum (nouo plane, atque antea inaudito prodigio) non consumerentur vsu, sed recentes semper XIV.

Israëlitis in deserto vestes semper recentes ac integræ permanebant & cum crescentibus crescebant.

per permanerent ac integræ, & cum A crescentibus crescerent, cumque calceamenta illorum longo licet itineris difficili labore nullo modo detererentur, certè neque nouis calceis, neque mutatoriis vestibus, populus ille indigebat: ex occasione prodigii circa Hebræorum vestimenta, quod hic narratur, & desumptum videtur ex Deuteron. loco citato, quærit Abulensis vnde tot millia paruulorum qui nati sunt in deserto vestes suas habuerunt. Aliqui respondent Hebræos eas emisse à vicinis gentibus, sed cum illæ fere B hostiles essent atque inimicæ, nec Hebræi cum iis vllum haberent commercium, minus probabile est, quare respondet Abulensis Hebræos eas extulisse secum ex Ægypto, & esto illæ maiores essent, quàm pueros decerent, viriles puta, tamen per miraculum, & supernaturaliter easdem fuisse imminutas, & contractas, atque adeo paruulorum corporibus, fuisse accommodatas, easque rursus cum crescentibus creuisse, quod de aliis grandioribuss certo dicendum est. Vide si non verè *in signis & portentis* viæ Ducem se Dominus exhibuit, populo Hebræorum. Alii di- C cunt Hebræos in exitu cum Ægyptum spoliarent, vestes inde varias extulisse, vt patet Exodi duodecimo, versu trigesimo quinto, quas postea dissuerint, & consciderint, easque paruulorum corpusculis adaptauerint. Addi potest, vestes eorum qui moriebantur in deserto, cessisse iis qui subnascebantur & succrescebant, & cùm tam viri, quam fœminæ, in deserto otiosè non degerent sed lanam & linum tractarent, inde sibi quoque pannos ac vestes conficere potuisse: ex istis sententiis, cuicumque D voles calculum adiunge; de primo miraculo dubium esse non potest, certumque haberi debet quod in textu est, vestimenta eorum quadraginta annis non inueterasse, & pedes eorum non fuisse attritos: paulo aliter legitur, eodem tamen sensu, in Deuteronom. *Nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt*: vnde colligas (quod notat Dionysius) hoc loco, sumi contentum, pro contento, & pedem pro calceo vsurpari, atque in eam rem, duo obseruat Sanctius, & Septuaginta, pro eo quod vulgatus Interpres, *pedem* posuit ὑποδήματα, id est, soleas, seu calceamenta reddidisse, tam hoc loco, in editione Complutensi, acquibusdam aliis, (vt notarunt scholia in additionibus Sixtianis) quàm Deuteronomii cap. 8. & indumenta, interdum significari apud Græcos, & Hebræos, aliosque populos, nomine illarum partium, quæ teguntur, quod multis confirmat exemplis, ex vario Linguarum idiomate petitis, in suis commentariis in Cantica. Ad extremum, adiungendum hic quoque, vti melius comprobetur, totos quadraginta annos commoranti populo in deserto, nihil defuisse, neque Medici cuiusquam opera, aut vllius generis medicamenti opus illis fuisse, cum toto illo tempore nemo vnus tentatus fuerit à morbo, aut inualitudine, vt constat ex Psalmo 104. versu trigesimo-septimo, *Et non erat in tribubus eorum infirmus* [quod sane ingens miraculum fuit] neque tonsore etiam, aut Chirurgo, si Diuum Hieronymum audimus, cum Hebræis in deserto, neque capillus aut barba crescerent, supra statum, aut habitum hominum decorum, neque aliquid eo tempore augeretur in corpore superfluum, aut exuberans quod Chirurgi desideraret aut tonsoris industriam. Sic enim Hieronymus, libro secundo contra Iouinianum; *Gomor*, inquit, *manna vniuersis ætatibus vna in cibo mensura est, vestitus pariter non deteruntur, capilli simul non augentur, barba in commune non crescit, calceamenta ex æquo omnibus durant, non incalluere pedes*. Hactenus ille, de capillis, qui non excrescerent in Hebræis in deserto, fides sit penes Hieronymum, certè de eo altum est in scriptura silentium.

Vnde Hebræi in deserto vestes habuerint quibus tot paruulos ibi natos induerent.

Apud Græcos, Hebræos, aliosque populos nonnumquam indumenta significantur nomine illarum partium quæ indumentis ipsis teguntur.

Totos quadraginta annos nemo in deserto morbo tentatus.

Ex Diuo Hieronymo nec barba, nec capilli crescebant Israëlitis in deserto.

Vers. 26. *Prouocauerunt autem te, ad iracundiam, & recesserunt à te & proiecerunt legem tuam post terga sua, & Prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos vt reuerterentur ad te, feceruntque blasphemias grandes; &c.* Vocem Hebræam, pro qua vulgatus transfert *blasphemias*, quidam vertunt *conuitia*, alii, vt Septuaginta, *irritationem*, significat autem Idola, X V. & omnem idololatriam, quæ primùm tempore Iudicum, deinde etiam Regum identidem exercebatur, ita vt alternatim impietas, & flagella, Idolorum & alienigenarum

seruitus; pœnitentia reorum, & Dei indulgentissimi misericordia sibi subinde succederent: quod ait; *Et Prophetas tuos occiderunt, &c.* Hoc patet ex historia Regum pluribus in locis, sed præsertim libro quarto, capite vigesimo primo, vbi dicitur Manassem, fudisse sanguinem innoxium multum nimis, & sane de eo Christus ipse conqueritur in Euangelio Matth. 25. vers. 37. *Hierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt*, quales fuerunt Hieremias, Isaias, Amos, Zacharias, aliique complures, &c. sed quid est hoc loco, *Prophetas occiderunt, qui contestabantur eos*? scilicet, aduersus eos diuino numini rebelles, cœlum & terram inuocabant Prophetæ, atque in testes quodammodo illorum perfidiæ adducebant, sic Moyses Deuteronom. 32. vt populum admoneat, testes appellat cœlum & terram: *Audite cæli quæ loquor, & percipe terra verba oris mei*, sic Isaias statim ipso Prophetiæ suæ exordio; *Audite cæli, & auribus percipe terra*, & libro primo Regum, capite octauo, præcipit Deus Samuëli, vt populum contestetur, hoc est Dei nomine admoneat, testibus, si opus est, cœlo ac terra inuocatis: *Contestare, inquit, eos & prædic eis ius Regis qui regnaturus est super eos, &c.*

Prophetæ aduersus Iudæos Deo rebelles passim cœlum & terram inuocabant.

XVI. Vers. 27. *Et dedisti eos in manu hostium suorum, & afflixerunt eos, &c.* Hoc referre oportet ad tempus Iudicum, siquidem post mortem Iosue populo ad idololatriam declinante, frequenter diuini numinis iracundia concitata est, ex quo factum, vt frequenter quoque, diuino vlciscente numine, populus iste duræ admodum ac perfractæ ceruicis, in manus hostium suorum traditus fuerit, nimirum, Deus vt illorum profusam viuendi licentiam comprimeret, intelligerentque magno suo damno, quam ipsis noceret à vera Religione desciscere, sinebat eos plerumque illorum ipsorum, quos ante subegerant armis atteri, ac dominatione proculcari: quod autem additur hîc, *& in tempore tribulationis clamauerunt ad te, &c. & dedisti eis saluatores qui saluarent eos, &c.* Facile est intelligere, Saluatores illos fuisse Gedeonem, Samsonem, Iephte, Barach, aliosque eiusmodi, quorum res præclarè gestæ in libro Iudicum commemorantur. Certè eo libro capite tertio, versu nono, Othoniel Saluator appellatur Israël, & versu decimo quinto, Aod, & ille de quo libro quarto Regum, capite decimo tertio, versu quarto, sic habetur; *Vidit*, Deus scilicet, *angustiam Israël, quia attereret eos Rex Syriæ, & dedit Dominus Saluatorem Israël, &c.*

Gedeon, Samson, Iephte, Barach, aliique, Saluatores in Scriptura nominati.

Vers. 28. *Cumque requieuissent, reuersi sunt vt facerent malum in conspectu tuo & dereliquisti eos in manu inimicorum. Conuersique sunt & clamauerunt ad te, tu autem de cælo exaudisti, &c.* Vides varium ac volubile omnes in partes populi istius ingenium, neque enim perstare diu in fide Deo data poterant, sed breui, oblatæ falsæ libertatis specie decepti, & obligatæ sæpius fidei immemores, ad antiquas criminum sordes delapsi, in eadem quæ paulo ante Deo miserante defugerant infortunia deuoluebantur. Iidem ipsi cùm duro inimicorum suorum premerentur imperio, & clamarent in cœlum assiduè, diuinumque implorarent auxilium, Deus illorum clamoribus commotus, Duces subinde mittebat strenuos & Saluatores (vt ante appellauit) quorum opera domitis ac debellatis hostibus in libertatē assererentur, hoc est quod ait, *Conuersique sunt & clamauerunt ad te, tu autem de cælo exaudisti & liberasti eos in misericordiis tuis multis temporibus.* Annon locus hic belle cum eo quadrat Iudicum tertio, versu nono, *& clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem & liberauit eos, Otheniel videlicet filium Cenez, fuitque in eo spiritus Domini & iudicauit Israël, egressusque est ad pugnam, & tradidit Deus in manus eius Chusanrasathaim & oppressit eum, quieuitque terra quadraginta annis.*

XVII. Vers. 29. *Contestatus es eos, vt reuerterentur ad legem tuam, &c.* Iam superius vers. 2. significauimus contestari, quæ vox iudicialis, ac forensis, aliud nihil esse, quam legitima denunciatione aduocatis testibus, cœlo videlicet, & terra, populum Dei nomine alicuius rei admonere: cum autem Prophetæ olim contestabantur populum, & Dei nomine reprehendebant, aut admonebant, illud fere ex legitimo, ac solemni more præmittere solebant, *hæc dicit Dominus*, vel *audite*

Prophetæ monitionibus suis

premitte-re solebant hæc verba, Hæc dicit Dominus, *vel* Audite verbum Domini.

verbum Domini, aut certe iuramenti fidem, ac religionem interponebant, ex quo intellige, Deum per Prophetas his modis contestatum esse Hebræos, vt ad legem redirent, quam perfidiose, ac sacrilege perdiderant, ipsos vero quasi inanes forent voces illæ, ac comminationes, obdurasse aures suas, atque animos in malo obfirmasse, hoc enim est quod ait Nehemias: *ipsi vero, & parentes nostri superbe egerunt, & indurauerunt ceruices suas, vt non audirent mandata tua, &c.* Quod autem addit, *in iudiciis peccauerunt, quæ faciet homo, & viuet*, idipsum est, quod ante dixit, *non audiuerunt mandata tua*: nam iudicia, sumi pro præceptis, vsitatum est in Scriptura sacra, quod & alia item phrasi consequente indicatur: *Et dederunt humerum recedentem, &c.* qua vtitur etiam Zacharias cap. 7. vers. 11. *Auerterunt scapulam recedentem, & aures suas aggrauauerunt, ne audirent*: nempe auertere humerum, seu scapulam, seu dare humerum recedentem, eius est, qui alterius mandata, aut monita contemnit, qui loquendi modus, sumptus esse videtur ex habitu illorum, qui si forte alios cum quibus agunt aut non curant, aut parui faciunt, faciem auertunt, & conuertunt terga, sic Hieremiæ cap. 2. *Verterunt ad me tergum, & non faciem*, in quem locum, hæc edisserit Diuus Hieronymus, *Quando magister præcipit, obedientis indicium est, si demisso audiat capite, si autem vertat tergum contemnentis.*

Iudicia sumuntur pro præceptis, ex vsu loquendi Scripturæ.

XVIII. Vers. 30. 31. *Et protexisti super eos annos multos, &c. Et contestatus es eos, & non audierunt, & tradidisti eos in manus populorum terrarum, &c.* Illius temporis memoriam refricat, quo Regnum Israël traditum fuit in manus Regum Assyriorum, scilicet Teglatphalazar & Salmanazar, vt habetur 4. Regum decimo septimo, & decimo octauo, & Regnum Iuda in manum Regis Babylonis, vt habetur 4. Regum vltimo, ita tamen vt filii Israël penitus deleti non fuerint, nam multi de Regno Iudæ remanserunt viui, quorum aliqui ducti fuerunt in Babylonem, & aliqui remanserunt in terra Iuda, sub Godolia, vt scriptum est citato iam 4. Regum, capite vltimo, quin &, illi, qui erant in Babylone captiui, postea à Cyro Rege & ab Artaxerxe redeundi facultatem habuerunt, quæ summa fuit in eos Dei misericordia, hinc est quod proximè subiicitur, *In misericordiis autem tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem*, nempe, in eo diuina admodum eluxit clementia, quod cum videret tantam in populo Iudæorum ingenii leuitatem, & ingratitudinem, diu tamen patienter sustinuit, neque destitit per Prophetas suos admonere delinquentes, immo neque cum de terra illa in quam prius eos induxerat eiecit, & externarum gentium potestati atque imperio tradidit, omnino misericordiæ suæ oblitus est, quando non illos vita quidem aut venia indignos penitus deleuit, sed conseruauit incolumes, & aliquanto post tempore, ex ipso etiam seruitutis iugo liberauit, & in Patrias sedes restituit.

Vers. 32. *Nunc itaque Deus noster, magne, fortis, & terribilis, &c.* Hæc demum est, post ingenuam criminum confessionem, Deique ipsius laudationem, quæ ab oratione vix seiungitur, diuinæ misericordiæ ardens obtestatio, facta à Iudæis, optantibus pro labore sibi quietem concedi, libertatem pro seruitute, atque eiusmodi seruitute, quam patiebantur, vt inquiunt, *à diebus Assur vsque in diem hanc*, nempe, ab eo tempore, quo decem Tribus egit in captiuitatem, quia Reges etiam ipsi Assyriorum, post captiuitatem decem Tribuum, ceperunt infestare Regnum Iuda, tempore Sennacherib, vt legitur 4. Regum 18. & tandem captiuatum fuit per Regem Babylonis idem Regnum Iuda, cuius captiuitatis etiamnum adhuc in seruitute, qua tributarii & vectigales erant Regno Persarum, vestigia remanebant.

Reges etiam ipsi Assyriorum infestarunt Regnum Iuda post captiuitatem decem Tribuum.

Vers. 33. 34. 35. *Et tu iustus es in omnibus quæ venerunt super nos, &c.* Optima illa quidem, atque expeditissima ratio est agnoscendæ diuinæ æquitatis ac iustitiæ, in ipsa criminum castigatione, ad impetrandum & facilius, & celerius, quod tam enixè postulant, tantisque à Deo votis ac precibus contendunt, scilicet, vt ipsorum publicæ calamitatis ac seruitutis capiat eum miseratio, atque ita non queruntur illi, quod tam durè ac diu vexata fuerit gens Hebræorum vniuersa, aut cladem calamitatemue vllam flagitiis suis indebitam patiatur, sed contrà, Deum in se clementem appellant, & iustum, qui peccantes XIX.

tantum punierit, & minores etiam longe, quam pro meritorum magnitudine potuisset, à peccantibus pœnas exegerit, licet ab eo tempore, quo in fines suos irrupit Assyrius, & decem Tribus, maximam Israeliticæ gentis partem captiuam abduxit, nec Principes, nec Sacerdotes, nec Prophetæ, nec demum vllus hominum ordo, communem illam superiorum temporum cladem fere declinauerit; eo spectant illa verba, *& tu iustus es in omnibus quæ venerunt super nos, quia veritatem fecisti, nos autem impiè egimus, &c.*

Vers. 36. *Ecce nos ipsi hodie serui sumus, & terra quam dedisti Patribus nostris vt comederent panem eius, & nos ipsi serui sumus in ea, &c.* Quia nimirum, vt ante monui, vers. 32. Reuersi licet in Iudæam, & à captiuitate liberati, tamen vectigales adhuc erant, & tributarii externis Regibus: similis confessio habetur supra 1. Esdræ cap. 9. vers. 9. *Et nunc quasi parum & ad momentum facta est deprecatio nostra vt illuminaret oculos nostros Deus noster, & daret nobis vitam modicam in seruitute nostra, quia serui sumus, &c.* Ex quo intelligimus Iudæos hoc etiam tempore tributa pendere coactos Regi Persarum, exceptis Sacerdotibus & Leuitis, quos Artaxerxes 1. Esdræ 7. vers. 24. nominatim exceperat: hanc ergo tributorum pensitationem & seruitutem, popularium suorum nomine, Esdras hoc loco deplorat, innuens illam libertatem, atque immunitatem ab oneribus quam eis lex dabat, iuxta illud Deuteronom. 23. vers. 18. *Non erit vectigal pendens ex filiis Israel*, quod in 70. Xisti legitur, & sic quo magis Deum ad commiserationem inflectat, eidem oratione sua repræsentat, quemadmodum terra maioribus suis olim promissa, & tandiu ab illorum posteris habitata, aliorum commoditatibus seruiat neque quidquam ipsi quod immune prorsus, ac liberum ab externorum exactionibus sit vspiam possideant: *Terra*, inquit, *quam dedisti Patribus nostris vt comederent panem eius, & quæ bona sunt eius, & nos ipsi serui sumus in ea, &c.* ex quæ seruitutis miseranda plane conditione, neque deinceps vnquam bene penitus emerserunt; nec liberos se omnino esse, vere profiteri potuerunt: quo fit vt mendaciter plane, à Iudæis, Ioan. 8. dictum sit, *Nemini seruiuimus vn-*

Ideo serui adhuc dicuntur è captiuitate reduces Iudæi quia vectigales erant & tributarij externis Regibus.

A *quam*, nam & seruierunt in Ægypto, & in Babylone, & in Iudæa, iam soluta captiuitate, siquidem hic seruos se confitentur, & qui se liberos iactabant loco citato, multis iam annis subiecti erant Romanis, iisque tributa pendebant, vt recte hic obseruauit Estius.

Vers. 37. *Et fruges eius multiplicantur Regibus quos posuisti super nos propter peccata nostra, & corporibus nostris dominantur, & iumentis nostris secundum voluntatem suam, &c.* Deploranda omnino fuit hæc Iudæorum istorum fortuna, quod in terra seu regione sua, vbere, ac feracè, omnia essent vectigalia, ac sub tributo, non B fruges, non iumenta, non denique ipsa hominum corpora, à dominatu suo, externi Duces aut Principes exciperunt, vnde inquiunt, *& fruges eius multiplicantur Regibus*, Hebraicè, *Et fructus eius multus Regibus*, id est, ij fructus qui multi sunt quidem, & quos ex terra vbere copiosè collegerunt, non in nostram, sed in Regum externorum vtilitatem cedunt, &c. *Et corporibus nostris dominantur, & iumentis*, quia scilicet, & personis ipsis, & rebus facultatibusque omnibus, ad Iudæos pertinentibus, suam in rem, & commodum, ad nutum vtebantur, ex C quo manifestè patet, quod ante dixi, tùm à Iudæorum ceruicibus, nec externæ dominationis, neque seruitutis iugum penitus excussum fuisse, atque ita subiungit, *& in magna tribulatione sumus*, verè illud quidem, de quo iam supra cap. 5. vers. 4. aliquot è populo oppressi ære alieno, & grauibus insuper tributis onerati, sic conquerebantur, cum dicerent, *Mutuo sumamus pecunias in tributa Regis, demusque agros & vineas*, atque idipsum etiam plus satis indicat, eodem cap. Nehemias cum ait, vers. 15. *Duces autem primi* (nempe à Persarum Regibus Iudææ præpositi) *qui fuerant ante* D *me grauauerunt populum & acceperunt ab iis in pane, & vino, & pecunia quotidie siclos quadraginta, sed & ministri eorum depresserunt populum, &c.* Depresserant sane, non solum agros, & pecora, & iumenta, sed ipsa etiam vectigalium Iudæorum corpora alienæ voluntati subiiciendo.

XX.

In terra Iudæorum omnia vectigalia.

Vers. 38. *Super omnibus ergo his nos ipsi percutimus fœdus & scribimus & signant Principes nostri, &c.* Sic hodie in vulgata quidem lectione; præsens cap. 9. hoc versu concluditur: sed iux-

XXI.

Iuxta D. Hieronymum &

Hebræorū diuisionem hic versus initium facit sequentis capitis. ta D. Hieronymum, & Hebræorum diuisionem, ad proximum caput 10. pertinet, eiusque initium facit quidquid sit, & vbi sit, aut esse oportet, eius expositioni hic operam damus: *super omnibus ergo his*, id est, & nihilominus, licet serui simus, vexemurque vehementus, & inueniamus misericordiam tuam, tibi spondemus fidelem seruitutem *& percutimus fœdus*, *& scribimus*, ad perpetuam rei memoriam, *& signant*, propriis nominibus, ad roborandam promissionem, *Principes nostri, Leuitæ nostri, & Sacerdotes nostri, &c.* Alii sic explicant, *super omnibus his* id est, super omnibus peccatis simpliciter, omni cura, ac diligentia deuitandis, super audita lege, sanctè & inuiolatè obseruanda, *percutimus fœdus*, A *& scribimus*, id est, nos ipsos sponte in perpetuum obligamus, atque obligationem ipsam extare deinceps voluntatis nostræ indicem, ac constare etiam omnibus cupimus, *& signant Principes nostri*, id est, obligationem hanc, sigillis suis muniunt, qui de populo sunt præcipui, & in quibus tota censebatur consistere reliqua multitudo, ad quam proinde, peræque vt ad Principes, conscientiæ nexus se extendebat. In priori quidem Esdræ fœdere, de quo libro primo, capite decimo, versu tertio & quinto, non traditur scriptio fœderis, neque subsignatio, sed adiuratio, quæ hoc etiam tempore prætermissa non est, vt mox patebit ex sequenti capite, versu vigesimo nono.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis noni.

Mysticum & morale in illud versus primi, *In die vigesimo mensis huius conuenerunt filij Israel in ieiunio & in saccis & humus super eos, &c.*

1.

QVICQVID vniuersim toto hoc capite, vel ipso saltem capitis initio Allegoricum sensum pati potest, partim ex Lyrano, partim ex Beda, sic paucis conficio. Igitur hæc verba, versus primi, *In die autem quarto conuenerunt filij Israë, &c.* Sic Lyranus, in Glossa, sicut habetur ex præcedenti capite, inquit, & nos in expositione literali satis indicauimus, singulis diebus festis Tabernaculorum, Esdras legit in libro legis Domini, ipsam interpretando, & sic populus qui erat ad au- C diendum intentus, vt ibidem dicitur, percepit se in pluribus deliquisse, & specialiter, in commixtione per matrimonia, cum aliis gentibus, quod prohibitum erat, in lege diuina, propter quod egit pœnitentiam in ieiuniis, saccis, & cinere, & segregatione à Gentilibus, vt patet in textu, per B Esdram autem, intelligitur, prædicator, vt supra dictum est, seu diuini verbi amore ardens ac cœlestis præca, ipse vero, ex officio & munere, prædicare debet vitia & virtutes, pœnam, & gloriam, ideo per auditum suæ prædicationis, populus audiens attentè, percipit sua peccata, de quibus debet pœnitentiam agere, *in seiunio*, quantum ad parcitatem victus *& humus super eos*, quantum ad humiliationem sui status & gestus: Hæc ille; vnde sequitur versu secundo, *Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena, &c.* Et per hoc mysticè significatur quod vere pœnitens elongare se debet, quantum potest, à peccatoribus, quia dicitur Prouerbiorum decimo tertio, versu decimo. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur*, & Psalm. 17. vers. 26. *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteru*, quæ quidem omnino ad Allegoriam Bedæ proxime accedunt (vt le-

Per Esdrā hic legentē ad populū significatur præco diuini verbi monens auditores suos ad pœnitentiam.

Verè pœnitens à peccatorum cœtu se subducere debet.

genti obseruare facile est) siquidem is A in ea verba v. 2. *Et separatum est semen filiorum Israel, ab omni filio alienigena, & steterunt, & confitebantur peccata sua, & iniquitates patrum suorum*: notanda hic, inquit, correcti populi deuotio, completa enim rite solemnitate Tabernaculorum, vno tantum intermisso die, mox in ieiunio, & pœnitentia sponte conuenerunt, vt quod gerendum audierant, diligenter gererent, separando scilicet seipsos, mente, & corpore, à consortio eorum, qui à Domino alieni sunt, ne scilicet per eorum consortium, ac contubernium, in similia mala reciderent, quæ vix post B longa tempora euaserant, vnde concludit: nos igitur quicquid in publica synaxi, vel auditione faciendum cognouimus, mutua inter nos collocutione tractemus, & qualiter singula castigatione cordis, vel corporis, complere valeamus solerter perquiramus, maxime autem probatur vitæ correctioris, & iam emendatæ industria cum subditur vers. 3. *Et consurrexerunt ad standum, & legerunt in volumine Legis Dei, &c.* Quis enim non miretur tantum, tamque numerosum populum, tantam habuisse pietatis curam, vt *quater in die*, id est, *mane*, *hora tertia*, *sexta*, *& nona*, quibus orationi, vel Psalmodiæ vacandum erat, auditui legis diuinæ se traderet; quo renouata in Deum mente, purior, & deuotior ad prædicandam eius misericordiam rediret, *& quater in nocte*, vt nimirum excusso torpore somni, ad confitendum peccata, & veniam postulandam exurgeret? Ex quo (vt reor)

Quod auditur ex lege faciendum in publicis conuentibus tractandũ illud est in priuatis colloquiis.

II.

mos in Ecclesia pulcherrimus inoleuit, vt per singulas diuinæ Psalmodiæ horas, lectio de veteri, vel nouo Testamento, cunctis audientibus ex corde dicatur, & sic Apostolicis & Propheticis confirmati verbis, ad instantiam orationis genua flectant, sed & nocturnis horis, cum à cæteris laboribus cessatur, diuinis lectionibus aures libentius commodantur. Hactenus Beda; sed rursum Lyranus aliud quoque mysterium agnoscit in hæc verba versus mox citati: *quater in die, & quater in nocte confitebantur, & adorabant Dominum suum, &c.* Estque eiusmodi, vt ille author edisserit, quaternarius est primus numerus quadratus, quia resultat ex ductu binarii in seipsum semel, bis duo namque quatuor sunt, & ideo signat stabilitatem, sicut in quantitate continua corpus quadratum, in quolibet latere stabiliter sedet: vnde Philosophus primo Ethicorum comparat, *Tetragono*, hominem virtute præditum; per hoc igitur quod dicitur hic, *quater in die, & quater in nocte confitebantur, & laudabant, &c.* Significatur, inquit, quod vera confessio peccatorum, & vera confessio diuinarum C laudum habent annexam quadraturam stabilem virtutum, hoc est, qui vere pœnitet, Deumque, vt par est, post pœnitentiam confitetur, ac laudat, firmus in virtute, constansque perseuerat, vt vere D. Chrysostomus Sermone de pœnitentia dixerit. *O pœnitentia, misericordia mater, & magistra virtutum, magna opera tua, quibus reos resoluis, ac reficis delinquentes, lapsos releuas, recreas desperatos.*

Quaternarius numerus, qui dicitur primus numerus quadratus significat stabilitatem.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis noni.

Morale in illud, vers. 1. *Conuenerunt filij Israel in ieiunio, & in saccis, & humus super eos, &c.*

Ex frequenti diuini verbi auditione pœnitentiam peccatorum, morumque emendationem facile consequi solere.

III. ONSTAT Iudæos è captiuitate reduces (vti iam proxima dissertatione Allegorica significatum, & præcedenti capite, extremo versu aperte, ac distincte narratum est) toto septemdiali Tabernaculorum festo, singulis diebus aliquid audiisse de lege, & ex illa, quid à se iniquius admissũ fuisset agnouisse, ex quo factũ postea vt cum dolor de peccatorum grauitate conceptus, animum esse pacatum non sineret, atque aliunde intelligerent nullum tempus non esse opportunum pœnitentiæ, statim atque, sine vllius offensione, aut incommodo potuerunt, induti saccis, capiti inperso puluere, ieiuno stomacho, precibus se, & lachrymis tradiderint. *Conuenerunt*, inquit Nehemias, *filii Israel in ieiunio, & in saccis, & humus super eos*. Sic, vt vides, ex crebra legis auditione criminum suorum effecti memores, diuina aspirante gratia, doloris pungunturaculeo, hinc obortæ ex pœnitentium oculis lachrymæ. Et certè id fere consequi solet, vt eloquii diuini copiosus imber, lachrymarum imbres inducat, sensumque pœnitentiæ peccantium animis instillet, quam in rem insigne imprimis, ac luculentum est Isaiæ testimonium iuxta, ac vaticinium cap. 55. vers. 10. *Quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra* A *non reuertitur, sed inebriat terram, sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, &c.* Vbi sermonem esse de Doctrina Euangelica, quæ confertur cum vtili pluuia terram fœcundante (quod in sacris literis frequentissimum est) passim omnes interpretes consentiunt, eiusque sententiæ is sensus est, quasi dicat, Verbum meum, quasi imber, & nix veniens è cœlo, terram cordis humani frugiferam reddet, ac bonis operibus abundantem, Verbum meum firmissimum erit, & efficacissimum, efficiet enim, vt homines spe veniæ, amicitiæ B Dei, & salutis consequendæ excitati, faciant dignos pœnitentiæ, & virtutum fructus, quibus reipsa Deo reconciliabuntur: æternoque fœdere amici eius euadent, immo hæredes, & filii; quod autem verbum Dei irriget, ac fœcundet animam, æque ac imber, & nix terram. Audi ex Moyse Deuteron. cap. 32. vers. 1. & 2. *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei, concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina*, ex Syracide, Ecclesiast. cap 39. vers. 9. *Ipse tanquam imbres emittet eloquia sa-* C *pientiæ suæ*, ex Iob. cap. 29. vers. 23. *Expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinum.* In hoc etiam sensu, quamuis historico minus, ac literali, quàm mystico D. Ambrosius Epistola 11. ad Irenæum explicat illud Deuteronomii cap. 28.

Explicatur locus Isaiæ 55 vbi doctrina Euangelica cum pluuia comparatur.

Eloquii diuini copiosus imber, lachrymarum imbres sæpe inducit.

vers. 12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ*: sic enim ille, *hæc est pluuia*, inquit, *eloquium legis quod irrorat animam*; scilicet doctrina legis, atque adeo ipsa Dei verba, pluuiæ, & rori comparantur, quia à fidelium cordibus, quæ agri quodammodo, ac vinea Dei sunt, & cælestem illum rorem excipiunt germina spiritualis fructus exiguntur, quod si obiter, ac cursim, alteram quoque rationem intelligere voles, huius similitudinis, quæ intercedit inter cœlestem doctrinam, & pluuiam, præter eam quæ statim occurrit, quod vtraque supernè, seu de cœlo, cadant & adueniant; hanc accipe quam etiam Plinius indicat lib. 31. naturalis Historiæ cap. 1. Cum pluuiam, *animam vitalem, e cælis delatam* appellat; Sic enim & nos veluti animamur, informamur & imbuimur doctrina cœlesti, tanquam anima, vt flores fructusque bonorum operum proferamus, aqua pluuialis, quæ fere purgatissima omnium ac defœcatissima est, è cœlo fluens, & in herbas, frutices, plantásque omnes decidens, ea omnia quæcumque emolliri apta sunt, humectat, pascit, & liberaliter velut anima educat, immo eiusdem pluuiæ rorisque decidentis beneficio, sata ipsa suis temporibus velut è mortua reuiuiscunt, dic, amabo, qua aut elegantiori, aut magis propria similitudine, singularem illam diuini verbi virtutem, in exsuscitandis animis, si quando opus est, à morte peccati ad vitam gratiæ, aut repræsentes aut sub ipsos etiam pœnè oculos subiicias? Quid porro in eandē quoque sententiam aptius quam quod olim in vitis Patrum Abbas Pirmenion cuidam conquerenti quod verbum Dei, licet magno teneretur eius desiderio, complecti tamen non posset, respondit; *Mollis admodum natura est aquæ, lapidum autem durities est ingens, attamen dum guttatim in durum decidit silicem, tandem eum perforat, ita & verbum Dei molle & dulce est, corda autem nostra dura sunt, minusque eius capacia: Eius autem cor qui frequenter & sedulo verbum Dei audit, tandem emollit, sic vt eius suauitatem & fructum plerè percipiat, &c.* Nec vero frustra dictum oportuit à Propheta, Psalmo 147. vers. 18. *Emittet verbum suum & liquefaciet ea, flabit spiritus eius & fluent aquæ*, nihil in hac

IV.

Cur verba Dei rori & pluuiæ cōparantur.

Vt aqua in saxum decidens cōtinuo illud perforat sic verbum Dei sæpe auditum cor quantumuis durum emollit.

A vita est efficacius ad compungendum obstinata corda quam sermo diuinus, ait D. Augustinus Sermone de verbis Domini, *Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil auidius sumitur; Nihil ita mentem ab amore mundi separat; Nihil sic animum contra tentationes roborat, Nihil ita hominem excitat ad omne, bonum & ad omnem laborem, vt sacræ Scripturæ studium*, ait Hugo de sancto Victore lib. 1. intellige auditum etiam perceptumque assiduè, & animo infixum altius ac reconditum, nempe, *Sermo Dei ad aurem dicitur, & mens ex interna dulcedinis flamma comburitur*:
B ait D. Gregorius Homil. 23. & idem ipse in Ezechielem, Homil. 3. vbi prædicationem æri candenti comparat, *Vita*, inquit, *prædicantium sonat & ardet, ardet desiderio, sonat verbo, Æs ergo candens est prædicatio accensa, sed de candenti ære scintillæ prodeunt, quia de eorum exhortationibus, verba flammantia ad aures audientium procedunt; Rectè ergo verba prædicatorum scintillæ appellata sunt, quia eos quos in corde tetigerint accendunt.* Sanenemo tam segnis ac negligens est ad bonum, quin per verba sanctæ prædicationis, corroborari, animarique facile
C possit, immo nemo fere est, vt iam ex Augustino audiuimus tam in peccatis obstinatus, quin à malitia sua reuocetur, si firmus in diuini verbi auditione constansque persistat. Hinc nota illa vox Regii Psaltis, *Lex Domini immaculata conuertens animas*, Psalm. 18. vers. 8. & Psalm. 28. vers. 5. *Vox Domini confringentis Cedros.* Quæso vim diuinæ vocis, si quâ par est mente excipiatur, mecum hic lector expende: quid istuc putas tandem est, *Vox Domini confringet Cedros?* id est, vt exponit Magister in Glossa, Dominus confringet per pœniten-
D tiam, & humilitatem, *Cedros*, id est, altos præ fastu nimio & superbos de gentibus, *Et confringet Dominus Cedros Libani*, id est, altos item, ac supercilio graues erectosque de Iudæis quos in fine conuertet quando *reliquiæ Israël salua fient*, atque ita ad omnes vniuersim vis illa peruadet, quæ morum conuersio, animorumque mutatio, ad sermonem Dei, viuum illum quidem, & efficacem qui animos errantium ad pœnitentiam moueat, iure optimo referenda est, sic enim de hominibus proteruis ac procacioribus per pœnitentiam confringendis dictum

Vis & efficacia verbi diuini ex variis SS. Patrū dictis ostēditur.

V.

Quid sit vocem Domini Cedros confringere et est Psal. 28.

dictum est, Psal. 17. *Persequar inimicos meos & comprehendam eos, & non conuertar donec deficiant*, scilicet ab infidelitate vnde & sequitur, *Confringam illos nec poterunt stare cadent subtus pedes meos:* scilicet per fidem, & humilitatem, vt annotat Author incognitus in Psalmos cuius hæc est expositio paraphrastica in locum Psal. 28. proximè citatum, omnino, (quod ait Apostolus Hebræor. cap. 4. vers. 12.) *Viuus est sermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus*. Nimirum, vt exponit & explicat hunc locum, author de spiritu & anima apud Augustinum, *In hac diuisione id quod est animale*, id est, carnale, *remanet in imo, sub dominio rationis: spiritus autẽ*, id est, rationis pars superior, *eleuatur in Deum & adhæret Deo*, vnde Psalmo 18. dicitur, *Lex Domini immaculata conuertens animas siquidem totus mundus, per verbum prædicatum, est ad Deum conuersus, quid enim durius lapide, quid mollius aqua? & tamen gutta sæpe cadendo, lapidem cauat, sic verbum Dei sæpe auditum, cor penetrat, & aperit ad Dei timorem & amorem*. Sic ille, ad quem D Bernardum libet adiungere sermone de Circumcisione vbi hæc habet, *Vnde tanta lux fidei, in toto orbe & tam subita nisi de Iesu prædicato? Samaritana ad aquas (significantes verba Dei) per verbum Dei, ad fidem Dei vocata est*. Atque hinc etiam est quod ramo salicis plantatæ secus aquas, & ex vbere ac perenni aquæ fluxu reuirescentis, non ineptè comparatur is qui cum adhuc in peccatis sit, tamen in audiendo verbo Dei constantẽ sese exhibet ac perpetuũ, quod obseruat D. Hieron. in illud Psal. 137. *In salicibus in medio eius suspẽdimus organa nostra. Dicitur*, inquit, *salix radicem non habere, sed si ramus abscinditur, & plantatur secus aquam, statim virescit, ita & peccator, licet peccauerit, licet ceciderit, tamen si sit secus aquas, hoc est, si audit verbum Dei viret eius anima, & in pœnitentiam conuertitur*. Ergo quod peccator statuat se ipse secus aquas lachrymarũ, quod exitus aquarum deducant eius oculi, quod se in peccatis mortuum olim, doleat, lugeatque in Sacramento Pœnitentiæ, quod tandem, in nouitatẽ gratiæ, atque in veræ æternitatis quodãmodo, illius anima, purior sole, cœlo pulchrior, Paradiso amœnior reflorescat, id totũ in diuini Verbi vim eximiã refundendum est. Et vero, qui primus sermo Dei ad homines factus est, si re-

Peccator, audiẽs sæpe verbum Dei ramo salicis ad aquas reuirescentis cõparatur.

VI.

Primus Christi, &

A ac attendis, ab ipso Dei Verbo ad nos delapso, ab Ioanne Christi Præcursore ac Prænuntio, ab Apostolis denique ipsis post acceptum Spiritum sanctum, is ad lachrymas inuitat, ad compunctionem, ad pœnitentiam, quam ab audientibus aut elicit, aut extorquet, quo die acceperunt Apostoli Spiritum sanctum in linguis igneis, Petro prædicante cõuersi sunt circiter ter mille viri ac mulieres Actor. c. 2. v. 41. & Actor. 3. & 4. post sanationem claudi & aliam item Petri concionem, *Multi*, ait sacer textus, *qui audierunt verbum crediderunt, & factus est numerus virorum circiter quinque millia*. B Sic Christo loquente, sic Apostolis prædicantibus fideles olim è Iudæis, ac gentibus, quotquot obuii erãt & præordinati ad vitam æternam [vt ait Lucas] *verbo veritatis* geniti sunt, atque ex vmbra infidelitatis in fidei lucem educti, è morte in vitam reuocati. Quia sicut Christus ipse cum inter homines versaretur verbo mortuos viuificabat corporaliter, sic etiam & hodie Prædicator, verbo diuino spiritualiter viuificat animas peccatorum, dum ex accepta contritione quam diuina vox in illis excitauerit, Deus seu diuina eius gratia, iterum cum anima cuiusque amicè coniungitur. Hinc illud ab ipsomet C assertore nostro dictum, Ioann. 6. vers. 25. *Amen amen dico vobis venit hora, & nunc est quando mortui audiant vocem Filii Dei, & qui audierint viuent*, in quæ verba sic D. Bernardus, *Si mortuus in peccatis fueris, viues si vocem Dei audieris si cor tuum induratum fuerit, mittet verbum suum & liquefaciet illud*. Ne igitur, mi homo, de cuiusquam salute desperes qui diuinæ voci audiendæ intentus sit, sin autem raro, vel longe auditur, sin ad eam obsurdescis, sin ad aures tuas aut non nisi ægrè, aut penitùs non peruenit, fidenter dico, profligatæ ac desperatæ salutis es; quod si Deus, quid Deum dico? si dilectus tuus loquiD tur, si te adit, subitque animum tuum, si tesu aui colloquio suauius interpellat, ausculta modo, & saluus es, dic Samuelis in morem, *Loquere Domine quia audit seruus tuus*, & mox ex omni animæ periculo, è quocumque peccati discrimine sospes euadis; Neque obstinatum mihi vllius ingenium oppone, ne præfractos, induratosque ad pessima omnia animos causare, verbum Dei malleus est, qui conterat, ignis est qui emolliat. Audi Hieremiam cap. 23. vers. 22. *Si stetissent in*

Ioãnis Baptistæ & Apostolorum sermo ad homines factus ad pœnitẽtiam inuitat.

Vt Christus olim corporaliter verbo sic prædicator verbo quoque spiritualiter homines viuificat.

VII.

consilio meo & nota fecissent verba mea A *populo meo, auertissem vtique eos à via sua mala, & à cogitationibus suis pessimis*: (vides quantum vnius populi, aut salus, aut emendatio, ex diuini verbi auditione penderet?) sed ... si silice & saxo ipso duriores fuissent? etiam eos verbum D... quantumuis obnitentes perfregisset, ... vt ait idem Propheta eod. capite, vers. 29. *Numquid non verba mea quasi ignis, & sicut ...eus conterens petram?* Quare, si me audis quisquis es, *Audi & vide, & inclina aurem tuam*, verbo Dei. *& concupiscet Rex*, idemque Dominus tuus, ac Deus tuus, *decorem tuum*.

Verbum Dei ignis & malleus.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis noni.

Morale in illud, versu secundo, *Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena, &c.*

De vitando malorum consortio, nec fœdere cum impiis aut externæ Religionis hominibus facile ineundo.

VIII.

AVT nihil, aut perparum, differet hîc discrepansue erit mystica, & moralis expositio, ab literali & historica: A... quidem, strictior paulo, & pressa magis fuit, altera diffusior erit: Nemo est enim qui non intelligat, Hierosolymæ, cùm ab Esdræ, tùm à B Nehemia variis temporibus separatum fuisse semen filiorum Israël ab omni filio alienigena, quia scilicet, lege vetita erat atque interdicta verbis grauissimis, hæc sanguinis morumque communio, cum externæ religionis hominibus, vetitum autem atque interdictum hoc, eo solum, quod ex alienigenarum consortio, magnam animorum corruptelam, in populo Dei consequi oporteret, vt ferè fit, ex minus prudenti cum impiis conuictu, congressuque, *Beatus qui non abiit in concilio impiorum* ait Regius Vates Psalm. 1. vers. 1. quid istuc tandem est, inquies, concilium impiorum? Nisi res ipsa per sese nota est, consule Petrum Chrysologum Sermone 44. qui per concilium impiorum, exponit, consortium, conuictum, & societatem hominum iniquorum, vis scire quid mali afferat hæc peccatorum societas? audi quod sequitur, *Et in via peccatorum non stetit*, id est, malorum conuictus, via est qua ad omnem iniquitatem peruenitur: Neque vero longa hæc via, sed breuis admodum ad audendum quiduis, ad patrandum genus omne flagitii, hinc subiungit Propheta, *& in cathedra pestilentiæ non sedit*, quasi dicat, qui hanc peccatorum viam ingressus fuerit, breui ad eum impietatis gradum pertinget, vt omnem iniquitatem alios possit edocere, & veluti prò suggestu Magistrum ac Doctorem agere: Vis ex moralis Philosophiæ placitis illud condiscere? Quam pulchrè Seneca, libro tertio de ira; *Sumuntur à conuersantibus mores, &, vt quædam in contactis corpore, vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit; Ebriosus conuictores in amorem vini trahit, impudicorum cœtus, fortem, etsi liceat, virum emollit: Auaritia, in proximos* C *virus suum transtulit, &c.* Hactenus Seneca, cum quo mirè conuenit & illud Diui Hieronymi epistola 7. *Procliuis est malorum imitatio, & quorum virtutes assequi nequeas cito imitaris vitia*, quod ipsum & pluribus quoque edisserit, sanctus Cyprianus, libro de spectaculis in hunc modum, *Nihil facilius quam vt superbia superbiam, iracundia iracundiam, omne denique vitium sui generis, in aliorum ani-*

Vetitum Iudæis per legem cum alienigenis consortiū, ne in corruptelam morum inciderent & à Dei obsequio abducerentur.

Peccatorū conuictus; via breuis ad omne malum.

Facile est aliorū vitia imitari.

mis pariat non modo nescientibus & non aduertentibus, sed sæpe etiam inuitis, oculi nostri, & aures custodiendæ sunt, cito enim in hoc assuescimus quod audimus scelere: Etenim vitiorum exempla oppugnant animum, impellunt, immutant, transformant, *miraculo erit, inter incendia, vel non consumi vel certè non incalescere*, vnde concludit idem ipse rursum ibidem, *Deplorandus ille status est, vbi iam non vitiis excusatio, sed authoritas datur, nullum enim malum difficilius extinguitur, quam quod multitudinis consensu asseritur & excusatione blanditur.*

IX. Et certè frequentem conuersationem familiaremue consuetudinem cum vanis hominibus atque impiis maximè periculosam esse, ac fere ad æternum interitum, incautos imprudentesque deducere facile quiuis paulo sanior & agnoscit & lamentatur. Atque vtinam id tam longa sæculorum experientia minus testatum haberemus: Paucos siquidem ex omnium numero, in omni vitæ genere ac conditione tam fortes & constantes in virtute reperias, qui tot & tam prauis impiorum exemplis, tot sermonum illecebris, inuitationibus, irritamentis, minis etiam, cachinnis, irrisionibus resistant assidue, nec iis se tandem aliquando ad eorum mores inflecti corrumpique sinant; Eius rei quàm insigne tàm notum est exemplum Diui Augustini qui minus castigatos primæ ætatis suæ mores recogitans libro secundo Confess. capite 3. & 9. deplorat, quod olim suos inter coætaneos, vitia sua imitantes, ipse non stimularetur modo, ad eadem perpetranda, sed etiam, ad fingenda quæ non fecerat, ne videretur abiectior quo erat innocentior. Omnino contagiosa res, mali sodales, quorum vitiis prauisque moribus non allini, quasi probro ducitur & inter eos, (vt loquitur Diuus Augustinus) *Pudet non esse impudentem.* Prorsus verum est illud Ecclesiastici decimo tertio, versu primo, *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo induet superbiam,* vbi pulchra omnino similitudine arcere nos studet Ecclesiasticus, ab iniquorum congressu, etenim sicut ille qui immundum aliquid tetigerit velit lit nolit sordes aliquas contrahit, non aliter ex pessimorum conuictu iniquitatem haurimus vnde vitandos esse huiusmodi hominum conuentus docet Sapiens, quo loco lectio Syriaca vt dilucidior, sic ipsa quoque significantior, quæ sic habet, *Qui accedit ad picem, ipsa adhæret manui eius, & qui communicat iniquo, induit mores eius*: quasi dicat. Sicut pix contacta manui tangentis adhæret, eique partem sui applicat, & agglutinat, sic & iniquitas, adhæret veluti eam tangenti, & cum iniquo conuersanti, illique partem sui affricat, non sine graui labe, & macula, quam eius cùm famæ tùm conscientiæ inurit.

Contagiosa res mali sodales inter quos pudet non esse impudentem.

X. Et quoniam antiquis Patribus, in veteri Testamento, *omnia contingebant in figura* (vt ait Diuus Paulus) nec fere quidquam illis præceptum fuit, quod mysticè Christianis obseruandum non foret, quid est, amabo, quod in antiqua Lege, Leuitici capite quinto, versu secundo, edicitur, *Anima quæ tetigerit aliquid immundum, siue quod occisum est à bestia, aut per se mortuum aut quodlibet aliud reptile, & oblita fuerit immunditiæ suæ rea est & deliquit*; Nullam profectò impietatem, nullas sordes contrahere possunt homines, à contactu vel defuncti hominis, vel animalis, & tamen iubet lex eiusmodi purgari & mundari. Nimirum, ea Dei sanctio nos edocet improborum hominum congressus ac contubernia defugere, quibus animi ipsi verè fœdantur. Hæc illa ipsa est Origenis interpretatio, Homil. 5. in Exodum his verbis, *Tertia est immunditia species quam qui mundus est, aliquid contigit immundum, qui non tam suo peccato, quam aliena contagione polluitur*, vt puta, *si quis sociatur amicitiis hominis liuidi, vel iracundi, vel adulteri.* Quid quod sancti, atque adeo sanctitatis ipsius nomen, vitandum impiorum consortium sua ipsius notatione indicat? idque obseruat idem Origenes, Homil. 11. in Leuiticum dum exponit hæc verba, Leuit. 7. vers. 20. *Sanctificamini & estote sancti quia ego sum Dominus Deus vester, &c. Si quis enim seipsum deuouerit Deo*, inquit ille, *si quis nullis se negotiis sæcularibus implicuerit, vt ei placeat cui se probauit, si quis separatus est, & segregatus à reliquis hominibus carnaliter viuentibus, iste merito Sanctus appellatur, &c.* Nomen itaque *Sanctus* Græcè ἅγιος, id est, separatus à terra, vel sine terra, quasi ἄνευ τῆς γῆς cum notat qui à malorum consortio seiungitur, vnde verborum Leuitici loco iam citato sensus est, *Sanctificamini*, id est omnem pietatem induite & se-

Explicatur mysticè quod habetur in Lege Leui. 5. de non tangendo immundo aut mortuo, de vitando impiorum cõmercio, ex Origene.

quimini *& estote sancti*, id est, separami- ni ab improbis: etenim nisi id perficiatis, ægrè admodum pietatem consequemini, subdit postea, *quia sanctus Dominus Deus vester*, id est, quia ego cum sim Deus cui nulla peccati macula adhærere potest, seiungo me ab iniquorum hominum societate, veritus quodammodo, ne quid ab iis patiar, & vos potiori iure impiorum hominum contubernia subterfugite: *impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini mereberis*, ait è Prophetis vnus ad Iosaphat Regem Iuda 2. Paralipomenon, cap. 19. vers. 2. *Oportet ergo*, ait Theodoretus in hunc locum, *cum hæc audiuerimus fugere amicitiam, & cognationem eorum qui Deo sunt inuisi*, & Clemens Romanus lib 6 Constitut. cap. 17. *Hæreticos*, inquit, *ex fidelibus eiicite præcipiteque fidelibus vt ab eorum consuetudine, omnibus bonis abstineant: nam Iosaphat, Deus exprobrat amicitiam, societatemque cum Achabo & Osia*, sic ille. Hinc est quod eam ipsam ob causam, contractam videlicet cum gentibus societatem, in Iudæos sæpius Dei vindicis ira deto- nuit, *Saluamini à generatione ista praua*, aiebat olim Apostolorum Princeps Actorum cap 2. vers. 40. recens ad Christianam fidem conuersis, aut mox conuertendis, quasi diceret. per fidem & baptismum Christi, vitamque Christianam, segregate vos ab hoc sæculo nequam, infideli, & impio, hoc est à Iudæis, gentibusue infidelibus & impiis, vt saluetis animas vestras, scilicet abrumpendum nobis est, cum sæculi moribus mundanisq; hominibus omne commercium, si diuina spirare ac sperare volumus, in quam sententiam præclarè S. Eucherius epistola ad Valerianum, cum ait, *Vera beatitudo est, sæculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis in diuina flagrare, abrumpatur illa interminabilis sæcularium negotiorum catena, nihil est magnum re, quod paruum tempore, nec longis dilatatur gaudiis quicquid arcto fine concluditur*. Addā & illud postremo, quod obseruant aliqui, nec immerito, in hæc verba Lucæ 15. vers. 2. *Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis*, Christum dum insimulatur in Euangelio, quasi minus consultè peccatorum vteretur conui-

Reprehenditur Iosaphat 2. Paralip. 19 quod cum impiis amicitiam inierit.

XI.

Commendat D. Petrus recens ad fidem conuersis vt ab impiorum consortio segregent sese.

XII.

A ctu & ex illis aliquid mali, trahere ipsum necesse esset de hac veluti calumnia, purgant se, per illam parabolam quæ sequitur, & his verbis exprimitur. *Et ait ad illos parabolam istam dicens, quis ex vobis qui habet centum oues, &c.* quasi diceret. Ego quidem peccatores recipio, immo & quæro, non tamen vt peccatores permaneant, sed vt depositis criminibus meliorem ingrediantur viam, sicut Pastor errantem ouem ad gregem trahit. Audi Chrysologum serm. 168 quorsum hæc parabola à Christo afferatur iudicantem, & filum B orationis Lucæ loco supra citato hac ratione annectentem. *Recipit peccatores Deus, sed Deus peccatores esse non finit quos recipit: peccator Deum non violat appropinquans Pharisæo, Deus peccata non recipit, dum recipit peccatorem*. Vnde Pharisæus, non quales venerant, sed quales redibant à Christi congressu, videre debuit peccatores. Quare cum necesse sit in peccatorum consortio, vt vel ipsi peccatores meliores euadant, ex congressu cum viro pio & iusto, aut iustus ipsemet, impietatem ex illis in se deriuet. Certe, si is qui cum impiis de- C git, eos meliores non reddit, aut reddere satagit, ipse vt peior fiat, aut procliue est aut vero etiam necesse est, notandū igitur, iuxta Chrysologi sententiam supra allatam, in hoc Christi instituto Pharisæos alloquentis illud vel maxime, tantam esse vim societatis atque conuictus, in vtramque partem, vt qui obiectas sibi calumnis fere despiciebat, hanc tamen de iniquorum congressu multis verbis & argumentis reiecerit, quia scilicet malorum conuictus multum potest, magnamque omnino vim habet ad inficiendos animos. Itaque qui sapit, sicubi est, vbi periculum sit ab impiorum consortio: D cum Loth fugiat de Sodoma, de eius incendio tandem aliquando affletur, qui in Babylone, exeat de ea, *Ne accipiat de plagis eius*; qui in societatem contuberniumque consceleratorum hominum, casu (vt nonnunquam fit) ac fortunâ, non creditatus incidit, festinus ab eis se summoueat, ad bonos, castisque moribus conspicuos studiosè se adiungat, vt cum bonis ipse bonus sit æternumque in bonorum beatorumque conuictu esse mereatur.

Consetur Christus Luc. 15. Parabolā de Pastore ouem errātem quærēte in medium attulisse vt obiectam sibi calumniā de peccatorum congressu ac consortio refelleret.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis noni.

Morale in illud, versu septimo, *Tu ipse Domine Deus qui elegisti Abraham*, &c.

Accepti beneficij meminisse, & passim illud commemorare magnum esse grati animi indicium, idque ad propitiandum numen aptissimum.

XII I. ANE longa illa ac publica populi gemẽtis ac pœnitentis oratio, quã in textu supra exposuimus magnum pondus habuit ad temperandum diuinum furorem, eiusque animum ad misericordiam inflectendam, eo præsertim, quod in ea, Iudæi supplices, mirabilem prorsus atque eximiam Dei ipsius in antiquos Patres munificentiam prolixè commemorarent repetita veterum temporum ac superiorum sæculorum memoria; quam grati animi diuinorumque beneficiorum non immemoris significationem, ipsi diuino numini conciliando, demerendoque peridoneam omnes sentiunt. Atque hinc fortasse est, quòd eam in frequenti vsu ac consuetudine, apud viros quosque Deo charos, & sanctitatis fama percelebres, fuisse vbique deprehendimus: Eam quoque ideo forte multis passim in locis & enixè commendat, & pro suo iure repetit ab hominibus Deus, ipse, *Pone me sicut signaculum super cor tuum, sicut signaculum super brachium tuum*, ait ille, sponsum agens & cum anima, sic tanquam cum sponsa amicè colloquens, Cantic. capite octauo, versu sexto, vbi ponere super cor, idem est ac meminisse, vsitato loquendi more in Scriptura. Itaut apud Hieremiam, Threnorum capite tertio, versu decimo nono, *Recordare paupertatis meæ, transgressionis meæ, absinthij & fellis*. Iam audi quid illa respondeat, versu vigesimo, & vigesimo primo, *Memoria memor ero & tabescet in me anima mea*, addit insuper: *Hæc recolens in corde meo ideo sperabo*, vt memoriam illam fructu minimè vacuam significat, & Canticor. primo, versu decimo tertio, eiusdem sponsæ vox est, *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*, quod de iugi ac perpetua Christi patientis memoria post Theodoretum plerique omnes intelligunt: Memoriam igitur, acceptique beneficii recordationem, exigit sponsus à sponsa, vt eam ipse peramanter habeat, tractetque in delitiis libentius, quis nisi amens id recuset? quid eo aut æquius aut facilius? Et quoniam ex antiquioribus sæculis, immo ex æternitate ipsa reuocanda est diuinorum beneficiorum memoria, *Charitate enim perpetua dilexit nos*, Hieremiæ capite trigesimo primo, versu tertio, audi quid dicat Dauid, *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis*, & Deuteronomij capite trigesimo secundo, *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas*, aiebat olim Moyses ad populum Israëliticum, vbi longa oratione suadet eis vti beneficiorum à Deo acceptorum quæ enarrauerat memoriam recolant ac refricent sibi, fieri enim non poterat, vt si eorum reminiscerentur, ingrati essent, nam vt ait ille, *Et bene*

Memoriã beneficiorum suorum exigit Deus, & eam viri sancti frequentẽ in vsu habent.

apud memores veteris stat gratia facti. A Meminit Patriarcha Ioseph, Genesis capite trigesimo nono, versu octauo, acceptorum beneficiorum à Domino, cui seruitutem seruiebat in Ægypto, ne malum Domino sic benefico ac liberali reddderet, dum iniquæ Dominæ ad crimen sollicitanti dixit, *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es, quomodo ergo possum hoc malum facere in Dominum meum?* in quem locum expendit egregiè Diuus Gregorius sanctissimum iu- B uenem memoria beneficiorum acceptorum, à Domini gratia non recessisse, perstitisse eundem ipsum, firmum constantemque in virtute, ac demum propositas ad peccandum omnes illecebras fortiter repulisse, nullum siquidem efficacius reperitur medicamentum ad cauenda mala & peccata, quam si ob oculos proponantur bona à Deo accepta, sic autem de hac re differit Diuus Gregorius libro trigesimo, Moral. capite decimo octauo, *Quisquis mundi huius successibus eleuatus tentari se sentit Iosephi factum ad memoriam reuocet, Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua quomodo ergo possum hoc malum facere? quibus verbis ostenditur quia bona quæ à Domino assecutus fuerat, memoriæ intulit, vt malum quod se pulsabat euinceret, & quia percepta gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fregit, Cum enim peccatum tentat in prosperis, hæc ipsa prospera sunt aculeo tentationis opponenda, vt eo erubescamus mala committere quo nos à Deo meminimus gratuita bona percepisse, &c.* Hæc ille: Scilicet firmius constansque in gratia benefactoris perseuerat, nec ab eius obsequio facile vnquam discedit, qui collata ab eo beneficia, mente sæpius versat ac recogitat, nec, si Dei magnificentiam non memineris, momentis pœnè singulis, aut profusam eius in te liberalitatem, animo identidem segnius replices, admodum quidquam in virtute proficias, gratiosusue apud Deum esse possis eximiè, vt mirum non sit quod Diuus Bernardus, libro de interiori domo, inter septem columnas, quibus fabrica spiritualis innititur, secundo loco ponat, *memoriam beneficiorum Dei.* Adde quod (vt iam superiore libro, in alia tractatione morali susius ostendimus) solet Deus iis, qui memoria retinent priora beneficia, sicque pro eis grati existunt, noua denuò conferre, vsque à Deo perplacet ei vitæ nostræ ratio qua fit vt memores eorum simus quæ à diuina eius liberalitate accepimus; in quo aut summam, aut certè è præcipuis vnam gratitudinis partem esse positam facile quiuis intelligit, contra maxime proprium est ingratitudinis, beneficiorum omnino obliuisci, vt rectè obseruat Philo libro de Ioseph, vti de pincerna B Pharaonis ad ministerium restituto differit qui *oblitus est interpretis sui Ioseph*, Genes. cap. 40. vers. 23. sed omnium optime de hoc genere ingratitudinis Seneca lib. 3. de beneficiis in hæc verba: *Multa sunt genera ingratorum, vt furum & homicidarum, quorum vna culpa est cæterum in partibus varietas magna, ingratus est qui beneficium accepisse se negat quod accepit, ingratus est, qui dissimulat, ingratus qui non reddit, ingratissimus omnium qui oblitus est, illi enim si non soluunt tamen debent, & extat apud illos vestigium certe meritorum intra malam conscientiam conclusorum,* C *& aliquando ad referendam gratiam conuerti ex aliqua causa possunt, si illos pudor admonuerit, si inuitauerit facilis occasio, hic nunquam fieri gratus potest, cui totum beneficium elapsum est: Et vtrum tu peiorem vocas, apud quem gratia beneficij intercidit, an apud quem etiam memoria, vitiosi sunt oculi qui lucem formidant, cæci qui non vident, & parentes suos non amare impietas est, non agnoscere insania, quis tam ingratus est, quam qui quod in prima parte animi positum esse debuit, & semper occurrere, ita sepsuit & abiecit, vt in ignorantiam verteretur? Apparet illum non sæpe de reddendo cogitasse cui obrepsit obliuio.* D Hactenus Seneca nitidè ac disertè ad rem nostram, quid quod idem ipse ait, eodem lib. 3. de beneficiis cap. 2. omne gratitudinis officium munusque absolui sæpissime sola duntaxat beneficii recordatione ac memoria, placet rursus loquentem audire? En tibi, *qui meminit,* inquit ille, *sine impendio gratus est, hoc quod non operam exigit, non opus, non fælicitatem qui non præstat, nullum habet quo lateat patrocinium.* Amplius dicam beneficium impudenter negat qui obliuiscitur, quod in Hebræis, Deus sæpe carpit acerbius ac perstingit, tanquam mani-

Memoriā reuocat accepti beneficij à Domino Patriarcha Ioseph vt se à crimine ad quod sollicitatur alienum præstet nec in Dominum peccet

Memoria beneficiorum Dei vna ex septem colōnis quibus innititur fabrica spiritualis.

Pessima omnium ingratitudo obliuisci beneficiorum.

XIV.

XV.

Sæpe sola beneficij recordatione omne gratitudinis officium absoluitur.

festum extremæ ingratitudinis indicium. Audi Malachiam cap. 1. vers. 2. *Dilexi vos*, inquit, *Dominus*, *& dixistis in quo dilexi vos*? in quem locum, sic ad sensum nostrum D. Hieronymus, *Hebræi respondent ea temeritate qua peccant, obliti beneficiorum Dei*. Et sanè, quæ maior potest esse aut fingi animo ingratitudo quam quod homo inter beneficia Dei iugiter versatur, & cum nihil videat aut contrectet quod donum Dei non sit, atque etiam nolens quasi in diuina beneficia incurrat, tamen, eorum omnino oblitus, summè ingratus existat ei à quo illa accepit. & in quo stat ipse, & viuit, mouetùrque? vt iure conuerso ad Deum sermone vocem illam vsurpare liceat Regii Vatis Psalm. 8 vers. 5. *Domine quid est homo*, seu iuxta vocis Hebrææ *Enos* significationem, *quid est obliuiosus quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum*? Demus igitur operam, vt ne beneficia Dei tam prolixè in nos

A collata obliuiscamur sed ea (quoad fieri poterit) semper in mente versemus, vt ad continuam gratiarum actionem, in Deum ipsam quoque mentem nostram impellant, tametsi tot tantaque sint vt neque vis intelligendi aut subtilior aut acutior vlla sufficiat, ad comprehendendam, enumerandamue immensam illam, quæ in nos, momentis pœnè singulis deriuatur vbertatem & copiam: Sic nos geramus ipsi, vt

B continens memoria & assidua beneficiorum Dei recordatio, (quod suapte natura præstare solet) ad virtutum labores fortiter aggrediendos perferendosque nos adhortetur & præparet, vt ad præsentia omnia quæ hanc modo vitam spectant honesto fastidio despicienda, inuitet impellatque vehementius, ac demùm vt illi ipsi qui tanta in nos contulit beneficia, continenti studio, ac perpetua charitate adhæreamus totos incendat atque inflammet.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IAM fœdus ipsum à tota Iudæorum multitudine solemni more cum Deo percussum exhibetur hìc, iurataque promissio, de lege quàm antea seruanda diligentius: huic, totius populi nomine, subscribunt de primarijs aliquot Sacerdotes, & Leuitæ, & Magistratus, qui se nominatim illegitima deinceps cum alienigenis connubia, non contracturos, numquam seruili opere, aut introducta negotiatione, Sabbatum violaturos, diuini cultus, & pietatis erga res sacras curam abiecturos numquam, ac demum quæ ad Templi, eiusque ministeriorum Religionem tuendam, conseruandamque spectant, omnia studiose, atque impensè curaturos; palam, ac publice contestantur, quin etiam, cum in eo fœdere, solemnique pacto, quinam omnium nomine suam obtrinxissent fidem, sigilloque suo muniissent, rescire non parum interesset, illorum, & numerus initur exactissimus, & nomina ipsa fideliter exprimuntur.

CAPVT DECIMVM ESDRÆ.

1. SIGNATORES autem fuerunt Nehemias, Athersatha, filius Achelai, & Sedecias.
2. Saraias, Azarias, Ieremias.
3. Pheshur, Amarias, Melchias.
4. Hattus, Sebenias, Melluch.
5. Harem, Metimuth, Obdias.
6. Daniel, Genthon, Baruch.
7. Mosallam, Abia, Miamin.
8. Maasia, Belgai, Semeia: hi Sacerdotes.
9. Porro Leuitæ, Iosue filius Azaniæ, Bennui, de filijs Henadat, Gedmihel.
10. Et fratres eorum, Sebenia, Audaia, Celita, Phalaia, Hanan.
11. Micha, Rohob, Hasebia.
12. Zachur, Serebia, Sabamia.
13. Odaia, Bani, Baninu.
14. Capita populi Pharos, Phahatha, Moab, Ælam, Zethu, Bani.
15. Bonni, Asgad, Bebai.
16. Adonia, Begoai, Adin.
17. Ater, Hezecia, Azur.
18. Odaia, Harum, Besai.

19. Hareph, Hanathoth, Nebai.
20. Megphias, Mosallam, Hazir.
21. Melisabel Sadoc, Ieddua.
22. Phelcha Hanan, Anaia.
23. Osee Hanania, Hasub.
24. Alohes, Phalea, Sobec.
25. Rehum Hasebua, Maasia.
26. Echaia, Hanan, Anan.
27. Melluch, Haran, Baana.
28. Et reliqui de populo, Sacerdotes, Leuitæ, Ianitores, & Cantores Nathinæi, & omnes qui se separauerunt de populis terrarum ad Legem Dei, vxores eorum, filij eorum, & filiæ eorum.
29. Omnes qui poterant sapere spondentes, pro fratribus suis Optimates eorum, & qui veniebant ad pollicendum, & iurandum, vt ambularent in Lege Dei, quam dederat in manu Moysi serui Dei, vt facerent, & custodirent vniuersa mandata Domini Dei nostri, & iudicia eius, & ceremonias eius.
30. Et vt non daremus filias nostras populo terræ, & filias eorum non acciperemus filijs nostris.
31. Populi quoque terræ, qui important venalia, & omnia ad vsum per diem Sabbati, vt vendant, non accipiemus ab eis in Sabbato, & in die sanctificato: Et dimittemus annum septimum, & exactionem vniuersæ manus.
32. Et statuemus super nos præcepta, vt demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri.
33. Ad panes Propositionis, & ad sacrificium sempiternum, & in holocaustum sempiternum in Sabbatis, in Calendis, in solemnitatibus, & in sanctificatis, & pro peccato, vt exoretur pro Israël, & in omnem vsum domus Dei nostri.
34. Sortes ergo misimus super oblationem lignorum, inter Sacerdotes, & Leuitas, & populum, vt inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora, à temporibus anni vsque ad annum: vt arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in Lege Moysi.
35. Et vt afferremus Primogenita terræ nostræ, & Primitiua vniuersi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini.
36. Et Primitiua filiorum nostrorum, & fructuum nostrorum, sicut scriptum est in Lege, & Primitiua boum nostrorum, & ouium nostrarum, vt offerrentur in domo Dei nostri, Sacerdotibus, qui ministrant in domo Dei nostri.
37. Et Primitias ciborum nostrorum, & libaminum nostrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque, & olei, afferemus Sacerdotibus ad Gazophylacium Dei nostri, & decimam partem terræ nostræ Leuitis, ipsi Leuitæ Decimas accipient ex omnibus ciuitatibus operum nostrorum.
38. Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Leuitis in Decimis Leuitarum, & Leuitæ offerent decimam partem Decimæ suæ in domo Dei nostri, ad Gazophylacium in domum thesauri.
39. Ad Gazophylacium enim deportabunt filij Israël, & filij Leui, Primitias frumen-

ti, vini, & olei: Et ibi erunt vasa sanctificata, & Sacerdotes, & Cantores, & Ianitores, & Ministri, & non dimittemus domum Dei nostri.

EXPOSITIO LITERALIS.

v. 1. IGNATORES autem fuerunt &c. Habes hîc quo pietatis sensu, & quanto animorum motu Iudæi nouum suum post Scenopegiæ celebritatem conuentum fecerint: nam scelerum contagiis iam expurgati, toto impetu, ac pondere sese diuino fœderi coniunxerunt, immo, & sancti illius fœderis, ac solemnis pacti conditiones, sermone & scripto confirmarunt, vt sic ab impiorum consortio separati, securius explerent opus, quod dudum inceperant, id est, vt congruos vrbis ciues, de toto Iudæorum numero, & seligerent, & instituerent; adfuerunt autem, fœdusque cum Deo percusserunt, quotquot de gente Israelitide interesse, eo temporis articulo potuerunt, sed quia aut necesse non erat, aut commode id fieri non poterat, vt suo omnes nomine pactum consignarent, fœderiq; conscriberent, quod suo non valebant, alieno ipsi nomine præstiterunt. Illi porro, quorum subscriptis nominibus confirmata pactio est, ij sunt qui à versu primo vsque ad versum vigesimum sextum nominantur.

I.

Nehemias Athersatha filius Achelai, &c. Illos inter, qui fœderi subscripserunt, & sigillo suo muniri voluerunt, primo loco ponitur Nehemias Athersatha, seu, vt est in Glossa, *Nehemias, qui Athersatha fertur*, duplici enim hoc nomine vocabatur, & quidem omnium Princeps in hoc ordine est, tum quia fœderis ipsius ineundi, Princeps etiam & author fuerat, tum quia primas eo tempore inter populares suos partes obtinebat, vt pote, qui Dux ab Artaxerxe toti populo præpositus est; sed cur filius dicatur Achelai, cum à nemine vno, vel veterum, vel recentiorum interpretum notari videam, facit vt crediderim non leuem hîc esse suspicionem mendi. nam primo capite, versu primo dicitur filius Helciæ, ver-

Cur primus inter eos qui subscripserunt nominatur Nehemias.

A ba Nehemiæ, filij Helciæ, hîc autem dicitur, *Nehemias Athersatha filius Achelai*, an idem fuit Achelai, vel Achelaus qui Helcias? an vtraque vnius appellatio? quia scilicet is ex parentibus magnis, & potentibus erat oriundus? An Achelai, pater fuit Helciæ, vnde Nehemias dicatur etiam filius Achelai, quia nepos eius erat, quo loquendi genere interdum etiam in aliis locis vti scripturam obseruarunt nonnulli? An si duo sunt Helcias, & Achelai, vnius gener fuit, alterius filius Nehemias? sed aliunde, cum firmari solidè, ac certo non possint hæ coniecturæ, aliò
B vertenda cogitatio est; quid si dicas, non vnum modo eundemque virum esse, sed etiam idem nomen in vtroque loco exprimi Helciæ, & Achelai? fatendum tamen in alterutrum locum mendum irrepsisse, ex literarum duntaxat facta temere, & permixta confuse contra ordinem naturalem coniunctione, nam aduerto ex illis paululum quoad seriem, & ordinem, seu per modum anagrammatismi (quod aiunt) immutatis, vtrumque nomen confici posse, & sic in voce, & litteris *Helcia*, vocem, & litteras *Achelai*, aut saltem *Achelei* contineri, vt vt res habeat, certe hanc vtriusque textus in
C Patre Nehemiæ designando diuersitatem notari oportuit: mirum est autem, neque summum Pontificem Eliasib, neque Esdram Sacerdotem in hoc fœdere subscriptos haberi, memoratur tamen Eliasib huius operis particeps, capitis decimi tertii statim initio. *Factum est autem*, inquit, *cum legissent legem, separauerunt omnem alienigenam ab Israël, & super hoc erat Eliasib Sacerdos, &c.*

Cur dicatur Nehemias filius Achelai, cum antea dicatur filius Helciæ.

Vers. 8. *Maazia, Belgai Semaia hi Sacerdotes, &c.* Notandum hîc obiter, quemadmodum Sacerdotes, & Leuitæ ratione muneris, aut officii quoscumque alios in textu memoratos ordine, præcedunt (nimirum de sacris rebus agebatur) quos postea capita populi versu decimo quarto, id est, II.

primores in subscribendo consequantur: vnde nec superuacaneè, vt patet, expressis subscriptorum nominibus voces istæ adiectæ sunt: *Hi Sacerdotes.*

Vers. 27. *Et reliqui de populo, Sacerdotes, Leuitæ, &c.* Credo, qui hic consequenter, sed generatim tantum numerantur, *& reliqui de populo* dicuntur, partim quidem non signasse, aut fœderi, nominibus suis appositis subscripsisse, sed spopondisse tantum pro se, & pro iis, qui hinc aberant ab Hierosolymitano conuentu. Ex his autem publicæ fidei sponsoribus, fuisse quosdam, qui sacris operarentur ministeriis, & Templo de more seruirent, quales erant Sacerdotes, Leuitæ, Nathinæi, textus apertè indicat.

Vers. 28. *Et omnes, qui se separauerunt de populis terrarum ad Legem Dei, &c.* Et hic quoque inter alios, qui spoponderunt se Legem Dei obseruaturos numerantur illi qui se separauerunt à populis terrarum, id est, qui se conuerterunt ad Legem, cum antea Gentiles fuissent, hi vocabantur *Proselyti*, quod ab aliena, & falsa Religione ad veram, & Israeliticam transfugissent. *Et vxores eorum*, inquit, *filii eorum, & filiæ eorum, &c.* Id est, & cæteri denique qui in illorum familia censebantur. Porro ad ea quæ superiori libro de populis terræ non in vno loco diximus, addendum hic est, etsi plerisque in locis, in Scriptura pro Gentilibus, & externam ab Israelitica Religionem profitentibus populis sumantur, tamen significare etiam nonnumquam vulgus ignobile ex genere Israelitico, seu turbam hominum promiscuam, quæ à Principibus, & magni nominis hominibus, familiæ suæ obscuritate secernuntur: exemplum sit (vt de aliis taceam Prophetis) illud Hieremiæ capite primo, versu decimo octauo. *Ego dedi te hodie in ciuitatem inuictam super omnem terram Regibus Iuda, Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ*, & capite trigesimo quarto. *Principes Iuda, & Principes Hierusalem, Eunuchi, & Sacerdotes, & omnis populus terræ*, & capite quadragesimo quarto, versu primo. *Reges vestri, & Principes vestri, & populus terræ*, & capite quinquagesimo secundo, versu vigesimo quinto. *Et septem viros de his, qui videbant faciem Regis, &c. Et sexaginta viros de populo terræ.* Quibus in locis vides,

Proselyti dicebantur qui ab aliena & falsa Religione ad veram transfugiebant.

Populus terræ in Scriptura significat nonnumquam vulgus ignobile ex genere Israelitico.

A post Magistratus, & Principes separatim poni, ac nominari populum terræ, sicut honoratiores de populo subsequi solet turba promiscua, atque hinc forte quod cæteros populos præ se viles, ac veluti barbaros existimarent Israelitæ, factum dici potest, vt Gentiles omnes quamuis authoritate præditi, quasi nullius apud ipsos nominis forent, vulgo populus terræ dicerentur, vt constat ex hoc textu, & versu trigesimo, vbi cum promittunt Iudæi permissuros se numquam, vt filii sui cum alienigenis, id est, externis populis,

B ac Gentilibus connubiali fœdere coniungantur. Gentiles illos per populum terræ significant, & infra quoque versu trigesimo primo, cum à populis terræ, id est, externæ gentis hominibus, nihil se in die Sabbati accepturos esse venale recipiunt.

Vers. 29. *Omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis Optimates eorum, &c.* Sic intellige, qui sapere poterant, erantque Optimates, id est, qui ætate, prudentia, ac iudicii maturioris authoritate apud alios facile principes erant, in quoque ordine, &c. *veniebant ad pollicendum, & iurandum vt ambularent in Lege Dei, &c.* Id III.

C est, vt pactum cum Deo initum communi totius populi nomine iureiurando confirmarent, sponderentque pro fratribus suis seruaturos se quæcumque Deus per Moysem populo præcepisset, cum autem dicuntur solemni promissione, ac iuramento spopondisse, *vt facerent, & custodirent mandata, &c.* id est, Legi futuros obedientes, quantum ad moralia, *& iudicia, &c.* id est, quantum ad præcepta iudicialia, *& ceremonias*, id est, quantum ad ceremonialia, omnia omnino Legis præcepta comprehendisse censendi sunt, quippe quæ sub istis tribus prædi-

D ctis, Moralibus, Iudicialibus, & Ceremonialibus generatim continentur, vt in Exodo videre est.

Vers. 30. *Et vt non daremus filias nostras populo terræ; & filias eorum non acciperemus filiis nostris, &c.* Ergo fœderi cum Deo percusso non tantum subscripserunt plerique Sacerdotes, & Leuitæ, & Magistratus populi, & Nathinæi, & Proselyti, qui pro se suisque solemniter spoponderant, ac iuramento confirmarant se legem Dei secuturos vt iam vidimus, sed iidem etiam, publicis monimentis consignatum testatumque volue-

runt nominatim, se nunquam affinitates cum infidelibus contracturos, quos iterum populos terræ appellat. Additur quoque cap. 13. statim initio de excludendis Ammonitis, & Moabitis à cœtu Iudæorum, nominatim, intellige, nisi fierent Proselyti, vt recte annotauit Emanuel Sa, & se (quod antea factum à multis dixit Nehemias) *à populo terræ*, id est, à sacris Gentilium separarent. Cœterùm de vetitis istis atque illegitimis coniugiis plus satis diximus superiori libro, vt ea rursum huc congerere fastidiosum sit.

Quomodo censendi Ammonitæ & Moabitæ exclusi nominatim à cœtu Iudæorum.

IV. Vers. 31. *Populi quoque terræ qui important venalia & omnia ad vsum per diem Sabbati vt vendant, non accipiemus ab eis, &c.* Cautius quoque obseruaturos se deinceps cum externis & alienigenis populis diem Sabbati, aliosque festos dies, vt ne iis diebus venalia emant, aut cum eis quoquomodo contrahant pollicentur Iudæi. Vnde certum est hic (quod supra innuimus) per populum terræ, Gentiles, siue externos populos, à vera Religione alienos significari, cum dicunt Iudæi se à populis terræ venale nihil accepturos non vero, vt aliis in locis superius à me citatis, Iudæorum ipsorum vulgus ignobile. Ac licet non omnino constet, aut adeo manifestum sit Iudæos non potuisse diebus Sabbati emere cibos, aut aliquid aliud, quod ab aliis venale proponeretur, tamen interposito iureiurando facturos se id negarunt, non quod per legem forte non liceret, sed vt ea ratione arcerent alios populares suos, ne illis diebus onera in ciuitatem importarent, quod fecisse Gentiles, diebus etiam Sabbati, & aliis quoque alio nomine religiosis ac sacris, constat ex capite 13. vers. 16. Et Iudæis interdictum satis clamat illud Hieremiæ cap. 17. vers. 21. & 22. *Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die Sabbati, nec inferatis per portas Hierusalem, & nolite eiicere onera de domibus vestris, &c.* quibus verbis, vt hoc, sic illo tempore, violatam Sabbati religionem, eo vsque, Deus per vocem Hieremiæ conqueritur, vt publicè per portas, maximè publicas ciuitatis, contra quàm illius diei exigebat sanctitas, onera inferrentur, efferrenturque, neque indignantibus aut reclamantibus illis, qui religionis ac legum seueri vindices esse debuerant.

Non est omnino certum nec manifestum Iudæis non licuisse diebus Sabbati emere quæ venalia proponebantur.

Et dimittemus annum septimum, &c. Quid sit dimittere annum septimum, quod facturos se spondent Iudæi, nec fecisse credendi sunt, multo tempore, etiam à soluta captiuitate in Iudæam aducti, facile est ex lege ipsa per Moysem eis data intelligere, siquidem 1. dimittere annum septimum, est transigere annum illum sine cultura agrorum, omissa seminatione, & sine collectione fructuum, etiamsi sponte aliquid nasceretur, quidquid enim eiusmodi erat, in commune colligi poterat, ab omnibus qui indigebant, nec tùm illi ipsi agrorum domini & legitimi possessores, quicquam proprium habere poterant, sic enim lege cautum erat, in Leuitico cap. 25. vers. 4. *Septimo anno Sabbatum erit terræ, requietionis Domini*, vnde annus ille Sabbaticus vulgo dicebatur, & eo anno terra sabbatizans, *agrum non seres, & vineam non putabis quæ sponte gignet humus non metes, & vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam, sed erunt vobis in cibum, tibi, & seruo tuo, & ancillæ & mercenario tuo, & aduenæ qui peregrinantur apud te.* Promittunt igitur Iudæi ea ratione dimissuros se Sabbatum annorum, seu annum Sabbaticum, id est, obseruaturos quæcumque eo anno fieri lex præcipit, addunt, *& exactionem vniuersæ manus, &c.* se quoque dimissuros scilicet, quia, ex lege Deuteronomii cap. 15. vers. 1. non licebat eo anno Sabbatico, repetere vllum debitum à proximo, siue simpliciter remittendum esset debitum antea contractum, non quidem omnibus, sed tantum pauperibus qui non erant soluendo, quod aiunt aliqui, & indicare videtur Vatablus, siue cessare deberet, exactio debitorum quidem omnium simpliciter, septimo anno, ita vt, eo peracto, rursum reuiuisceret, & sicut rursum colebantur agri, ita rursum quoque liceret exigere, *septimo anno*, inquit Deus per Moysem loco citato, *facies remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur cui debetur aliquid ab amico, vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini, à peregrino & aduena exiges, ciuem & propinquum repetendi non habebis potestatem*: Hebræi, hic, habent prouoce *exactionem* onus, omnis manus, & recte quidem, nam debita & vsuræ vocantur *onus manus*, quoniam syngrapha, debita constituuntur, quæ Isaias cap. 46. vocat, *Fasciculos depri-*

V. Quid sit dimittere annum septimum quod in lege præcipiebatur Iudæis.

Annus septimus vocabatur Sabbaticus. & eo anno terra Sabbatizans.

Anno Sabbatico non licebat repetere debitum à proximo.

mentes; obligationes impietatis, onusque, quanquam & alii sic explicant; *Dimittemus annum septimum*, id est, de anni septimi seruitute non curabimus, *& dimittemus exactionem vniuersa manus*, id est non exigemus, vltra septimum annum, seruile ministerium, quod impendunt nobis seruorum manus, vti lex ferebat Exodi 21. vers. 1. *Si emeris seruum Hebræum sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis*: Et Deuteronom. 15. vers. 13. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus aut Hebræa & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum, & quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris.* Tria igitur aut quatuor, vt summatim omnia concludam, insignia erant aut priuilegia anni septimi, siue Sabbatici. Primum quod eo anno Iudæi non poterant serere, non metere, non putare vitem non colligere vindemiam, sed quies dabatur agris, & vineis, & fructus ex eis sponte enati, erant communes omnibus hominibus, & animalibus. Secundum, quod anno hoc septimo fiebat remissio omnium debitorum, si is, qui debebat, Iudæus erat, non autem si peregrinus & Gentilis. Tertium, quod hoc anno erat remissio, & solutio seruitutis. Quartum denique, quod anno septimo legebatur Deuteronomium coram toto populo, vt præcipitur Deuteronom. 31. vers. 10. *Post septem annos, anno remissionis, conuenientibus cunctis ex Israel, leges verba legis huius, coram omni Israel, audientibus eis, &c.* Hæc autem omnia Iudæi in Patriam reuersi videntur omisisse, primum quidem de non colenda terra, quia ægrè ferebant carere frugibus, quas anno septimo producere potuit cultus ac seminatus ager. Neque forte æquo etiam animo patiebantur peregrinos, & aduenas in partem vocari eorum, quæ terra sponte gigneret, vt lege ipsa cauebatur. Illa autem propriè dicuntur à terra sponte gigni, quæ ex opera ipsa & agricolarum cultura non proueniunt, cuiusmodi sunt segetes, verbi causa, quæ ex relictis superiori anno granis succrescunt & arborum fructus, qui etiam sub Romanorum dominatione, non colligebantur à Iudæis, teste Iosepho lib. 14. Antiquitat. cap. 17. vbi de Romanorum benignitate in Iudæos, qui annum illum septimum immunem à tributis fecerant, sic ait: *Caius Cæsar Imperator statuit, vt singulis annis tributa pendant Hierosolymitani, absque anno septimo quem Sabbaticum nominant, quoniam in eo neque fructus arborum colligunt neque seminant.* Iam vero, quod alterum erat anni septimi beneficium de remissione debitorum, aut etiam tributorum, cum agri, vt ante diximus, eo anno à semente & cultura vacarent, ac proinde non essent ab aratoribus & agricolis pro eo tempore exigendæ decimæ seu tributa, aliaue eiusmodi onera pro agrorum fructibus imponi solita, faciebat apud Iudæos dominorum inclementia, vt qui agros egenis excolendos fruendosque locauerant, septimo etiam anno tributum siue mercedem vsus aut locationis agrorum pro illo tempore pendi solitum exigerent, & acciperent, licet agri ipsi à cultura vacantes aratoribus non magis quam alienis fructuosi essent, & hoc est quod aiunt Hierosolymitani ciues, nempe, dimissuros se annum septimum, quia debitorum aut onerum eiusmodi remissio & relaxatio ab ipsis antea non fiebat, in quo duriores se erga suos exhibebant, quàm longe ante fecerant externi Domini ac Principes, nam præter Imperatorem Romanum, de quo iam proximè eodem authore Iosepho lib. 11. Antiquitat. cap. 8. *Alexander Macedo (subiugato scilicet Imperio Persico) Iudæorum genti Pontifice*, inquit, *petente, vt patriis legibus viuere sibi liceat, vtque septimo quoque anno concederetur eis tributorum immunitas, concessit omnia*, cumq; hoc ipsum ab eodē postularent Samaritæ, eam ipsam quoque, apud eundem authorem, causam attulerunt, quia per legē anno septimo agros eis seminare non liceret. Quibus locis, cum Iosephus, ab illo onere tributorum, speciatim ab Alexandro, & postea à Romanis releuatum populum asseueret, ex eo, nonnulli, satis indicari ac facile coniici putant posse, solitos Persarum Reges illo etiam anno septimo, agros Iudæorum vectigales habere, & quasi essent fructiferi, illis stata tributa imponere. De dimissione seruitutis seu manumissione seruorum, quod tertium erat Iudæis præstandum anno Sabbatico, cum tam acerbe & grauiter conqueratur Hieremias cap. 34. suo tempore, minus id obseruatum fuisse, immo Iudæos, vt erant tùm crudeles & auari,

Anno Sabbatico serui Hebræi libertate donabantur.

Anno septimo legebatur Deuteronomium coram toto populo.

Iudæi in patriam reuersi videntur non obseruasse quæ præcipiebantur in lege pro anno Sabbatico.

Imperatores Romani non colligebant tributum à Iudæis anno septimo qui à illis Sabbaticus erat & requisitionis.

Alexander item subiugato Imperio Persico concessit Iudæis tributorũ immunitatem, anno septimo.

hanc legem omnino contempsisse, A quia perire sibi nolebant commoda, quæ ex seruorum ministerio colligebant, probabile est, Iudæos quoque, hoc tempore idipsum fecisse, atque adeo transacto septennio, seruos etiam Hebræos, contra legem apud se retinuisse, cum nihilo essent hi, quam illi meliores, & legem fortasse ipsam ignorarent, ad hoc vsque tempus, in quo illam ab Esdra Scriba & Sacerdote didicerunt, vnde argumento esse possit quartum illud ac postremum anno septimo obseruari solitum de Deuteronomio legendo coram omni populo, diu etiam ab iisdem neglectum B fuisse à soluta captiuitate. Nam vt hic audita lege quam Esdras interpretatus fuerat, Iudæorum animi, vel admiratione suspensi, quod ea primum audirent, quæ tamdiu ignorassent, vel dolore perculsi, quod quæ pridem adeo sibi imperata non resciuissent, obseruare neglexerant, plus satis id significare videntur.

XVI. Vers. 32. *Et statuemus super nos præcepta vt demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri, &c.* Hic se collaturos in commune pecuniam spondent pro Templi necessariis sumptibus, & ad diuinum cultum C in eo conseruandum, quotannis, scilicet, tertiam partem sicli, spondent (inquam) sed sponte, ac libere, aut supra quàm lex exigeret, nam, vt recte hic notat Sanctius, nulla lex erat, quæ iuberet Hebræos, pro Templi sumptibus, aut sacra supellectile, tertiam sicli partem pensitare singulis annis, tametsi pro sacrificiorum sumptibus, populus aliquid de more conferret, vt constat ex Leuitici cap. 23. vers. 10. & 17. & Exod. cap. 13. vers. 12. & vt nonnulli sentiunt, exacto septendiali Tabernaculorum festo pecuniam quoque ad sacros vsus suppeditarent, vnde qui dies proxime celebritatem illam sequebatur, *collecta*, id est contributionis dies appellaretur, atque ita, quoad hoc, quod in singula capita quotannis definiunt, nouo se voto ac religione obligant, omnes Iudæorum ordines, de siclo autem cuius tertiam partem in Templi vsum daturos se pollicentur, plura authores scripserunt, & ex iis excerpta alibi in quæstionibus præambulis notauimus, illud ad præsentem locum satis, monetam fuisse Hebræis vsitatissimam quæ & stater diceretur, pondus eius fuisse 4. drachmarum Atticarum, siue semunciæ, teste Iosepho, valoris ac pretii 20. obolorum, quos si ad nostram monetam referas dices 20. assium, vt constat ex cap. 30. Exodi vers. 13. *Siclus viginti obolos habet.*

Nouo hic se voto ac Religione obligant Iudæi de tertia parte sicli pendẽda quotannis ad Tẽpli sumptus cum nulla lex id iuberet.

Siclus qui & stater pendens fuit 4. drachmarũ Atticarũ, siue semunciæ pretij 20. obolorum & quasi 20. assium nostratium.

XVII. Vers. 33. *Ad panes Propositionis ad sacrificium sempiternum, & in holocaustum sempiternum, &c.* Hic demum sigillatim explicatur quæ sint illa opera, seu Templi ministeria, pro quibus promissa à singulis pecunia, quotannis penderetur; vbi scilicet varia sacrificiorum genera proponũtur, quæ magnas omnino impensas desiderant, ac primum quidem *ad panes*, inquit, *propositionis, &c.* Qui quolibet Sabbato recentes nouique apponebantur, *& ad sacrificium sempiternum, &c.* Hoc est, ad iuge sacrificium quod fiebat quolibet die, mane & vespere, *& in holocaustum sempiternum*, quod ita vocatur, quia ratione solemnitatum quas hic commemorat, Sabbati puta, Kalendarum, siue Neomeniæ, aliarumque eiusmodi, certis diebus, quibus contingebant, specialia quædam sacrificia fieri consueuerant, liquidum istud est ac facile, magis spissum ac difficile, quod sequitur, *& in sanctificatis*, Hebraïcè *in sanctitates*, sic videtur vocare sacrificia pacifica, ad differentiam eorum quæ pro peccato fiebant: hæc est Estii sententia, satis ad textum, vt videtur accommodata; nam, & postea additur, *& pro peccato vt exoretur pro Israel, &c.* Lyranus vero, cum antea præmittatur, *in solemnitatibus*, sicque intelligat, in solemnitatibus, puta lege statutis, Paschate, Pentecoste, aliisque id genus, consequenter interpretatur, *& in sanctificatis*, id est, diebus qui non erant statuti ex lege, sed ex aliquo diuino beneficio postea facto, sicut solemnitas D sortium, quam Esther, & Mardochæus statuerunt, vt habetur Esther vltimo, prima interpretatio magis placet alteram non respuo.

Quid sit in Sanctificatis, seu in Sanctitates.

Vers. 34. *Sortes ergo misimus super oblationem lignorum inter Sacerdotes & Leuitas & populum vt inferrentur in domum Dei nostri, &c.* Quia ad cultum Templi requirebatur debitus ordo ministrorum, ideo sortes miserunt, vt sciretur quinam pro tempore, per vices sibi succedendo, hæc officia præstare deberent, nimirum ignes nutriendi assiduè, in altari holocaustorum lignis appositis, (quod fuit Sa-

Munera & officia ministrorum Templi.

cerdotum) *ficut scriptum est in lege Moysis*, puta, Leuitici 6. vt infra dicitur; ligna apportandi, quod Nathinæis, qui hic sub Leuitis comprehenduntur, ex munere incumbebat, vt habetur Iosue 9. ligna ipsa donandi, seu pretium eorum persoluendi, quod ad populum pertinebat; non exiguos autem sumptus fuisse necesse est, qui impenderentur ad ligna comparanda, & conuehenda, quæ quotidie in altari consumebantur, siquidem ignis in eo nunquam deficiebat, & eius generis erant holocausta, vt magnam lignorum vim, atque ingentem struem, quotidie postularent, quare, cum ædificato iam Templo ignem illum arde- B re perpetuo super altare sic oporteret, & res Iudaïca eo tempore premeretur angustius, nec tam copiosæ illi facultates suppeterent, oportuit quoque conuenire inter se Sacerdotales, & Leuiticos ordines, & reliquam populi turbam profanam & laicam, vt per vices, & suo quique ordine, illam sibi curam, & negotium assumerent, ne vnquam pro altari lignorum copia deficeret, idque iuxta legis sanctionem, capite citato Leuitici, vers. 12. *Ignis in Altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subiiciens ligna mane per singulos dies*, & mox versu 13. *Ignis* C *est iste perpetuus qui nunquam deficiet in Altari*, quod subditur in fine huius versus; *A temporibus anni vsque ad annum, &c.* Hebræa habent, *Anno in anno*, id est annuatim, atque ita, his verbis; *Per tempora à temporibus anni vsque ad annum*, nihil aliud significatur, quam constitutum fuisse certum tempus, & spatium, singulis familiis, ex quo intelligerent, & quando, & quamdiu, ligna ab ipsis in Templum comportari necesse esset. Et sane eò spectant translationes omnes, quantumcumque variæ inter se D se nonnihil videantur, Septuaginta enim sic reddunt, *In tempora a temporibus annum per annum*, Tigurina versio, *Temporibus constitutis singulis annis*: Pagninus, apud Caietanum, *Temporibus determinatis annuatim.*

Spectant eo omnes huius loci versiones vt ostendãt constitutũ fuisse quãdo & quãdiu à quoque ligna comportarentur in Templum.

IX. Vers. 35. *Et vt afferremus Primogenita terræ nostræ, & Primitiua vniuersi fructus omnis ligni ab anno in annum in domo Domini, &c.* Ad ea quæ superius enarrata sunt, & perfecturos se promiserunt Iudæi, addunt etiam hic, paratos se postmodum, ac promptos futuros, ad soluendas Primitias om- A nium frugum, ac fructuum, hominum quoque, & animalium, iuxta Legem, quæ filios redimi iubebat, & animalia offerri ad sacrificia, & vsum Sacerdotum, ac Leuitarum: item, ad Decimas rite eis persoluendas, quas Dominus ad eorum sustentationem destinasset. Igitur, quod aiunt, *vt afferremus Primogenita terræ nostræ, &c.* Id est, Primitiua, vt statim explicatur, siue Primitias fructuum terræ: quam in rem sciendum, Primogenita proprie dicta fuisse, primo nata de hominibus, & animalibus, quæ fuerunt Deo obligata à tempore quo percussit Primogenita Ægyptiorum, Primitiua autem proprie dicta fuisse illa, quæ de animalibus, & è terra nascentibus ex Lege Sacerdotibus debebantur, vt notat Lyranus, aliquando tamen accipiuntur Primogenita, pro Primitiis, seu Primitiis, sicut hoc loco, cum dicitur, *vt afferremus Primogenita terræ nostræ*, & similiter Primitiua, pro Primogenitis, vt cum subiungitur versu sequenti, *& Primitiua filiorum nostrorum*, id est Primogenita, quæ redimebantur quinque siclis. Cæterum hic aduerte nihil à Iudæis promitti, seu de Primitiuis, seu de Primogenitis, quod ex Legis præscripto offerre non deberent, sed quia id ab aliis iampridem neglectum fuerat, noua se ad Legem obseruandam veluti Religione obstringunt, de fructuum Primitiis, aut Templo, aut Templi ministris tradendis, ex Lege, habes Leuitic. capite vigesimo tertio, versu decimo, Numerorum decimo octauo, versu octauo, Exodi decimo tertio, versu decimo secundo, & Deuteronomii decimo quinto, versu decimo nono.

Quid proprie Primogenita quid Primitiua.

Aliquando Primogenita sumũtur pro Primitiis, & Primitiua pro Primogenitis.

Vers. 36. *Et Primitiua filiorum nostrorum, & fructuum nostrorum sicut scriptum est in Lege, &c.* Nimirum, sanctificari, hoc est, à communi vsu separari iubebatur omne Primogenitum, vt Deo dicaretur, & offerretur. *Sanctifica*, inquit Deus ad Moysem Exodi decimo tertio, versu vndecimo, *omne Primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Israel tam de hominibus, quam de iumentis, mea enim sunt omnia*: & versu duodecimo, *Separabis omne quod aperit vuluam Domino, & quod Primitiuum est in pecoribus tuis quidquid habueris masculini sexus consecrabis Domino, &c.* Sic autem intellige, Primogenita quidem animalium immolatorum, id est, quæ à X.

Quomodo Lex de offerendis Deo Primogenitis intelligi debeat.

Lege non repudiabantur, tanquam ad sacrificium minus idonea, vt boum, ouium, & cæterorum eiusmodi, immolata fuisse Domino, Primogenita vero animalium non immolatitiorum redimi solita, excepto Primogenito asini, quod mutabatur oue, loco eius immolanda, & Primogenito canis (vt addit Lyranus, vnde nescio) quod interficiebatur, inquit, certe prædicto capite Leuitici versu decimo tertio, id tantum habetur, *Primogenitum asini mutabis oue, quod si non redemeris, interficies, omne autem Primogenitum de filiis tuis pretio redimes, &c.* Quod ad pretium, Numerorum capite decimo octauo, versu decimo quinto exprimitur, quinque siclorum; quibus ex locis causam latæ Legis de Primogenitis Deo offerendis, si voles, hanc accipe, scilicet vt Primogenitorum oblatio, Hebræis iugiter refricaret memoriam suæ liberationis ex Ægypto, hanc enim effecit, & procurauit Deus per cædem Primogenitorum totius Ægypti: quia ergo tunc percussit Deus omnia Ægypti Primogenita à Primogenito hominis vsque ad Primogenitum iumentorum, vt est in Leuitico supra vers. 14. vt Hebræos quasi Primogenitos suos, inde liberaret, & quia tum temporis etiam intacta seruauit Primogenita Hebræorum habitantium in Ægypto, propterea hac Lege, eadem sibi offerri, ac quasi sua, & à se conseruata sibi reddi depoposcit. Sed obseruandum hic obiter, licet omnia Primogenita, etiam iumentorum, puta equorum, asinorum, camelorum cæsa sunt, in Ægypto tamen Deum in huius rei memoriam, non iumentorum omnium, sed pecorum tantum Primogenita, sibi ab Hebræis offerri voluisse, idque, quia sola pecora, sibi ad sacrificium delegit in Leuitico, quin, & pari modo, licet in Ægypto fœminæ quoque quæ erant Primogenitæ percussæ fuerint ab Angelo exterminatore, nihilominus tamen solos ab Hebræis masculos exegit Deus, vt dignior sexus Deo consecraretur.

Pretium redemptionis Primogenitorum quinque sicli.

Liberatio populi in Ægypto causa institutæ Legis de offerendis Primogenitis.

XI. Vers. 37. *Et Primitias ciborum nostrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque, & olei afferemus Sacerdotibus, &c.* De Primitiis, seu Primitiuis frugum Sacerdoti largiendis obuium est illud, quod in Lege dicitur Leuitici capite vigesimo tertio, versu decimo. *Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetes, feretis manipulos spicarum, Primitias messis vestræ ad Sacerdotem*, & versu decimo septimo. *Offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris panes Primitiarum duos*, & Deuteronomii capite decimo octauo, versu quarto, præcipit Deus dari Sacerdoti *Primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ouium tonsione, &c.* Quod autem additur hoc loco, de Decimis persoluendis: *Et decimam partem terræ nostræ Leuitis, ipsi Leuitæ Decimas accipient ex omnibus ciuitatibus operum nostrorum*, duo indicat, & Leuitas à reliquis Iudæis bonorum quæ possiderent decimam partem accepisse, & eosdem ipsos decimam quoque partem occupasse agri suburbani, qui inter varios Solymitanorum ciuium ordines fuerat distributus. De primo sic Dominus ad Aaron Numerorum cap. 18. vers. 20. 21. & sequentibus. *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israel, filiis autem Leui dedi omnes Decimas Israelis in possessionem pro ministerio quo seruiunt mihi in Tabernaculo fœderis nihil aliud possidebunt, Decimarum oblatione contenti, &c.* Item de hoc ipso, Dei loquentis ad Moysem, Edictum habes eodem Numeror. capite 18. vers. 26. *Præcipe*, inquit, *Leuitis, atque denuntia, cum acceperitis à filiis Israel Decimas, quas dedi vobis, Primitias earum offerte Domino*, id est, *decimam partem Decimæ, & reputetur vobis in oblationem Primitiuorum tam de areis, quam de torcularibus, & vniuersis quorum accipitis Primitias, offerte Domino, & date Aaron Sacerdoti.* Quo ex loco, facile omnes intelligunt, bona illa, quæ Leuitæ ab aliis de populo accipiebant, ex Lege, aliqua ex parte ad Sacerdotes etiam pertinuisse, quandoquidem Decimarum quæ illis obueniebant à populo, decimam partem soluere Sacerdoti & Templo eadem Lege iubebantur. Itaque Iudæi iuxta hanc Legem Decimas suarum frugum spondebant Leuitis, ita tamen vt illi, quod eadem Lege præceptum erat, Decimarum decimam partem Sacerdoti, & Templo largirentur. Iam vero, alterum quod textus significare videtur, de decima parte agri Hierosolymitani Iudæis omnibus designati, à Leuitis occupata planum etiam fieri, aut certè colligi non improbabiliter quidam putant posse, ex illo Ezechielis, cap. 45. vers.

Leuitæ decimam partem occuparunt agri suburbani qui inter varios ciuiū Hierosolymitanorū ordines fuit distributus.

45. vers. 5. vbi Leuitis viginti quinque cubitorum millia, in longitudinem tribuuntur, & decem millia in latitudinem, ad habitandum, quæ decima pars fuerit agri suburbani, inter alios Iudæorum ordines distributi, sic enim Propheta cum illi Hierosolymitanæ ciuitatis & Templi agrique circumiecti, & formam, & spatium præscribit, & quomodo, in terra Promissionis pro duodecim Tribubus definiendi sint funiculi, sigillatim constituit *viginti quinque autem millia longitudinis & decem millia latitudinis erunt Leuitis qui ministrant domui.* Porro, de decimis, & primitiis à populo Iudæorum, Templo olim Templique ministris ex Lege persolui solitis plura (si vacat) intelliges ex authoribus, sparsis hinc inde, qui Pentateuchum interpretantur, & ex nostris etiam annotationibus in hoc caput præambulis.

XII. Vers. 38. *Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Leuitis in decimis Leuitarum, &c.* Hic, clare vides expressum, quod ante diximus, de decima parte decimarum, quas populus Leuitis traderet, Sacerdotibus, à Leuitis ipsis offerenda, ad superiora hoc tantum breuiter addo, Hieronymum in caput 18. Numerorum hoc ipsum docere, & hanc Leuitarum decimam oblatam Sacerdotibus appellari solitam δευτεροδεκάτην, id est, *Secundam decimam*, aut, *decimam secundo decimatam*: quod autem addunt, decimas se, aut primitias, allaturos in domum Dei, *ad gazophylacium in domum Thesauri, &c.* locum designant, vbi primitiua seu primitiæ, quas populus afferebat reponerentur, pro victu, & sustentatione Sacerdotum, hinc sequitur proxime, versu trigesimo nono, *Ad Gazophylacium enim deportabant filij Israel & filij Leui primitias frumenti, vini & olei, &c.* Pro Gazophylacio, in variis Scripturæ locis Hebraicè est *Lascab*, quam vocem nonnunquam vulgatus Interpres vertit, *Exhedram*, nonnunquam, *Cubiculum*, *Gazophylacium*, aut *Pastophorium*. Est autem propriè Gazophylacium, locus, aut capsella, vbi conduntur, aut conseruantur gazæ, siue magno illæ numero ac pretio sint, siue exiguo ac leuiori, quamuis plerumque, gaza, magnum aliquem thesaurum importet, vnde & hoc loco Gazophylacium quoque, *domus thesauri* dicitur, ex quo constat locum, vbi Templi diuitiæ atque thesauri reconduntur; Gazophylacium, vulgo appellari solitum, sicut & thecam quamcumque, quæ collectas à populo eleemosynas excipit, seruatque, quam vulgus hominum, cippum appellat. Sic 4. Regum 12. vers. 9. *Tulit Ioiada Pontifex Gazophylacium vnum, aperuitque foramen desuper & posuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo Sacerdotes qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad Templum Domini.* De aliis Gazophylaciis pro asseruandis thesauris, sacraque Templi supellectile, habes item 1. Paralipomen. cap. 18. vers. 11. sub nomine *Exhedra*, sic enim, ibi, vocem, *Lascab*, vulgatus Interpres transfert, *Necnon & omnium quæ cogitauerat atriorum, & exhedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros Sanctorum diuisionumque Sacerdotalium & Leuiticarum in omnia opera domus Domini, & in vniuersa ministerij Templi Domini, &c.* Cæterùm, hæc Gazophylacia, seu exhedras, alios præterea vsus habuisse, patet, ex Hieremiæ capite trigesimo quinto, versu secundo, *Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis & introduces eos in domum Domini in vnam exhedram thesaurorum*: & versu quarto, *Et introduxi vos in domum Domini ad Gazophylacium, &c.* Vbi vides, multos ad Gazophylacium conuenire, & propositum ipsis ab Hieremia Rechabitarum exemplum intelligere. Item capite trigesimo sexto, versu decimo, *Legitque Baruch in volumine Sermones Hieremiæ in domo Domini in Gazophylacio Gamariæ, & statim*, versu duodecimo, *Descendit in domum Regis ad Gazophylacium scribæ, & ecce ibi omnes Principes sedebant*: ex his obiter intelligas illud Ioannis capite octauo, *Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio docens in Templo*, atque ideo, quæ ex priori vsu vocata sunt *Gazophylacia*, ex posteriori *exhedræ* dicuntur, scilicet exhedra, locus est, vbi subsellia sunt, in quibus sedere multi aut possunt, aut solent, quæ in locis publicis atque frequen-

Decima quæ à Leuitis pendi solebat Sacerdotibus vocabatur Secunda decima.

Quid propriè Gazophylacium quisque illius vsus.

sibus plerumque sunt, cuiusmodi multa olim fuerunt in Templo Hierosolymitano, prope Gazophylacia, id est, prope cubicula, vbi thesauri Templi, aut sacra donaria asseruabantur, vbi considere solerent illorum custodes, aut qui de bonorum illorum dispensatione, atque vsu, quid statueretur deliberabant. Atque hinc, exhedræ quidem, aut Gazophylacia eiusmodi, appellari optimè possent scholæ, vbi Discipuli, aut quæ vulgo dicuntur capitula, in quibus Canonici aut Monachi de more consident, quemadmodum in alio genere non admodum dissimili dixit Vitruuius libro quinto, capite vndecimo, *Constituuntur*, inquit, *in tribus porticibus exhedræ speciosæ habentes sedes in quibus Philosophi Rhetores reliquique qui studiis delectantur sedentes disputare possunt.* Cum igitur, te sic intellecta, plurima essent in Templo Gazophylacia & multiplici rerum vsui destinata, potissimum (vt textus hic indicat) in ea conferebantur primitiæ, ac decimæ, tam ab Israëlitico populo, quam à Leuitis ipsis, quasi in thesaurum domus Domini, quia vt dona illa sanctificata erant, sic etiam in locis, vasisque sanctificatis, recondi & conseruari debuerunt, cum præsertim ibi Sacerdotes, aliique inferiores Templi Ministri, quorum vsui destinabantur, sæpissime commorari solerent, vnde sequitur.

Vers. 39. *Et ibi erunt vasa sanctificata & Sacerdotes, & Cantores, & Ianitores, & Ministri, & non dimittemus domum Dei nostri, &c.* Hæc tandem est, percussi à Iudæis solemni more cum Deo fœderis & iuratæ promissionis extrema clausula, & veluti omnium summa, qua se, quæcumque ad Templi Religionem procurandam, conseruandamque pertinerent, religiosè obseruaturos spondent, *non dimittemus* (inquiunt) *domum Dei nostri, &c.* id est, altius insidet in animis nostris, Templi species, maiestas, ac sanctitas domus Dei nostri quàm vt eam vnquam dimittamus curis nostris ac studiis vacuam, nunquam Patriæ Religionis, nunquam sanctitatis Templi, nunquam eorum omnium quæ ad illius cultum spectant, aut ministerium, curam abiiciemus, quàm vero parum in fide constantes fuerint, quàm promissionis suæ non tenaces diu, aut memores, denique (vt cum Psalte Regio loquar Psalmo septuagesimo septimo,) quàm *in omnibus his peccauerint adhuc*, vt quod olim à maioribus factum, in posteris iure reprehendas, capite decimo tertio, videbimus, & expendemus. XIII.

Extrema promissionis Iudæorum clausula de sedula Templi cura.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis decimi.

Expoſitio Myſtica & Allegorica in hæc verba, verſus primi, *Signatores autem fuerunt Nehemias, &c.*

Quinam ſignificentur per ſignatores legis ſiue pacti à Iudæis cum Deo percuſſi.

I. DVO in huius loci Myſterio peruеſtigando expendenda ſunt. Primum, quid per ſcripturam ſigillo confirmatam intelligatur: deinde, quinam per ipſos ſcripturæ ſignatores adumbrantur. Ergo per hanc ſcripturam, ſeu per legem, ſiue pactum de lege à Iudæis obſignatum, poteſt lex Euangelica conuenienter ſignificari: hanc autem ſignauit Spiritus ſanctus, primo ſua reuelatione dictando; ſecundo vero ſignauit eam Christus, in cordibus Apoſtolorum eam ſcribendo, ſicut fuerat prædictum Hieremiæ 31. *Ecce dies veniunt ait Dominus, & feriam domui Iſraël, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum quod pepigi cum Patribus veſtris*: Ex quo patet, fieri ab eo mentionem nouæ Legis, & ſequitur ibidem, *dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, &c.* Tertio, ſignauerunt eam Euangeliſtæ in volumine ſcribendo, ad memoriam futuram. Quarto ſignauerunt eam Apoſtoli, aliique Diſcipuli, per orbem prædicando, & miraculis confirmando. Quinto ſignauerunt eam Martyres, pro confeſſione Euangelii conſtantiſſimè moriendo. Sexto ſignauerunt eam Doctores ſancti, ipſam contra Hæreticos defendendo. Septimo ſignauerunt eam, & ſignant Religioſi, quod inſtituti ſui eſt profitendo, nam ſupra alios fideles, in ſua profeſſione promittunt ſeruare Euangelica conſilia, ſaltem aliqua, neque id modo ſolemni voce, ſed etiam ſæpe ſcripto confirmant, ad perpetuam rei memoriam. Et ſic lex Euangelica eo quo dixi modo ſeptiformiter ſignata deſignari dicenda eſt, Apocalypſ. 5. vbi dicit Ioannes, *vidi in dextra ſedentis ſupra thronum librum ſcriptum intus & foris & ſignatum ſigillis ſeptem, &c.* Hæc fere Lyranus, paucis admodum immutatis.

Per Scripturam ſignatam ſiue per pactũ de Lege à Iudæis obſignatum adumbratur Lex Euangelica.

Legem Euangelicã ſignauerũt Spiritus ſanctus, Chriſtus Apoſtoli, Euãgeliſtæ, Diſcipuli, Martyres, Doctores, Religioſi.

II. Et ſanè quantum ad id quod ait librum illum myſticum Ioanni per viſionem obiectum, Legem, ſeu veterem, ſeu nouam, ſeu Moſaicam, ſeu Euangelicam, indicaſſe, in eo conſentiunt Ambroſius, Rupertus, Anſelmus, Hugo in Apocalypſim, Origenes Homilia 12. in Exodum, Euſebius lib. 8. demonſtrat. cap. 5. Diuus Hieronymus in Iſaiæ caput vigeſimum ſecundum, & paſſim veteres Interpretes, qui cenſent eſſe ſacram Scripturam, ſiue Prophetias tam veteris quam noui Teſtamenti, de hac enim dicitur Deuteronomii 33. verſ. 2. *In dextera eius ignea Lex* ſcripta eſt *intus*, quoad nouum Teſtamentum *foris* quoad vetus, hoc enim fuit velamentum noui, ait Anſbertus & Beda, vel *foris*, id eſt, quoad ſenſum literalem, & *intus*, id eſt quoad ſpiritalem, & myſticum, ait Rupertus, ſigilla ſeptem, ne vim in numero facias, aut in eo peculiare quoddam Myſterium eſſe putes, tantum ſignificant, eam plenam eſſe Myſteriis arcanis, & obſcuris, ſeptenarius enim, ſymbolum eſt multitudinis & vniuerſitatis, ita Primaſius & Beda, ſin ad certa quædam capita,

Lex Euãgelica indicata Ioanni Apocal. 5. per librũ ſignatum ſigillis ſeptem.

Sigilla ſeptem multitudinem myſteriorũ in Scriptura ſignificant: vel in Euangelica lege ſe-

piè præcipua Christi Mysteria. generatim septenarium hunc numerum reuocare voles: Iam, *primum sigillum*, ait Hugo, *est sententiarum sanctæ Scripturæ profunditas; secundum, sensuum multiplicitas; tertium, figurarum varietas; quartum rerum ipsarum incomprehensibilitas: quintum, mysteriorum obscuritas: sextum, Tropologiarum suauitas: septimum infallibilis veritas mixta cum rerum incuidentia.* Sin peculiariter, librum signatum ad Christum, seu ad Legem Euangelicam, quæ à Christo manauit, & hic per scripturam sigillo firmatam à Iudæis, adumbratur, referre mauis: tum sigilla septem libri mystici, seu legis Christianæ, ait D Hilarius, erunt septem præcipua Christi Mysteria, scilicet, 1. *Incarnatio*, 2. *Natiuitas*, 3. *Passio*, 4. *Resurrectio*, 5. *Ascensio in Cælum*, 6. *missio Spiritus sancti*, 7. *Secundus Aduentus eius ad Iudicium.* Hinc & Petr. Damian. Sermone de sancto Luca Euangelista, *septem*, ait, *sigilla libri signati sunt septem Sacramenta, quibus totus ordo Dominicæ dispensationis impletur*, quæ postea recenset, vti mox fecimus, & eo prorsus ordine, vno duntaxat excepto, quod nimirum post Iudicium, postremo Regnum constituat, omissa prius missione Spiritus sancti. Et hæc hactenus de lege signata, seu de legis obseruandæ promissione scripto firmata à Iudæis, & de Iudæis ipsis signatoribus quoad Mysterium & Allegoriam.

III. Cæterùm, cuncta quæ in hoc capite continentur, (vt ex ipsa literali expositione constat) ad curam domus Domini, & ministrorum, ac ministeriorum eius pertinent, quod si ad Allegoriam transferas, dic eo adumbra- A ri. Optimum sanè ordinem religiosæ conuersationis, quem Iudæi ineunt nobis spiritualiter imitandum. Primo enim ab inquinatione gentium se castigauerunt, deinde obseruatione Sabbati quæ inter prima ac præcipua legis capita eminet sanctificati sunt, & de reliquo, omnem curam agendi ad obsequium diuini cultus conuertunt, scilicet primo die, id est, primo quoque tempore à malis emundari necesse est, deinde bonis actibus adornari conuenit iuxta illud, *Declina à malo & fac bonum*, quod autem aiunt & facturos se profitentur iidem Iudæi *Iudæorum hoc loco institutũ docet primũ necesse esse à malis emundari, deinde bonis actibus adornari.*

B vers. 31. *Populi quoque terræ qui important venalia & omnia ad vsum, per diem Sabbati vt vendant, non accipiemus ab eis, in Sabbato, & in die sanctificato, &c.* Nobis quoque, inquit Beda, Sabbatum spirituale semper agendum est, semper à seruili opere, id est à peccato feriandum, semper vacandum, & videndum, *quoniam Dominus ipse est Deus*, vt post tale Sabbatum, liberati à peccatis conscientiæ, perueniamus ad Sabbatum futuræ gloriæ: At enim quærunt *populi terræ* nostrum prophanare Sabba- *Quomodo Christianis Sabbatum spirituale semper agendũ sit.*

C tum, venalia scilicet inferendo in die sanctificato, cum immundi spiritus vel eorum administri munditiam cordis nostri maculare nituntur & ingerere illecebras vitiorum, accepto pretio nostri consensus, quo diem maximæ sanctificationis inquinent, id est, lucem piæ cogitationis erroribus obnubilent, sed nos huiusmodi mercatum, clausis muris nostræ vrbis, id est, custodia vitæ perfectioris vitare debemus, Sic ille.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis decimi.

Morale in illud, vers. 29. *Omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis, & Optimates eorum, & qui veniebant ad pollicendum & iurandum vt ambularent in lege Dei, vt facerent & custodirent vniuersa mandata Domini, &c.*

Referre plurimùm ad salutem, firmum animi propositum, ratamque deliberationem Deum nunquam offendendi peccato mortali, nec se vnquam à diuinæ legis obseruatione, aut à iustitia & amore diuino auellendi.

IV.

LLVD ipsum est quod solemni percusso fœdere cum Deo pollicentur hoc capite Iudæi & scripto etiam sigillis suis cōmunito palam ac publicè confirmant; *Super omnibus ergo his nos ipsi percussimus fœdus, & scribimus, & signant Principes nostri, Leuitæ nostri, & Sacerdotes nostri*, inquiunt illi, extremo versu capitis præcedentis, quæ cum ipso statim initio consequentis bellè cohærent vbi *Signatores* percussi fœderis & numerantur & nominantur, scilicet; *Optimum est gratia stabilire cor*, vt ait Apostolus, Hebræor. cap. 13. vers. 9. Optimum, *Stare in Domino*, vt idem monet, Philippens. cap. 4. vers. 1. Optimum, *in charitate radicari & fundari*, vt loquitur, 1. Thessalonic. cap. 5. vers. 8. Optimum denique, *esse columnam in domo Dei*, sicut Apostoli fuisse perhibentur, Galat. cap 2. vers 9 sicut Lucia Virgo & Martyr, (vt eam nominat Ecclesia) cum ait, *Magno pondere fixam à Spiritu sancto, vt immobilis permaneret*, & is cui promittitur idem nomen in Apocalypsi, cap. 3. vers. 12. his verbis, *Qui vicerit faciam eum columnam in*

A *Templo Dei mei*: Sed quis adhæc aspirare audeat nisi cui firma constansque voluntas sit, bonum illud longè omnium maximum cæteris omnibus creatis præferendi? Atque (vt ad firmandam sententiam, initio huiusce dissertationis propositam propius accedam) eò dico referre plurimi, atque omnino ad salutem cuiuis mor-

B talium, necessarium esse firmum animi propositum, & ratam cum animo deliberationem, Deum nunquam offendendi peccato mortali, nec se vnquam auellendi à iustitia & ab amore diuino (de virtuali proposito, aut actuali etiam, ac sæpius repetito intellige) quia nimirum, sine eo, gratia stare, aut certè diu stare non potest quæ semen gloriæ est, & ad vitam æternam consequendam ius in vnoquoque constituit, quia de more instituroque communi, in Ecclesia, baptizandus

C quisque, vel per se, si adultus est, vel si infans, per eos à quibus offertur Ecclesiæ sacris vndis tingendus, hoc ipsum, ritu solemni profitetur, *dum abrenunciat diabolo & pompis eius*, quin denique hoc exigitur à pœnitente post lapsum, hinc Lactantius, scribere non est veritas, lib. 6. cap. 24. Agere pœnitentiam nihil aliud esse, quam pro-

Non potest diu stare gratia Dei sine proposito de non peccando.

fiteri, & affirmare ſe vlterius non peccaturum (quod ſano modo intelligas de pœnitentia extra ſacramentum, aut de effectu ſacramenti) profectò is quem peccati pœnitet, reſipiſcit, & mentem ſuam per pœnitentiam, quam ideo Græci μετάνοιαν vocant, quaſi ab inſania recipit, reuocatque in meliorem ſtatum, quem errati piget, is & ſeipſum caſtigat dementiæ, & confirmat animum ſuum ad rectius deinceps vitam inſtituendam; neque vero aliam ob cauſam (vt norunt Theologi) ita contritionem definit Concilium Tridentinum Seſſione 14. cap. 4. & Florentinum in inſtructione Armenorum, vt ſit *dolor de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero:*

Pœnitentia exigit, & vera contritio includit propoſitum non peccandi de cætero.

nam qui deprehenditur ſibi complacere in peccato, vel peccati proximam occaſionem nolle deſerere, vt docent iidem Theologi, cum ſit conſcius propriæ infirmitatis, ambigatque is, credatue, aut credere probabiliter debeat, lapſurum ſe, ni effugiat, cenſetur amare periculum ſuum, nec ſyncerum habere, aut dignum vero pœnitente inſtituendæ vitæ propoſitum;

V. noue at id, ac mente præceperat Regius Vates, vir ad perfectæ iuſtitiæ normam fictus, atque compoſitus; quippe qui in obſequii diuini conſilio, ac propoſito ineundo, aſpirantibus ad cœlum, tam vel i, ac neceſſario adeo firmabat ſeſe cum aiebat: *Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ*, Pſalm. 118. verſ. 106. in quem locum ſic D. Ambroſius, Serm. 14 in Pſalmum citatum. *Stat*, inquit, *Dauid, mentis ſtatione fundatus, nec timet, ne in his mundi tenebris poſſit errare, ſi enim metueret, non iuraret, ſi trepidaret, vtrum diuina poſſet cuſtodire iudicia, non cum iuriſiurandi ſtatueret ſacramento.* Sed, vt ait, & erudite obſeruat Incognitus eodem loco, ſciendum quòd, ſicut voluntas, per votum ſtabilitur, & magis firmatur ad illud quod vouet implendum, quod ante votum implere non obligabatur, ſic & per iuramentum, vnde iſtud iurare Pſaltis Regii, non eſt niſi mente firmare ſe ad cuſtodiendum diuina præcepta, & ſic voluntas per verbum firmatur in bono propoſito, iuramento mediante: vnde etiam ex Auguſtino notat idem author, hoc appellari iuramentum quod ſtatuitur per Sacramentum, quia, inquit, ita debet eſſe mens fixa in cuſtodiendis iudiciis iuſtitiæ Dei, vt ſit omnino pro iuratione, quod ſtatuit *Vox ambulantis in lumine eſt*, ait D. Ambroſ. iam proxime citatus cum authoritate dicere. *Iuraui, & ſtatui, qui enim ſtatuit, non mouetur, non metuit ne cadat, quia plus eſt ſtatuere, quam ſtare.* Ergo diuini verbi lumine illuſtratus Dauid, poſtquam dixit: *lucerna pedibus meis verbum tuum Domine*, in hoc veluti caliginoſo ſæculo, in ipſis etiam huius vitæ tenebris, audet expeditum ſibi, ſecurumque iter polliceri, & firmiter, atque conſtanter apud ſe proponit, ac decernit & veluti iuramento confirmat per oſtenſa iudicia Dei, ſiue per præcepta iudicio ſummo, & maxima iuſtitia tradita, dum ſimul proponunt præmia, & ſupplicia, ſemper incedere, oculos ab his numquam remouere, in omni actione, attendere ad illa, mentemque erigere, contra ſenſum voluptatis, & cupiditatis legem in mala pertrahentem, ac demum vinculis ſe quibuſdam implicare, & quaſi catenis iuriſiurandi, quo ſanctum de Lege diuina obſeruanda propoſitum confirmetur, ſtabiliaturque validius, religioſe aſtringere; *iuraui & ſtatui*, inquit, ſane quidem, ſponte ſuſceptum hoc iuramentum, index eſt propenſæ, ac deuotæ voluntatis erga Legem diuinam quam quis impoſita ſibi neceſſitate arctius cuſtodire omnino ſtatuerit, nec vetat quidquam, vt optime hic Lorinus noſter obſeruat, quominus vox *iurandi*, & proprie ſumatur, & præſentis ſententiæ ſtricta ſignificatio retineatur, cum non modo honeſtum, atque religioſum in quouis rerum genere poſſit eſſe iuramentum, honeſtis ſcilicet, ac legitimis adhibitis circunſtantiis, ſed etiam laudabilius ſit, ad ipſammet legis, per ſe alioquin obligantis, obſeruationem deuincire ſeipſum, ac conſtringere obligatione iuramenti quam ſecus facere, ſic & olim Iudæi ipſi ſub Eſdra lib. 1. cap. 10. eiuſdem cuius hic facti pœnitentes in vnam ſimul conuenere ſententiam de percutiendo cum Deo fœdere, & proiiciendis à ſe vxoribus alienigenis, ſolemni etiam adhibito iureiurando, quo ſponderent ſe, confirmarentque validius nunquam amplius diuinam Legem violaturos, *percutiamus*, inquiunt illi, *fœdus cum Domino Deo noſtro*, & mox verſ. 5. *Surrexit ergo Eſdras, & adiurauit Principes Sacerdotum, & Leuitarum, & omnem Iſrael, vt facerent ſecundum verbum*

Vox iurandi in propria ſignificatione ſumitur hic ſumpta eſt.

Quid ſit iuramentum Dauidis de cuſtodiendis iudiciis diuinis Pſal. 118.

VI.

hoc, & iurauerunt. Sic prisci illi quoque, ac veteres Hebræi cum Deo fœdus inierunt in monte Sinai, quo tempore Decalogum, aliasque leges acceperunt, Exodi capite decimo nono, versu quarto, & multis post annis fœdus illud ipsum cum posteris eorum per Moysem renouatum est in campestribus Moab ea conditione, vt diuinas sanctiones studiose, ac diligenter obseruarent, Deuteronomii capite vigesimo nono, versu primo. *Hæc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moysi, vt feriret cum filiis Israel in terra Moab, præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb,* neque ab hoc instituto longe, vt B reor, discedit Nehemias supra cap. 1. vers. 11. vbi verba ad Deum faciens, eiusque misericordiam, supplicis in morem, pro toto populo obtestans, hæc ait: *Obsecro Domine sit auris tua attendens ad orationem serui tui, & ad orationem seruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum,* nempe publica hac voce, ac solemni contestatione indicat fratres suos Iudæos profiteri in timore Domini, legisque obseruantia hærere, ac perstare velle in perpetuum, quid? illud Susannæ Danielis capite decimo tertio, versu vigesimo secundo, num C eo referendum est? cum ait: *melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini,* vis illud clarius adhibita iurisiurandi religione firmatum? audi, & suspice, Iob capite vigesimo septimo, versu secundo, & sequentibus. *Viuit Deus qui abstulit, quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium, &c. Donec deficiam non recedam ab innocentia mea, iustificationem meam quam cœpi, tenere, non te deseram.* Profecto illud præ D cæteris maxime mirandum est, quod inter Gentiles ipsos, atque Ethnicos Philosophos, ne defuerint quidem, qui professi sint, palamque docuerint, potius moriendum, quam contra rationem naturalem, ipsamque honestatem peccandum: nam & Aristotelis dictum illud esse perhibetur libro tertio Ethicorum. *Melius est mori, quam facere aliquid contra bonum virtutis,* item Publii Mimi: *Tolerabilior est qui mori iubet, quam male viuere,* quod vtinam facto potius,

Sanctorum virorum exempla in vtroque testamento qui in proposito de non violanda Lege diuina perstare se firmiter contestati sunt.

Paganiciam, ac Gentiles nonnulli id præstitisse visi.

quam voce præstitissent; sed ex illis plerique omnes (vt notat Apostolus Romanorum primo. *Veritatem Dei in iniustitia detinuerunt, & cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis,* nos ex Lege Euangelica, qui pium illud ac sanctum institutum caste obseruauerint, habemus numero innumerabiles ex quibus pauculos aliquot licet huc accessere, vt eos imitari non pigeat, ac primum, etsi tritum illud quidem satis, ac vulgare est, numquam tamen, vt reor, pro eo ac meretur, celebrari satis potest, quod Ludouicus IX. Gallorum Rex, idemque in Sanctorum Album relatus, iam ab ineunte ætate, vt salutem suam certam faceret, ex institutione matris Blanchæ, hoc persuasum habuit, animoque semper propositum, potius mortem oppetere quàm in lethale peccatum consentire, sancti Edmundi Cantuariensis Episcopi, vt refert Surius in eius vita, hæc fuit sane præclara vox, *Malo insilire in rogum ardentissimum, quam peccatum vllum sciens admittere in Deum meum.* Ad illum, si voles, sanctum Anselmum adiunge, item Cantuariensem Archiepiscopum, quem dicere solitum accepimus, *si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessario vni eorum immergi deberem, prius infernum, quam peccatum appeterem,* quin eiusdem ipsius in libro de Beatitudinibus, cap. 190. firma sententia est, ac certa animi inductio, quam his quoque verbis exprimit. *Mallem purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quam peccati sordibus pollutus cælorum regna intrare.* Quid quod extat etiam iusiurandum Diui Gregorii Nanzianzeni, editum carmine, seu voti forma, qua vitæ secundum normam Euangelicæ perfectionis instituendæ regulas tradit? At Diuum Paulum, tanquam omnium principem initio proponere debui, vt pote qui cæteris omnibus in hoc genere facem prætulerit, exemploque præluxerit: enimvero, quàm ipsius fixam mentem, quàm firmum constansque propositum, in amore Dei tuendo, conseruandoque, quàm alte impressum in animo consilium, de fugandis, depellendisque omnibus, quæ diuinæ Legi aduersarentur, fuisse censendum est, cum in has

VII.

Exempla Legis Euangelicæ.

S. Ludouicus Rex Gallorum.

S. Edmundus.

S. Anselmus.

D. Paulus.

voces erumperet, Rom. 8. *Quis nos separabit à Charitate Christi, an angustia, an fames, an nuditas, an persecutio, an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque alia creatura poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Vt cæteros omittam, en tibi; quos in re, tanti ad salutem momenti Duces imiteris eximios: exiliat igitur, atque erumpat identidem, non tam ex ore, quam è corde nostro, in quo bene penitus insideat; firmiusque consistat æternæ salutis consequendæ studium: vox illa populi Israelitici ad Moysem olim loquentis Exodi capite decimo nono, versu octauo. *Quæcumque locutus est Dominus faciemus.*

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis decimi.

Morale in illud vers. 37. *Ipsi Leuitæ decimas accipient ex omnibus ciuitatibus, operum nostrorum, &c.*

De decimis, cum in antiqua, tum in noua Lege persoluendis, quamque exitiale sit diuinam de ea re Sanctionem contemnere.

VIII. T Iudæis olim in antiqua Lege, sic Christianis hoc quoque tempore, in noua seu Euangelica decimas ex diuino præcepto persoluendas esse, summam ac sedulam debiti illius exoluendi curam, summo semper exoluentibus fuisse & splendori & compendio, contra vel minimum eius neglectum, aut leuem incuriam, incommodum aliquod ac dispendium fere authoribus intulisse, Vnum illud est modo, quod hac morali tractatione conficimus: Primùm iuuat antiquas Sanctiones perscrutari, & quid in illis proprie contineatur aut præcipiatur diligenter expendere: *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegeris vt in eo nomen illius inuocetur decimam frumenti tui & vini, & olei & primogenita de armentis & ouibus tuis, vt discas timere Dominum tuum, in omni tempore.* Ita cautum est à Deo per Moysem in veteri Lege, Deuteronomij cap. 14 vers. 22. quo ex loco, vt ex Iosepho, colligit Theodoretus quæst. 13. in Deuteronomium, & cum eo Abulensis, Oleaster, & Caietanus, duplices decimas Iudæis quotannis fuisse præscriptas: Primæ erant omnium frugum terræ gregum & armentorum, quæ totæ dabantur Leuitis, neque ferebantur in Hierusalem, sed Leuitæ ad quos eæ pertinebant, colligebant eas, per ciuitates sibi vicinas, ex hisce decimis, Leuitæ rursum, decimam pendebant Pontifici, & Sacerdotibus, vt patet Numerorum cap. 18. vers. 26. & 28. *Præcipe Leuitis atque denuntia, cum acceperitis à filiis Israel, decimas quas dedi vobis, primitias earum afferte Domino*, id est, *decimam partem decimæ*, quibus verbis agitur de primis hisce decimis. Alteræ decimæ erant illæ, quas singulis annis, Iudæi separabant post primam iam dictam decimationem, ex nouem residuis sibi partibus, accipiendo decimam, vt ex ea euntes ad Tabernaculum, quod ter in anno faciendum erat, partim in itinere viuerent, partim offerrent hostias pacificas, de quibus comederent coram Domino, vnâ cum Leuitis, quos ad epulandum secum inuitabant. Tertiæ demum generis erant decimæ quas singulis trienniis separabat populus & dabat pauperibus,

Deuteron. 14. præcipiuntur Induplices

Decimæ quotannis persoluendæ.

Tertiæ decimæ pauperibus assignatæ viduis & pupillis & Leuitis eleemosynæ nomine.

peribus, viduis, pupillis, & Leuitis, A in modum eleemosynæ de quibus mox citato capite Deuteronomii decimo quarto, versu vigesimo octauo, his verbis: *Anno tertio separabis aliam Decimam ex omnibus quæ nascuntur eo tempore, & repones intra ianuas tuas, venietque Leuites, & peregrinus & vidua, qui intra portas tuas sunt vt comedant & saturabuntur, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus, in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.* Hinc, iuxta diuinam illam sanctionem, de Tobia dicitur capite primo, versu septimo, quod, *in anno tertio proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem.*

IX. Ergo fuit etiam apud B Hebræos certum quoddam Decimarũ genus Lege præscriptum quod singulis trienniis separabatur & dabatur pauperibus, viduis & pupillis, & Leuitis, in modum eleemosynæ, ne scilicet ob paupertatem cogerentur illi seruire Gentilibus à quibus facile ad crimen Idololatriæ induci potuissent, quod si Iudæi olim triplices, quidni Christiani hoc tempore re vnas & simplices diuino numini Decimas persoluant; si Iudæi Decimis suis alebant pauperes, quidni idem faciant Christiani? Certè quidem multos etiamnùm hodie reperies, viros in republica magnos qui opum suarum, immo omnis lucri sui Decimas dant pauperibus & ad id lege charitatis & C Religionis putant se quasi obstringi. Adde & Iudæos quoque religiosiores his temporibus, licet Templum, Sacerdotes, & Leuitas non habeant, decimum tamen nummum bonorum omnium pauperibus erogare, quos inter, vulgare est illud Prouerbium, *Da Decimas vt ditescas*, id enim, inquiunt, promisit Deus per Malachiam, capite tertio, versu decimo, estque illud verissimum. Accedit quod cum superioribus illis Iudæorum Decimis, in vsum pauperum destinatis, bellè illud conuenit D. Augustin. Serm. 219. de tempore, quod D ad fideles & Christianos refert; *Decima fratres charissimi tributa sunt egentium animarum, redde ergo tributa pauperibus, offer libamina Sacerdotibus, &c.* & infra, *Decimæ*, inquit, *ex debito requiruntur & qui eas dare noluerit, res alienas inuasit, & quanti pauperes in locis, vbi ipse habitat, illo Decimas non dante, mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus, ante Tribunal æterni Iudicis apparebit, quia à Domino pauperibus delegatum suis vsibus reseruauit.*

Quidam etiam hodie dant Decimam partem bonorum suorum pauperibus.

Prouerbiũ inter Iudæos, Da Decimas vt ditescas.

Ac vero Diuus Hieronymus, in caput tertium Malachiæ obseruat, primitias & Decimas, datas Leuitis & Sacerdotibus, Legis veteris, adumbrasse eas quæ dandæ essent Sacerdotibus nouæ Legis, atque alterum alteri veluti prælusisse; Nempe, vt ait Origenes Homilia 11. in Numeros; *Impium est vt qui Deum colit, & scit eius Ministros assistere Altari, & verbo Dei aut ministerio Ecclesiæ deseruire, de fructibus terræ quos dat Deus solem suum producendo, & pluuias suas ministrando, primitias Sacerdotibus non offerat, non enim videtur talis anima Dei habere memoriam, nec cogitare, nec credere, quia Deus dedit fructus quos cepit.* Hinc iam olim Romanum Concilium sub Damaso, sanxit, vt Decimæ ac primitiæ, à fidelibus darentur & qui detrectarent anathemate ferirentur, quin & sanctus Chrysostomus Homilia quadragesima tertia, in 1. ad Corinthios iubet vt artifices cum opera suæ artis venalia proponunt aut emunt, decimam saltem pretii partem Deo dependant.

Reus est mortis pauperum qui Decimas non dat quibus aluntur.

Qui Decimas non pendit videtur non credere Deum dedisse fructus quos è terra accipit.

X. Atque, vt illud ipsum quod diuina Lege perscribitur, naturæ ipsius ius esse, aut iuri illi consentaneum censeatur, Gentiles quoque ipsos, diis suis perennes dedisse Decimas ex Tullio, Plauto, Herodoto, Xenophonte, aliisque passim authoribus, qui humaniores literas pertractant, comprobatur, quam in rem, placet illud Philonis libro de Sacerdotum honore, Sacerdotibus perinde ac Regibus, Dei iudicio, tributa esse pendenda, vnde iudicio Legis, Sacerdotes æquiparari honore ac Maiestate Regibus, immo præferri, nam Regibus coacti & inuiti quodammodo tributa dant subditi. *At hæc gens*, inquit ille, de Iudaïca loquens, *debitam pecuniam, lubens gaudensque depromit, quasi non daret sed acciperet addens faustas ominationes & acclamationes*: Nunc, si lubet, rursum audi, & quibus verbis, & quàm magnificè Decimarum solutio ex Dei sanctione, & expressa sit, & commendata, Numerorum capite decimo octauo, versu vigesimo nono, *Omnia quæ offeretis ex Decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt.* Est sanè quod hæc diuinæ sanctionis verba annotent de Christianis illi, qui in decimis, primitiis, aliisque oblationibus, vilissima quæque Deo

Diis suis perennes Decimas dabãt Gentiles.

cu ire consueuerunt, ac proinde & A vilissima quoque à Deo recipiunt meritoque nonnunquam, frugum sterilitate & paupertate, puniuntur, sicut
XI. punitos fuisse olim Iudæos testatur Malachias capite primo, versu decimo quarto, & capite secundo, versu secundo, & Aggæus capite primo, versu sexto & sequentibus. Sin exemplis agendum est vt indicamus quàm semper Deo gratum, acceptumque fuerit, Decimas à fidelibus persolui Ecclesiæ Ministris, & quantas sæpe clades intulerit, eius rei neglectus, & quoad hoc diuinæ Legis violatio. Audi quid ex Historia Danorum bene multi Authores commemorant præsertim Martyrologium Vsuardi 6. Idus Iulij, & Ioannes Molanus oratione 2. & 3. de Decimis Canutus Rex cum summo ac pio studio contenderet vt Christi Ministris liberalius & commodius de Decimis & primitiis prouideretur, insigni cuiusdam Blacconis perfidia extra... ab insana plebe trucidatur, quo facto tanta frumentorum penuria, vniuersam Daniam inuasit, vt maxima populi pars, alimentorum, neque inedia consumeretur. Enimvero abundè seges finitimis erat, vt priuata gentis non publica vltio videretur: Nec prius Danicis agris fœcunditas restituta est quam populus ad cor conuersus pœnitentiam ageret se tam sanctum Regem occidisse qui tam iusta & honesta pro Christi Ministris postulasset, quippe iam experimento didicerent se iuste nonum frumentorum partes amisisse qui Decimam ex eis Deo & Dei Ministris reddere noluissent. Accedit a illud quod de Polonis refert Baronius tomo vndecimo Annalium Anno Christi 1022. ex Longino Cracouiensi, nimirum quod cum nonnulli nobiles in Polonia, ob onerosam, vti existimabant & querebantur Decimarum solutionem, à Christianismo resilire, & ad Gentilismum redire, ideoque Decimas non soluere, nec Ecclesias frequentare, sed Sacerdotes de Ecclesiis pellere cogitarent, Boleslaus pius Rex authores sceleris comprehenderit, eosque partim morte, partim verberibus mulctarit. Vis & alia Notum est ex Eranzio, Vsuardo, Ioanne Molano, 29. Nouembris, aliisque historicis, olim in Italia sanctum Bellinum Episcopum Paduanum cum diuitem quendam nomine, Thomam Capinacium, cogeret ad soluendas Decimas, ab eo in itinere interfectum, & cum post mortem, miraculis multis factus esset illustrior, ab Eugenio IV. Catalogo Martyrum ascriptum esse, homicidam autem à Deo punitum, ad summam egestatem redactum, & ab omnibus derelictum, in carcere miserè vitam finiisse, posteros vero eius, Templum in honorem sancti Bellini, Deo dicatum nunquam ingredi potuisse. Tandem & illud insigne in hoc genere, quod narrat Eugypius, in vita sancti Seuerini Noricorum Apostoli cap. 17. B contigitque sub annum Domini 475. in hunc modum Lauriacenses ciues moniti à sancto Seuerino Decimas dare pauperibus id facere distulerant, ideoque segetes eorum, alias pulchras inuasit rubigo, illi ad cor redeuntes, culpam confessi, veniam petierunt à sancto Seuerino qui eis respondit, *si Decimas obtulissetis, non solum æterna mercede frueremini, sed etiam commodis possetis abundare præsentibus, sed quia culpam propria confessione castigatis, de Domini pietate polliceor, quod rubigo præsens licet iam valida, non nocebit, tantum fides vestra vlterius non vacillet*: C inde hortatus est indici ieiunium, quo expleto, placidus imber desperatæ messis amputauit incommoda. Ita rem enarrat Eugypius sancti Seuerini Discipulus, & oculatus rei gestæ testis:
E contrario, iam longo vsu, & latè multorum experientia testatissimum est, Deum, soluentibus Decimas, tales quales oportet & lege perscriptum est, fertilitatem fere & rerum omnium abundantiam rependere solitum cuius rei testem huc adduco Diuum ipsum Augustinum lib. 50. Homiliarum, Homil. 48. vbi sic habet, *Maiores nostri*, inquit, *ideo omnibus copiis abundabant, quia Deo Decimas dabant & Cæsari censum reddebant, modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci, nolumus enim Deo partiri Decimas, modo autem totum tollitur, hoc tollit fiscus quod non accipit Christus*, & Sermone 219. de tempore: *Hæc est iustissima Dei consuetudo, vt si tu illi Decimas non dederis, tu ad decimam reuocaris, quod certe iam factum est*, ait ibidem paulo ante, *Cum messis tua pluuiarum benedictione substracta, ieiuna defecit, & vindemiam tuam aut grando percussit, aut pruina decoxit. Quid auidè supputas? nouem tibi partes retracta*

Marginalia: *Exempla Dei vindictæ in populos, ob Decimas non solutas.* — *In Dania.* — *In Polonia.* — *In Italia.* — *Apud Noricos.* — XII. — *Decimas soluentibus exactè Deus rerum omnium abundantiam capere solet.*

sunt quia Decimam dare noluisti, & statim infra, *Dabis impio militi, quod non vis dare non Sacerdoti.* Ita Diuus Augustinus, quod nostris etiam temporibus fieri nonnunquam & videmus & dolemus. Et certè (vt eodem Sermone 29. iam supra citato, de tempore ipso initio idem Augustinus egregiè ad mores edisserit,) *Deus qui dignatus est totum dare Decimam, à nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam*, sic enim per Prophetam ipse promisit dicens, Malachiæ capite 3. B versu decimo, *Inferte omnem Decimam in horreis meis, vt sit cibus in domo mea, & probate me in his dicit Dominus, Si non aperuero vobis cataractas Cæli & dedero vobis fructum vsque ad abundantiam: Ecce probauimus*, inquit, *quomodo nobis Decimæ magis quam Deo proficiant*; pergit postea, *O homines stulti quid malo imperat Deus*

A *vt non mereatur audiri*, sic enim Exodi 22. *Primitias areæ tuæ & torcularis tui non tardabis offerre mihi, si tardius dare peccatum est, quanto peius est non dedisse? Non præstas hoc gratis, quod cito recipias magno cum fænore; quaeris forte cui proficiat quod Deus accipiat redditurus?* Sic ille. Ex quibus demum omnibus vel disputatis hactenus vel enarratis, sit tandem hæc, vniuersæ tractationis conclusio vocem illam Dei per os Salomonis, mentem suam nobis voluntatemque aperientis Prouerbiorum capite tertio, versu nono, sic in animis nostris altè infigendam, vt in eam nihil vnquam peccemus: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum duci, & implebuntur horrea tua saturitate & vino torcularia tua redundabunt.*

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CVM eo præſertim conſilio populum Iſraeliticum vndique conuocaſſet Nehemias, vt ciuitatem, quam à cultoribus vacuam inuenerat, redderet frequentiorem. Primum in hoc populi cœtu definitum eſt, vt in ciuitate omnium principe viri Principes habitarent: deinde poſtquam multi quoque ſuum ibi ſponte domicilium elegerunt, reliqua plebs ſic miſit ſortem, remque compoſuit, vt ex tota multitudine, decima pars ſortibus ductu, in ciuitate remanſerit, reliqua nouem ad ſuas ſedes vnde fuerant euocatæ redierint. Poſtremo, fuſè hìc, à Nehemia deſcribitur, quæ familiæ Hieroſolymam incoluerint, & quanto virorum numero, tam ex Tribu Iuda, quam Beniamin, & mox quæ etiam oppida, & pagi, ab iiſdem Tribubus habitarentur, ſuo quodque ordine percenſetur.

CAPVT VNDECIMVM ESDRÆ.

1. HABITAVERVNT autem Principes populi in Hieruſalem, reliqua vero plebs miſit ſortem vt tollerent vnam partem de decem qui habitaturi eſſent in Hieruſalem ciuitate ſancta; nouem vero partes in ciuitatibus.
2. Benedixit autem populus omnibus viris qui ſe ſponte obtulerunt vt habitarent in Hieruſalem.
3. Hi ſunt itaque Principes prouinciæ qui habitauerunt in Hieruſalem & in ciuitatibus Iuda, habitauit autem vnuſquiſque in poſſeſſione ſua, in vrbibus ſuis, Iſraël Sacerdotes, Leuitæ, Nathinæi, & filij ſeruorum Salomonis.
4. Et in Hieruſalem habitauerunt de filiis Iuda & de filiis Benjamin de filiis Iuda, Athaias filius Aziam, filij Zachariæ, filij Amariæ, filij Zaphatiæ, filij Malaleel de filiis Phares.
5. Maaſia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia, filius Adaia, filius Ioiarib, filius Zachariæ, filius Silonitis.
6. Omnes hi filij Phares qui ha-

bitauerunt in Hieruſalem quadringenti ſexaginta octo viri fortes.
7. Hi ſunt autem filij Beniamin, Sellum filius Moſallam, filius Ioed, filius Phadaia, filius Colaia, filius Maſia, filius Etheel, filius Iſaia.
8. Et poſt eum Gebbai, Sellai nongenti viginti octo.
9. Et Ioel filius Zechri, præpoſitus eorum, & Iudas filius Senua ſuper ciuitatem ſecundus.
10. Et de Sacerdotibus Idaia filius Ioarib, Iachui.
11. Saraia filius Helciæ, filius Moſallam, filius Sadoc, filius Meraioth, filius Achitob Princeps domus Dei.
12. Et fratres eorum facientes opera Templi octingenti viginti duo: Et Adaia filius Ieroham, filius Phelelia, filius Amſi, filius Zachariæ, filius Pheshur, filius Melchiæ.
13. Et fratres eius Principes Patrum ducenti quadraginta duo: Et Amaſſai filius Azreel, filius Ahazi, filius Moſollah, filius Emmer.
14. Et fratres eorum potentes nimis centum viginti octo, & præpoſitus eorum Zabdiel filius potentium.
15. Et de Leuitis Semeia, filius Haſub, filius Azaricam, filius Haſabia, filius Boni.
16. Et Sabathæi, & Iozabed ſuper omnia opera, quæ erant forinſecus in domo Dei à Principibus Leuitarum.
17. Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Aſaph, Princeps ad laudandum, & ad confitendum in oratione, & Becbecia ſecundus de fratribus eius, & Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithun.
18. Omnes Leuitæ in ciuitate ſancta ducenti octoginta quatuor.
19. Et Ianitores Accub, Telmon, & fratres eorum, qui cuſtodiebant oſtia centum ſeptuaginta duo.
20. Et reliqui ex Iſrael Sacerdotes, & Leuitæ in vniuerſis ciuitatibus Iuda vnuſquiſque in poſſeſſione ſua.
21. Et Nathinæi qui habitabant in Ophel, & Siaha, & Gaſpha de Nathinæis.
22. Et Epiſcopus Leuitarum in Hieruſalem; Azzi filius Bani, filius Haſabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ: de filijs Aſaph Cantores in miniſterio domus Dei.
23. Præceptum quippe Regis ſuper eos erat, & ordo in Cantoribus per dies ſingulos.
24. Et Phahtahia filius Meſezebel, de filijs Zara, filij Iuda in manu Regis, iuxta omne verbum populi.
25. Et in domibus per omnes regiones eorum, de filijs Iuda habitauerunt in Cariatharbe, & in filiabus eius; & in Dibon, & in filiabus eius, & in Cabſeel, & in viculis eius.
26. Et in Ieſue, & in Molada, & in Bethphaleth.
27. Et in Haſerſual, & in Berſabee, & in filiabus eius.
28. Et in Siceleg, & in Mochona, & in filiabus eius.
29. Et in Remmon, & in Saraa, & in Ierimuth.
30. Zanoa Odollam, & in villis earum Lachis, & regionibus eius, & Azeca, & filiabus eius, & manſerunt in

Bersabee vsque ad vallem Ennom.
31. Filij autem Beniamin à Geba, Mechmas, & Hai, & Bethel, & filiabus eius.
32. Anathoth, Nob, Anania.
33. Asor, Rama, Gethaim.
34. Hadid, Seboim, & Naballat, Lod,
35. Et Ono valle artificum.
36. Et de Leuitis portiones Iudæ, & Beniamin.

EXPOSITIO LITERALIS.

V. 1. ABITAVERVNT autem Principes in Hierusalem, reliqua vero plebs misit sortem, &c. Quoniam (vt ex superioribus constat) magna, atque ampla admodum erat ciuitas Hierosolymitana, maxime respectu populi, seu eorum habita ratione, qui suam ibi sedem statam, ac fixam eligere voluissent, statuendum certe fuit, quinam de omnibus potissimum in ea, quinam in finitimis circa ciuitatibus habitarent. Ideo ante permulti in vrbe permanere verebantur, quod Gentiles qui circa Hierusalem habitarent, insidijs assiduis agitati, frequentes eius habitatoribus inferrent molestias. Eam igitur ob causam de toto hoc negotio decerni oportuit, in consessu, quem ea præsertim mente conuocarat Nehemias, vt quam pene vacuam ciuibus vrbem inuenerat, frequentiori habitatore instrueret, idque in Tribubus Iuda Beniamin, & Leui; de istis enim Tribubus tenebantur aliqui suas ibi sedes figere, ad defensionem ciuitatis, ne ab hostibus muri iterum destruerentur, quia ciuitas Hierusalem erat partim in sorte Iudæ, & partim in sorte Beniamin (vt patet ex Iosue 15. & 18.) Et quia Templum ibidem erat, cui debebat ministrare Tribus Leui. De istis autem Tribubus, fortes aliqui, & magnanimi reperti sunt, qui sponte, id est, sine sorte se obtulerint ad habitandum in Hierusalem. Inter reliquos vero, de Tribus opinor tantum, aut præcipuè dictis Tribubus, qui non obtulerant se sponte, immò magnam partem, stationem illam, & mansionem valde reformidabant, per sortem constitutum fuit, vt decima pars habitaret in Hierusalem, alijs alio commigrantibus; & hoc est, quod in textu dicitur, *Habitauerunt Principes populi in Hierusalem*, id est, præcipui dignitate, seu vt interpretatur Lyranus, robore, & magnitudine animi cæteris de populo præcellentes, *reliqua vero plebs misit sortem, vt tolleret vnam partem de decem, qui habitaturi essent in Hierusalem*, id est, sortito duxerunt reliqui intellexerunt que sortibus ductis, quinam decimam hanc partem conficerent, & in ciuitate remanerent, alijs suas in sedes redeuntibus, itaque vt totius rei gestæ ordinem obserues distinctius, habitauerunt primum sine sortitione, in ciuitate omnium principes populi, principes, inquam, vel dignitate, vel fortitudine, quod videntur fecisse non illibenter, tum quia illos honorificauerat, vt sanctam illam ciuitatem à circumfusis hostibus tuerentur, tum quia ad vsum, & dignitatem suam pertinere censebant, in Regia sede domicilium habere, atque in illa vrbe considere, cuius honori, ac commodis gens vniuersa Iudæorum seruiebat. Deinde ad illos plerique etiam volentes, ac libentes, cæteri ad vltimam vsque reliquæ plebis partem, vt cuique per sortes contigit, sic volente, ac statuente numine, tandem se adiecerunt: quod autem additur in fine versus, *nouem vero partes in ciuitatibus*, &c. Hebraicè, *nouem populi*, id est, vt partes, quæ reliquæ erant, in reliquis ciuitatibus habitarent.

I.

Periculosa ob Gentiles infestantes Hierosolymitanorum habitatio.

Hierusalem partim in sorte Iudæ, partim in sorte Beniamin.

Principes hic dicuntur, vel dignitate præcipui, vel magnitudine animi cæteris præcellentes.

Vers. 2. *Benedixit autem omnis populus viris, qui se sponte obtulerant, vt habitarent in Hierusalem*, &c. Hinc intellige, quod mox supra indicauimus, ad repræsentandam Hierosolymitani populi frequentiam, præter Iudaicæ gentis viros primarios, ac faciles principes, & decimam quoque partem plebeiæ multitudinis, cui sortito

Non pauci sponte & sine sortitione manserunt in Hierusalem.

obtigerat, vt instauratam recens Hierosolymam incolerent, videri merito fuisse alios non paucos, qui sponte, & absque vlla sortitione in illa ciuitate remanserint, eamque imposterum habitandam sibi delegerint, quos item populus hic benedixisse censendus est, imprecando scilicet eis bona, quod libentes, volentes, cogente nemine, vltro etiam ipsi, ac sponte pro tuenda sancta ciuitate, se quibuscumque periculis obtulissent, sin benedicere (vt hæc vox multa significat, variisque passim modis, in scriptura sumitur) non tantū idem esse ac fausta imprecari, sed etiam, pro eo acsi diceretur gratias agere, aut laudare, accipiendum putes, ac hunc quoque vsum & censum commodè hoc loco trahi potest, nimirum, eos qui sponte sedem sibi ac domicilium delegerant in Hierusalem, *benedixit*, id est, laudauit *populus*, quasi æmulantes gentis suæ gloriam, & metropolim eius honorantes, & contra illius hostes roborantes: sed cum dicitur, *benedixit populus, &c.* ambiguum est (inquies) quis populus sit, aut de quibus intelligendum. An qui remanent in vrbe, an qui ex ea digrediuntur? Ergo de vtrisque accipi posse sentio, & sic interpretor, vt tam hi qui ab C vrbe discesserint, quam qui intra commorantur, laudarint vehementer atque extulerint eos, qui non coacti principum imperio, aut sortitionis necessitate, sedem in vrbe sibi delegerant, vt illam præsenti etiam vitæ suæ ac salutis discrimine sartam tectamque tuerentur. Igitur, *Benedixit populus eos qui se sponte obtulerant vt habitarent in Hierusalem*, id est, illorum mentem ac consilium magnifico præconio celebrauit, quod ibi habitare & mori voluerint, vbi Templum esset Domini, atque adeo vbi extarent & plurima, & præclara in gentem Iudaicam, D diuinæ liberalitatis monimenta: quod si primum sensum secteris, & vocem benedicendi ad faustam precationem, vti sæpe fit, referas, tum melius, opinor, hoc benedictionis genus, ab iis Manasse dixeris qui è ciuitate aliò in domos suas reuersi sunt quippe qui in ipso digressu, de more, bene illis precati sint, à quorum conuictu atque complexu distrahebantur, id enim in omni lingua, & natione commune est, vt amici cum ab inuicem separantur, sibi fausta apprecentur, & qui hoc officium humanitatis omitteret,

Quid significet hic vox Benedicere.

Quis sit populus qui ceteris benedicit

A inurbanus is haberetur & rusticus, (vt bene hic etiam obseruat Sanctius) sic, inquit ille, teste Scriptura, Genesis 24. vers. 60. *Fratres Rebecca dimiserunt illam imprecantes prospera sorori suæ, &c.* quare ex solemni omnium gentium more, precari videntur, discedentes amici amicis suis in vrbe commorantibus, vt bene illis cedat, vrbana illa commoratio, neque talia patiantur ab hoste seu vicino, seu remoto, qualia priorem olim ciuitatem, ab hoste Chaldaico pertulisse meminerunt, sic facilis est huius loci sensus, neque B quidquam eo videtur verisimilius.

Communes est omnibus gentibus cum ab amicis separantur sibi fausta apprecari.

III.

Vers. 3. *Habitauit autem vnusquisque in possessione sua in vrbibus suis Israel, &c.* Sanè si pressè nomen Israel accipias, de illis Iudæis Nehemiam hic loqui oportet, qui cum essent de Regno Israel, captiuitatem Assyriorum per Salmanazar euaserant, & tamen postea cum Regno Iudæ in Babylonem fuerant adducti per Nabuchodonosor, atque inde cum illis ipsis de Regno Iudæ, seu de Tribubus Iuda & Benjamin & Leui, redierant in Iudæam ex Decreto & voluntate Cyri. Illi ergo (vt textus indicare videtur) fortasse non sunt coacti per sortes habitare in Hierusalem, sed pro sua voluntate, ad suas possessiones, ac ciuitates, redire permissi sunt, tùm quia pauci erant, tum quià non sic adstringebantur ad custodiam ciuitatis, sicut illi qui in aliis tribus Tribubus censebantur: vnde quod subditur, *Sacerdotes, Leuitæ, Nathinæi, & filij seruorum Salomonis, &c.* id est, de omnibus istis illi qui non erant necessarii ad ministerium Templi & custodiam ciuitatis in alias vrbes dimissi sunt.

Potest hic nomen Israel pressè accipi pro iis qui de decem Tribubus rediêrūt cum aliis qui non coacti sortibus vt alij habitare in Hierusalē.

Vers. 4. *Et in Hierusalem habitauerunt ex filiis Iuda, Athaias filii Aziam, filii Zacharia, &c.* Etsi toto fere hoc capite, ab ipsomet initio ad finem vsque pene aliud nihil recenseatur, quàm illorum nomina, qui in vrbibus habitauere Iudæ, & Hierusalem, atque adeo non difficile videatur, se ab eius commentatione expedire: nonnulla tamen lucem etiam aliquam desiderant, vt in hoc versu, verbi causa, vbi inter nomina præcipuorum de filiis Iuda, qui habitauere in Hierusalem, mentio fit *Aziam filij Zacharia*, 70. habent *filius Zacharia*, & sic in sequenti versu 5. Hebraice eadem vox & hic & infra vbi vertitur, *filius Zacharia*, vers. 12. Intellige ergo, filij Zachariæ

Verſ. 14. *Zabdiel filius potentium, &c.* Quid; iſtuc tandem eſt *filius potentium?* in Hebræo eſt, *filius magnorum*, quia ſcilicet is forte ex primatibus magnis & potentibus erat oriundus.

IV. Verſ. 16. *Super omnia opera quæ erant forinſecus, &c.* Summa Leuitarum confecta in textu mox additur, *& Sabbathai & Iozabed ſuper opera quæ erant forinſecus*, id eſt, ſuper id quod extra Templum fiebat, ſiue id eſſet cultura prædiorum, ſiue continuatio inſtrumentorum Templi, ſuper ea illi duo viri Sabbathai & Iozabed erant præfecti, & bene quidem eorum quæ eſſent forinſecus curam ad illos pertinuiſſe notat Nehemias, quia de iis quæ erant intra Templum ſollicitos eſſe oportebat Sacerdotes, vt pote quorum ad eos ſolos cura & adminiſtratio ſpectabat. Porro quod dicitur in fine verſus, *à Principibus Leuitarum, &c.* intellige, poſitum, pro, *de Principibus*, quaſi diceret, viros prædictos, de Principibus Leuitarum fuiſſe, ſic nonnulli, vel certe à Principibus Leuitarum, operibus quæ eſſent forinſecus in domo Dei, Sabbathai & Iozabed fuiſſe præfectos, ita Lyranus, qui & ſolum *Iozabed*, quamobrem neſcio, illis operibus præficit.

Lyranus ſolum Iozabed operibus quæ erant forinſecus præficit.

V. Verſ. 21. *Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel, &c.* Ophel arx erat, ſiue turris in Hieruſalem, de qua fuſius egi ſupeſius tertio capite; quanquam nec auſim aſſerere, eam ipſam hoc loco indicari, cum proprie recenſeri videantur in textu, de filiis Iſrael, id eſt, de decem Tribubus, qui in ciuitatibus Iuda extra Hieruſalem habitarint, ſic enim habetur proxime ſupra verſ. 20. *Et reliqui ex Iſrael Sacerdotes, & Leuitæ in vniuerſis ciuitatibus Iuda, &c.* Vnde Lyranus in hunc locum, & ſatis probabiliter, vt exiſtimo, vult Ophel non eſſe nomen turris quæ propinqua erat Templo, ſed eſſe nomen villæ extra Hieruſalem, & ſicut de Sacerdotibus, & Leuitis aliqui habitabant in Hieruſalem, aliqui extra, ſic etiam de Nathinæis, quorum hic mentio eſt, cenſeri debere, qui tamen Ophel hanc Hieroſolymiticam fuiſſe volet, quam certum eſt, vt aliàs diximus, Nathinæorum quorumdam habitationi deſeruiſſe; aut certe proximam fuiſſe, dicat, ab eorum narratione, qui extra Hieruſalem habitabant, gradum hic denuo fieri, ad illos commemorandos, qui eam incolerent. Cæterum dubitare quis poſſet, ait Sanctius, quæ ſunt illæ ciuitates Iuda, quas paſſim incoluiſſe dicuntur hi de quibus hoc loco, neque enim decem tribus, eoſdem habuere funiculos, ante tranſmigrationem Hebræorum, & poſt captiuitatem ſolutam, & terram Promiſſionis iterum habitatam, vt conſtat ex Ioſue, cap. 15. verſ. 1. & Ezechiel. 48. rem propius expendenti, atque ita dum dicuntur filii Iſrael habitaſſe in ciuitate Iuda incertum eſt, aut certe non manifeſte liquet, an illæ intelligantur ciuitates, quæ fuerunt in antiqua deſcriptione Ioſue, vel in noua Ezechielis, qua de re cum ab interpretibus nihil tractari videat, credit idem author, Babylonios exules, ſoluta captiuitate, Ezechielis potius quam Ioſue tenuiſſe funiculos, cuius hæc ratio eſt, quod Deus, eo conſilio Templi, ac ciuitatis formam, tam accurate deſcriptam, & terræ ipſius diuiſionem Ezechieli tradiderit, vt illam ſeruarent Iudæi reduces in Patriam, & in priſtinam libertatem reſtituti: hanc autem terræ diuiſionem non ignoraſſe ſaltem populi Optimates, & Principes, ex eo conſtat, quod illa omnia, quæ à capite quarto Prophetiæ ſuæ vidit Ezechiel, annunciare iubetur populo Iſrael, vt habetur eodem capite 40. verſ. 4. Neque illud, inquit, populo fuit difficile, cum in ſecunda etiam terræ diuiſione, ſors Iuda, ciuitatem in ſe complecteretur, & Templum, quare & euocari facile potuit in vrbem, è ſuis domibus, & inde ſine vlla moleſtia eodem remigrare: alii vero qui in ciuitate remanere noluerunt, quorum multos fuiſſe, ex aliis Tribubus exiſtimare par eſt, dum dicuntur hic in ciuitatibus ſuis conſediſſe; non ſic accipiendum eſt, quaſi fuerint, vbi olim eorum parentes habitarent, ſed in vrbibus, quæ cuique obtigerant in funiculo Iudæ, neque enim, vt ibidem quoque addit, expediebat Iudæis, tunc in varias, aut longinquas partes diuerſas abire, cum vicini eſſent, & potentes hoſtes, cum quibus fœlici, ac proſpero ſucceſſu, niſi collectis viribus confligere non poſſent. Sic ille, cuius argumentum non improbo.

Decem Tribus non habuere eaſdem terræ partes ad habitandum poſt captiuitatem ſolutam quas ante tranſmigrationem.

Terræ diuiſionem, quæ ab Ezechiele deſcripta ſeruaſſe videntur Iudæi reduces.

Dubium an Ophel arx ſit de qua cap. 3.

VI. Verſ. 22. *Et Epiſcopus Leuitarum, &c.* Per hanc vocem, ne intellige ſummum Sacerdotem, aut Pontificem, cum de Leuitis agatur, ſed præfectum

Epiſcopus hic propoſitum, ſeu inſpectorem operum ſignificat.

fectum seu præpositum, & inspectorem A operum, vt vox Hebræa sonat, quam 70. verterunt *Episcopum*: extento igitur, & latè sumpto nomine, Episcopus Leuitarum dicitur, qui eis præerat tanquam præpositus, nam propriè loquendo, soli Sacerdotes erant Pontifices, siue Episcopi: quod addit, & versum concludit, *De filiis Asaph, Cantores in ministerio domus Dei, &c.* De eo breuiter sic accipe, filiorum Asaph, qui Cantores essent, frequentem in Scriptura fieri memoriam, hi Templo non deerant, in ministerium suum assiduè & diligen- B ter intenti. Porro vbi, de Cantoribus istis, filiis Asaph, vulgatus Interpres habet, *Cantores in ministerio domus Dei*, Hebraicè est, vt vertit Tigurina, & Pagninus, *è Regione operis domus Domini*, sicut etiam Hebræus apud Caietanum, quæ verba, iuxta versionem illam, sic intellige, quasi Cantores illi, propre domum Domini, vbi fabricæ erant, & artificum ferramenta, habitarent, nempe vt Templo possent adesse commodius, & curare, ne quid diebus singulis deesset, quod ad Dei cultum, in Templo fieri iuberetur ex Lege, atque antiqua Religione.

frequens mentio filiorum Asaph in Scriptura.

Quid sit quod dicatur iuxta Hebræum, è regione operis domus Domini.

VII. Vers. 23. *Præceptum quippe Regis super eos erat, &c.* Cuius Regis præceptum hoc fuerit satis incertum est. Sunt qui ad Dauidem referunt, quippe qui primus in certas vices, & ordines, ministeria Cantorum & aliorum distribuit, vt habetur libro primo Paralipomenon, capite vigesimo quinto: alii Regem Persarum, Darium scilicet intelligunt, qui ministris Templi necessaria ad ministerium suum suppeditari iusserat, quod superiori libro notatum est, & sic sentit Rabbi Salomon apud Lyranum: Sanctius mauult hic Artaxerxem indicari, quem opinatur tùm præceptum hoc edidisse, cum superiori libro, capite septimo, versu vigesimo tertio, misit Esdram in Hierusalem, commendauitque ei vt curaret diligenter, ne quid quod ad Templi sanctitatem, diuinumque cultum pertineret, omitteret: & licet de eo nihil habeatur in Scriptura, verisimile tamen existimat, idem quoque in mandatis habuisse Nehemiam, ab eodem Rege Artaxerxe.

Dubium quis hic Rex indicatur.

Lucem credo omnem huic loco affert versus vigesimus quartus capitis duodecimi, proxime sequentis, vbi in simili argumento, quod ait Nehemias in hoc textu de Cantoribus, in ministerio domus Dei, ex præcepto Regis, factum id dicit, *iuxta præceptum Dauid*, ex quo fit, vt melius ad Dauidem ipsum, quam ad Darium aut Artaxerxem locum hunc referri existimem.

Melius ad Dauidem quam ad Darium aut Artaxerxem textus refertur.

VIII. Vers. 24. *Et Phathathia filius Mesezebel in manu Regis, &c.* Cuius item Regis? an eiusdem de quo ante? certo dici vix potest: qui superiorem versum de Dario aut Artaxerxe explicarunt, non admodum hic laborant, qui de Dauide plusculum, nam & alius ab eo significari videtur in textu, quem proinde nonnulli sic interpretantur, *Phathatia in manu Regis*, id est, Darius Rex, vel Artaxerxes, multum vtebatur opera illius Phathatiæ, & per illum populus Regi preces proponebat, & responsa Regis populo reddebantur. Itaque erat velut internuncius Regis ad populum, & libellorum supplicum, qui ad Regem dirigerentur præfectus ac magister: inde, quod additur mox, C *Iuxta omne verbum populi*, Hebraicè habetur, *in omni verbo ad populum*, id est, in omni re cum populo tractanda; & quidem Lyranus ab hac expositione non longe abest, nisi quod in hæc verba, *iuxta omne verbum populi*, ait non Phathatiam, sed Mesezebel, ad hoc constitutum fuisse vt quidquid de sumptu Regis administrandum erat populo, per manum eius fieret, ideoque dici *in manu Regis iuxta omne verbum populi*, id est, iuxta rem omnem exhibendam populo, quod sibi magis probari addit, quam vt sic exponatur, *iuxta omne* D *verbum populi*, id est, iuxta, id quod fecerat populus, cum scilicet disposuerant per sortes, quinam habitarent in Hierusalem.

Obscurum item quis in hoc loco Rex appelletur.

Phathatia dicitur in manu Regis, quia libellorum supplicum qui ad Regem dirigentur magister erat & Regis responsa populo dabat.

IX. Vers. 25. *Et in domibus per omnes Regiones eorum de filiis Iuda habitauerunt in Cariatharbe, & in filiabus eius, &c.* Secundum Hebræos, legitur hic (vt notat etiam Lyranus,) *Et in villis campestribus de filiis Iuda habitauerunt, &c.* idem vtriusque lectionis sensus, quod addit, *in Cariatharbe & in filiabus eius, &c.* Filias, vocat pagos, qui in agro eius oppidi

Filiae ciuitatum vocantur villae vel viculi ciuitatibus finitimi.

erant, id est vicos & villas finitimas, quam loquendi rationem toto reliquo textu saepius vsurpatam, repetitamque sic inuenies, vt quae modo filiae vocantur, mox villae, vel viculi nominentur.

Vers. 30. *Et manserunt in Bersabee vsque ad vallem Ennon, &c. In Bersabee* (inquit Glossa interlinearis) quae est ad Australem plagam, & fere pro termino Tribus Iudae designatur, *vsque ad vallem Ennon, &c.* quae, vt addit eadem Glossa, est ad Aquilonem, terminus Iudae, B iuxta Hierusalem, ad Orientem. Fuit ergo vallis Ennon (de qua iam alibi) locus prope Hierusalem, ad Austrum, & Orientem, iuxta Chorographorum designationem, & vsque ad eam vallem, hic Tribus Iudae extendebatur: vnde qui in textu memorantur de filiis Iuda, in locis intermediis habitasse intelligendi sunt.

Vers. 31. *Filij autem Benjamin à Geba, &c.* Cum hîc agatur de lo- C cis extra Hierusalem habitatis à Benjaminitis, sic intellige, *à Geba*, id est, ab eo loco, habitare cœperunt filij Benjamin.

X. Vers. 35. *Et Ono valle artificum, &c.* Vallem hanc à filiis Benjamin habitatam, sic vulgo nominatam suspicari licet, quia à principio manebant ibi artifices, sed nec video,

Cur Ono vocetur vallis artificum.

A cur diuersa statuenda sit haec vallis, *à Campo Ono*, ad quem per insidias in speciem fœderis ineundi, Nehemiam è Hierusalem abducere nitebantur Samaritani, de quo superius capite septimo, versu secundo.

Vers. 36. *Et de Leuitis portiones Iudae & Benjamin, &c.* Vnam modo, vocem supplendo, sic intellige, de Leuitis, seu quod ad Leuitas spectat, portiones, siue partes illis erant in sortibus Iudae & Beniamin, id est de Tribu Leui, aliqui manebant extra Hierusalem, in vtraque sorte, scilicet, in sorte Iudae, & in sorte Beniamin, qui iuxta decretum legis non habebant sortem sibi propriam assignatam. Quod autem de reliquis Tribubus speciatim ac nominatim nulla fiat hic mentio, haec est ratio, quam facile ex supra dictis colligas, quia scilicet non erant tam multi ex illis oriundi, & incerta fortassis origine, his Tribubus toties nominatis Iuda, Leui & Beniamin, se aggregarant. Nam & superiori libro primo Esdrae, capite secundo, vidimus, quosdam ignorasse genus suum, & eiectos de Sacerdotio, qui forte cum essent de Tribubus Regni Israël, aliis Tribubus Regni Iuda, se immiscuerant.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis vndecimi.

Expositio mystica in illud versus primi, *Habitauerunt autem Principes populi in Hierusalem; reliqua vero plebs misit sortem, &c.*

Quid significetur per eos qui in Hierusalem recens instaurata habitare & sedem inibi deinceps firmam ac stabilem figere constituerunt.

NIHIL admodum est toto hoc capite
7. quod prolixiori aut Allegoriæ, aut Tropologiæ viam aperiat, quare quod eminet ac se se effert magis summatim veluti & breuiter sic percurro, habitant quidem in Hierusalem nuperè ædificata de omni populo viri Principes, sed cum sanctæ ciuitati tuendæ propugnandæque non sint satis, decima pars quoque de reliquis, sortito, ad eos adiungitur: Hæc ad literam, B quid ad mysterium? Nempè, eo facto, significatur mysticè (iuxta Bedam) quantum potentiæ culmine plebem transcendunt, Ecclesiæ Principes, tantum debere vitæ meritis transcendere, tantum illos cæteris præstare virtutis nomine oportere, quantum ciuitas Hierusalem, reliquas Iudææ ciuitates, famæ splendore ac dignitate antecellit, Reliquæ enim ciuitates Israël vt ait ille Author) deuotam quidem plebis C conuersationem significant, habitatio vero Hierosolymorum, eorum actus viuendique institutum specialiter indicat, qui iam superáto certamine vitiorum, libera mente visioni pacis appropinquant, vnde *diligit Dominus portas Sion super omnia Tabernacula Iacob, &c.* ait Regius Propheta Psalmo octuagesimo sexto, versu primo: Hinc etiam consequenter,

Principes qui manent in Hierusalem indicant Principes Ecclesiæ cæteris de populo præstare debere meritis ac virtute.

decima pars plebis, in Hierusalem hic habitationem sortitur, reliquæ vero nouem, resident in vrbibus suis extra Hierusalem, quia scilicet, perfectorum est, id est eorum qui præcepta Decalogi, ad integrum, in dilectione Dei, & proximi, custodiunt, cœlestibus secretis mente proximare, & pacem summæ beatitudinis, inter vitæ huius labentis motus varios ac veluti turbines imitari, cum illis quidem qui generalia Dei mandata seruant, etsi minus pacatè nec tanto cum animi robore, pateat ianua ad vitam æternam. Tales igitur quasi in ciuitatibus à Domino sibi traditis, morantur qui in custodia diuinæ Legis contra insidias diaboli se se muniunt. Illi vero, qui omnino mundo renuntiant, & Dominum sequuntur; perfectiori vitæ genere, merito quidem velut in arce Hierusalem, & proximi Templo, & arce Testamenti, inhabitare dicuntur, quia gratiæ conditoris sublimius appropiant. Cæterùm quod habitantibus in Hierusalem, *Benedicit vniuersus populus*, suamque illis fortunam & conditionem gratulatur, quoad mysterium, id eo factum intellige, quia non eis, humanæ prouidentiæ electione sed prouentu sortis contigit, habitatio sanctæ ciuitatis, sicut & cæterarum possessio ciuitatum tempore Iosue, data est filiis Israël, & sic parua parui, & magna magni, non sui libertate, vel indu-

Qui perfectius Christum sequuntur per eos qui in Hierusalem habitant adumbrantur qui in reliquis vrbibus manent eos indicant qui communi perfectione contenti sunt.

Omnia omnes parua parui ma-

gna magni ex benefi- centia Dei consequun- tur.

stria arbitrij, sed occulti Iudicis, & largitoris munere percipiunt: Hæc ferè Beda, paulo aliter Lyranus, qui fusè etiam magis, sic sensum literalem, seu historicum, cum Allegorico contexit, in hæc eadem ver-

11.

ba, *Habitauerunt autem Principes populi in Hierusalem, &c. Sicuti patet ex prædictis*, inquit, *Gentiles in circuitu Iudææ habitantes, valde dolebant de readificatione Hierusalem quæ erat Metropolis Regionis, & quærebant eius subuersionem, non sic autem erat, de aliis Iudææ locis, propter quod periculosius erat habitare in Hierusalem, quam in aliis ciuitatibus, & villis, & tamen magis necessarium erat vt essent ibi plures & fortiores habitatores, qui possent eam defendere contra impugnatores, ad habitandum autem ibi aliqui de populo sponte se obtulerunt & illi dicuntur in textu, Principes & Optimates, & de ipsis dicitur ibidem quod populus iis benedixit: sed quoniam isti non erant in numero sufficienti, pro custodia ciuitatis, ideo de reliquo populo, per sortes fuit ordinatum vt decima pars, in Hierusalem habitaret.* Huc vsque Lyranus hæret in cortice literæ, iam vero literam ad mysticum sensum traducit hoc pacto idem Author, *Per Hierusalem sic impugnatam, significari potest qualibet Ecclesia vel ciuitas, vel respublica, iniustè impugnata: Illi vero qui sponte se offerunt ad eius defensionem Principes*, id est *Domini suarum passionum quia timore periculi corporalis, non retrahuntur à bono virtutis, nec per consequens superantur à passionibus aliis, quia*, sicut dixit Augustinus, *non est consentaneum rationi vt qui metu non frangitur concupiscentia frangi dicatur*, etiam *Optimates appellantur*, id est *optimi de populo qui sequuntur dictamen rationis rectæ, quæ* (vt ait Philosophus) *semper ad optima inclinat.* Deinde de benedictione populi, super iis qui habitant in Hierusalem, vt & de sortitione decimæ partis, quæ facta est, à populo, vt copiosior esset ciuium numerus, sic tandem concludit, *Illis etiam benedicit populus*, (puta Optimatibus & cæteris eligentibus sedem in Hierusalem) *quia benedicti sunt à Deo & hominibus*, inquit, qui scilicet perfectiori vitæ forma reliquis omnibus exemploque prælucent, *Per hoc autem quod aliorum decima pars compulsa fuit per sortes ad habitandum in Hierusalem, pro eius defensione; ostenditur, quam iure pro iusta ac legitima defensione Ecclesiæ, vel ciuitatis; vel reipublicæ compelli etiam aliqui possint ac debeant, si sit necesse, & quia talis defensio est opus virtutis; ideo significatur per decimam partem, quæ significat perfectionem*; Hæc ille, quibus cursim annotatis, pauca iam nos etiam, ex eo quod benedixit populus his qui morabantur in Hierusalem, ad moralem dissertationem instituendam delibemus.

Lyrani expositio mystica in hunc locum fuse deducta.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis vndecimi.

Morale in illud verſ. 2. *Benedixit autem omnis populus omnibus viris qui ſe ſponte obtulerant vt habitarent in Hieruſalem, &c.*

Charitatem ſeu animam charitate præditam non æmulari, nec inuidere aliorum bonis, ſed ſublimem aut perfectiorem proximorum vitam quam imitando ſequi non poteſt, congaudendo, complacendoque in ea ſibi, veluti ſuam facere.

III. MNINO, hæc eſt in verba proxime citata, quæ toti diſſertationi viam aperiunt, Gloſſæ interlinearis expoſitio, *Benedixit populus, &c. Sublimem*, inquit, *vitam electorum quam imitando ſequi non poſſumus noſtram facere congaudendo ac venerando debemus*. Benedicit populus, contribulibus ſuis commorantibus in Hieruſalem, benedicit, inquam, non maledicit, non indignatur non inuidet Principibus, aut felicioribus, non æmulatur, benedicit illis qui non coacti Principum imperio, aut ſortis neceſſitate, in vrbe ſibi domum elegerunt, & vitam ſuam exponere periculo parati ſunt, vt illam ſarctam tectamque tueantur, laudat illorum conſilium, bene illis precatur, nec malo erga eos zelo aut liuore tangitur; Magnum, hic bonæ mentis indicium; De omni cœtu, ac populo Iudæorum, qui tanto tamque ingenti bono, non perfruuntur ipſi, vt ſanctam ciuitatem incolant, tantum abeſt, vt aliis meliorem vtique fortunam ſuam inuideant, vt contra, ſummè illis gratulentur, gaudeantque impensè per ſuos effici, quod ipſi per ſeſe perficere non queunt; nimirum vt ibi habitent, & mori etiam ſtatuant, vbi Templum eſt Domini, vbi extant præclara & plurima in gentem ſuam diuinæ liberalitatis & charitatis

A monumenta: Hoc eſt quod ait Apoſtolus & recens è Gentiliſmo, ad fidem Chriſtianam conuerſis, ſummè commendat Roman. cap. 12. verſ. 15. *Gaudete cum gaudentibus*, quibus verbis vult tantam eſſe inter Chriſtianos, morum ſympathiam, affectuumque cognationem, vt fratrum bona æquè illos tangant, & afficiant, atque eos ipſos quibus eueniunt; & 1. Corinthior. cap. 12. verſ. 26. ex eleganti ſimilitudine idipſum colligit deducitque, *Si quid*

Vult Apoſtolus Chriſtianos, eo modo affici aliorum bonis quo qui potiũtur ipſi.

B *patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra, ſi gloriatur vnum membrum congaudent omnia*, in quem locum ſic D. Hieronymus: Hoc ait Apoſtolus, *Vt ſi quid patitur vnum membrum compatiantur alia membra*, ſicut Iob ait, *ſi non ingemui cum viderem homines in neceſſitate, nos autem iam peruerſo modo, flemus cum gaudentibus & gaudemus cum flentibus, ſi quis enim laudatus fuerit, contriſtamur, ſi quis ceciderit exultamus*. De qua morum per-

C uerſitate grauiter conqueritur Saluianus lib. 15. de Prouidentia his verbis, Quis hoc eſt animo quo vocatur? quis tam propinquus corde quam ſanguine in quo non liuidus maleuolentiæ zelus ardet? cuius non ſenſum liuor inuaſit? Cui non proſperitas aliena ſupplicium eſt? quis non bonum alterius malum ſuum credit? Cui ita ſufficiat fœlicitas ſua, vt etiam alium velit eſſe fœlicem? nouum & inæſtimabile nunc in pluribus malum

Chriſtianorum peruerſitas deſcribitur ac lugetur quorum mores à charitate alieni.

est, parum alicui est si ipse sit fœlix, nisi alter fuerit infœlix; sic ille, quæ malum! hæc amentia est! & quàm longe à charitate absumus, si hæc facimus, quàm parum hæc Christianorum, hoc est, Christi discipulorum mores amabiles, sanctamque disciplinam redolent! enimvero prorsus hæc est sæculi istius adhuc labes, & macula, hæc ingeniorum peruersitas lugenda prorsus, ac miserabilis, quæ charitatem sic impugnat, eique tam aperte bellum indicit. *Sed quid istis infælicius, quos dum conspecta fælicitas*

IV. *afficit, pœna nequiores reddit?* (sic loquitur sanctus Gregorius in Pastorali 3. Part. Admonit. 11. *intabescitque videndo successus hominum*. Canit ille apud Ethnicos Poëta, cum inimicam virtutum omnium principi charitati suis coloribus depingit inuidiam, quid istis, inquam, hominibus infœlicius, quibus ægrè habet, quod aliis bene sit? quid istis miserabilius qui de proximorum suorum meliore fortuna, non tristantur modo, sed etiam odio, atque inuidia contabescunt? *Aliorum vero bona, quæ habere non possunt, si diligerent, sua facerent*, vt loco iam proximè citato pergit dicere S. Gregorius: *sic quippe sunt vniuersi consistentes in fide sicut multa membra vno continentur in corpore, quæ per officium quidem diuersa sunt, sed eo quo sibi vicissim congruunt, vnum fiunt, vnde fit, vt pes per oculum videat, & per pedes oculi gradiantur, ori auditus aurium seruiat, & ad vsum suum auribus oris lingua concurrat, suffragetur venter manibus, ventri operentur manus, in ipsa igitur corporis positione accipimus, quod in actione seruemus, nimis itaque turpe est non imitari quod sumus, nostra sunt nimirum quæ etsi imitari non possumus, amamus in aliis, & amantium fiunt, quæ amãtur in nobis, hinc ergo* (sic ratiocinationem suam concludit sanctus Pater) *pensent inuidi charitas quantæ virtutis est, quæ alieni quoque laboris opera nostra facit sine labore.* Scilicet hæc charitatis indoles, ac veræ amicitiæ ingenium est, vt aliorum bonis gaudeat, non inuideat, malis, ingemiscat, non exultet. Quid notius hac Apostoli voce tam multa, tamque insignia de charitatis laudibus prædicantis Corinth. 13. *Charitas non æmulatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati*: Vis Apostoli mentem, sensumque percipere, *non æmulatur*,

Nostra sunt quæ in aliis amamus, & amantium quæ amantur in nobis.

A inquit iam proxime citatus sanctus Gregorius lib. 10. Moralium capite 4. *Quia per hoc quod in præsenti mundo nihil appetit inuidere terrenis successibus nescit. Congaudet veritati quia vt semetipsam ita ceteros diligens per hoc quod rectum in aliis conspicit, quasi de augmento proprii profectus hilarescit.* Vis de charitatis ingenio plura? Rursum ipse sanctus Gregorius Homil. 5. in Euangelia, sic ait, *Voluntas bona est* (quam scilicet parit charitas) *sic aduersa alterius sicut nostra pertimescere, sic de prosperitate proximi sicut de nostro profectu gratulari, aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra putare*, nempe charitas non

B respicit *meum & tuum*, sed quæ Dei sunt, adeo vt in Deo, Deique ipsius donis, cæterisque omnibus creatis, quantum ad Deum spectant, & referuntur, vbicumque demum sint, siue in se, siue extra se, siue in suis, siue in alienis, placide semper conquiescat. Et sane (quod mireris) eo spectabat Seneca cum ex vnitate corporis quod inter nos ipsi conflamus omnes, mutuam cuiusque cum alio consensionem affectuum velut à natura præscriptam concludit, sic enim ille Epistol. 95. *Quando omnia quæ præstanda sunt, ac vitanda dicam? cum possim bre-*

C *uiter hanc formulam humani officii tradere, omne hoc quod vides quæ diuina, atque humana conclusa sunt, vnum est, membra sumus corporis magni, natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, & in eadem gigneret, hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit, illa æquum, iustumque composuit, ex illius constitutione miserius est nocere, quàm lædi, & illius imperio paratæ sunt ad iuuandum manus.* Sic priuata cuiusque sors, & fœlicitas aliorum omnium qui charitate cum eo connectuntur negotium est, & compendium, hinc Regius Vates, quod cum omnibus

D charitate coniunctus esset, ac vere & syncere de omnium bono lætaretur, fidenter aiebat ad Deum. *Particeps factus sum omnium timentium te* Psalm. 118. v. 63, de charitate cuius sinus amplissimus, scriptum est eodem Psal., *latum mandatum tuum nimis*, item Psal. 30. *Statuisti in loco spatioso pedes meos*: quia videlicet in latitudine cordis ambulat, qui in Deo est, atque adeo in charitate manet, per omnium merita, virtutesque expatiatur, is qui bonum omne vbi vbi sit, & amat, & fouet, & complectitur: quod si angustiantur va-

Ex vnitate corporis quod constant inter se homines mutuam inter eosdem affectuum cognationem concludit etiā Seneca.

V.

sa carnis dilatentur spatia charitatis, A vt sancte aiebat quondam sanctus Augustinus, in eandem sententiam, audi S. Gregorium Homil. 17. in Ezechielem. *In hoc magna sunt opera, si hæc in mente dilatat amplitudo charitatis*, & infra, *homo per omne quod agit semper se in charitatis amplitudine dilatet, ne hunc aut timor, aut odia angustent*, enimvero, vt ibidem quoque addit S. Pater, *qui se angustiæ odiorum subdidit profecto charitatis latitudinem amisit*. Itaque charitatem non capit nisi pectus amplum & magnum, certe Christus ipse, *auaras angusti cordis dedignatur angustias* (vt ait apud D. Bernardum Gillebertus serm. 19. in Cantica) *Nescit æmulatione tua*, qui qui tandem sis, *eius bonitas detineri, profiua est non tibi soli, vicinis etiam se vasis eius oleum infundit, fac vt illa mutuo tua sint, erunt autem, si communi fueris bono lætatus, alioquin & animæ tuæ oleum euacuas, charitas*, vt ibidem pergit dicere idem ille author, *priuatum non cogitat medio quodam & communi lætatur, quæ sua sunt non quærit, sed quæ Christi Iesu, eius in omnibus gloriam, vel amat, vel optat, communis est Christus, mediator enim est, & ideo eius non sunt, quæ media non sunt, sed in partem se restringunt, quid tu liuore Christum vis in partem contrahere, auaram vis esse gratiam Spiritus, cuius circa te solum optas beneficia restringi, sine vt excrescat, vt exuberet, & effundat se super omnem carnem Spiritus Domini, & repleat orbem terrarum, noli communem omnibus beneficentiam intra cordis tui angustias incarcerare, diues est enim in omnes, & tu minuere tentas affluentiam gratiæ, & immensitatem redigere vis ad minutias*.

VI. Profecto ad pacem animorum nostrorum stabiliendam, nostra interest plurimum, vt charitatis erga Deum, & proximum signa quædam conspicua, atque illustres notæ in nobis emineant, in nos ipsos igitur licet inquirere, iuuat introspicere animos nostros, & si quid in illis est, quod ab insignioribus diuini amoris notis dissideat, longius propellere.

Nostra interest vt in nobis signa charitatis emineant.

Quid inter salutaria monita, & præcepta cœlestia custodienda, seruandaque magis mandauit discipulis Dominus, quam vt eadem dilectione, qua discipulos ipse dilexit, nos quoque inuicem diligamus, ait S. Cyprianus serm. de zelo, & liuore, *quomodo autem vel pacem Domini, vel charitatem tenet, qui intercedente zelo, nec pacificus potest esse, nec charus*, ideo & Apostolus Paulus cum pacis, & charitatis merita depromeret, adiecit, & dixit, *charitas magnanima est, benigna est, charitas non zelat, docens scilicet, & ostendens posse charitatem tenere quisquis* B *magnanimus, & benignus, & a zelo, & liuore alienus est*. Quare vt tandem dissertationem hanc, cum eodem S. Cypriano concludam, cum nihil Christiano magis cauendum sit, nil cautius prouidendum, quam ne inuidia, & liuore capiatur, ne dum zelo in fratris odia conuertitur, gladio suo nesciens ipse perimatur, contra tantam mali perniciem, vigilanter, & fortiter dicata Deo, & vegetata pectora muniamus, Deum vnicum præ omnibus vnice diligamus, & secundum Deum, vt nostri, sic proximi vere amantes simus, ne inuidiæ, aut liuoris frigus obrepat, succendatur in dies magis ac magis in nobis ardens charitas, a fluxis ad æterna studium, mentemque transferamus: nam, quod egregie C obseruat D. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 34. *Qui liuoris peste carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus vna est, & singulis tota, quæ tanto largior, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur, imminutio liuoris est affectus surgens internæ dulcedinis, & plena mors eius, atque adeo perfecta charitatis vita, perfectus amor æternitatis*.

Amor rerum æternarum inuidiæ & liuoris exitium.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VONIAM hoc capite solemnis, ac sacra murorum dedicatio, quod opus Sacerdotale est, ac Leuitici muneris, perscribenda erat. Primum illi Sacerdotes numerantur, qui sub Cyro cum Zorobabele olim è Babylonia in Iudæam remigrarunt. Deinde, sacri ritus recensentur, ac ceremoniæ, quæ in hisce encœnijs adhibitæ sunt, scilicet, vt aduocatis ad id, ex omni circumquaque regione Leuitis aptè distributis magno omnium ordinum plausu, ac lætitia, immolatis etiam victimis, ac strepente symphonia, tota murorum lustratio perfecta est, fuse narratur. Tandem, & quemadmodum constituti quoque fuerunt ab Optimatibus, &, Principibus viris, nonnulli, qui Gazophylacijs præessent, & sacros thesauros alendis Sacerdotibus, ac Leuitis necessarios, asseruarent diligenter, & cum opus esset abunde ipsis suppeditarent, extrema capitis parte copiose describitur.

CAPVT DVODECIMVM ESDRÆ.

v. 1. I sunt autem Sacerdotes, & Leuitæ, qui ascenderunt cũ Zorobabel filio Salathiel, & Iosue, Saraia, Hieremias, Esdras.
2. Amaria, Melluch, Hattus.
3. Sebenias, Rheum, Merimuth.
4. Addo, Genthon, Abia.
5. Miamin, Madia Belga.
6. Semeia, & Ioiarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcias.
7. Idaia: isti Principes Sacerdotum, & fratres eorum, in diebus Iosue.
8. Porro Leuitæ, Iesua, Bennui, Cedmihel, Sarebia, Iuda, Mathanias, super hymnos ipsi, & fratres eorum.
9. Et Becbecia, atque Hanni, & fratres eorum, vnusquisque in officio suo.
10. Iosue autem genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Ioaidia.
11. Et Ioaida genuit Ionathan, & Ionathan genuit Ieddoa.
12. In diebus autem Ioacim erant

Sacerdotes & Principes familiarum, Saraiæ, Maraia, Ieremiæ, Hanania.
13. Esdræ Mosollam, Amariæ, Iohanam.
14. Milicho, Ionathan, Sebeniæ, Ioseph.
15. Haram, Edna, Maraioth, Helci.
16. Adaiæ, Zacharia, Genthon, Mosollam.
17. Abiæ, Zechai, Miamin & Moadiæ, Phelti.
18. Belgæ Sammua, Semaiæ, Ionathan.
19. Ioiarib, Mathanai, Iodaiæ, Azzi.
20. Sellai, Celai, Amoc, Heber.
21. Helciæ, Hasebia, Idaiæ, Nathanael.
22. Leuitæ in diebus Eliasib, & Ioiada, & Iohanan, & Ieddoa scripti Principes familiarum, & Sacerdotes in Regno Darij Persæ.
23. Filij Leui Principes familiarum scripti in libro verborum dierum, & vsque ad dies Ionathan, filij Eliasib.
24. Et Principes Leuitarum, Hasebia, Serebia, & Iosue filius Cedmihel: & fratres eorum per vices suas, vt laudarent & confiterentur iuxta præceptum Dauid viri Dei & obseruarent æque per ordinem.
25. Mathania, & Becbecia, Obedia, Mosollam, Telmon, Accub, custodes portarum & vestibulorum ante portas.
26. Hi in diebus Ioacim filij Iosue filij Iosedec, & in diebus Nehemiæ Ducis, & Esdræ Sacerdotis scribæque.
27. In dedicatione autem muri Hierusalem, requisierunt Leuitas de omnibus locis suis, vt adducerent eos in Hierusalem & facerent dedicationem & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, psalteriis & citharis.
28. Congregati sunt autem filij Cantorum de campestribus circa Hierusalem, & de villis Nethuphati.
29. Et de domo Galgal, & de Regionibus Geba, & Azmaueth, quoniam villas ædificauerunt sibi Cantores in circuitu Hierusalem.
30. Et mundati sunt Sacerdotes & Leuitæ & mundauerunt populum, & portas & murum.
31. Ascendere autem feci Principes Iuda super murum, & statui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram super murum ad portam Sterquilinij.
32. Et iuit post eos Osaias, & media pars Principum Iuda.
33. Et Azarias, Esdras & Mosollam, Iudas & Benjamin, & Semeia, & Ieremias.
34. Et de filiis Sacerdotum in tubis, Zacharias filius Ionathan, filius Semeiæ, filius Mathaniæ, filius Michaiæ, filius Zechur, filius Asaph.
35. Et fratres eius Semeia, & Azaraël, Malalai, Galalai, Maai, Nathanaël, & Iudas, & Hanani, in vasis cantici Dauid viri Dei: & Esdras Scriba ante eos in porta Fontis.
36. Et contra eos ascenderunt in gradibus ciuitatis Dauid, in ascensu muri, super domum Dauid, & vsque ad portam Aquarum ad Orientem.
37. Et chorus secundus gratias referentium ibat ex aduerso, & ego post eum, & media pars populi super murum & su-

per turrim furnorum, & vsque ad murum latissimum.

38. Et super portam Ephraim, & super portam Antiquam, & super portam Piscium & turrim Hananeel, & Surrim Emath, & vsque ad portam Gregis: & steterunt in porta Custodiæ.

39. Steteruntque duo chori laudantium in domo Dei, & ego, & dimidia pars magistratuum mecum.

40. Et Sacerdotes, Eliachim Maasia, Miamin, Michea, Elioenai, Zacharia, Hanania in tubis, & Maasia, & Semeia, & Eleazar, & Azzi, & Iohanan, & Melchia, & Ælam, & Ezer.

41. Et clarè cecinerunt Cantores, & Iezraia præpositus.

42. Et immolauerunt in die illa victimas magnas, & lætati sunt: Deus enim lætificauerat eos lætitia magna: sed & vxores eorum & liberi gauisi sunt, & audita est lætitia Hierusalem, procul.

43. Recensuerunt quoque in die illa viros super Gazophylacia thesauri ad libamina, & ad primitias, & ad decimas, vt introferrent per eos Principes ciuitatis in decore gratiarum actionis, Sacerdotes & Leuitas: quia lætificatus est Iuda in Sacerdotibus & Leuitis astantibus.

44. Et custodierunt obseruationem Dei sui & obseruationem expiationis, & Cantores & Ianitores iuxta præceptum Dauid, & Salomonis filij eius.

45. Quia in diebus Dauid & Asaph ab exordio erant Principes constituti Cantorum, in carmine laudantium & confitentium Deo.

46. Et omnis Israël, in diebus Zorobabel & in diebus Nehemiæ, dabant partes Cantoribus & Ianitoribus per dies singulos, & sanctificabant Leuitas, & Leuitæ sanctificabant Aaron.

EXPOSITIO LITERALIS.

v. 1. *I sunt autem Sacerdotes & Leuitæ qui ascenderunt cum Zorobabel, &c.* Describuntur hoc textu, ipso statim capitis initio, Principes Sacerdotum vnà cum fratribus suis, id est minoribus Sacerdotibus & Leuitis, qui cum Zorobabel & Iosue de captiuitate Babylonica ascenderunt in Hierusalem, quibus recensitis, postmodum adiunguntur etiam, & illi, qui in dignitate & principatu summi Sacerdotij, sibimet inuicem, vsque ad initium Regni Macedonici, seu Græcorum, successerunt. Quod quemadmodum intelligendum sit, & à quo, seu Nehemia, seu quolibet alio authore, scriptum, & in historiam relatum fuerit,

A mox infra videbimus: Interim quod inter primos, Esdras hic nominatur, *Iosue*, inquit, *Saraia, Hieremias, Esdras*, iuuerit annotare, Esdram hunc, ex Lyrani, & quorundam aliorum sententia, fuisse illum ipsum, qui scripsit librum primum Esdræ, atqueita, reditum illius intelligi, vt primo quidem, quod iam alibi obseruauimus, venerit in Hierusalem cum Zorobabel, sed postea redierit ad Regem, vt plures Iudæos secum adduceret, & à Rege gratiam ampliorem impetraret. Alii sunt qui Esdram sub Artaxerxe tantum, anno videlicet illius septimo, quod Scriptura indicat, rediisse primum existimant, vt iam superiori libro monuimus, qui in opinione sua stare velint, aut Esdram in hoc textu positum

An Esdra cuius hic mentio alius sit ab authore libri primi

aliam à primo censere debent, aut cer- A te si vnum eundemque statuunt, ideo censeri cum Zorobabel ascendisse, quia licet multis post annis redierit, tamen cum toto passim Regno Babylonico atque etiam extra illud fortassis, Iudæos diu multumque conquisisset, quos secum reduceret, dum Templum inchoatum est, aut opus ædificationis interruptum, tandem magno comitatu, in Iudæam reuersus est, ad ornandum Tēplum, cuius instaurandi, Zorobabel primum, & Iosue, concessa facultas fuerat, vt sic intelligantur cum illo rediisse, qui Templo aut inchoato aut iam perfecto, ante muri reædificationem ascenderunt in Iudæam. B Alii vero quotquot reliqui sunt cum Nehemia ascendisse dicantur. Quidquid sit, pace Caietani dixerim, qui alium hunc Esdram, primo existimat, rationes quas affert cur ita sentiat, leuissimæ sunt; & quæ grauissima omnium videri poterat, aut falso, aut debili omnino fundamento nititur, cum ait priorem Esdram certa nota perpetuo consignari, quâ caret posterior, vocari siquidem prius, Sacerdotem & Scribam, hic vero familiari illa nota non esse illustrem; quod etsi vltro concesserimus; quid tum postea? immo, ex eo contrarium reuincere non est difficile, sicque argumentari; si duo essent, deberet hic posterior, à priore, certa aliqua notatione distingui, cum præsertim alterius nomen toties ante auditum sit.

Rationes Caietani alium hunc à primo Esdram asserētis omnino infirmæ.

II. Vers. 7. *Isti Principes Sacerdotum & fratres eorum in diebus Iosue, &c.* Is est, Iesus, filius Iosedech Sacerdotis magni, Iosedech enim summus Sacerdos dictus fuit in captiuitatem Babylonicam, vt habetur Paralipomenon, capite vltimo, & Iesus filius eius, post captiuitatem Babylonicam, primus fuit, qui summo Sacerdotio perfunctus est. Et vero 70. legunt hic *in diebus Iesu*; erant autem verè Principes Sacerdotum ij, quos superius in textu nominat, non Sacerdotes summi, quod diligenter obseruandum, nam hæc D duo inter se maxime dissident, plures siquidem eodem tempore erant Principes Sacerdotum, vnus Sacerdos summus: vnde dicitur hoc versu, *Isti Principes Sacerdotum & fratres eorum in diebus Iosue*, qui si summi Sacerdotes fuissent, non dicerentur in diebus Iosue, id est vnà & eodem simul tempore cum Iosue fuisse.

Iesus filius Iosedech primus post captiuitatē summo Sacerdotio perfunctus

Aliud est esse Principem Sacerdotem, aliud Sacerdotem summum, plures erāt Principes, vnus tantum summus.

III. Vers. 8. *Porro Leuitæ Iesua Bennui, &c. Super hymnos ipsi & fratres eorum, &c.* A maioribus Templi Ministris, ad minores, hoc est Leuitas, recensionem suam transfert Nehemias, *Leuitæ*, inquit, *Iesua Bennui, Cedmihel, &c. super hymnos ipsi*, &c. quid istuc tandem muneris est aut officii? quantum reor super hymnos, siue laudes esse, idem est ac præcentorum officio defungi, cuiusmodi erant quos hic è Leuitis enumerat.

Super hymnos esse, idem ac præcentoris officio defungi.

Vers. 10. *Iosue autem genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Ioiada, &c.* Notat hoc loco Sanctius, qui cognominantur ab Eliasib prognati, aut non fuisse hoc Nehemiæ tempore, aut certè non ea ætate, aut nomine, vt magnum aliquid præstare posse viderentur, grauem aliunde causam fuisse, cur nominari debuerint, quod scilicet magna, sub illud tempus, immo & maxima potestas esset penes Sacerdotes, & per illos notarentur Hebræorum tempora, ac perinde operæ quoque pretium fuisse, non leue, vt diligens, & exacta summorum Sacerdotum, seu Pontificum successio notaretur; sed difficultatem non soluit, de Nehemia, quem huius libri scriptorem nobiscum facit, quòd de illis scribat Pontificibus qui (vt apparet) ætate sua nondum extiterant, id vero à nobis versu sequenti expendendum est.

Cur nominentur ab Eliasib prognati cum hoc tempore non fuisse videātur

C

IV. Vers. 11. *Et Ioiada genuit Ionatham, & Ionathas genuit Ieddoa, &c.* Sic demum, hoc loco, texitur genealogia summorum Pontificum, qui toto tempore Imperii Persarum extiterunt, à Iosue scilicet, siue Iesu filio Iosedech, qui primum (vt ante dixi) è captiuitate Babylonica summo Sacerdotio functus est, vsque ad illum, qui ad ætatem Alexandri Magni peruenisse creditur: nam in hac serie, qui dicitur à Nehemia, & extremo loco positus est Ieddoa, à Iosepho vocatur Iaddus, idemque Pater Oniæ Sacerdotis, de quo in libro Machabæorum scribitur: Is autem Iaddus, seu Ieddoa quàm honorificè fuerit exceptus, ab Alexan- Magno, cum exercitu Hierosolymam contendente, vt eam expugnaret, tanquam fauentem partibus Darii, contra quem bellum susceperat, fuse narrat idem Iosephus, cum illum Alexandro Macedoni magna pompa atque apparatu eximio, cum stola Pontificis occurrentem, & bellico furore de-

Hic texitur genealogica omnium summorū Pontificum qui toto tempore imperij Persici extiterunt.

Ieddus Pontifex ab Alexādro Magno Hierosolymam expugna t

cogitante, honorifice excepius.

posito, ad honorem ipsi deferendum, Principis animum inducentem magnificè repræsentat, apud quem authorem, notanda item aliorum nominum diuersitas, quæ ad Pontifices, in hoc textu comprehensos pertinent, siquidem qui dicitur hic *Ioiada*, eum *Iadam* vocat, qui *Ionatham*, *Ioannem*, sicut & qui *Ieddoa*, *Iaddum* appellat. Notat vero Lyranus qui superiori versu dicitur *Ioacim* eundem & vocari *Eliacim* Iudith. 4. & sub eo, dici historiam illam contigisse; de Nehemia porro, qui huius vltimi Pontificis meminit, Ieddoæ scilicet, seu Iaddi, B quemadmodum tandem vsque ad illa tempora peruenerit, cum à tempore quo Regis Artaxerxis pincerna erat, vsque ad Alexandri Macedonis Imperium, fluxerint amplius quam centum anni Nodus sane difficilis, sic solui videtur posse, si dicas, Nehemiam pertingere potuisse, non quidem ad tempora Sacerdotii huius Ieddoæ, quando ipse Alexandro occurrit, sed bene quidem, vsque ad eius infantiam, qui postea, longe nimirum post mortem Nehemiæ, ad Sacerdotium peruenerit, & tum Alexandro occurrerit. Ita C de recentioribus interpretibus nonnulli, in quibus Estius, & ante eos, Beda, citatus in Glossa, qui in eandem rem hæc addit obseruatione quidem dignissima, *in fine*, inquit, *huius libri* puta Nehemiæ, seu secundi Esdræ, *cum filiorum Ioiadæ, fily Eliasib, mentio fit, dicitur vnus ex eis, genere fuisse Sanaballat, Horonitis, cuius quidem generi nomen tacetur, sed quia Ioiada, auus est Ieddoa, constat generum de quo sermo .s., aut patrem eiusdem Iaddi, vel Ieddoa, aut patruum fuisse, ideoque illum superstite adhuc Nehemia nasci potuisse.* Vnde, quid Lyrano in mentem venerit nescio, cum D in hæc verba, *& Ioacim genuit Eliasib*, asseruit, Eliasib fuisse summum Sacerdotem circa finem vitæ ipsius Nehemiæ, nam si ita habet, quæso qui fieri potest vt Nehemias, non modo Eliasib, sed Ioiada qui successit Eliasib & filium, ac nepotem Ioiadæ viderit, vt constare videtur ex vltimo capite huius historiæ: Quamquam (vt verum fatear, nec quicquam in re tam obscura dissimulem) firmari hinc posse video satis commodè Saliani sententiam qui ad annum mundi 36. 21. numer. 11. post Esdram, multa passim in sacris libris, immo nonnulla etiam

Quomodo Nehemias qui ad tempora Alexandri Magni peruenire non potuit meminerit Iaddi Pontificis.

existimat, tum ad Esdræ ipsius, tum ad Nehemiæ quoque historiam à posteris scriptoribus adiecta fuisse, atque in illis potissimum, quæ narrantur hoc capite, vbi mentio fit Ieddoæ summi Pontificis, & Leuitarum, qui fuerunt in Pontificatu eius, quem Iosephus (vt supra vidimus) Pontificem fuisse ait, cùm Alexander Macedo venit Hierosolymam, totis 100 abhinc annis, quo tempore nemo vt opinatur, facile dixerit, aut Esdram, aut Nehemiam, in viuis fuisse, nisi eos velit ad centesimum quinquagesimum vel sexagesimum annum vitæ peruenisse. Certè refert historia Scholastica, in Iudith, cap. 10. hoc tempore, atque adeo sub annum Artaxerxis 20. viuente adhuc Eliasib Pontifice, dedicatis iam mœnibus ciuitatis, defunctum esse Esdram, & Hierosolymæ sepultum; de Nehemia autem, & si certo sciri vix possit, quousque vitam propagauerit, cum expleto hoc libro qui Nehemiæ dicitur, & post hanc eius historiam deinceps in sacris voluminibus de eo nihil inueniatur: tamen à Saliano probabiliter (vt existimat) eius obitus refertur ad annum Artaxerxis 24. qui fuit vltimus Imperii illius & Pontificatus Eliasib 32. cuius ego authoris Chronologiam, non illibenter amplector. Dicendum igitur est in hac siue minorum, siue summorum Sacerdotum serie, quæ toto capite contexitur, diuersis in locis, posteriores Pontifices, vel scribas, forte suppleuisse, quæ deerant, circa huiusmodi Genealogias, vt pleraque ab Esdra, assistente illi Spiritu sancto, in aliis Scripturæ libris suppleta esse, communis est sententia, qualia sunt quæ de morte Moysis habentur in fine Deuteronomii, & item de Iosue morte, ac sepultura in fine libri eius; quæ rursum in fine Prophetiæ Hieremiæ habentur, de Regno Euilmerodachi, & exaltatione Ioachim, quæ satis constat mortuo Hieremia contigisse.

Cùm in Esdra, tum etiam in aliis Scripturæ libris multa passim a posterioris scriptoribus adiecta multis opinantur.

Quo tempore defuncti Esdras & Nehemias

Vers. 12. *In diebus Ioacim erant Sacerdotes, &c.* Describitur hic consequenter successio Principum Sacerdotum, & Leuitarum, qui eo tempore fuerunt, quo Ioacim. Itaque, quod ait post hæc verba, *Erant Sacerdotes & Principes familiarum*, nominatim *Saraia, Marata, &c.* intellige, *familia Saraia*, sic & in sequenti ordine Principum familiarum qui recensen-

tur hoc capite, is loquendi modus ser- A
uatur; sic versu sequenti 13. *Esdra, Mosollam, Amaria, Iohanan*, quod autem infra vers. 17. dicitur, *Miamin, & Moadia, Phethi*, hæc ratio est, quia scilicet, is qui nominatur, Phethi erat Princeps duarum classium, seu familiarum præcedentium nomine Miamin, & Moadiæ.

Vers. 22. *Leuitæ in diebus Eliasib, & Ioiada, & Iohanan, &c.* Hi sunt, qui sub aliis summis Sacerdotibus fuerunt post prædictum Ioacim, vbi obseruandum, qui dicitur hic, *Iohanan* filius *Ioada*, & in aliquibus libris, *Ionan*, superius vocatum esse *Ionathan*, neque cuiquam mirum videri debet, hæc no- B
minum quantulacumque diuersitas, cum nomina Hebraica, vt notat etiam Lyranus, frequenter varientur in principio, vel in fine, vel vtrobique, sicut & Latina; ergo de Leuitis istis sic habet textus, *scripti erant Principes familiarum, &c.* Scilicet per nomina sua in libris Genealogiarum suarum, licet non sint hic expressa, sed difficile est ad explicandum, quod sequitur, etsi à nemine, quod sciam, difficultatem illam vel indicari videam, *in Regno Darii Persæ, &c.* Nam quid istud quæso est, scriptos esse Leuitas, seu Principes familiarum qui fuerunt sub summis Sacerdotibus Eliasib, Ioiada, Ionathan, & Ieddoa in Regno Darii Persæ? quemadmodum, aut de quo Dario intelligi oportet? *In Regno Darij*, id est Dario regnante, qui est de genere Persarum, sub quo consummatum fuit Templum, vt habetur 1. Esd. 6. ait Lyranus, sed quis eiusmodi expositionem ferre possit, aut quam longe erret author ille quis non videat? cum horum Pontificum vix vllus, immo nec primus quidem, & ordine, & ætate Eliasib, sub Dario illo Pontificatum gesserit, multo minus illius successores: quo fit vt potius ad alium eiusdem nominis longe posteriorem, puta Darium Nothum, qui antepenultimus, vel Darium qui vltimus, Rex Persarum fuit, referendum illud existimem, ad quem fortassis plerique omnes de Leuitis supra indicatis ætate sua peruenerint: & vero licet hic, vt est in vulgata versione, 70. habeant, *in Regno Darij*, in Hebræo tamen habetur, *ad siue, vsque ad Regnum Darij.*

Nomina Hebraica variantur sæpe in principio, vel in fine, vel vtrabique.

Quomodo hæc verba intelligi debeant, In Regno Darij Persæ.

De Dario Notho, vel de vltimo locus intelligendus.

VI. Vers. 23. *Filij Leui Principes familiarum scripti in libro verborum, dierum, &c.* Descriptis superiori versu, suppresso tamen nomine, Sacerdotibus sui temporis sermonem iterum conuertit Nehemias ad eos exponendos qui fuerunt tempore Ioacim filii Iosue, quos scriptos esse ait *in libro verborum dierum, &c.* Intellige per librum verborum dierum, librum Annalium, in quo continetur quid quoque die, aut anno contigerit memoria dignum: sed quis iste? aut vbi extat? extitisse olim apud Iudæos credendus est, licet ad nos vsque non peruenerit, nisi si forte quispiam librum hunc verborum dierum cum Lyrano de lib. 1. Paralipomenon velit intelligi, non quod isti qui exprimuntur, & recensentur in textu, in propriis personis, ibi, id est, 2. cap. lib. 1. Paralipomenon descripti sint, cum nondum essent, sed quod in patribus, siue maioribus suis esse censeantur. Et quia ordines Leuitarum ibi describuntur, ad quos isti restituti sunt, temporibus illis reditus è Babylone, & solutæ captiuitatis, quod additur, *& vsque ad dies Ionathan*, ideo dictum interpretor, quia isti, vel saltem aliqui eorum, vixerunt vsque ad tempus quo Ionathan fuit summus Sacerdos, qui hic dicitur filius Eliasib, id est nepos, fuit enim filius Ioiadæ, vt ex superioribus patet.

Quis sit liber verborum dierum, cuius hic mentio.

C Vers. 24. *Et Principes Leuitarum, &c. Et fratres eorum per vices suas, vt laudarent, & confiterentur iuxta præceptum Dauid, &c.* Habes expressum distincte lib. 1 Paralipom. totis capitibus 24. 25. 26. quemadmodum Dauid suo tẽpore, Leuitas varios in ordines distribuerit, & variis quosq; mnueribus præfecerit, hinc est quod hoc loco dicitur, Principes Leuitarum per vices laudasse Dominum, *iuxta præceptum Dauid veri Dei*: modum autem confitendi, seu laudandi Deum, capite 16. eiusdem libri Paralipomenon præscribit, vbi duos Psalmos nempe
D 95. & 140, ad illam laudem accommodatè componit, vt iure dicatur de Dauide vers. 4. illius capitis. *Constituit coram arca Domini, de Leuitis, qui ministrarent, & recordarentur operum eius & glorificarent, atque laudarent Dominum Deum Israel.*

Dauid suo tempore Leuitas varios in ordines distribuit, & modum laudandi Deum præscripsit.

VII. Vers. 26. *Hi in diebus Ioacim, &c. Et in diebus Nehemiæ Ducis, & Esdræ Sacerdotis, Scribæque, &c.* Falso igitur fundamento nititur Caietanus, cum alium hoc capite Esdram comminiscitur, quàm qui superiori libro designatur, quod supra semel duntaxat

Hinc falsum fundamentum Caietani conuincitur de duplici Esdra.

xat in Sacerdotum serie nulla ad nomen adiuncta nota insigniatur: nam saltem ex hoc loco, iuxta illam argumentandi rationem, plumbeus sit qui non videat, & hunc Esdram, de quo hoc versu, illum ipsum esse, cuius sæpe cum hoc tum superiori libro res gestæ memorantur: at tam crebra est mentio, quandoquidem hic quoque, sicut illic, & Sacerdos vocatur, & Scriba.

Vers. 27. *In dedicatione autem muri Hierusalem requisierunt Leuitas de omnibus locis, vt adducerent eos in Hierusalem, &c.* Orditur hinc descriptionem dedicationis ciuitatis Hierusalem, ad quam solemnius peragendam conquisitos vndequaque Leuitas,
VIII. aliosque Templi ministros, qui in aliis circumcirca regionibus morarentur, significat: At enim Templum quidem dedicari oportuit (inquies) cum per se se res sacra esset, & ad diuinum cultum maxime pertineret, sed ciuitatem ipsam, aut murum illius, rem alioqui communem, nec peculiariter sacram, aut sacris ministeriis destinatam dedicare, quemadmodum est necesse? nempe ipsa ciuitas quoque, seu murorum ambitus, quia tanquam ad vltimum finem, ordinatur ad restitutionem cultus diuini, eiusque conseruationem à Sacerdotibus, sicut & Templum etiam Deo dedicatur, vt per eius protectionem, intra ciuitatem possint diuinum cultum secure, & quiete exercere, eo præsertim, quod in ea sola ciuitate, & Templo liceret sacrificia Deo offerre. Cæterum, vt vides, traditur hæc muri dedicatio, hoc capite duodecimo, post pleraque alia recensita superioribus proxime capitibus, quæ causa fuit, vt Beda crediderit, dedicationem tardius factam fuisse, ait enim: *Iamdudum ædificata erat ciuitas, sed non decebat eam dedicari, priusquam habitatoribus aggregatis, & ministri Templo idonei, & portis, ac vestibulis custodes essent deputati.* Verum nihil est (quod optime obseruauit Salianus) cur negemus, statim ab opere absoluto, factam muri ciuitatis dedicationem, cum ea tanquam medium assumeretur, ad replendam habitatoribus ciuitatem, & facile fuit, vergente ad finem ædificio, personas ad dedicationem necessarias mature conuocare: quamquam maxima pars populi iam in vrbe ædificationi operam dabat. Magnam igitur eorum partem

Cur ciuitas dedicata cum res non esset peculiariter sacra.

An dedicatio murorum facta statim ab opere absoluto.

quæ à capite septimo huc vsque recensentur solemnis murorum ædificatio quæ hoc capite memoratur, & aliquæ aliæ celebritates antecesserunt, quarum occasione, desiderium Nehemiæ de vrbis frequentia opportunius in praxim reuocari potuit. Et certe nihil æque populum irritare potuit ad frequentandam vrbem nobilissimam, non incensam vt ante, ac euersam, sed mœnibus cinctam, & habitationi tutam, vrbem Regiam, opportunissimo loco sitam, vrbem Deo consecratam, in qua vna Deo sacrificare liceret, & maximas totius anni solemnitates celebrare, quàm accurata in ea diuini cultus obseruatio, quæ per absentiam Sacerdotum, & Leuitarum, ægrè poterat obseruari: abfuisse autem patet ex hoc loco, vbi dicitur ad muri dedicationem accersitos fuisse Leuitas, de omnibus locis suis, & congregatos fuisse filios Cantorum, de campestribus Hierusalem, vt est infra vers. 28. quia nimirum non habebant Hierosolymis domos ad habitandum, ideoque Iosephus ait, Nehemiam eis domos de suo ædificasse, qua de re nos alibi, voluit autem Nehemias, vt iam ante significaui, sanctificari, & dedicari muros Deo, vt hoc quoque nomine vrbs sancta appellari posset, & Deus peculiari cura protegeret tam mœnia ipsa, quàm quæcumque eorum ambitu continerentur, ideoque sacri ritus, ac ceremoniæ in his encomiis adhibitæ sunt, quæ proxime consequuntur.

Et facerent dedicationem, & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, psalteriis, & cytharis, &c. IX.
Hinc apparet, totam hanc celebritatem plenam fuisse lætitia, & gratiarum actione, nec immerito, quidni enim lætaretur populus, à puluere excitatam Regiam ipsorum vrbem? quidni gauderent, suum ipsorum opprobrium, quod ante ruinæ illæ ciuitatis perpetuo testabantur omnibus, tandem aliquando sublatum, atque ab oculis suis subductum: quandiu enim iacebat illa vrbs, tandiu impii in Deum, & rebelles in externos Principes audiebant? quidni lætarentur, tutos se factos esse ab incursionibus Samaritanorum, Syrorum, Palæstinorum, Idumæorum, Ammonitarum, & aliorum id genus latrunculorum, qui capitali eos odio persequebantur? sed fuit quoque illorum plausus cum gra-

Dedicatio muri præcessit multa quæ commemorantur superioribus capitibus.

Causa lætandi in populo ob dedicationem muri.

tiarum actione ad Deum coniunctus. Ita sane, quidni etiam gratias agerent Deo, qui eis propitium Regem, industrium ac generosum Ducem, populum labore indefessum dederit? qui eis sumptus, vices, animosque ministrarit, vt contemptis inimicorum minis, insidiis, incursionibus, tantum opus, tantulo tempore inchoare, promouere & perficere potuerint. Hæc illustriora fuere publici plausus ac lætitiæ communis argumenta.

X. Vers. 30. *Et mundati sunt Sacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum, &c.* Iubentur hîc Sacerdotes & Leuitæ, vt seipsos à labe, si quam ante contraxerunt, purificent: Deinde, populum, vt sic ex omnibus ordinibus ad sacrum dedicationis opus accedant omnes idonei: primi itaque Sacerdotes mundantur, deinde mundant alios, & congruè illud quidem, nam vt ait Ecclesiasticus cap. 34. vers. 4. *Ab immundo quis mundabitur?* si quæras, quemadmodum, aut qua tandem ratione mundati sunt, quibusue vsi ad id cœremoniis, orationibus, credo, sacrificiis, & victimarum oblationibus, & continentia ab vxoribus: sic Beda in hunc locum, Lyranus vero, vult istam mundationem Sacerdotum, factam fuisse per ieiunia, continentiam ab vxoribus, & aspersionem aquæ lustralis, emundationem vero populi, per aspersionem aquæ lustralis tantum; Leuitarum autem, medio modo, quod Leuitæ faciliori ritu mundarentur, quam Sacerdotes, vt habetur 2. Paralipomenon 29. & populus quam Leuitæ: Beda tamen ante citatus, eo quo Sacerdotes modo, populum istum fuisse mundatum significare videtur: sed quid est mundare murum, quod faciunt item Sacerdotes, cum dicatur, *mundauerunt populum & portas & murum?* existimo nihil aliud esse quam aliqua precatione lustrare, siue aqua lustratoria aspergere: *Mundauerunt*, inquit Lyranus, *immunditias amouendo, & aquam lustrationis aspergendo.* Certè multis variisque modis & homines & vasa etiam ipsa in Hebraico populo pollui solita, & multis etiam modis mundari potuisse satis constat ex Leuitic. 11. 13. 14. 15 & Numeror. 19. vers. 20. quæ si voles consule: quod igitur muri ciuitatis & portæ à recenti fabrica aliquid haberent immundum, indignumque dedicatione, illa etiam quibus id operis erat commissum, mundanda curarunt. Asperserunt etiam cum fasciculo hyssopi murum, sicut in lege dicitur loco supra citato, de omni tentorio & supellectile aspergenda. Porro apud gentes (quod nos etiam alibi obseruasse memini, notatque hîc Sanctius) murorum portæ, & muri ipsi, Sancti existimabantur: ita Iustinianus l. sacra loca, §. Sanctæ. ff. de rerum diuisione: *Sancta quoque res*, inquit, *velut muri & portæ ciuitatis quodammodo diuini iuris sunt, & ideo nullius in bonis sunt.* Et apud Romanos quidem, sacros fuisse ciuitatis muros, multis docet Seruius ad illud Æneidos Virgilianæ, libro quinto:

Interea Æneas vrbem designat aratro.

vbi certos ostendit ritus, & sacrificia, quæ in murorum designationem, & fabricam, olim adhiberentur. Eadem pœne Isidorus lib. 2. Etymologiar. cap. 2. Plutarchus tamen Problem. 26. Sanctos dicit fuisse muros, portas non item, cuius rei causam hanc subiungit, quia cum aratrum ciuitatem designat & murorum locum impresso notat sulco, cum ad portarum spatia venitur suspenditur neque vlla relinquit vomeris vestigia, qui religioso quodam circumducitur ritu. Item, quia locus ille sacer iudicari non debebat illorum iudicio per quem efferebantur mortui, sordes egerebantur, inducebantur plurima neque pura, neque religiosa, immo etiam quæ sceleratorum & belluarum ipsarum vestigiis quotidie calcarentur. Hæc ex prophanis, obiter, vt intelligas sic à Iudæis, hoc loco, Solymitanos muros, & portas, sacra aliqua cæremonia, & publico hominum conuentu, ac plausu dedicari vt olim apud exteras gentes, sacris item quibusdam ac religiosis cæremoniis, aliarum ciuitatum muris designari ac dedicari solebant.

Vers. 31. *Ascendere autem feci Principes Iuda super murum, &c.* Cum solemni murorum lustratione, instituit hîc Nehemias comprecationem vniuersi populi, bipartito distributi, vt super murum diuinas laudes & Psalmos Dauidicos multorum instrumentorum apparatu concinerent, tubis etiam alternatim concrepantibus, simulque Sacerdotes & Leuitæ intereundum, aqua lustrationis murum XI.

Quibus cæremoniis mundati Sacerdotes & populus.

Quid sit mundare murum.

Apud Gentiles olim muri ipsi sancti existimati.

Plutarchus existimat portas ciuitatis non fuisse sacras.

aspergerent, ac sanctificarent: *Ascendere autem feci*, inquit, *Principes Iuda supra murum, &c.* in Iuda, etiam, intelligitur Benjamin, (vt aliis sæpe locis obseruauimus) nam licet duæ Tribus, secutæ fuerint Roboam, quando dissectum est Regnum Israël, aliquando tamen vna tantum Tribus adhæsisse dicitur domui Dauid, quia in illa continetur etiam Beniamin, hinc illud 3. Reg. cap. 12. *Nec secutus est quispiam domum Dauid præter Tribum Iuda*: solam item habes ibidem cap. 12 & lib. 4. Reg. cap. 17. idem quoque dixerim de aliis Tribubus, quarum non pauci, sub Zorobabele Duce, remigrarunt è captiuitate in Patriam, qui omnes vocati sunt Iudæi, quasi nati forent è Tribu Iuda, sed quærit hic Sanctius, quid sit cur Principes Iudæ, id est illorum, qui non essent ex Tribu Leui, & non alij, ascenderunt murum, & respondet idem author, quia scilicet non tantam multitudinem caperent murorum angustiæ, atque ideo ascendisse tantum qui Principes essent, ac primarij in populo ex Tribubus aliis qui non poterant esse eodem tempore plurimi, cùm res Israëlitica, esset sub illud tempus, attenuata vehementer; iam ad populi pompam ac ordinem indicandum sequitur.

Nonnunquam in Scriptura dicitur tãtum vna Tribus adhæsisse domui Dauid licet duæ fuerint, quia in Tribu Iuda censetur contineri Tribus Beniamin.

Cur tantũ Principes Tribus Iudæ dicũtur ascendisse murum.

XII. *Et statui duos magnos choros laudantium, & ierunt ad dextram super murum, &c.* Sane in huius pompæ ordine designando, & eorum qui aut præfuerunt, aut etiam interfuerunt solemni huic murorum ædificationi, dispositione sub aspectum ponenda, multum sudant interpretes, mira est sententiarum varietas: dicam ego quid super ea re sentiant varii authores, iique melioris notæ, vt quam volet ex omnibus, & iudicio suo commodiorem duxerit, prudens, & eruditus lector sententiam seligat, & amplectatur, in extremam quam dicturus sum magis propendeo. Non est existimandum, inquit Salianus, totum populum confestim conscendisse in murum, ibique distinctum in duos choros, vt quidam videntur existimare, indeque murorum latitudinem conii cere, vix enim platea, ne dum murus, eius distributionis satis capax fuerit: præcessit igitur humi facta distributio in partes duas, tum vna pars in qua erat dimidia pars Magistratuum & populi iussa est iter suscipere ad dextram,

Magna opinionum varietas in ordine huius pompæ designãdo.

Saliani sententia.

A tripartito, vel quadripartito agmine, à porta videlicet Sterquilinij, versus montem Sion, & ciuitatem Dauid, alter chorus quem sequebatur Nehemias, & dimidia pars Magistratuum, & populi, ex aduerso procedebat, ab eadem porta ad sinistram versus Aquilonem, donec occurrerent sibi ad portam Custodiæ, quam diximus clausisse Ophel, habitationem scilicet Nathinæorum & Templo ipsi proximam, quæ tamen extra vrbem non ducebat: Cæterum pars meridiana dextera est, & Aquilonaris sinistra, extra vrbem posito & intuenti muros: nec

B absurdum est totum populum esse super murum, nam vt supra dictum est, *Ciuitas erat lata nimis & grandis*, & consequenter murus ipse, quem Iosephus ad viginti millia cubitorum extendit, & ex eo deducit Villalpandus, tom. 3. p. 1. lib. 1. cap. 21. populus autem, etiam eorum qui redierant, non multus, plerique enim senio, ægritudine, aliisue impedimentis, excludebantur ab ea supplicatione, contenti rectà Templum adire. Sic ille. Sanctius vero qui omnia in hoc textu admodum obscura esse repræsentat, tres ordines statuit, qui tres murorum partes occuparent in illa sacra atque

Sanctij opinio.

C triumphali pompa: Principes quidam, è populo & seculari turba, inquit, ascenderunt murum, duo alii ordines in quibus fuere è Leuitico & Sacerdotali gradu quam plurimi, ex omnibus Iudææ conuentibus euocati, murorum vtrumque latus amplectebantur, alii ad internam murorum, alii ad externam faciem, qui licet in diuersis spatiis, pari tamen incessu, vt sibi vicissim aduerso atque directo gradiebantur, ita vt eodem egressi tempore, eodem ad destinatam metam peruenirent; cantantibus vtrisque Leuitarum choris, & supra mu-

D rum, Iudæ Principibus (qui necessario ex Leuitico genere ac munere non erant) ad illorum motum attemperato gradu, simul incedentibus: Ita Sanctius, quod ex veterum lectione desumpsisse videtur: sed hoc aliis non placet, adque adeo ex textu ipso refellere conantur: nam refert Lyranus veterum quorumdam expositorum (de Hebræis credo) sententiam fuisse, sic duos istos choros diuisos, vt vnus super murum incederet circumeundo ciuitatem, alius non super murum, sed exterius, iuxta murum obambularet, quam

Sententia quorumdã Hebræorũ ex Lyrano.

quam sententiam ex ipsomet textu recte arguit, nam infra, vers. 37. vbi de secundo choro agitur, media pars populi super murum fuisse dicitur: prædicto igitur errore, vt existimat, sic exploso. Intelligendum est vtrumque chorum laudantium, qui ex Sacerdotibus & Leuitis contextus erat, supra murum incessisse, altera populi parte, cum eis, item supra murum, per eandem viam consequente, altera vero infra, super terram incedente, atque hoc est, quod in textu citato dicitur, nec alia proinde à nobis, quàm quæ hic ponitur, expositione indigebit: *Et chorus secundus gratias referentium ibat ex aduerso, & ego post eum, & media pars populi super murum.*

Et ierunt ad dexteram ex aduerso super murum ad portam Sterquilinij, &c. Si rectè totus hic textus consulatur, expendaturque, immo & cum ipso etiam ciuitatis situ componatur, videntur Marianæ, chori, seu pompæ, quæ circum vrbem ductæ sunt egressæ à porta Aquarum, ad ortum, altera quidem ad dexteram, versus portam Sterquilinii, quæ prope erat, altera vero versus sinistram, & finis vtriusque pompæ, per arcem Sion, & occasum, ad Templum, quod erat in monte Moria, ad ortum: ita in duas æquas partes, circa diuisum murum, pompa fortassis vtraque ducta est: hinc ex Lyrani sententia, hæc verba iam supra citata, versu trigesimo septimo, *Et chorus secundus ibat ex aduerso, &c.* sic exponuntur, id est per oppositam partem muri, circumeundo, quousque venirent obuiam aliis, in ingressu Templi.

Vnde chori egressi & per quam viam ad Templum venerint.

XIII. Vers. 35. *Esdras Scriba ante eos, in porta Fontis, &c.* Hoc versu explicat spatium quod percurrit prior pompa, nescio an ordine locorum seruato, sed tamen à porta Aquarum circum arcem Sion ad portam Fontis peruenit de qua plura diximus superius. Quod autem eodem versu cecinisse ait, *in vasis Cantici Dauid viri Dei*, sic intellige, præcedebant quidam Sacerdotes, in tubis, canentes scilicet, spectabat enim hoc ad eorum officium, & alii inferiores Ministri & Cantores, *In vasis Cantici Dauid*, id est instrumentis Canticorum Dauid, vel quibus in Canticis vtebatur, *in instrumentis Musicis*, inquit Lyranus, *iuxta id quod preceperat Dauid*, puta 1. Paralipomenon vigesimo quinto, instrumenta enim cuiuslibet artis vocantur vasa apud Hebræos.

Instrumenta cuiuslibet artis vocantur vasa apud Hebræos.

Vers. 36. *Vsque ad portam Aquarum ad Orientem, &c.* Qui portam Aquarum ad Orientem, portam Orientalem Templi intelligunt, eam vtriusque pompæ post circuitionem terminum statuunt, quia in illa parte erat ingressus ad Templum, in quod intrare volebant, ad victimas sacrificiorum immolandas.

Vers. 37. *Et super turrim furnorum & murum latissimum, &c.* Turrim furnorum sic vocatam credit hic Lyranus quod & nos etiam alibi obseruauimus, quia propè eam erant furni multiplices: murum autem latissimum qui in aliqua vrbis parte spissior fuit factus, & in maiorem latitudinem extensus, vt scilicet extrinsecus bellicis etiam machinis adhibitis, difficilius dirui posset atque euerti.

Quid turris furnorum quid murus latissimus.

V.38. *Et steterunt in porta Custodiæ, &c.* XIV. Portam hanc custodiæ ab authoribus eam statui video, quæ erat ante atrium Templi, & in qua facta tandem ciuitatis lustratione subsistere. Sic autem in summa varias illius populi circumitiones & progressiones, aut circum aut supra murum, ad diuersas vrbis portas, quarum præsertim in textu mentio est, exhibet, Salianus in Annalibus ad annum mundi 3609. n.70. initium inquit profectionis sumptum est à porta Sterquilinii, quoniam ea à parte occidentali directo respondebat portæ Custodiæ, quæ supra, porta Iudicialis dicta fuit, & in qua sibi occursuri erant chori vtrique, quæ vicinior erat portæ Templi Orientali, per quam in Templum erat ingrediendum ab vtroque choro, à porta Sterquilinii progressi sunt ad portam Fontis, inde iuxta gradus quibus ascenditur ad arcem, & piscinam operosam & domum fontium, & domum Eliasib Pontificis & Azariæ, vsque ad portam Fictilem, & portam Aquarum & Equorum denique ad portam Custodiæ, interea secundus chorus processit ab eadem porta Sterquilinii versus portam Vallis & turrim furnorum & portam Anguli, ad quam erat murus latissimus, & platea, & porta Ephraim, inde perrexerunt ad portam Antiquam, seu Veterem, vt cap. 3. appellata est, & portam Piscium, & turrim Hananuel, in qua aperta erat porta Beniamin inferior, & turrim Emath, & portam gregis, & steterunt in porta Custodiæ, indeque ambo chori ascende-

Quanam & vbi fuerit porta Custodia.

runt in Templum cum omnibus, qui eos secuti erant, vbi Cantores sua cantica ingeminarunt, & tubicines sonos, & Sacerdotes sacrificia, & populus preces, & vniuersi lætitiam vt mox infra dicetur.

Vers. 42. *Et immolauerunt in die illa victimas magnas, & lætati sunt, &c.* Ergo coniuncta simul vtraque pompa, seu duobus choris, de vtroq; populo connexis, in vnam diuinæ laudis modulationem, sequitur hic tandem victimarũ in Templo immolatio, & sacrificium, præcinentibus Sacerdotibus & Leuitis, in quo vno, perfecta & absoluta dedicationis consummatio censebatur, *& immolauerunt victimas in die illa*, inquit, sane, ingenti omnes gaudio delibuti, sic enim addit, *& lætati sunt, Deus enim lætificarat eos lætitia magna*, id est, magnã illis lætitiæ materiam atque amplam gaudii segetem subministrauerat, quippe, quo volente, atque auxiliante fortiter, murus Hierosolymæ esset reædificatus, & dedicatus, cùm ad populi securitatem firmandam, tùm vel maximè, ad diuinum cultum restituendum in integrum, & quam antea firmius deinceps stabiliendum.

XV. Vers. 43. *Recensuerunt quoque in die illa, viros super Gazophylacium thesauri, ad libamina, & primitias, &c.* Constituti quoque sunt eadem die, qui curam haberent recipiendi, & recondendi quæ populus offerebat in vsum Sacerdotum, & Leuitarum. Rectè obseruat hic Sanctius, paulo obscuriorem esse sensum, in editione vulgata, qui proinde lucis aliquid accipere possit ab aliis translationibus, 70. in editione à Sixto correcta, sic reddunt: *Constituerunt in illa die viros super Gazophylacia thesauris, Primitiis, & Decimis. & congregatis in ipsis Principibus ciuitatum partes Sacerdotibus, & Leuitis; quoniam lætitiam in Iuda super Leuitas & Sacerdotes stantes.* Tigurina autem translatio sic habet, *Constituti sunt illo die viri super Gazophylacia ad munifica dona, ad Primitias & Decimas, quas inferebant in ea, ex agris ciuitatum portiones legales Sacerdotibus, & Leuitis.* Eodem penè modo Pagninus, & Hebræus apud Caietanum, & Isidorus Clarius; eadem autem continere vulgatam versionem licet paulo obscurius facile intelliges, si eam sic ordines, *Recensuerunt in die illa*, nẽpe Optimates & Principes, *viros super Gazophylacia thesauri*, id est, cellaria, vbi conderentur libamina, Primitiæ & Decimæ, ea nimirũ quæ A polliciti sunt, se daturos. cap. 10. à v. 31. vt per illos homines, Gazophylaciis præpositos, Principes viri, & Optimates ad illorum bonorum vsum, Sacerdotes & Leuitas inducerent, id enim sonat valetque, quod in textu est, *vt inferrent per eos Principes ciuitatis, in decore gratiarum actionis, Sacerdotes & Leuitas*, illud autem, *in decore gratiarum* idem est, atque in gratiarum actionem, pro illorum meritis, quæ statim infra versu proxime sequenti commemorantur: percommode igitur, in illa die, ait Nehemias, id est, perfecta, & completa B solemni ciuitatis dedicatione, statutum est, de iis tùm quæ Deo postmodum in Templo offerenda, tum quæ ad victum Sacerdotum, & Leuitarum necessaria essent, vt scilicet, quibusdam de populo, ad ea colligenda & conseruanda designatis, sic commodius & pacatius, soli diuino cultui procurando, Sacerdotes & Leuitæ intenti suo munere fungerentur. Cæterùm tradit Iosephus, hanc celebritatem octo dierum fuisse, quos populus in epulis transegit, quia nimirum, legerat, Salomonem, septem diebus celebrasse solemnitatem dedicationis Templi, & die octauo fecisse collectam, sed omisit fe- C stum Neomeniæ quod in octiduum hoc incurrebat, nam 26. *Elul*, fuit primus huius huius octidui. Cumq; *Elul* (vt notat Salianus) sit vnus de quinque mensibus deficientibus, ideoque, 29. tantum dies habeat, quinto die, fuit festum Neomeniæ, cuius Nehemias non obscure meminit, quod in eo singulariter contigisset, solemnis illa sacri libri lectio, de qua superius capite octauo, quam (vt diximus) apparet perturbatis hisce temporibus longo tempore intermissam fuisse, contra quàm Deuteron. 31. vers. 11. lex ipsa exigebat.

Sensus paulo obscurior in editione vulgata, in aliis clarior.

Omissum in hac dedicatione festũ Neomeniæ & in quintum diem mensis dilatum

Vers. 44. *Et custodierunt obseruationem* XVI.
D *Dei sui, & obseruationem expiationis, & Cantores, &c.* Hoc tandem est quod indicat, cum mox ante dictum sit, *vt inferrent Sacerdotes & Leuitas in decore gratiarum actionis, quia lætificatus est Iuda in Sacerdotibus & Leuitis adstantibus*, aptè enim subiungit, *& custodierunt obseruationem Dei*, id est, quia custodierunt, quæ vt obseruarentur à lege præscriptum erat: Etenim, hoc loco, vt non raro alibi in Scriptura; *Et* rationalis est, quod aiunt, non copulatiua particula, atque idem valet, quod, *quia*, sic Genes. 20. vbi vulgatus interpres habet: *Morieris propter mulierem quam*

Et in Scriptura sæpe idem valet ac quia.

tulisti habet enim virum : Hebraicè, *Et ipsa habet virum*. Isai. cap 54. *Ecce tu iratus es & peccauimus*, id est, quia nos peccauimus, Psalm. 148. *Confessio eius super cælum & terram, & exaltauit cornu populi sui*, id est, quia exaltauit. Igitur, *Lætificatus est Iuda in Sacerdotibus & Leuitis adstantibus*, id est, hi Principes Iudæ, seu Iudæi reliqui de populo, læti obtulerunt libamina, primitias & Decimas. *Et*, seu *quia*. *custodierunt obseruationem Dei*, id est, quia viderunt illa Sacerdotes accuratè præstitisse, quæ ab ipsis fides, & patria religio postulabat; magnam scilicet Sacerdotes & Leuitæ à popularibus suis gratiam inibant, cùm legitimè atque alacriter, munere suo defungebantur, quod additur, *& obseruationem expiationis, & iuxta præceptum Dauid, & Salomonis filij eius*, significat expertum esse populum eorumdem Sacerdotum & Leuitarum curam, fidem & religionem, in eo quod diuinam legem studiosè obseruauerant, dum strenuè ea omnia obierunt quæ à lege præcipiebantur, vt in festo Tabernaculorum & expiationis, nequè minus diligenter Cantores ipsos & Ianitores, qui etiam ex Leuitico erant ordine suas sibi partes assignatas expleuisse, iuxta id quod à Dauide, & Salomone, præscriptum fuerat: sunt tamen qui hæc verba *& obseruationem expiationis*, sic exponunt, id est, custodierunt Sacerdotes quæ obseruari Deus iussit circa expiationem, seu purificationem, mundando seipsos & portas, & murum ciuitatis vt ex prædictis eos fecisse constat. Porro de præcepto Dauid, & Salomonis cuius hic mentio est, vide 1. Paralipomenon toto capite 25. & 26. & 2. Paralipomenon 8. vers. 14 vbi sic habetur de Salomone, *& constituit iuxta dispositionem Dauid Patris sui officia Sacerdotum in ministerijs suis, & Leuitas in ordine suo vt laudarent & ministrarent coram Sacerdotibus, iuxta ritum vniuscuiusque diei & Ianitores in diuisionibus suis per portam & portam: sic enim præceperat Dauid homo Dei, &c.*

Vers. 45. *Quia in diebus Dauid &*
XVII. *Asaph ab exordio erant Principes constituti, &c.* Vides huic loco lucem afferri, ex illis proximè citatis lib. 1. & 2. Paralipomenon, nam hic ratio redditur, cur è Leuitico ordine præcipuè Cantores, tam accuratè suas partes expleuerint, quia nimirum ab ipso

A tempore Dauidis, & Salomonis filii eius, qui Cantorum & vices, & ordines, & munera quæque designarant: *Constituti sunt*, inquit, *Principes & Magistri* qui præessent aliis modumque præscriberent, quem in laudando Deo tenerent vniuersi, &c. Inter præcipuos autem illius temporis, fuisse filios Asaph satis indicat, illud 1. Paralipomenon cap. 25. vers. 1. *Igitur Dauid, & Magistratus eorum, segregauerunt in ministerium filios Asaph, & Heman & Idithun, qui prophetarent in cytharis, & psalteriis, & cymbalis, secundum numerum suum dedicato sibi officio seruientes.*

Filij Asaph præcipui inter Cantores à Dauide olim constituti.

B Vers. 46. *Et omnis Israël in diebus Zorobabel, & in diebus Nehemiæ, dabat partem Cantoribus, &c.* Constat ex hoc loco, quandiu Zorobabel & Nehemias fuerunt Hierosolymæ, Sacerdotibus & Leuitis, nihil eorum defuisse quæ ad victum sumptusque domesticos essent necessaria, quia scilicet eo tempore vigebat in Iudæorum animis, amor diuini cultus, & studium illud nondum deferbuerat, quo sacrum illum ordinem Optimates, & Principes, atque adeo reliquum hominum vulgus, prosequebantur: sed breui magna rerum conuersio facta est, nam aliquanto post,
C eosdem Sacerdotes, & Leuitas, his subsidiis atque emolumentis destitutos, in alia atque alia loca passim diffugisse, non minus etiam apertè constat ex capite sequenti, vt ibi videbimus: quod autem subiungitur, *& sanctificabant Leuitas; & Leuitæ sanctificabant filios Aaron, &c.* & si fateor sanctificare, ex primigenia significatione, propriè idem esse, ac valere, quod ostendere aliqua actione religiosa & sancta, aliquid esse sanctum, quemadmodum dicimus sanctificare Sabbatum, aut Templum, aut etiam Deum, aut eius nomen, non
D quia à nobis aliquid sanctitatis accipiant, sed quia dum illa veneramur, & colimus, eorum sanctitatis, ipsis hominibus argumenta præbemus, tamen, sanctificare hoc loco, nihil aliud est, quam *partes dare*, id est subsidia corporalia ministrare, sacri ministerii causa; in ea acceptione vsurpatur Ecclesiastici 7. vers. 32. cum dicitur, *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes eius sanctifica*, nam illud ipsum postea repetitur his verbis, *in omni virtute tua dilige eum qui te fe-*

Sanctificare hic significat subsidia corporalia ministrare sacri ministerij causa.

eis & ministros eius ne derelinquas, plane quæ dicta sunt superius, cap. 10. vers. 38. *Erit Sacerdos filius Aaron, cum Leuitis in decimis Leuitarum, &c.* & vers. 39. *Et ibi erunt vasa sanctificata & Sacerdotes, & Cantores, & Ianitores, & Ministri, & non dimittemus domum Dei nostri.* Cum istis consentiunt, nam quod illic, futurum esse narratur, aut facturos se Iudæi recipiunt, hic factum esse perhibetur: Ergo decimas, aut è decimis partem dare, vocat hic Interpres, sanctificare, A quod decimæ, sanctæ haberentur, & destinatæ in vsum virorum sacrorum, *sic omnis Israel*, id est populus, *sanctificabant Leuitas*, vt est in textu, Decimas eis soluendo, *Et Leuitæ sanctificabant filios Aaron*, de Decimis sibi datis Decimas eis persoluendo, seu vt habet hic Glossa interlinearis, *Filiis Aaron tanquam maioribus Decimarum suarum decimam partem offerendo*, de quo iam à nobis alio capite superius disputatum est.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis duodecimi.

Expositio Allegorica in illud, versus primi, *Hi sunt Sacerdotes & Leuitæ qui ascenderunt, &c.*

Quorsum & ob quam significationem mysticam tantus Sacerdotum, Leuitarum & ministrorum Templi numerus recensetur in Hierusalem fuisse à soluta captiuitate, quantus antea non fuerit.

2. 

ÆPIUS in rem nostram repetendum est, illud à Diuo Hieronymo dictum, tàm verè quàm eruditè, in Prologo Galeato: *Esdras, inquit, & Nehemias adiutor videlicet, & consolator à Domino, instaurant Templum, muros exstruunt ciuitatis, omnisque illa turba populi redeuntis in Patriam, & descriptio Sacerdotum, & Leuitarum, Israelis, Proselytorum, ac per singulas familias, murorum ac turrium opera diuisa, aliud in cortice præferunt, aliud in medulla retinent, &c.* Enimvero, non sine mysterii sacratioris intelligentia, factum esse vult Beda citatus in Glossa, vt reædificata ciuitas, tantam ciuium copiam, in omni gradu & ordine meruerit, quantam insistente, ac destruente hoste, perdidisse B non legitur: *Sic enim*, inquit, *sæpe Ecclesia ex detrimento maiora recipit incrementa, cùm vno per incuriam lapso in peccatum plures exemplo eius territi, ad persistendum in castitate fidei cautiores fiunt.* Sæpe, iidem qui peccauerunt maiores post actam pœnitentiam bonorum operum fructus ferunt, quàm ante incursum peccati ferre consueuerant; *non sicut delictum ita & donum* (vt ait Apostolus) Romanorum capite quinto, versu C decimo quinto, magna siquidem vis est pœnitentiæ, quæ cum anteactæ vitæ crimina, luctu & lachrymis, ex sincero in Deum amore effusis, diluerit, hominem quoque frequentissimè altius erigit quàm ante ceciderat. Sæpe ab hæreticis vastata Ecclesia, postquam Doctorum Catholicorum opera lucem veritatis recepit, plures ad cognoscendam ac tuendam rationem veritatis, filios pro-

Sæpe Ecclesia ex detrimento maiora recipit incrementa.

Sæpe pœnitentia hominem altius erigit, quàm ante ceciderat.

creauit. Nunquam enim sanctissimi Patres, Athanasius, Ambrosius, Hilarius, Augustinus, & cæteri, tales, tot & tam magnificos de summa Religionis tractatus condidissent, si non contra fidem rectam, fuisset multiplex hæreticorum error obortus; sed dum Hæretici mendacium suum testimoniis scripturarum adstruere nitebantur, coacti sunt Patres, illos, earumdem scripturarum authoritate refellere, & eas quomodo recte intelligantur edisserere: Vnde nos eorum scripta relegentes, quasi ad portas, & vestibula ciuitatis, ac Templi, custodes vigilantiores, ad officium Altaris, & hostiarum Domini, copiosiores accipimus ministros, quia per illorum sermones, ad custodiam fidei, & bonæ actionis, & ad seruiendum intentius conspectui diuinæ maiestatis erudimur. Potest etiam, hoc, quod recensetur de maiori Sacerdotum ac Leuitarum numero, finita iam atque exacta captiuitate, quam ante captiuitatem, de persecutione Gentilium, qua Ecclesia sæpe concussa est mysticè accipi, quæ occisione Martyrum videbatur funditus esse deleta: sed eis in occulto coronatis melius construebatur, quorum etiam post mortem clarescentibus miraculis, maior ad confessionem fidei populus confluebat, donec ipse apex mundani imperii, Christi iugo collum subdidit, vt status sanctæ ciuitatis, id est

II. *Auctam in persecutionibus Martyrũ sanguine nõ diminutã Ecclesiam, significare potest maior numerus Sacerdotum in Hierusalẽ post captiuitatem quam ante.*

A Ecclesiæ, diu à Regibus & Principibus impugnatus, eorumdem ordinaretur & propagaretur opera, sicut Hierusalem, Reges Chaldæorum, qui interpretantur, *feroces*, vel *quasi demonia*, subuerterunt; sed Reges Persarum, qui interpretantur, *tentantes* amica prouisione restaurant & debito honore exaltant: sic fere citatus author percommodè omnino, & verè illud quidem, vti nemo fere quisquam est, qui ignorare illud queat, si veteres historias, & nascentis Ecclesiæ primordia ipsa, ac veluti cunabula, replicare memoria voluerit: *Sanguis Martyrum semen Christianorum, quoties metimur, plures nascimur*: aiebat olim Tertullianus, qui iam suis temporibus sæuientium in Christi gregem persecutorum irritos conatus animaduertebat, cum peculiari diuini Numinis prouidentia, Ecclesiam ipsam augeri, atque adolescere in dies; eò fœlicius, quò durius ac crudelius habebatur; suis ipse oculis peruidebat, vt mirum non sit, si quod de Hebræis olim in Ægypto commorantibus dicitur, Exodi primo, versu duodecimo; id C de illis ipsis in Babylone seruitutem seruientibus, ac multo etiam verius de Christianis dirè ad modum durissimis Ecclesiæ temporibus per exquisita & immania tormenta vexatis circumferri merito potest, *quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant.*

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis duodecimi.

Expositio mystica, & moralis, in illud versus vigesimi septimi. *In dedicatione autem muri Hierusalem, &c.*

Quid sit, & quando fiat dedicatio Hierusalem mysticæ, iuxta dedicationem terrenæ.



III. SIC ego rem totam expedio, facta iam, seu instaurata ciuitas sācta, tum mysticè dedicabitur, cum impleto in fine sæculi, Electorum numero, Ecclesiæ cœtus vniuersus in cœlum, ad visionem conditoris sui introducetur, cuius vitæ desideriis quoties in hac vita sustollimur, quasi de futura nostræ ciuitatis dedicatione lætamur. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, ait Psaltes Regius Psalm. 121. vers. 1. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima meà in atria Domini; cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum Psalm. 83. vers. 1. & 2. Nimirum hic ciuitatem permanentem non habemus, sed futuram inquirimus, quam cum aut ingredimur, aut ingressuros etiam nos aliquando cogitamus, gaudio, ac lætitia colliquescimus; vnde & bifariam dedicatio potest accipi. Prima interim, scilicet in spe desiderantium, & mundantium oculos cordis, quibus Deum videant. Secunda tunc in reipsa fruentium diuina visione, beatorum hominum, in corporibus spiritualibus, inter Angelica agmina: ab hoc sensu mystico non longe abit Beda, si pauca excipias; & Glossa interlinearis illud explanans, vers. 27. *Vt facerent dedicationem, & lætitiam in actione gratiarum*, addit, *in æterna scilicet perceptione vitæ, inuicem congaudentes, & gratias agentes ei, cuius dono illam ciuitatem intrare meruerunt*. De congregatione autem Leuitarum in Hierusalem, ad dedicationem illius faciendam, *in laude, & canticis, Psalteriis, & cytharis*, vt in textu est sic pergit Glossa ordinaria, ex authore iam supra citato; *in præsenti quoque vita Leuitæ congregantur in Hierusalem, cum memoria supernæ pacis fideles accensi, totam in ea mentis suæ delectationem collocant, & de ea quam se percepturos sperant, æternam in cœlis beatitatem, etsi nondum intuendo, saltem desiderando lætantur*, secundum illud: *Lætamini in Domino, & exultate iusti, faciunt enim dedicationem in cantico, & gratiarum actione, cum lætantes in Domino, quidquid aduersi, vel prosperi occurrerit, excipiunt, faciunt in cymbalis, psalteriis, cytharis, cum gratos operum sonos ad aures Dei ascendere faciunt, & corda proximorum ad eius amorem accendunt, &c.* Quod ad sensum moralem propius spectat, paucis aperio, aioque, IV. tunc propriè sanctæ ciuitatis Hierusalem dedicationem institui, cum hominis cor, & anima ipsa Deo consecratur, siue per affectum virtutis consectandæ, & studium diuini obsequii, siue etiam per vota ipsa legitime Deo nuncupata, vitæ cuiusdam perfectioris ac strictioris obseruandæ, vti fit quotidie in Ecclesia à capessentibus regulare institutum, & in eo paupertatem, castitatem, & obedientiam profitentibus: tunc enim & arbor & fructus, & corpus, & anima, & voluntas, & li-

Dedicatio Hierusalem mystica fit in ipso in cœlum ingressu.

Duplex dedicatio mystica, vna sperantium visionem Dei ac bene viuentium, altera iam eam possidentium.

Quid sit canere d. ascensionem in cantico psalterijs, & cythara.

Moraliter vera Hierusalem mystica dedicatio fit cum anima Deo consecratur.

bertas, & quæcumque demum in homine sunt, Dei sunt omnia, eique in perpetuum dedicantur propria hæc & germana est Hierusalem mysticæ dedicatio; hinc illud Bernardi ad regulares suos, serm. 1. in dedicatione Ecclesiæ. *Vestra est fratres charissimi, vestra est hodierna festiuitas, vos dedicati estis Domino, vos elegit, & assumpsit in proprios; tibi*, inquit Propheta, *derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor*, A *quam bene commutastis, dilectissimi, quid. quid habere potuistis in sæculo, quando nunc relinquendo ea, proprij esse meruistis authoris sæculi, & eum habere propriam possessionem, qui sine dubio portio, & hæreditas est suorum.* Sed de mystica, & spirituali animæ dedicatione, iam nos pluribus lib. 1. cum de dedicatione Templi egimus, quæ tu consule.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis duodecimi.

De Intellectu mystico, & morali duplicis chori laudantium Deum in dedicatione ciuitatis, &c. in illud versus trigesimi primi. *Et statui duos magnos choros laudantium, &c.*

1. DE duobus choris ad instituendam muri dedicationem adhibitis, sic nonnulli texunt Allegoriam. In dedicatione muri fuerunt duo laudantium chori, per quos significantur vires duplicis partis animæ, scilicet intellectiuæ, & sensitiuæ, quæ pro beneficiis à Deo collatis, debent ad eius laudem insurgere, secundum illud Psalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*: vel per duos choros significari possunt, duo genera virtutum, scilicet intellectualium, & moralium, quibus diuino obsequio consecratos, mancipatosque institui oportet, de istis choris dicitur in textu citato *& fuerunt ad dexteram, &c.* & sequitur postea v. 37. *Et chorus secundus gratias referentium ibat ex aduerso, &c.* Per hoc significatur Deum esse laudandũ in prosperis quæ significantur per dexteram, & in aduersis quæ per sinistram: vnde Psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*, ait Dauid, id est in tempore prosperitatis, & aduersitatis, &c. Nec in gratiis Deo agendis tantum, aut in eius laudibus

Duo chori laudantium significare possunt, vel duplicem animæ partem intellectiuam, & sensitiuam, vel virtutes morales & intellectuales, quibus Deo consecrati in obsequium Dei viuitur.

Laudandus Deus, & in aduersis, & in prosperis.

B celebrandis stetit illorum pietas, sed etiam vlterius prouecta est: nam *immolauerunt die illo victimas, &c.* Per hanc oblationem significatur oblatio Eucharistiæ, quæ dicitur, *victimæ* in plurali, quia figurata fuit per omnes victimas veteris Testamenti, sic vnum perfectum per multa imperfecta: de hac oblatione intelligi potest illud Psalm 49. *Immola Deo sacrificium laudis*, dicitur enim Eucharistia, sacrificium laudis, eo quod offertur cum laudibus diuinis: ita Lyranus, Beda autem paulo aliter: primum enim per duos magnos laudantium choros vtrumque populum, Iudæorum scilicet, C & gentium; qui superna in patria Deum collaudant interpretatur: quod etiam in hac vita quotidie geri adiungit: & hi quidem chori eunt ad dexteram super murum, *quia iusti*, inquit, *ad vitam æternam recte conuersando, & semper in præsenti festinant, & in futuro perueniunt.* Sic ille. Deinde postquam stetisse duos choros laudantium in domo Dei obseruauit, vt in textu est, Allegoriam suam prosequitur his verbis. *Stant autem in domo Dei, & clarius canunt, cum in suas singuli mansiones recepti in perpetua sui condito-*

Eucharistia figurata per omnes victimas veteris Legis.

Bede mystica explicatio de duobus choris significantibus vtrumque populum Iudæorum, & gentium Deum in cælo laudantium.

ru visione; stabili habitatione perseuerant, eiusque laudes voce indiuisa concelebrant: vbi duo erunt chori laudantium, vel ae vtroque videlicet populo, vt supra interpretati sumus, *connexi, atque in vnam diuinæ laudis modulationem copulati; vel de Angelis, & hominibus facti, completa promissione Dominica, quâ dicitur, quod erunt homines æquales Angelis Dei.* Iam de choris illis ascendentibus, concinentibus, & stantibus demum in domo Dei, postremo tandem mysterium omne ad iustos in hac vita degentes sic reuocat. *Sed & in hac vita*, inquit, *ascendunt in ciuitatem Domini sui: cum hymnis dedicationis, quando in memoriam futuræ remunerationis, toto corde inhiantes, in bonis quotidie operibus magis, magisque proficiunt*, iuxta illud Psalmistæ: *Ascensiones in corde suo* A *disposuit in valle lachrymarum*; & iterum, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: ecce enim & immaculatos dicit, ambulantes in Lege Domini; quia sic nimirum acceptam cordis & operis innocentiam tenent, vt semper ad altiora crescere virtutum merita contendant; stant autem in domo Domini cum laudibus, quia ipso bonorum operum profectu indefessi perseuerant*, iuxta illud Eliæ 3. Reg. 17. *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto*, id est, *in cuius complenda voluntate, indefatigabili mente permaneo.* Hactenus Beda, qui satis commode, vt patet, præcipuas dedicationis murorum cæremonias ad sensum Allegoricum traducit, vt quidquam amplius ad hæc adiungere non sit necesse.

Iusti semper ambulant, & ad altiora virtutum merita ascendere conantur.

Iusti stant coram Deo, id est, perseuerant in bono.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis duodecimi.

Mysticum, & morale in illud, versus trigesimi. *Et mundati sunt Sacerdotes, & Leuitæ, & mundauerunt populum, & portas, & murum, &c.*

Prius Sacerdotes mundari debere, quàm ipsi mundent populum.

VI.

ÆQVVM est profecto, & censetur hic iustus omnino ordo, inquit Beda, vt Doctores qui populum mundare desiderant, prius mundentur, castigent corpus, & seruituti subiiciant, ne forte aliis prædicantes reprobi inueniantur, quod subinde sibi proponebat Paulus, vt ipse indicat 1. Corinth. cap. 9. vers. 21. Mundati sunt autem Sacerdotes, & Leuitæ orationibus, & victimarum oblationibus, & continendo ab vxoribus; mundauerunt etiam populum, eandem continentiam prædicando, mundauerunt portas, & murum cum tubis, & canticis Psalmorum, comitante populo circumeundo, & expleto circuitu, victimas pro statu ciuium, & ci- B uitatis offerendo: sed & nunc quoque qui Ecclesiæ præsunt, in spiritualem ministerium a Deo assumpti, quo maiorem nostræ dedicationis, quæ in resurrectione nostra futura est, memoriam gerunt, eo magis seipsos, & sibi commissos mundare, & sanctificare contendunt, ne quis forte non habens vestem nuptialem, à communi sanctæ ciuitatis iucunditate eiiciatur, & vinctis manibus, & pedibus in tenebras exteriores mittatur, sic ille. Nec abs re profecto aut sine mysterio, Mosaici illi Sacerdotes, varias expiationes, ablutiones aquæ, aspersiones sangui- C nis victimarum, item oblationes, aliasque eiusmodi ceremonias, ritu olim solemni, ac perpetuo vsurpabant, priusquam ad certas quasdam Sacerdotalis, ac Leuitici muneris functiones adhiberentur: nimirum eiusmodi ablutioni-

Sacerdotes quo magis Deo consecrati, eo magis se, aliosque sanctificare debent.

ablutionibus & aspersionibus aquæ ac A expiationibus, ad Iudaïci populi captum ordinatis, de quibus in lege passim, & præsertim Leuitici 16. prudentioribus, & futuris Christianorum populis significabat Dominus, quàm sibi grata esset puritas animorum, in suorum sacramentorum administris, cum etiam de illis vmbris dictum fuerit, *Si quis hoc ritu expiatus non fuerit, peribit anima illius de medio Ecclesiæ, quia sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus, &c.* Hinc est cur Sacerdotes nouæ Legis, adeo veræ & internæ sanctitati aut procurandæ B aut conseruandæ studere oporteat, vt sub pœna grauis noxæ & peccati mortalis contrahendi, sancti esse, seu in statu, quod aiunt, gratiæ sanctificantis esse debeant, ad conferenda Christianis licitè ac legitimè sacramenta (vt passim omnes consentiunt Theologi) hoc est priusquam alios mundent, ipsi mundentur, priusquam aliis sanctitatem, & gratiam impertiant, illos eadem gratia & sanctitate imbui necesse est, si iuxta Dei consilium, ac voluntatem, suo munere defungi volunt.

Aspersionibus & expiationibus quibus vtebantur Mosaici Sacerdotes antequam ad functiones suas accederent, adumbrata puritas Sacerdotum nouæ Legis.

Debet Sacerdos in statu gratiæ sanctificantis sacramenta conferre sub pœna peccati.

VII. Leuitas igitur, quibus in antiqua Lege, omnia contingebant in figura, priusquam sacra tangerent, aut sacrum quid obirent, mundos esse oportebat, quia scilicet sancta sanctè tractanda sunt; eò spectat eximiè, illud Isaiæ cap. 52. vers. 11. *Recedite, recedite, exite, pollutum nolite tangere, exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini:* quo loco præcipitur Leuitis, de Babylone remigrantibus in Iudæam, cum reducenda sunt Templi vasa, quæ Nabuchodonosor de Templo sustulerat, vt patrio more nihil tangant immundum, aut pollutum, quod si tetigisse aliquando contigerit, prius se se purificent: Hæc quoad sensum literalem seu historicum. Quod ad spiritualem attinet, D. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Tertullianus, ad Apostolos, seu viros Apostolicos, & Sacerdotes Euangelicos, pertinere volunt, hanc vaticinantis Isaiæ vocem, *Mundamini*, inquit, *qui fertis vasa Domini*; ac proinde, siue illi ipsi, vasa Domini seu Templi dicantur, quia teste Apostolo, *Templum sunt Spiritus sancti*, 1. Corinth. 3. & magnæ domus, Ecclesiæ scilicet Christi, vasa aurea, & argentea, 2. ad Timoth 2. vers. 20. siue vasa quæ ferunt sacrorum ministri, sint arma illa quibus Euangelici propugnatores, instruuntur ad pugnandum contra dæmonem, aliosque salutis nostræ hostes infensissimos: siue demum (quod magis obuium est) vasa Domini seu Templi, sacramenta exponantur quæ sacri mystagogi fidelibus impertiunt, seu fidelium ipsorum animæ, quas instituunt, & portant Sacerdotes, & ministri Euangelij (vt D. Gregorio placet 2. part. Pastor. cap. 2.) certè quàm mun- C di esse debeant, quámque alieni à Babylonicis moribus, ipsa Sacramentorum mundities, & sanctitas docet, ipsum animæ, aut sanctificandæ, aut iam sanctificatæ pretium, apud Deum, satis demonstrat: quo fit vt cum D. Gregorio, sic liceat hanc mystagogiam concludere: *Vasa*, inquit, *Domini ferunt qui proximorum animas, ad æterna sacraria perducendas, in sua conuersationis fide suscipiunt, apud semetipsos ergo, quantum debeant mundari conspiciunt, qui ad æternitatis Templum vasa viuentia in sinu propria sponsionis portant.*

Sancta sanctè tractanda.

Explicatio loci Isaiæ 52. in sensu literali, & mystico.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VM progressu temporis, absente Nehemia, facta fuisset in religione, ac disciplina Iudaeorum, probè olim ab eo constituta, non leuis mutatio, eam redintegrari curat, è Perside in Iudaeam reuersus, & quae vitia Sacerdotum, & Magistratuum in vrbe inoleuerant, summo studio & diligentia aboleri, grande scilicet GaZophylacium ab Eliasib, & Tobia, exaedificatum erat, & ad prophanos vsus destinatum; male etiam administrati à publicis curatoribus, Templi reditus, & eius ministri passim effugati, vnusquisque in Regionem suam; Denique consecuta fuerat insignis deprauatio morum Iudaicorum, et legum quoque ipsarum, quae vulgo maximi fiebant, publica praeuaricatio, puta Sabbati violata Religio, iterum contracta cum alienigenis affinitates, & suscepta ex eis proles, quae Azoticè & Moabiticè loqueretur. Moabitis ipsis, atque Ammonitis, contra quàm Lege cautum erat, in Nobilium hominum, quique rem administrarent publicam Coetum, ingrediendi potestas facta, Quae omnia emendari confestim, mandat Nehemias. At tandem vero, eousque zelus eius exardescit, contra diuini cultus violatores, vt eos non solum obiurgare, & execrari, sed verberare etiam ac depilare non vereatur.

CAPVT DECIMVM-
TERTIVM ESDRÆ.



IN die autem illo lectum eſt in volumine Moyſi audiente populo, & inuentum eſt ſcriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites & Moabites in Eccleſiam Dei vſque in æternum.

2. Eo quod non occurrerint filiis Iſraël, cum pane & aqua, & conduxerint aduerſus eos Balaam ad maledicendum eis: Et conuertit Deus noſter maledictionem in benedictionem.

3. Factum eſt autem cum audiiſſent legem, ſeparauerunt omnem alienigenam ab Iſraël.

4. Et ſuper hoc erat Eliaſib Sacerdos, qui fuerat præpoſitus in Gazophylacio domus Dei noſtri, & proximus Tobiæ.

5. Fecit ergo Gazophylacium grande, & ibi erant ante eum reponentes munera, & thus, & vaſa & Decimam frumenti, vini & olei partes Leuitarum, & Cantorum, & Ianitorum & primitias Sacerdotales.

6. In omnibus autem his non fui in Hieruſalem, quia anno trigeſimo ſecundo Artaxerxis Regis Babylonis veni ad Regem, & in fine dierum rogaui Regem.

7. Et veni in Hieruſalem, & intellexi malum quod fecerat Eliaſib Tobiæ, vt faceret ei theſaurum in veſtibulis domus Dei.

8. Et malum mihi viſum eſt valde. Et proieci vaſa domus Tobiæ foras de Gazophylacio.

9. Præcepique, & emundarunt Gazophylacia: Et retuli ibi vaſa domus Dei, ſacrificium & thus.

10. Et cognoui quod partes Leuitarum non fuiſſent datæ. Et fugiſſet vnuſquiſque in regionem de Leuitis, & Cantoribus, & de his qui miniſtrabant.

11. Et egi cauſam aduerſus Magiſtratus. Et dixi: Quare dereliquimus domum Dei? Et congregaui eos, & feci ſtare in ſtationibus ſuis.

12. Et omnis Iuda apportabat Decimam frumenti, vini, & olei in horrea.

13. Et conſtituimus ſuper horrea Selemiam Sacerdotem, & Sadoc Scribam, & Phadaiam de Leuitis, & iuxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniæ: Quoniam fideles comprobati ſunt, Et ipſis creditæ ſunt partes fratrum ſuorum.

14. Memento mei Deus meus, pro hoc, & ne deleas miſerationes meas, quas feci in domo Dei mei: Et in ceremoniis eius.

15. In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in Sabbato portantes aceruos, & onerantes ſuper aſinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Hieruſalem die Sabbati. Et conteſtatus ſum, vt in die qua vendere liceret, venderent.

16. Et Tyrii habitauerunt in ea inferentes piſces, & omnia venalia; & vendebant in Sabbatis filiis Iuda in Hieruſalem.

17. Et obiurgaui Optimates Iuda, & dixit eis; Quæ eſt hæc res mala, quam vos facitis &

prophanatis diem Sabbati?

18. Nunquid non hæc fecerunt Patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem hanc? & vos additis iracundiam super Israël violando Sabbatum.

19. Factum est autem, cum quieuissent portæ Hierusalem in die Sabbati, dini, & clauserunt ianuas, & præcepi vt non aperirent eas vsque post Sabbatum, & de pueris constitui super portas, vt nullus inferret onus in die Sabbati.

20. Et manserunt negotiatores & vendentes vniuersa venalia foris Hierusalem semel & bis.

21. Et contestatus sum eos, & dixi eis: quare manetis ex aduerso muri? si secundò hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in Sabbato.

22. Dixi quoque Leuitis vt mundarentur, & venirent ad custodiendas portas, & sanctificandam diem Sabbati: & pro hoc ergo memento mei Deus meus, & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum.

23. Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas.

24. Et filii eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & nesciebant loqui Iudaïcè, & loquebantur iuxta linguam populi & populi.

25. Et obiurgaui eos, & maledixi. Et cecidi ex eis viros, & decalcaui eos, & adiuraui in Deo, vt non darent filias suas filiis eorum, & non acciperent de filiabus eorum filiis suis, & sibimetipsis, dicens:

26. Nunquid non in huiuscemodi re peccauit Salomon Rex Israël? & certe in Gentibus multis non erat Rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deus Regem super omnem Israël. Et ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ.

27. Nunquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, vt præuaricemur in Deo nostro, & ducamus vxores peregrinas?

28. De filiis autem Ioiada filij Eliasib Sacerdotis magni, gener erat Sanaballat Horonites, quem fugaui à me.

29. Recordare Domine Deus meus, aduersum eos qui polluunt Sacerdotium, iusque Sacerdotale & Leuiticum.

30. Igitur mundaui eos ab omnibus alienigenis, & constitui ordines Sacerdotum & Leuitarum, vnumquemque in ministerio suo.

31. Et in oblatione lignorum in temporibus constitutis, & in primitiuis: Memento mei Deus meus in bonum, Amen.

XPOSITIO LITERALIS.

V. 1. *N die autem illo lectum est in volumine Moysis audiente populo, &c.* Sunt quibus displicet Lyrani in hunc locum obseruatio, cum dicitur in illo die lectum esse in volumine Moysi, non referri quidem hoc ad tempus præsens, secundi, vel, vt alii volunt, tertii aduentus Nehemiæ in Hierusalem, de quo hoc capite, præsertim, nec ad tempus proximè & immediatè sequens, sed ad præcedentia, quia nimirum ista alienigenarum quæ hic retexitur, tanquam lectionem ipsius legis auditionemque consecuta separatio, multo iam ante facta erat, & habetur superius cap. 10 & fusius ibi disseruimus: quidquid sit, siue semel, aut iterum facta sit, eiusmodi separatio, quia forte semel, & iterum à populo peccatum est N gari non potest verisimillimum esse, omnia quæ hic referuntur vsque ad versum 11. contigisse absente Nehemia, quod ipse testatur infra, vers 6. dum ait, *in omnibus autem his non fui in Hierusalem*, nec officit hæc loquendi ratio qua vtitur sacer author, *in illo die*, quæ illud tempus indicare videtur, quod antecessit, proxime, atque idem valere, quod *eodem die*; nam ex communi cùm sanctorum Patrum, tum etiam eruditiorum Interpretum sensu, Scriptura sacra vti his verbis, consueuit, *In illo tempore*, *in diebus illis*, *& tunc* & similibus, sine vllo ad illa quæ proxime præterierunt respectu: insignis in eam rem notatio est Chrysostomi, cùm multis locis, tùm præsertim Homil 10. in cap. 4. Matthæi, cuius hæc verba sunt; *Mos*, inquit, *scripturarum est vtique celeberrimus*, vti his verbis! *In diebus illis, non solum, cum ad præsentem narrationem aliud tempus adiungitur; verum etiam cum illa narrantur quæ post multorum annorum spatia contigerunt.* Idem docent Theophylactus in cap. 3. Matthæi, Euthymius, in eiusdem cap 3. Augustinus, lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 6.

Scriptura sacra vti solet his verbis: In illo tempore, & similibus sine vllo ad ea quæ præcesserant respectu.

A vbi ostendit cum Matthæo cap. 3. actum esset de Christi infantia, & reditu illius, ex Ægypto, post Herodis mortem, statim dici initio cap. 4. *In diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto*: licet hæc tempora longe ab inuicem dissideant; *Sic Dominus*, ait Chrysostomus, loco proximè citato, *cum in Oliueti monte resideret, & accedentes ad eum sollicitè discipuli, de captiuitate Hierusalem, deque ipsius sciscitarentur aduentu, & certe nostis quam grandi hæc medio diuidantur, cum de vrbis subuersione dixisset, tamque ad dicendum de mundi fine transiret: Tunc*, inquit, *hæc vel illa erunt*; B *dicendo autem tunc, non vtique tempora quæ plurimum erant discreta contunxit, sed illud tantummodo quo ventura erant notauit, dicens: In diebus illis; non enim quasi continuo hæc sequutura monstraret, his posuit, sed illis*, inquit, *diebus in quibus illa contigerunt*. Ita Chrysostomus. Hanc si regulam vti par est in præsenti negotio obseruare volumus, licet quæ superiori capite narrata sunt, multo ante contigerint, tamen, in illo die accidisse æstimari à nobis poterunt: Et sane quæ deinceps à nobis explicanda sunt, contigisse defuncto iam Esdra, & absente
C Nehemia, facit vt mihi persuadeam cum Sanctio, quod verisimile videatur, tam Leui ac volubili ingenio futuros fuisse Iudæos, vt quod heri, tam libenti ac liberali animo promiserant, hodie mutauerint, & necessitate premente, quod hic refertur, Sacerdotes & Leuitas, in alias regiones abire compulerint. Accedit quod neque illud facile creditu sit, Iudæos illos, qui publico decreto constituti sunt libamentorum Decimarūq; curatores & custodes, tam cito ab ea curatione & custodia fuisse depulsos, & rem aliis esse con-
D creditam, qui rei suæ priuatæ potius, quam publicæ seruirent, vti mox hoc capite recensetur.

Quæ hic explicātur contigerūt Esdra defuncto, & absente Nehemia.

Inuentum est in eo quod non debeant introire Ammonites, & Moabites in Ecclesiam Dei vsque in æternum, &c. Quod ex lege Gentilibus quidem vniuersis, sed quibusdam præcipue populis in 11.

est & ministros eius ne derelinquas, plane quæ dicta sunt superius, cap. 10. vers. 38. *Erit Sacerdos filius Aaron, cum Leuitis in decimis Leuitarum, &c.* & vers. 39. *Et ibi erunt vasa sanctificata & Sacerdotes, & Cantores, & Ianitores, & Ministri, & non dimittemus domum Dei nostri.* Cum istis consentiunt, nam quod illic, futurum esse narratur, aut facturos se Iudæi recipiunt, hic factum esse perhibetur: Ergo decimas, aut è decimis partem dare, vocat hic Interpres, sanctificare, A quod decimæ, sanctæ haberentur, & destinatæ in vsum virorum sacrorum, *sic omnis Israël*, id est populus, *sanctificabant Leuitas*, vt est in textu, Decimas eis soluendo, *Et Leuitæ sanctificabant filios Aaron*, de Decimis sibi datis Decimas eis persoluendo, seu vt habet hic Glossa interlinearis, *Filiis Aaron tanquam maioribus Decimarum suarum decimam partem offerendo*, de quo iam à nobis alio capite superius disputatum est.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis duodecimi.

Expositio Allegorica in illud, versus primi, *Hi sunt Sacerdotes & Leuitæ qui ascenderunt, &c.*

Quorsum & ob quam significationem mysticam tantus Sacerdotum, Leuitarum & ministrorum Templi numerus recensetur in Hierusalem fuisse à soluta captiuitate, quantus antea non fuerit.

2. 

ÆPIVS in rem nostram repetendum est, illud à Diuo Hieronymo dictum, tàm verè quàm eruditè, in Prologo Galeato: *Esdras*, inquit, *& Nehemias adiutor videlicet, & consolator à Domino, instaurant Templum, muros exstruunt ciuitatis, omnisque illa turba populi redeuntis in Patriam, & descriptio Sacerdotum, & Leuitarum, Israelis, Proselytorum, ac per singulas familias, murorum ac turrium opera diuisa, aliud in cortice præferunt, aliud in medulla retinent, &c.* Enimvero, non sine mysterii sacratioris intelligentia, factum esse vult Beda citatus in Glossa, vt reædificata ciuitas, tantam ciuium copiam, in omni gradu & ordine meruerit, quantam insistente, ac destruente hoste, perdidisse B non legitur: *Sic enim*, Inquit, *sæpe Ecclesia ex detrimento maiora recipit incrementa, cùm vno per incuriam lapso in peccatum plures exemplo eius territi, ad persistendum in castitate fidei cautiores fiunt.* Sæpe, iidem qui peccauerunt maiores post actam pœnitentiam bonorum operum fructus ferunt, quàm ante incursum peccati ferre consueuerant; *non sicut delictum ita & donum* (vt ait Apostolus) Romanorum capite quinto, versu C decimo quinto, magna siquidem vis est pœnitentiæ, quæ cum anteactæ vitæ crimina, luctu & lachrymis, ex sincero in Deum amore effusis, diluerit, hominem quoque frequentissimè altius erigit quàm ante ceciderat. Sæpe ab hæreticis vastata Ecclesia, postquam Doctorum Catholicorum opera lucem veritatis recepit, plures ad cognoscendam ac tuendam rationem veritatis, filios pro-

Sæpe Ecclesia ex detrimento maiora recipit incrementa.

Sæpe pœnitentia hominem altius erigit quàm ante ceciderat.

creauit. Nunquam enim sanctissimi Patres, Athanasius, Ambrosius, Hilarius, Augustinus, & cæteri, tales, tot & tam magnificos de summa Religionis tractatus condidissent, si non contra fidem rectam, fuisset multiplex hæreticorum error obortus; sed dum Hæretici mendacium suum testimoniis scripturarum adstruere nitebantur, coacti sunt Patres, illos, earumdem scripturarum authoritate refellere, & eas quomodo recte intelligantur edisserere: Vnde nos eorum scripta relegentes, quasi ad portas, & vestibula ciuitatis, ac Templi, custodes vigilantiores, ad officium Altaris, & ho-
II. stiarum Domini, copiosiores accipimus ministros, quia per illorum sermones, ad custodiam fidei, & bonæ actionis, & ad seruiendum intentius conspectui diuinæ maiestatis erudimur. Potest etiam, hoc, quod recensetur de maiori Sacerdotum ac Leuitarum numero, finita iam atque exacta captiuitate, quam ante captiuitatem, de persecutione Gentilium, qua Ecclesia sæpe concussa est mysticè accipi, quæ occisione Martyrum videbatur funditus esse deleta: sed eis in occulto coronatis melius construebatur, quorum etiam post mortem clarescentibus miraculis, maior ad confessionem fidei populus confluebat, donec ipse apex mundani imperii, Christi iugo collum subdidit, vt status sanctæ ciuitatis, id est

Auctam in persecutionibus Martyrũ sanguine nõ diminutã Ecclesiam, significare potest maior numerus Sacerdotum in Hierusalẽ post captiuitatem quam ante.

Ecclesiæ, diu à Regibus & Principibus impugnatus, eorumdem ordinaretur & propagaretur opera, sicut Hierusalem, Reges Chaldæorum, qui interpretantur, *feroce*, vel *quasi demonia*, subuerterunt; sed Reges Persarum, qui interpretantur, *tentantes* amica prouisione restaurant & debito honore exaltant sic fere citatus author percommodè omnino, & verè illud quidem, vti nemo fere quisquam est, qui ignorare illud queat, si veteres historias, & nascentis Ecclesiæ primordia ipsa, ac veluti cunabula, replicare memoria voluerit; *Sanguis Martyrum semen Christianorum, quoties metimur, plures nascimur*: aiebat olim Tertullianus, qui iam suis temporibus sæuientium in Christi gregem persecutorum irritos conatus animaduertebat, cum peculiari diuini Numinis prouidentia, Ecclesiam ipsam augeri, atque adolescere in dies, eò fœlicius, quò durius ac crudelius habebatur; suis ipse oculis peruidebat, vt mirum non sit, si quod de Hebræis olim in Ægypto commorantibus dicitur, Exodi primo, versu duodecimo, id de illis ipsis in Babylone seruitutem seruientibus, ac multo etiam verius de Christianis dirè admodum durissimis Ecclesiæ temporibus per exquisita & immania tormenta vexatis circumferri merito potest, *quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant.*

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis duodecimi.

Expositio mystica, & moralis, in illud versus vigesimi septimi. *In dedicatione autem muri Hierusalem, &c.*

Quid sit, & quando fiat dedicatio Hierusalem mysticæ, iuxta dedicationem terrenæ.



III. SIC ego rem totam expedio, facta iam, seu instaurata ciuitas sancta, tum mysticè dedicabitur, cum impleto in fine sæculi, Electorum numero, Ecclesiæ cœtus vniuersus in cœlum, ad visionem conditoris sui introducetur, cuius vitæ desideriis quoties in hac vita sustollimur, quasi de futura nostræ ciuitatis dedicatione lætamur. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, ait Psaltes Regius Psalm. 121. vers. 1. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini; cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum Psalm. 83. vers. 1. & 2. Nimirum hic ciuitatem permanentem non habemus, sed futuram inquirimus, quam cum aut ingredimur, aut ingressuros etiam nos aliquando cogitamus, gaudio, ac lætitia colliquescimus; vnde & bifariam dedicatio potest accipi. Prima interim, scilicet in spe desiderantium, & mundantium oculos cordis, quibus Deum videant. Secunda tunc in reipsa fruentium diuina visione, beatorum hominum, in corporibus spiritualibus, inter Angelica agmina: ab hoc sensu mystico non longe abit Beda, si pauca excipias; & Glossa interlinearis illud explanans, vers. 27. *Vt facerent dedicationem, & lætitiam in actione gratiarum*, addit, *in æterna scilicet perceptione vitæ, inuicem congaudentes, & gratias agentes ei, cuius dono illam ciuitatem intrare meruerunt*. De congregatione autem Leuitarum in Hierusalem, ad dedicationem illius faciendam, *in laudе, & cantico, psalteriis, & cytharis*, vt in textu est sic pergit Glossa ordinaria, ex authore iam supra citato; *in præsenti quoque vita Leuitæ congregantur in Hierusalem, cum memoriam supernæ pacis fideles accensi, totam in ea mentis suæ delectationem collocant, & de ea quam se percepturos sperant, æternam in cœlis beatitatem, etsi nondum intuendo, saltem desiderando lætantur*, secundum illud: *Lætamini in Domino, & exultate iusti, faciunt enim dedicationem in cantico, & gratiarum actione, cum lætantes in Domino, quidquid aduersi, vel prosperi occurrerit, excipiunt, faciunt in cymbalis, psalteriis, cytharis, cum gratos operum sonos ad aures Dei ascendere faciunt, & corda proximorum ad eius amorem accendunt, &c.* Quod ad sensum moralem propius spectat, paucis aperio, aioque.

IV. tunc propriè sanctæ ciuitatis Hierusalem dedicationem institui, cum hominis cor, & anima ipsa Deo consecratur, siue per affectum virtutis consectandæ, & studium diuini obsequii, siue etiam per vota ipsa legitime Deo nuncupata, vitæ cuiusdam perfectioris ac strictioris obseruandæ, vti fit quotidie in Ecclesia à capessentibus regulare institutum, & in eo paupertatem, castitatem, & obedientiam profitentibus: tunc enim & arbor & fructus, & corpus, & anima, & voluntas, & li-

Dedicatio Hierusalem mystica fit in ipso in cœlum ingressu.

Duplex dedicatio mystica, vna sperantium visionem Dei ac bene viuentium, altera iam eam possidentium.

Quid sit facere dedicationem in cantico psalterio, & cythara.

Moraliter vera Hierusalem mystice dedicatio fit cum anima Deo consecratur.

bertas, & quæcumque demum in homine sunt, Dei sunt omnia, eique in perpetuum dedicantur propria hæc & germana est Hierusalem mysticæ dedicatio; hinc illud Bernardi ad regulares suos, serm. 1. in dedicatione Ecclesiæ. *Vestra est fratres charissimi, vestra est hodierna festiuitas, vos deascati estis Domino, vos elegit, & assumpsit in proprios; tibi,* inquit Propheta, *derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor,* A *quam bene commutastis, dilectissimi, quidquid habere potuistis in sæculo, quando nunc relinquendo ea, proprij esse meruistis authoris sæculi, & eum habere propriam possessionem, qui sine dubio portio, & hæreditas est suorum.* Sed de mystica, & spirituali animæ dedicatione, iam nos pluribus lib. 1. cum de dedicatione Templi egimus, quæ tu consule.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis duodecimi.

De Intellectu mystico, & morali duplicis chori laudantium Deum in dedicatione ciuitatis, &c. in illud versus trigesimi primi. *Et statui duos magnos choros laudantium, &c.*

E duobus choris ad instituendam muri dedicationem adhibitis, sic nonnulli texunt Allegoriam. In dedicatione muri fuerunt duo laudantium chori, per quos significantur vires duplicis partis animæ, scilicet intellectiuæ, & sensitiuæ, quæ pro beneficiis à Deo collatis, debent ad eius laudem insurgere, secundum illud Psalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum:* vel per duos choros significari possunt, duo genera virtutum, scilicet intellectualium, & moralium, quibus diuino obsequio consecratos, mancipatosque instrui oportet, de istis choris dicitur in textu citato *& steterunt ad dexteram, &c.* & sequitur postea v. 37. *Et chorus secundus gratias referentium ibat ex aduerso, &c.* Per hoc significatur Deum esse laudandū in prosperis quæ significantur per dexteram, & in aduersis quæ per sinistram: vnde Psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore,* ait Dauid, id est in tempore prosperitatis, & aduersitatis, &c. Nec in gratiis Deo agendis tantum, aut in eius laudibus B celebrandis stetit illorum pietas, sed etiam vlterius prouecta est: nam *immolauerunt die illo victimas, &c.* Per hanc oblationem significatur oblatio Eucharistiæ, quæ dicitur, *victimæ* in plurali, quia figurata fuit per omnes victimas veteris Testamenti, sic vnum perfectum per multa imperfecta: de hac oblatione intelligi potest illud Psalm 49. *Immola Deo sacrificium laudis,* dicitur enim Eucharistia, sacrificium laudis, eo quod offertur cum laudibus diuinis: ita Lyranus, Beda autem paulo aliter: primum enim per duos magnos laudantium choros vtrumque populum, Iudæorum scilicet, & gentium, qui superna in patria C Deum collaudant interpretatur: quod etiam in hac vita quotidie geri adiungit: & hi quidem chori sunt ad dexteram super murum, *quia iusti,* inquit, *ad vitam æternam recte conuersando, & semper in præsenti festinant, & in futuro perueniunt.* Sic ille. Deinde postquam stetisse duos choros laudantium in domo Dei obseruauit, vt in textu est; Allegoriam suam prosequitur his verbis. *Stant autem in domo Dei, & clarius canunt, cum in suas singuli mansiones recepti in perpetua sui conditoris*

Duo chori laudantium significare possunt, vel duplicem animæ partem intellectiuam, & sensitiuam, vel virtutes morales & intellectuales, quibus Deo consecrati in obsequium Dei viuntur.

Laudandus Deus, & in aduersis, & in prosperis.

Eucharistia figurata per omnes victimas veteris Legis.

Beda mystica explicatio de duobus choris significantibus vtrumque populum Iudæorum, & gentium Deum in cælo laudantium.

ru visione, stabili habitatione perseuerant, eiusque laudes voce indiuisa concelebrant: vbi duo erunt chori laudantium, vel ae vtreque videlicet populo, vt supra interpretati sumus, *connexi, atque in vnam diuinæ laudis modulationem copulati; vel de Angelis, & hominibus facti, completa promissione Dominica, quâ dicitur, quod erunt homines æquales Angelis Dei.* Iam de choris illis ascendentibus, concinentibus, & stantibus demum in domo Dei, postremo tandem mysterium omne ad iustos in hac vita degentes sic reuocat. *Sed & in hac vita*, inquit, *ascendunt in ciuitatem Domini iusti cum hymnis dedicationis, quando in memoriam futuræ remunerationis, toto corde inhiantes, in bonis quotidie operibus magis, magisque proficiunt*, iuxta illud Psalmistæ: *Ascensiones in corde suo* A *disposuit in valle lachrymarum*, & iterum, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: ecce enim & immaculatos dicit, ambulantes in Lege Domini; quia sic nimirum acceptam cordis & operis innocentiam tenent, vt semper ad altiora crescere virtutum merita contendant; stant autem in domo Domini cum laudibus, quia ipso bonorum operum profectu indefessi perseuerant*, iuxta illud Eliæ 3. Reg. 17. *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto*, id est, *in cuius complenda voluntate, indefatigabili mente permaneo.* Hactenus Beda, qui satis commode, vt patet, præcipuas dedicationis murorum cæremonias ad sensum Allegoricum traducit, vt quidquam amplius ad hæc adiungere non sit necesse.

Insistentes per ambulant, & ad altiora virtutum merita ascendere conantur.

Insti stant coram Deo, qui est, perseuerant in bono.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis duodecimi.

Mysticum, & morale in illud, versus trigesimi. *Et mundati sunt Sacerdotes, & Leuitæ, & mundauerunt populum, & portas, & murum, &c.*

Prius Sacerdotes mundari debere, quàm ipsi mundent populum.

VI. ÆQVVM est profecto, & censetur hic iustus omnino ordo, inquit Beda, vt Doctores qui populum mundare desiderant, prius mundentur, castigent corpus, & seruituti subiiciant, ne forte aliis prædicantes reprobi inueniantur, quod subinde sibi proponebat Paulus, vt ipse indicat 1. Corinth. cap. 9. vers. 21. Mundati sunt autem Sacerdotes, & Leuitæ orationibus, & victimarum oblationibus, & continendo ab vxoribus; mundauerunt etiam populum, eandem continentiam prædicando, mundauerunt portas, & murum cum tubis, & canticis Psalmorum, comitante populo circumeundo, & expleto circuitu, victimas pro statu ciuium, & ci- B uitatis offerendo: sed & nunc quoque qui Ecclesiæ præsunt, in spirituale ministerium a Deo assumpti, quo maiorem nostræ dedicationis, quæ in resurrectione nostra futura est, memoriam gerunt, eo magis seipsos, & sibi commissos mundare, & sanctificare contendunt, ne quis forte non habens vestem nuptialem, à communi sanctæ ciuitatis iucunditate eiiciatur, & vinctis manibus, & pedibus in tenebras exteriores mittatur, sic ille. Nec abs re profecto aut sine mysterio, Mosaïci illi Sacerdotes, varias expiationes, ablutiones aquæ, asporsiones sanguiC nis victimarum, item oblationes, aliasque eiusmodi ceremonias, ritu olim solemni, ac perpetuo vsurpabant, priusquam ad certas quasdam Sacerdotalis, ac Leuitici muneris functiones adhiberentur: nimirum eiusmodi ablutioni-

Sacerdotes quo magis Deo consecrati, eo magis se, aliosque sanctificare debent.

ablutionibus & aspersionibus aquæ ac expiationibus, ad Iudaïci populi captum ordinatis, de quibus in lege passim, & præsertim Leuitici 16. prudentioribus, & futuris Christianorum populis significabat Dominus, quàm sibi grata esset puritas animorum, in suorum sacramentorum administris, cum etiam de illis vmbris dictum fuerit, *Si quis hoc ritu expiatus non fuerit, peribit anima illius de medio Ecclesiæ, quia sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus, &c.* Hinc est cur Sacerdotes nouæ Legis, adeo veræ & internæ sanctitati aut procurandæ aut conseruandæ studere oporteat, vt sub pœna grauis noxæ, & peccati mortalis contrahendi, sancti esse, seu in statu, quod aiunt, gratiæ sanctificantis esse debeant, ad conferenda Christianis licitè ac legitimè sacramenta (vt passim omnes consentiunt Theologi) hoc est priusquam alios mundent, ipsi mundentur, priusquam aliis sanctitatem, & gratiam impertiant, illos eadem gratia & sanctitate imbui necesse est, si iuxta Dei consilium, ac voluntatem, suo munere defungi volunt. Leuitas igitur, quibus in antiqua Lege, omnia contingebant in figura, priusquam sacra tangerent, aut sacrum quid obirent, mundos esse oportebat, quia scilicet sancta sanctè tractanda sunt; eò spectat eximiè, illud Isaiæ cap. 52. vers. 11. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini*: quo loco præcipitur Leuitis, de Babylone remigrantibus in Iudæam, cum reducenda sunt Templi vasa, quæ Nabuchodonosor de Templo sustulerat, vt patrio more nihil tangant immundum, aut pollutum, quod si tetigisse aliquando contigerit, prius se se purificent: Hæc quoad sensum literalem seu historicum. Quod ad spiritualem attinet. D. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Tertullianus, ad Apostolos, seu viros Apostolicos, & Sacerdotes Euangelicos, pertinere volunt, hanc vaticinantis Isaiæ vocem, *Mundamini*, inquit, *qui fertis vasa Domini*; ac proinde, siue illi ipsi, vasa Domini seu Templi dicantur, quia teste Apostolo, *Templum sunt Spiritus sancti*, 1. Corinth. 3. & magnæ domus, Ecclesiæ scilicet Christi, vasa aurea, & argentea, 2. ad Timoth. 2. vers. 20. siue vasa quæ ferunt sacrorum ministri, sint arma illa quibus Euangelici propugnatores, instruuntur ad pugnandum contra dæmonem, aliosque salutis nostræ hostes infensissimos, siue demum (quod magis obuium est) vasa Domini seu Templi, sacramenta exponantur quæ sacri mystagogi fidelibus impertiunt, seu fidelium ipsorum animæ, quas instituunt, & portant Sacerdotes, & ministri Euangelij (vt D. Gregorio placet 2. part. Pastor. cap. 2.) certè quàm mundi esse debeant, quámque alieni à Babylonicis moribus, ipsa Sacramentorum mundities, & sanctitas docet, ipsum animæ, aut sanctificandæ, aut iam sanctificatæ pretium, apud Deum, satis demonstrat: quo fit vt cum D. Gregorio, sic liceat hanc mystagogiam concludere: *Vasa*, inquit, *Domini ferunt qui proximorum animas, ad æterna sacraria perducendas, in sua conuersationis fide suscipiunt, apud semetipsos ergo, quantum debeant mundari conspiciunt, qui ad æternitatis Templum vasa viuentia in sinu propria sponsionis portant.*

Aspersionibus & expiationibus quibus vtebantur Mosaici Sacerdotes antequam ad functiones suas accederent, adumbrata puritas Sacerdotum nouæ Legis.

Debet Sacerdos in statu gratiæ sanctificantis sacramenta conferre sub pœna peccati.

VII.

Sancta sanctè tractanda.

Explicatio loci Isaiæ 52. in sensu literali, & mystico.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VM progressu temporis, absente Nehemia, facta fuisset in religione, ac disciplina Iudaeorum, probè olim ab eo constituta, non leuis mutatio, eam redintegrari curat, è Perside in Iudaeam reuersus, & quae vitia Sacerdotum, & Magistratuum in vrbe inoleuerant, summo studio & diligentia aboleri, grande scilicet GaZophylacium ab Eliasib, & Tobia, exaedificatum erat, & ad prophanos vsus destinatum; male etiam administrati à publicis curatoribus, Templi reditus, & eius ministri passim effugati, vnusquisque in Regionem suam; Denique consecuta fuerat insignis deprauatio morum Iudaicorum, et legum quoque ipsarum, quae vulgo maximi fiebant, publica preuaricatio, puta Sabbati violata Religio, iterum contractae cum alienigenis affinitates, & suscepta ex eis proles, quae Azoticè & Moabiticè loqueretur. Moabitis ipsis, atque Ammonitis, contra quàm Lege cautum erat, in Nobilium hominum, quique rem administrarent publicam Coetum, ingrediendi potestas facta, Quae omnia emendari confestim, mandat Nehemias. At tandem vero, eousque zelus eius exardescit, contra diuini cultus violatores, vt eos non solum obiurgare, & execrari, sed verberare etiam ac depilare non verentur.

CAPVT DECIMVM-TERTIVM ESDRÆ.



IN die autem illo lectum est in volumine Moysi audiente populo, & inuentum est scriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites & Moabites in Ecclesiam Dei vsque in æternum.

2. Eo quod non occurrerint filiis Israël, cum pane & aqua, & conduxerint aduersus eos Balaam ad maledicendum eis: Et conuertit Deus noster maledictionem in benedictionem.

3. Factum est autem cum audijssent legem, separauerunt omnem alienigenam ab Israël.

4. Et super hoc erat Eliasib Sacerdos, qui fuerat præpositus in Gazophylacio domus Dei nostri, & proximus Tobiæ.

5. Fecit ergo Gazophylacium grande, & ibi erant ante eum reponentes munera, & thus, & vasa & Decimam frumenti, vini & olei partes Leuitarum, & Cantorum, & Ianitorum & primitias Sacerdotales.

6. In omnibus autem his non fui in Hierusalem, quia anno trigesimo secundo Artaxerxis Regis Babylonis veni ad Regem, & in fine dierum rogaui Regem.

7. Et veni in Hierusalem, & intellexi malum quod fecerat Eliasib Tobiæ, vt faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei.

8. Et malum mihi visum est valde. Et proieci vasa domus Tobiæ foras de Gazophylacio.

9. Præcepique, & emundarunt Gazophylacia: Et retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium & thus.

10. Et cognoui quod partes Leuitarum non fuissent datæ. Et fugisset vnusquisque in regionem de Leuitis, & Cantoribus, & de his qui ministrabant.

11. Et egi causam aduersus Magistratus. Et dixi: Quare dereliquimus domum Dei? Et congregaui eos, & feci stare in stationibus suis.

12. Et omnis Iuda apportabat Decimam frumenti, vini, & olei in horrea.

13. Et constituimus super horrea Selemiam Sacerdotem, & Sadoc Scribam, & Phadaiam de Leuitis, & iuxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniæ: Quoniam fideles comprobati sunt; Et ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum.

14. Memento mei Deus meus, pro hoc, & ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei: Et in ceremoniis eius.

15. In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in Sabbato portantes aceruos, & onerantes super asinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Hierusalem die Sabbati. Et contestatus sum, vt in die qua vendere liceret, venderent.

16. Et Tyrii habitauerunt in ea inferentes pisces, & omnia venalia; & vendebant in Sabbatis filiis Iuda in Hierusalem.

17. Et obiurgaui Optimates Iuda, & dixit eis; Quæ est hæc res mala, quam vos facitis &

XPOSITIO LITERALIS.

v. 1. 
N die autem illo lectum est in volumine Moysis audiente populo, &c. Sunt quibus displicet Lyrani in hunc locum obseruatio, cum dicitur in illo die lectum esse in volumine Moysi, non referri quidem hoc ad tempus præsens, secundi, vel, vt alii volunt, tertii aduentus Nehemiæ in Hierusalem, de quo hoc capite, præsertim, nec ad tempus proximè & immediatè sequens, sed ad præcedentia, quia nimirum ista alienigenarum quæ hic retexitur, tanquam lectionem ipsius legis auditionemque consecuta separatio, multo iam ante facta erat, & habetur superius cap. 10 & fusius ibi disseruimus: quidquid sit, siue semel, aut iterum facta sit, eiusmodi separatio, quia forte semel, & iterum à populo peccatum est N gari non potest verisimillimum esse, omnia quæ hic referuntur vsque ad versum 11. contigisse absente Nehemia, quod ipse testatur infra, vers 6. dum ait, *in omnibus autem his non fui in Hierusalem*, nec officit hæc loquendi ratio qua vtitur sacer author, *in illo die*, quæ illud tempus indicare videtur, quod antecessit, proxime, atque idem valere, quod *eodem die*; nam ex communi cùm sanctorum Patrum, tum etiam eruditiorum Interpretum sensu, Scriptura sacra vti his verbis, consueuit, *In illo tempore*, *in diebus illis*, *& tunc* & similibus, sine vllo ad illa quæ proxime præterierunt respectu: insignis in eam rem notatio est Chrysostomi, cùm multis locis, tùm præsertim Homil 10. in cap. 4. Matthæi, cuius hæc verba sunt; *Mos*, inquit, *scripturarum est vtique celeberrimus*, vti his verbis! *In diebus illis, non solum, cum ad præsentem narrationem aliud tempus adiungitur; verum etiam cum illa narrantur quæ post multorum annorum spatia contigerunt.* Idem docent Theophylactus in cap. 3. Matthæi, Euthymius, in eiusdem cap. 3. Augustinus, lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 6.

Scriptura sacra vti solet his verbis: In illo tempore, & similibus sine vllo ad ea quæ præcesserant respectu.

A vbi ostendit cum Matthæo cap. 3. actum esset de Christi infantia, & reditu illius, ex Ægypto, post Herodis mortem, statim dici initio cap. 4. *In diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto*: licet hæc tempora longe ab inuicem dissideant; *Sic Dominus*, ait Chrysostomus, loco proximè citato, *cum in Oliueti monte resideret, & accedentes ad eum sollicitè discipuli, de captiuitate Hierusalem, deque ipsius sciscitarentur aduentu, & certe nostis quam grandi hæc medio diuidantur, cum de vrbis subuersione dixisset, tamque ad dicendum de mundi fine transiret: Tunc*, inquit, *hæc vel illa erunt:*
B *dicendo autem tunc, non vtique tempora quæ plurimum erant discreta coniunxit, sed illud tantummodo quo ventura erant notauit, dicens: In diebus illis; non enim quasi continuo hæc sequutura monstraret, his posuit, sed illis*, inquit, *diebus in quibus ista contigerunt.* Ita Chrysostomus. Hanc si regulam vti par est in præsenti negotio obseruare volumus, licet quæ superiori capite narrata sunt, multo ante contigerint, tamen, in illo die accidisse æstimari à nobis poterunt: Et sane quæ deinceps à nobis explicanda sunt, contigisse defuncto iam Esdra, & absente
C Nehemia, facit vt mihi persuadeam cum Sanctio, quod verisimile videatur, tam Leui ac volubili ingenio futuros fuisse Iudæos, vt quod heri, tam libenti ac liberali animo promiserant, hodie mutauerint, & necessitate premente, quod hic refertur, Sacerdotes & Leuitas, in alias regiones abire compulerint. Accedit quod neque illud facile creditu sit, Iudæos illos, qui publico decreto constituti sunt libamentorum Decimarũq; curatores & custodes, tam cito ab ea curatione & custodia fuisse depulsos; & rem aliis esse con-
D creditam, qui rei suæ priuatæ potius, quam publicæ seruirent, vti mox hoc capite recensetur.

Quæ hic explicãtur contigerũt Esdra defuncto, & absente Nehemia.

Inuentum est in eo quod non debeant introire Ammonites, & Moabites in Ecclesiam Dei vsque in æternum, &c. Quod ex lege Gentilibus quidem vniuersis, sed quibusdam præcipue populis in 2.

textu designatis aditum intercludi oportere dicitur *in Ecclesiam Dei*, id est, vt notat Vatablus, recipi, & admitti inter filios Israel, varie intelligi potest: nam per Ecclesiam Dei, in quam Ammonites, & Moabites introire non debeant, sunt qui locum orationis intelligunt, qui erat atrium ipsum ante Templum, quo populus conueniebat; sed huic interpretationi aduersatur, quod nulla gens aut natio repelleretur à cultu vnius Dei, sed ex qualibet natione, qui volebant circumcidi, & fieri Proselyti admittebantur ad populum Dei, vt habetur Exodi 12. Quin & constat etiam aliquando Gentiles ipsos venisse in Hierusalem, vt orarent, licet alio forte loco, aut in alia Templi, siue atrii parte quàm Iudæi interpretantur: alii, commodius aliquanto, quantum existimo, de Senatu populi Dei, *vt ingredi in Ecclesiam*, sit defungi munere aliquo publico, pertinente ad regimen populi, vt esse Iudicem, Tribunum, Centurionem, & ab eiusmodi functionibus exclusas fuisse certas nationes, quæ Deuteronomii 23. enumerantur, idque vel perpetuo, vel ad tempus: nam quod prohiberi quis putet, ne tales vxorem ducant Israelitidem, quod proxime subiungatur: *Et factum est cum audissent legem, separauerunt omnem alienigenam*, non admodum placet, potest si quidem hoc etiam intelligi de separatione quoad dignitates, & functiones publicas: porro tres istas legis explicandæ rationes, huc à nobis allatas, refert Lyranus, & ex eo recentiores, in caput citatum Deuteronomii 23. vbi sic præcipitur vers. 3. Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Dei in æternum, quod sic intellige, vt hi duo populi non prohibeantur quidem esse Proselyti, quia scilicet & ad Iudæorum fidem, ac religionem aggregari poterant, vti sæpius contigisse in scriptura memoratur, nam Ruth Moabitis erat, & Achior Ammonitis, & tamen hic additus Iudæorum populo, Iudith 14. vers. 6. & illa, Ruth cap. 1. vers. 6. prohibentur nihilominus esse *in Ecclesia*, id est, cœtu nobilium, & Magistratuum, quia non possunt præfecturas exercere, aut Magistratus, nec publicos obire conuentus, vbi de Republica disceptantur causæ, & de summa rerum deliberatur; neque item aduenæ, aut Proselyti, his fruebantur priuilegiis, quæ Iudæi habebant à lege generi suo concessa, qualis erat, septimus annus remissionis, annus Iubilæi, & quod non possent à fratribus, & Gentilibus suis vsurarum onere grauari: ad festa autem, & sacra Iudæorum admissos fuisse, immo & ad immolandum Phase constat, ex capite 12. Exodi vers. 48. Itaque qui fide erant, & religione Israelitæ, & non genere, illi neque gaudebant Israelitarum nobilitate, neque ambire poterant Magistratum, vt mirum non sit, quod D. Paulus ad Philipp. 3. vers. 4. dum suam prædicat nobilitatem neget, se esse Proselytum: si quis alius, inquit, videtur confidere in carne, ego magis circumcisus octauo die ex genere Israel, de Tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, quibus verbis omnem aut generis sui, aut conditionis obscuritatem amolitur.

Quid sit Ecclesia Dei in quã Moabita, & Ammonitæ introire non debent ex legis præscripto.

Varia Lyrano referuntur interpretationes legis sancita Deuteron 23. secunda omnium optima.

Aduenæ ac Proselyti non gaudebant multis priuilegiis, quæ Iudæorum generi à lege concessa erant.

III. Vers. 2. *Eo quod non occurrerint filiis Israel cum pane, & aqua, & conduxerint aduersus eos Balaam ad maledicendum eis, &c.* Plane Deuteronomii capite 23. vers. 4. hoc ipsum refertur, & eadem habentur verba, quibus vtitur hic Nehemias, vbi peccatum inclementiæ, aut durioris ingenii, præclusisse dicitur Ammonitis & Moabitis, aditum ad Dei Templum, & in Ecclesiam Dei, totius rei fuse descriptam historiam, si voles, lege Numerorum capite 22. & sequentibus, vbi de Balaam Pseudopheta mercede conducto à Rege Moabitarum, ad maledicendum Israeli, cuius mentem, sensumque conuertit Deus, vt hic additur, ad benedicendum eidem populo.

Vers. 3. *Factum est autem cum audissent legem, separauerunt omnem alienigenam ab Israel, &c.* Præclare id quidem, vt notat hic Glossa ordinaria, quia necesse est sic nos auditui veritatis intendere, vt cum ab vno quolibet vitio lectione diuina prohibemur, continuo etiam, quicquid in nobis vitii sordidantis deprehendimus, ab actione nostra & conscientia repellamus: sed hæc ad mores strictim. Ad literam, quod hic iam factum fuisse dicitur, cum longè ante ea quæ reliquo capite recensentur, contigerit, vti iam probabilius esse monuimus, ideo repetitum denuo censendum est, vt melius intelligatur, qua occasione Eliasib, cum Tobia amicitiam & necessi-

Quod hic narratur & denuo repeti censendum est, ideo fit, vt intelligatur qua occasione Eliasib contra legem peccarit.

tudinem contraxerit, immo & contra legem prædictam de vitandis alienigenarum connubiis, & de iisdem alienigenis seu Moabitis, seu Ammonitis ad munera publica non admittendis olim peccasse videatur, aut illorum filii: Itaque, vt hæc melius cum superiori textu cohæreant, cum essent forte Moabitæ & Ammonitæ, quasi Israëlitæ, nobiles in Ecclesia, id est in Concilio conuentúque illorum, quibus erat administratio publica permissa, idque vetitum ex lege accepissent, qui tunc Legis & Religionis erant retinentiores, omnem alienigenam ab illa Ecclesia, id est Concilio, separarunt, & muneribus publicis, quasi eo nomine, atque ordine indignos, in perpetuum interdici voluerunt.

IV. Vers. 4 *Et super hoc erat Eliasib Sacerdos, &c.* Qui dicitur Sacerdos Eliasib, summus intelligi debet, sic infra indicatur vers. 28. ideóq; ipse est de quo præcedēti cap sæpius dictum, sed quid est *super hoc erat Eliasib*, aut in quem sensum commodè hæc verba trahi possunt? alia lectio habet, *ante istud vero erat*, vbi Vatablus, *ante istam separationem super hoc erat*, id est, *culpabilis*, inquit Lyranus, sed super quid? aut quo nomine? nec enim id explicat, an forte, super, siue contra legem ante dictam de connubiis? an *super hoc* id est, eius legis occasione, in culpam incidit, de qua mox infra? cum gratiam Tobiæ contra ius & religionem fecit, *erat* enim vt hoc eodem textu dicitur, *proximus Tobiæ*, id est *cognatus*, Tobias autem erat hostis Iudæorum, vt sæpe antea vidimus, & vehementer reædificationi Hierusalem, dum opus vrgebatur, obsistebat, cuius Tobiæ, cum Eliasib Pontificem cognatum dixi, intellige, affinitate aliqua ei coniunctum, vel saltem, amicum familiarem, quam affinitatem, vel necessitudinem contraxerat, per matrimonium nepotis sui, qui erat gener Sanaballat, vt refertur in fine huius capitis, & sic ex consequenti erat amicus Tobiæ, cui Sanaballat magna familiaritate coniunctum fuisse, ex textu capitis quarti manifeste habetur, vbi Tobias idem ipse proximus eius appellatur, cæterùm addam hic quoque, Sanctium planius, & facilius, nescio an verius, hæc verba sic interpretari, *& super hoc erat Eliasib Sacerdos*, id est, huic alienigenatum separationi, & exauthorationi, de qua

Quid hæc verba significent, Super hoc erat Eliasib.

Quæ fuerit affinitas aut necessitudo Eliasib cum Tobia.

A superiori textu, proximè dictum est, præerat Eliasib, vnde colligit, rursum, quæ hic memorantur, longe post murorum dedicationem, & Nehemiæ ipsius ab Hierosolyma discessum contigisse, quia scilicet, Eliasib Sacerdos, cui Gazophylacij cura atque custodia, & primitiarum decimarumque procuratio commissa fuerat, vt hic habetur, separationi alienigenatum præfuisse dicitur, qui tamen, vsque adeo, non seruauit legem, quæ alienigenas ab honore & dignitate Israëlitarum summouet, vt cum societatem, vel affinitatem, cum Tobia alienigena, & Samaritano contraxisset, magna illi quæsierit, in Israëlis loco splendido, & B amplo, ad domesticos vsus, siue commoda & emolumenta, siue etiam illustria nobilitatis ornamenta, vnde subiungitur.

V. Vers. 5. *Fecit ergo sibi Gazophylacium grande & erant ibi reponentes munera thus, & vasa, & decimam frumenti, vini & olei, &c.* Constat ex hoc loco, sinente, & volente Eliasib, Sacerdote magno, per iniuriam, quæ summa illius culpa fuit, Tobiæ Ammonitis vasa quædam, in quibus thesauros suos habebat reconditos, reposita fuisse in Gazophylacio, domus Dei, quod erat C deputatum rebus sacris condendis, duntaxat, hoc est quod dicitur *fecit ergo*, *Eliasib* scilicet, cum fieri permisit, *sibi*, id est Tobiæ, nam alia versio habet *fecit ei*, *Gazophylacium grande*, seu *cameram magnam* vt alij vertunt, *& ibi*, id est, *vbi erant ante eum reponentes munera, & thus, & vasa, & decimam frumenti, vini, & olei, &c.* Ex quo vides enumerari illa omnia, quæ erant diuino cultui consecrata, ostendique, fuisse inde summota, vt ibi vasa Tobiæ ponerentur, sic enim, ex ordine, quid ante hanc Gazophylacij mutationem, ibi conderetur, singulariter exponitur, primum, recensen- D tur quę sacris Templi ministeriis seruiebant, vt munera quædam, atque donaria quæ pro cuiusque pietate, ac sensu, varia fuerunt: deinde, thus annumeratur, in quo variæ intelliguntur aromatum species, & omnium generum suffimenta, vasa item addūtur, id est instrumenta varia, quæ in sacra supellectile numerantur, vt scyphi & phialæ, & alia id genus complura, in vino, & oleo intelliguntur quæ alio loco libamina, aut libamenta dicuntur, quæ videlicet effundi moris est, non iugu-

Res sacrâ summota ex Gazophilacio domus Dei vt ibi reconderentur vasa Tobiæ.

lari & cremari, vt victimæ solent, cer- A te cum multa à populo ad Sacerdotum, & Leuitarum vsum, munera conferrentur, necesse fuit, vt amplum omnino extrueretur Gazophylacium, in quo omnium terræ fructuum, Primitiæ, & Decimæ, asseruari commodè possent, atque illud quidem factum fuit, antequam illius curam, ac custodiam sibi assumpsisset, Sacerdos summus, aut certè communi consensu ad ipsũ esset delata, sed ille, aut curã iam transtulit, ad hominem alienigenam, Tobiam, scilicet, Iudæorum Religioni infensum, quod aliqui volunt, & mihi non placet, sicque Sacerdotum, & Leuitarum ordines sacros, quodammodo illi subiecit, vt ab illo alimenta caperent, & si quæ alia necessaria videbantur vitæ subsidia, aut Gazophylacium illud grande, & sacro vsui destinatum illi tradidit, vt ad domesticam suppellectilem recondendam, resque suas asseruandas, vteretur pro suo, aut, quod forte etiam verisimilius est, partem tantum aliquam Gazophylacii, seu loci in quo Gazophylacium erat Templi, quam par erat, indulgentius agente, ac sinente Pontifice, Tobias suos in vsus traduxit. quod autem, in fine versus additur, *Partes Leuitarum & Primitias Sacerdotales*. Hebraicè, *Oblationes*, apposite, id quidem, nam Decimæ Leuitis dabantur, & Sacerdotibus Primitiæ, vt iam alias, à nobis indicatum est.

Vers. 6. *In omnibus his non fui in Hierusalem, quia anno trigesimo secundo Ar-*
VI. *taxerxis Regis Babylonis veni ad Regem,*
&c. Obseruat Beda, nec male, immo & accommodatè, ad ea, quæ iam non multo ante diximus, hanc sententiam qua dicit Nehemias se *in Hierusalem non fuisse*, non ad ea, quæ superius huc vsque narrantur, sed tantum ad præsentem locum pertinere, superiora siquidem gesta vel dicta videri ad illud tempus spectare, quo ciuitas ædificata est, commorante adhuc Hierosolymis Nehemia, quibus strenue perfectis, is ad Regem Artaxerxem redierit, quo absente, Eliasib grande Gazophylacium confecerit, in quo reponerentur, ea, quæ vel in ministerium domus Domini, vel in vsus ministrorum necessaria erant, qui etiam quædam illicita in Gazophylacio, & in domo Domini reponi permiserit, quæ postmodum reuersus Nehemias illico disiecerit, atque ita, *in omnibus his*, inquit Nehemias, *non fui in Hierusalem*, quia si fuisset præsens, hoc fieri non permisisset, *quia in anno trigesimo secundo Artaxerxis veni Babylonem*, puta, ex Regis ipsius præcepto, quippe qui tempus illud ad redeundum, illi constituerat, aut certe, sibi ipse de voluntate Regis præfixerat, vt indicant illa verba Nehemiæ, capitis 2. vers. 5. *Constituit ei tempus*, cum facultatem redeundi in Iudæam, sibi fieri supplex postulat, sic ad tempus condictum, 12. annis ducatus sui expletis, quibus reædificandæ ciuitati, & muris instau- B randis, & restituendo diuino cultui fœliciter operam dedit, Babylonem, vbi tùm forte Rex Persarum erat, reuersus est, sunt tamen qui nolunt Nehemiam totos duodecim annos mansisse Hierosolymæ, post quos deinde ad Regem reuersus sit, iidemque verisimilius existimant, eum sæpe ad Regem Artaxerxem rediisse, illo duodecim annorum spatio, tùm quia Rex grauiter tulisset, vti credibile est, abesse tamdiu hominem sibi gratum, atque eo spectant illa Regis & Reginæ verba ad Nehemiam capite 2. versu 6. *Vsque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reuerteris?* tùm quia, vt ha- C betur cap. 5 vers. 14. Dux erat Nehemias, à Rege constitutus, in terra Iuda, ab anno vigesimo Regis Artaxerxis, vsque ad trigesimum secundum, quo tempore finiri videbatur illa duodecim annorum iurisdictio, quare necessario, vt aiunt redeundum illi sæpe ad Regem fuit, vt rationem suæ præfecturæ redderet, & quis esset rerum status significaret, sed hæc de fine præfecturæ Nehemiæ quam non omnino certa sint iam in quæstionibus præambulis ostendimus, & mox in exponenda sequenti versus parte iterum indicabimus.

Verisimile est Nehemiam duodecim illis annis quibus præfecturam gessit sæpe rediisse in Hierusalem.

D *Et in fine dierum rogaui Regem, &c.* Quid est, *in fine dierum?* id est, *in fine anni*, siue exacto vno anno, qui annus integer & completus constet omnibus suis diebus, sic Vatablus, & alii recentiores sed quem porro annum intelligit? illum, aiunt, de quo antea, cum dixit, *Anno 32. Regis veni Babylonem*, sic inter alios, Sanctius, tandem, inquit, Nehemias cum iam illius Magistratus instaret finis, venit Babylonem ad Regem, à quo, cum quid rerum Hierosolymæ fieret audiuisset, facultatem petiit, vt antequam Magistratu abdicaretur, reuerteretur Hiero-

Hierosolymam; vt collapsam, iam, A aut certe prope labantem popularium suorum disciplinam, restitueret, atque hoc illis verbis indicari, *in fine dierum rogaui Regem*, quasi diceret, in fine meæ præfecturæ quæ anno 32. Regis, id est anno duodecimo finiebatur, ita ille, nos autem, secus existimauimus, atque in vltimum Artaxerxis annum, puta Regni eius quadragesimum, non 32 referimus cum bonis authoribus Nehemiæ reditum, in Iudæam, ex Perside, & sic intelligenda censemus, illa verba, *anno 32. Artaxerxis Regis Babylonis, veni ad Regem, & in fine dierum rogaui Regem*, B vt per finem dierum finem regni Artaxerxis, exponi oporteat, & non finem anni 32. quo diuturnum aliquod tempus detur assigneturque, absente Nehemia, Eliasib, & Tobiæ, ad interuertenda, quæ Nehemias ipse sanctè & religiosè constituerat, vt alibi quæstione super hac re proposita, probabilius esse monstrauimus, cùm ergo octauum iam annum, abesset Hierosolymis Nehemias, & Præfecturam forte, per vicarium Eliasib exerceret, idemque & multis nunciis agnouisset, male ibi res ire, summis precibus à Rege petiit, & obtinuit, facultatem redeundi in Iudæam, vnde sequitur. C

Nehemiæ reditus in Iudæam melius refertur in annum 40 Regni Artaxerxis quam in 32

VII. Vers. 7. *Et veni in Hierusalem, & intellexi malum, quod fecerat Eliasib Tobiæ, vt faceret ei Thesaurum in vestibulis domus Dei, &c.* Thesaurum hunc, paulo ante, vocauit *Gazophylatium grande*, alii, *Cameram*, vel *Cubiculum* vertunt, erat autem vt iam diximus, locus amplus, in quem, recondebantur, varia munera, & Decimæ, non solum quæ Pontifici, sed etiam Sacerdotibus inferioribus, Leuitis, aliisque Ministris obueniebant, quibus etiam, vt nonnullis placet, Eliasib præfecerat Tobiam, propinquum suum, ex affinitate cum eo contracta, qui cum hostis esset Iudæorum, D quæ ad Leuitarum sustentationem pertinebat interuertebat, aut maligne distribuebat nixus authoritate Eliasib *Intellexi*, inquit, *malum quod fecerat Eliasib, Tobiæ*, scilicet, dum magnus Sacerdos, huius Tobiæ seruire commodis vult magis, quam religioni, & fidei, *illi fecit malum*, id est, in eius gratiam, malum fecit, quia Gazophylacium, quod erat in loco sacro, in ipso Templi vestibulo aut prophanis destinauit vsibus, quod verisimilius est; aut quod alii volunt, illius curam, homini profano, & alienigenæ fidei commendauit. Cæterùm, de Tobia, in cuius gratiam, malum hoc fecit Pontifex, vt aliquid ex superioribus replicemus, iam cap. 6. vers. 17. scripsit Nehemias, multos ex Optimatibus Iudæorum occultè fauisse Tobiæ, cum tamen, ille foret hostis Iudæorum infensissimus, eorumque cōsiliis occurreret acerrime, *Multæ*, inquit, *Optimatum Iudæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, & à Tobia veniebant ad eos, multi enim erant in Iudæa, habentes iuramentum eius, quia gener erat Sechemiæ*, hos inter Optimates, vt apparet, erat Eliasib, vt pote, qui cum eo aut affinitatem, aut societatem contraxisset: certè ex superiori libro, cap. 10. vers. 19. constat multos Sacerdotum filios, & in his filios Iesu, qualis erat hic Eliasib, duxisse vxores alienigenas, *inuēti sunt*, inquit, *de filiis Sacerdotum, qui duxerant vxores alienigenas, de filiis Iosue filij Iosedech, & fratres eius*. Hinc forte cognationis aut affinitatis quæ inter Eliasib, & Tobiam intercessit dicuntur exordia.

Ab vxoribus alienigenis quas duxerunt Sacerdotes ducta sunt exordia cognationis inter Eliasib & Tobiam.

Vers. 8. *Et malum mihi visum est valde, & proieci vasa domus Tobiæ foras de Gazophylacio, &c.* Id ergo Nehemiæ valde malum visum est, quia alienigenam, atque adeo Ammonitem, non oportebat, vsque ad Templi Gazophylacia penetrare, sed vix, ad atrium gentium admitti, ideoque proiecit vasa domus Tobiæ foras, de Gazophylacio, quo ex loco verisimilius item esse indicatur, datum esse Gazophylacium Tobiæ, ad domesticos vsus, quandoquidem in illud, *vasa*, hoc est, ex Hebræorum idiomate, cuiuscumque generis instrumenta intulerat, quibus ad rei domesticæ curam, paterfamilias vteretur, illa igitur omnia extulit è Gazophylacio, vt quæ antea, inde exportata fuerant, reponerentur.

VIII. Vers. 9. *Præcepique, & emundauerunt Gazophylacia, & retulerunt vasa domus Dei, sacrificium, & thus, &c.* Cum audis proiecisse vasa domus Tobiæ de Gazophylacio, immo & præcepisse, vt mundaretur, sic intellige, vt faceret, id quidem magno zelo diuini cultus, & ardenti legis obseruandæ studio incensus, nec tamen propterea censendum sit, vt recte hic obseruat Estius, Nehemiam populi Du-

Nihil hic Nehemias vendicauit

sibi supra summum Sacerdotem.

cem, vendicasse quicquam sibi, supra summum Sacerdotem, & res sacras, sed in hoc facto, cum vir esset magnæ authoritatis, voluntatem suam significasse, cui nemo contradixerit. Simile quiddam tentatum ab Ezechia pio Rege, in re pia, & iusta legere est 2. Paralipomenon capite 29. vers. 15. vbi de Leuitis dicitur, *congregaueruntque fratres suos, & sanctificati sunt, & ingressi sunt iuxta mandatum Regis, & imperium Domini, vt expiarent domum Dei.* Sic ergo Nehemias, proiectis vasis domus Tobiæ foras, de Gazophylacio, præcepit vt mundaretur, contaminatum enim erat, vt pote, in quo thesaurus hominis Gentilis, & aduersarii Iudæorum repositus fuisset, nimirũ quia ex alienigena habitatione, & mundi peregrino modo sordes quodãmodo contraxerat, abominationesq; Gẽtilitias, iubet illud prius accurate mundari, & Hebræorũ ritu, lustratione purificari legitima, & deinde eo referri *sacrificium, & thus*, per *sacrificium*, oblationes, & munera intellige, vt in Hebræo indicatur, præterea eo reportari mandat instrumenta omnia, & vasa domus Domini, & quæcumque demum ad suffimenta, & sacrificia olim ibi congregata fuerant, quæ vt sua, atque prophana reponeret exportari ante curauerat Tobias.

Vers. 10. *Et cognoui quod partes Leuitarum non fuissent datæ, & fugisset vnusquisque in regionem suam, de Leuitis, & Cantoribus, & de his qui ministrabant, &c.* Nempe, vel ad diuturni, vel ad exigui etiam moram temporis, absente Nehemia, magna iam cultui diuino facta erat decessio, cui corrigendo, emendandoque, non minus studiose, quàm superiori malo, prophanationis Gazophylacii domus Dei, aduigilandum erat. Fuit autem posterius istud malum, eiusmodi, vt ne Leuitis quidem, aliisque ministris Templi, partes suæ, id est, Decimæ ipsis debitæ, pro ministerio Templi, nec alia ad victum necessaria suppeditarentur; sed sacra lege subtraherentur, à quo, licet textus non exprimat, Lyranus tamen significat, ab Eliazib, summo Pontifice, qui forte partim inductus Tobiæ impulsu, & monitione, partim ex cupiditate permotus, hæc sibi, suumque ipsius in vsum priuatum, & commodum retinebat: vnde factum est, vt *fugeret vnusquisque in regionem suam de Leuitis, & Cantoribus, & de his qui ministrabant*, quæsiturus scilicet, alicunde victum sibi, extra Hierusalem. Et sane, cum per summam iniuriam defraudaretur victus, vestitusque Leuitarum, nec ex populi Decimis, Primitiis, aliisque donariis, quidquam ad Templi ministros perueniret, omnes vt sibi quærerent, labore suo, atque industria, quæ habituros à communi liberalitate desperabant, abire cogebantur in regiones suas, deserto Templo, cuius ministerio, antequam id contigisset, religiose vacabant; vnde etiam fiebat, vt Dei cultus, & vsitata religionis officia desererentur.

Cur de Leuitis & Cantoribus fugerit vnusquisque in regionem suam.

Vers. 11. *Et egi causam aduersus Magistratus, & dixi: Quare dereliquimus domum Dei, & congregaui eos, & feci stare in stationibus suis, &c.* Pro his verbis vulgatæ lectionis: *Et egi causam aduersus Magistratus*, Hebraice est, *Et litigaui*, id est, increpaui Magistratus. Sed aduersus quos tandem Magistratus egit causam, vel disputauit, increpando? credo, aduersus summum Sacerdotem, & alios de Sacerdotibus primarios, ac Principes ipsi assistentes: Leuitarum igitur causam egit Nehemias apud illos Magistratus, grauiter conquestus, quod communes rationes, & sacras, aut neglexerint segniter, ac timide, aut perfidiose prodiderint, quos vt melius, procliuiusque ad emendationem inflectat, eo se illis in crimine, quamuis innocens, nulliusque affinis culpæ, socium adiungit, his verbis, *& dixi: quare dereliquimus domum Dei*, cuiusmodi sane laudandum pietatis artificium, in Nehemia, iam alibi supra notauimus, quod autem additur, *& congregaui eos, &c.* De Cantoribus autem, & Leuitis, ex vrbe digressis intelligendum, quos, vt ipse ait, *stare fecit in stationibus suis*, id est, restituit in gradum suum, & pristinis Templi officiis exercendis admonuit. IX.

Se in crimine socium adiungit Nehemias vt alios melius ad emendationem inflectat.

Vers. 12. *Et omnis Iuda apportabat Decimam frumenti, vini, & olei in horrea, &c.* Sic igitur suum in ordinem omnia reuocauit, sic postquam vnumquemque restituit loco, & officio suo, curauit etiã impense deferri ab omnibus, quæ eis ex lege debebantur, *omnis Iuda*, inquit, *apportabat Decimam frumenti*, scilicet populus, sicut antea inceperat, comportabat ad ministrorum vsum, & Templi sumptus, frumenti Decimam, & vini, atque olei, his qui præpositi fuerant, vt illa iuxta præscriptam formam, & legem distri-

buerent, viri ex toto cœtu delecti, quorum erat explorata fides, & nota religio, hinc versu proxime sequenti dicitur, *& constituimus super horrea, Selemiam Sacerdotem, & Sadoc Scribam, & iuxta eos Hanam, filium Zachur, filium Mathania, quoniam fideles comprobati sunt, &c.* Sic res Sacerdotalis, & Leuitica Nehemiæ studio, ad eum tandem statum omnino reducta, ac restituta est, vnde paucorum hominum vel negligentia, vel improbitate ceciderat: porro quod ait, *omnis Iuda apportabat, &c.* In Iuda, intelligi etiam Beniamin, immo & reliquos omnes, qui in terram Promissionis, ex aliis Tribubus redierunt, sicut terra ipsa Promissionis Iudæa, & omnes qui redierunt in patriam, communi vocabulo, Iudæi nominantur, vt nos iam sæpius, & hoc, & superiori libro annotauimus.

X. Vers. 14. *Memento mei Deus pro hoc, & ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in carimoniis eius, &c.* Credo in has voces erupisse Nehemiam, virum alioqui sanctum, & syncerum, quod ea, quæ superius descripta sunt, fecisse quidem, sibi conscius esset non ob vanam populi gratiam, aut ad fauorem humanum aucupandum, sed vno vnius diuini honoris procurandi, promouendique studio, atque incitamento permotum, quidni igitur, cum ita res habeat, ex rerum ante à se gestarum, quàm vera, tam humili recordatione, fidenter dicat, *ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & caremoniis eius,* cum præsertim eadem fere verba, repetens inferius, vers. 22. aliis item ea attexat, quæ non obscuram demissioris animi significationem præ se ferunt, cum ait, *pro hoc ergo memento mei Deus, & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum, &c.* Fuit hæc quoque, quod iam alibi notauimus, Hebræis olim vsitata precatio, qua cum aliquid egissent, & pium, & religiosum, illud inter orandum proponebant Deo, vt nimirum illius rei præclare gestæ memor, postulata concederet, & si quid furoris, aut iracundiæ, in illorum caput concepisset, illico deponeret, nos etiam eius rei exempla ex sacris scripturis petita retulimus, quæ huc iterum adducere superfluum sit.

Quod fecit Nehemias non ad populi gratiam aucupandam, sed ad vnius Dei gloriam procurandam fecisse eindicat.

Vers. 15. *In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in Sabbato, &c.*

A Alteram hic diuino cultui plagam à Iudæis inflictam, describit Nehemias, videlicet violationis Sabbati, in quo, nulla religionis habita ratione, aut celebritatis ex solemni suo obseruandæ, passim in Hierusalem, Iudæi ipsi contra quàm lege cautum esset, opera seruilia faciebant: vnde & commemorat sigillatim, vidisse se calcantes torcularia, portantes aceruos, onerantes super asinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Hierusalem die Sabbati, imitatores
B erant ipsi patrum suorum, qui eadem temporibus Hieremiæ peccabant, ab eoque facinore, a Propheta minis ingentibus, promissisque retrahebantur, vt habetur Hieremiæ 17. vers. 21. & sequentibus: *Custodite,* inquit Deus per Prophetam priscis illis Iudæis, *animas vestras, & nolite portare pondera in die Sabbati, nec inferre per portas Hierusalem,* erat si quidem tum in hoc tempore, apud Iudæos Sabbati tam leuis religio, vt publice per portas maxime publicas, atque frequentes ciuitatis, quod illius diei vetabat sanctitas, onera efferrentur, inferrenturq; nec indignantibus, nec reclamantibus illis,
D qui religionis, ac legum vindices esse debuissent, certe hinc apparet, quod iam antea significaui, sæpe, ac diu ab Hierosolymis, abfuisse Nehemiam, neque enim breui tempore fieri potuisset in religione, ac disciplina probe olim constituta, tanta mutatio, quantam audimus: nam, vt supra narratum est cap. 10. cum viuo, ac spirante adhuc Esdra, Nehemias rem sacram, & publicam, suum in ordinem restituit, multa se facturum promisit populus, sancte, ac pie quæ ad communem vsum, & religionem pertinebant; quorum vnum, ac præci-
D puum fuit, de sanctitate Sabbati nunquam violanda, & tamen cum rediit Hierosolymam Nehemias, quæ ad legis obseruationem, & religiosum cultum spectabant, vsque adeo profligata erant, vt nihil, aut parum omnino distaret Sabbatum à diebus minime festiuis, & quod aiunt operatoriis, inducebant enim, vt vides, in vrbem Iudæi onustos asinos frugum manipulis, & vuarum racemis, quos eo ipso die Sabbati, contempta religione calcabant, nec ab illo onere, aut labore seruili diem illum immunem censebant, immo, cum Gentilibus, ac prophanis, palam, & publice, conscio

Tempore Hieremiæ leuis fuit apud priscos Iudæos Sabbati religio.

ad Sabbati sanctificationem, vt non violaretur, inductis in ciuitatem oneratis iumentis, illam curam, Nehemias, Leuitarum sedulitati commisit, tùm quia res, ex fine, videbatur sacra, tum quia onus illud, non putabat diu à suis domesticis obiri posse, sine iam ipsius præfecturæ, imminente, & rebus ita constitutis, vt neque diu abesse posset à Regis conspectu, qui discessum ipsius ferebat non libenter, cum ergo res illa, nimirum portarum custodia, videretur quodammodo res sacra, & dies Sabbati, præcipua quadam religione obseruari deberet, Iussit Nehemias vt Leuitæ ad obeundum illud munus mundi accederent, id est, si quam legalem maculam contraxissent, eam legitima lustratione detergerent, quod ex more facere etiam solebant, ac vero iubebantur, cum sacrum aliud quoduis ministerium exercebant: *Et pro hoc ergo memento mei Deus meus, & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum, &c.* Humilis prorsus & pia Nehemiæ oratio, sed quid est, quod de bono opere veniam petere videtur? nisi quia etiam in sanctis operibus aliquid semper terrenæ contagionis contrahitur, ait Salianus, hoc carptim ad mores ad literam, quemadmodum supra vers. 14. & infra vers. 31 sic quoque hoc loco, sua rursum merita profert, exponitque, quanto studio ipse laborarit, vt diuinam legem, dum præfecturam gessit, sartam tectamque seruaret, neque tamen, si recte aduertis, in suis meritis ita confidit vt spem in illis suam omni ex parte constituat, vnde & miserationum Dei meminit, quæ spem alunt & fouent, multo magis quam meritorum quantumcumque pondus & numerus.

Veniam petit Nehemias de bono opere quia in sanctis operibus aliquid semper terrenæ contagionis contrahitur.

XV. Vers. 23. *Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas, &c.* Et, hic etiam correxit, abusum affinitatum, male contractarum Nehemias, cum nouo se crimine contaminassent Iudæi, contra legem ipsis datam, de fœdere connubiali, etsi enim ante octo annos circiter, & rursum, ante trigesimum tertium Artaxerxis annum, connubia cum alienigenis, non solum damnata, sed etiam dirempta fuissent, nonnulli tamen contra promissionem iureiurando firmatam, in eandem se foueam, iterum præcipi-

A tes dederunt, ac licet, per Esdram, mulieres alienigenæ fuissent de populo Israël eiectæ, vt dictum est, supra, cap 10. tamen ipso vita functo, ait Lyranus, & absente Nehemia, complures Iudæorum, ad vomitum redeuntes, acceperunt sibi vxores alienigenas, cui malo, sic medicinam fecit, remediumque adhibuit Nehemias, primùm, eos seuere obiurgando, deinde, & illis etiam, male dicendo, item aliquos eorum cædendo, & capillos per ignominiam, & dedecus, eis euellendo, eos denique adiurando, contestandoque, hoc est sacra B diuini iurisiurandi religione astringendo, vt ab eiusmodi flagitio abstinerent, *Vidi*, inquit, *Iudæos ducentes*, seu, vt alij vertunt, ex Hebræo, & Græco, *qui duxerant vxores Azotidas*, id est, de Azoto vrbe quæ erat in Regione Philistinorum, ac proinde de filiabus Philistinorum, Allophylorum, vt vocantur, siue alienigenarum, qui semper aduersarij sunt populo Dei, neque enim facile mihi persuadeam, quod tamen existimat Sanctius, eo tempore, quod extremum egit Hierosolymæ, reuersus è Babylone Nehemias, fuisse aliquos, C qui tunc, ducebant peregrinas vxores, quos ipse videret præsens, & dolens, cum id passus nunquam fuisset, atque ita cum ait, *vidi ducentes* iuxta vulgatam lectionem, intellige, qui duxerant eo absente, nam & sicut obseruat idem Sanctius in suis Commentariis, in Acta, & probat multis scripturæ exemplis, in Hebræorum idiomate per quam familiare, & vsitatum est, vt participium præsentis temporis, rem etiam significet præteritam.

Quam seuere se gesserit Nehemias cum iis qui fidem Deo datam violauerant de non contrahendis illegitimis nuptiis.

Vsitatum in Hebræo idiomate vt participium præsentis temporis rem significet præteritam.

Vers. 24. *Et filij eorum ex media parte loquebantur Azotice, & nesciebant loqui Iudaice, & loquebantur iuxta lin-* D *guam populi, & populi, &c.* Iam scilicet in multis familiis per contracta matrimonia cum alienigenis, corruptum erat, magnam partem vernaculum Iudæorum idioma: nam pueri ipsi, vt textus ipse fert, *nesciebant loqui Iudaice*, quod intellige de sermone puro atque emendato, cum enim vellent loqui Iudaicè, nonnisi valde corrupte loquebantur, atque ita vt vtramque linguam Iudaicam, & Azoticam inuicem permiscerent, hoc est, quod dicitur, *& loquebantur iuxta linguam populi, & populi*, id autem in pueris eo potissimum contingebat, notaba-

tiurque illustrius, quod cum illis, id est, eos efformando, fingendoque sæpius matres Azoticæ & peregrinæ, quàm patres, genere Iudæi (vt vbique fere moris est) patrio suo sermone loquerentur. Porro quàm vehementer doluerit Nehemiæ, cum Gentilitios mores, & linguam peregrinam in Iudæorum liberis animaduertit, facile ex eo intelligas, quod illud profecto in grauem Iudaici nominis ignominiam redundaret, Iudæorum filios, quasi illos patrii & vernaculi sermonis supuderet, peregrino vti sermone, cum tamen Iudæi ipsi, quamcunque aliam linguam præter suam, barbaram appellent, & teste Iosepho, lib. 10. Antiquitatum capite vltimo, ab illis passim parui fieri soleant, qui ad linguarum aliarum studium animum appellunt.

Iudæis quæuis alia lingua præter Iudaicam barbara censetur, paruique ab eis fieri solent, qui ad peregrinæ linguæ studiũ animum appellunt.

Vers. 25. *Et obiurgaui eos, & maledixi, & cecidi ex eis viros, & decaluaui eos, &c.* Pertinet hæc pœna, & seuera obiurgatio ad parentes, qui mixtum illud genus, & sobolem quasi biformem, alienis informabant moribus, & sermone peregrino, *obiurgaui*, inquit, *eos*, non pueros, licet de illis proxime loquutus sit, sed eorum patres, dure scilicet, vt antea dixi, increpando, *& maledixi, &c.* id est, malum eis imprecatus, nisi quæ perperam fecissent, confestim corrigerent, *& cecidi ex eis viros, &c.* flagellis aliquos subiiciendo, propter obstinatam, quam significarent, obfirmatamque in malo perseuerandi voluntatem, &c. *Et decaluaui eos, &c.* Sed quemadmodum tandem? an per capillos trahendo violenter, & iubendo vt ipsis capita & barbæ raderentur, quod eo tempore pudendum admodum censebatur, & in summum patientis dedecus & ignominiam cedebat, vtrumque fieri potuit, fortasse illa depilatio, seu decaluatio aliud non fuit supplicium ab eo quod proxime ante commemoratur: nam cum colaphis & pugnis, & aliis aut sæuientium, aut illudentium hominum ludibriis, simul etiam reorum euelli solent crines, nec vna iniuria ab altera admodum differt, aut fere hæc cum illa coniuncta est, certe Lyranus tractos dicit fuisse crinibus Iudæos illos externis nuptiis illigatos, & violatæ legis reos, quod sine crinium euulsione non videtur potuisse contingere; quin & trahi quoque crinibus eos qui deliquerunt, aut alios offenderunt

Quomodo Nehemias puerorum Azoticè loquentiũ parentes post seueram obiurgationem decaluauerit.

Pudendum apud Iudæos incedere capite & barba rasis.

A

grauiter, vt olim, sic nostro etiam tempore satis vsitatum est, eo igitur vsque iustæ indignationis progressus est Nehemias, vt dure atque acerbe increpuerit, vulnerarit etiam, & decaluato demum capite ignominiose eos traduxerit, qui alienas, dum abesset, inierãt nuptias, & liberos suos maternis moribus ac peregrino sermone corrũpi permiserant, quod summam & amplissimam in eo authoritatem arguit, quam scilicet à Deo, & à Persarum Rege acceperat. Et quidẽ ex Hebræorum lege, ac moribus, Iudices ipsos, aliosque, qui summam apud populum potestatem haberent, cædere eos potuisse, aut etiam verberare, qui vario scelerum genere deliquissent, habetur Deuteronomii capite 25. vers. 2. *Sin autem eum qui peccauerit dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari, pro mẽsura peccati, & erit plagarum modus, &c.* Quod addit Nehemias, *& adiuraui in Deo, vt non darent filias suas filiis eorum, &c.* id est, eos ad iusiurandum adegi per Deum, quo confirmarent fore, vt deinceps ab eiusmodi illicitis coniugiis se continerent; adiuratio enim graue vinculum est, quo interposita iurisiurandi religione adiguntur homines ad pacta promissaque seruanda, illud autem *in Deo*, vti dixi, idem est, ac *per Deum*, vt in similibus Scripturæ locutionibus quæ iuramenta exprimunt, præsertim apud Prophetas videre est.

Crinibus trahi qui deliquerũt, aut alios offenderunt vt olim sic hoc quoque tempore satis vsitatum.

B

Ex Hebræorum lege Iudices, & qui summam potestatem habebant cædere poterant delinquentes.

C

Vers. 26. *Nunquid non in huiuscemodi re peccauit Salomon, Rex Israel, &c.* Scitè omnino proponitur hic exemplum Salomonis, qui eo ipso peccato quod ante, in Iudæis perstrinxit Nehemias, Dei optimi maximi & munificentissimi bonorum omnium largitoris, illiusque ipsius, à quo, tam multis, supra cæteros mortales, beneficiis cumulatus fuerat, iracundiam prouocauit: *Nunquid non in huiuscemodi re*, inquit, *peccauit Salomon?* quasi dicat, peccauit vero, & grauiter, licet is omnium sapientissimus, & esset, & vulgo haberetur, &c. vnde subdit postea, (vide quam præclare ad grauitatem lapsus indicandam) *& certe in gentibus multis non erat similis ei, &c.* puta in sapientia, diuitiis, & gloria, sic enim habetur 3. Regum, vers. 3. *& dilectus Deo suo erat, &c.* scilicet, antequam cum mulieribus alienigenis, præuaricatus esset, Deo gratus & amabilis habebatur, vt li-

XVII.

D

Grauitatem lapsus Iudæorum ab exemplo Salomonis indicat Nehemias

quet, ex eo quod Deus ipsi, per visum apparuit in Gabaon, & amicè cum eo loquutus est, historiæ Regum loco citato, *& posuit eum Deus Regem super Israel, &c.* peculiare hoc fuit Dei beneficium in Salomonem collatum, nam ex successione aut iure communi legitimo, id est ratione primogenituræ, Regnum ei non debebatur, sed ex diuina tantum ordinatione, vt habetur 1. Paralipomenon. cap. 28. vbi sic Dauid ipse vers. 5. *Sed & de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem, filium meum, vt sederet in Throno Regni Domini super Israël*, quin & illud ipsũ agnoscit Adonias filius Haggith, cui tanquam primogenito, iure naturali, & communi ordine seruato, debebatur, 3 Regum 2 vers. 15. His ad Bersabée, Salomonis matrem verbis, *Tu nosti quia meum erat Regnum, & me præposuerat Israël sibi, in Regem, sed translatum est Regnum, & factum est fratris mei, à Domino enim constitutum est, &c.* Pergit Nehemias in textu, *& ipsum ergo*, Salomonem videlicet, vnicè olim, à Deo dilectum, amabilem Domino, in Regiam dignitatem, præter ordinem euectum, tot denique, tantisque beneficiis affectum, *duxerunt ad peccatum*, etiam idolólatriæ, exterioris saltem, quod sæpe in scriptu is, peccatum simpliciter, & nullo alio adiecto nominatur, ad peccatum inquam, duxerunt, tantum, tamque insignem virum, *mulieres alienigenæ*, cuius casus, sane horrendus, fusè describitur 3. Regum capite 11. quo ex loco illud maxime vers. 3. ad rem præsentem facit, *& auerterunt mulieres cor eius, vt sequeretur deos alienos*: vides, quam sit periculosus fœminarum alienæ religionis assiduus, & familiaris vsus, quamque illud Sapientis, Ecclesiastic. 19. vers. 2. Verum sit, *vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes*, quis enim ignorare possit, quantus Rex fuerit Salomon, quanta sapientia præditus, quantis à Deo ornamentis, & donis cumulatus, cuius tamen animum alienæ mulieres sic fœdè peruerterunt, vt quibus, sua prius, & sapientia, & religione admirationi ac venerationi fuerat, iisdem postea abominationi fuerit, & ludibrio. Porrò ad quem vsque apicem Salomonis sapientia, & gloria peruenerit, & quanta postmodum, ex fœminarum consuetudine, ruina il-

Salomon non successione, aut iure primogenituræ sed diuina ordinatione Regnũ obtinuit.

Peccatum idololatriæ sæpe in scriptura vocatur peccatum simpliciter

A lius fuerit, præter ea quæ libro Regum citato, & Ecclesiastici cap. 47. habentur, tam multa varii authores & sacræ Scripturæ interpretes totis pœne Commentariis, in eam rem editis commemorant, vt ad eos libens lectorem meum remittam, cum præsertim, ad huius loci quem præ manibus habemus, interpretationem, quæ strictim de eo atque obiter diximus, plus satis sufficiant.

B Vers. 27. *Numquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, &c.* Et si per hanc ex admiratione, & quasi stupore quodã animi insolito factam interrogationem, nude ac simpliciter censeri possit Nehemias, Iudæos deterrere à peccato, de quo antea conquestus est, tamen vt hæc verba melius quoquo modo cum præcedenti Salomonis exemplo cohæreant, sic quoque interpretari libet, quasi dicat, instituta veluti maioris ad minus similitudine, seu comparatione, *numquid & nos faciemus malum grande hoc?* id est, si id fecit, nunquid & nos longe imbecilliores faciemus? ita vero fiet aliquando, iam pronam, & procliuem omnium nostrûm ruinam video: ma- XIIX.

C nifestum est, ni Deus iuuerit, nos in illum vitiorum omnium, & malorum gurgitem actum iri præcipites, cum ipsi longe ac multum, ab illa non vulgari sapientia Salomonis, illiusque singulari perfectione deficiam s; vtraque interpretatio satis probanda, prima communior & magis ad vulgarem omnium sensum accommodata.

Vers. 28. *De filiis autem Ioiadæ filij Eliasib Sacerdotis magni, gener erat Sanaballat Horonites quem fugaui à me, &c.* Sane nihil mirum plebem in eam præuaricationem lapsam esse, quæ de illegitimis connubiis superius perstricta

D est, cum quidam de filiis Ioiadæ, qui Pontificatui successit Eliasib, summo Sacerdoti, gener esset Sanaballat Horonitæ, ducta filia eius in vxorem, cum publico totius populi scandalo, *de filiis Ioiada*, inquit Nehemias, *filii Eliasib Sacerdotis magni gener erat Sanaballat Horonites*, ex Oronam, videlicet, ciuitate Moabitarum, cuius mentio est Isaiæ 15. vers. 5. & Hierem. 48. vers. 3. Noluit, scilicet Ioiada, religiosior esse, quam pater, qui sibi Tobiam affinitate coniunxerat, quorum vterque, & alienigena, & in primis hostis Iudæorum fuit, vt patet in extructione murorum, cap. 6. vbi vers. 14. Ne-

14. Nehemias, postquam vtrique restitit acerrimè, sic orationem ad Deum conuertit; *Memento mei pro Tobia & Sanaballat*, duo quippe illi, vt diximus, fuerunt, & famosi præter cæteros, Iudaici nominis, ac veræ Religionis aduersarii, qui omnibus modis, pia Iudæorum studia vbique impedire conati sunt, quos tamen absente Nehemia, in vrbem admiserat, & in optimum illius locum, atque ordinem, quorumdam Sacerdotum, optimatumque vecordia; cui malo Dux bonus, ac sedulus præpositus, sic obsistendum curauit, vt principem criminis authorem à se fugarit, *Gener*, inquit, *erat Sanaballat quem fugaui à me*, quis fuerit ille, filius Ioiadæ, gener Sanaballat, textus non exprimit, forte Ionathan fuit, qui post Ioiadam, patrem, filium Eliasib Sacerdotis magni, summo Sacerdotio functus est, pater ipse Ieddoæ, vel Iaddi, vt iam ante, ad initium capitis præcedentis 12. ex Beda annotauimus, quicumque demum is fuerit, explicat se hic vehementer zelus, Nehemiæ Ducis, in Deum, cum de primariis Iudæorum vnum, nepotem scilicet Eliasib Sacerdotis magni, repugnantem illum quidem, & obsistentem, vt credi par est, cultui diuino, legisque obseruationi de dimittendis vxoribus alienigenis, à se fortiter expellit, & forte etiam extra ciuitatem Hierusalem exire compellit, vt sic fuga saluti suæ consulat, cuius recte facti conscientia, sane est quod iure glorietur, cum ait, *de filiis Ioiadæ*, id est, etiam de primoribus ciuitatis, vnus, *gener erat Sanaballat*, id est, & is quoque, cognatione sanguinis, coniunctissimus, Principi Samaritanorum, *quem fugaui à me*, id est, quem longius, à congressu meo, atque adeo, quamprimum ex vrbe relegandum duxi, quam ob causam, iam diximus; Lyranus vero sic explicat, *quem fugaui à me propter malitiam suam, & inueteratam improbitatem*, sunt qui hunc locum sic explicant, vt non tam generum Sanaballat, quam Sanaballat ipsum à se fugarit Nehemias, eodemque facto, Pontificem, ac filium eius castigauerit, non alia pœna, vel obiurgatione vsum ob reuerentiam Sacerdotii, de quibus tamen, non minus apud Deum conqueratur, vt mox sequenti versu, videbimus,

Probabile Ionathan qui successit Ioiadæ in summo Sacerdotio fuisse generum Sanaballat de quo in textu mentio.

Non tam generũ Sanaballat quam Sanaballat ipsum fugatum à Nehemia quidam opinantur.

A quod vt Saliano nostro, sic mihi quoque non displicet.

Vers. 29. *Recordare Domine Deus aduersus eos qui polluunt Sacerdotium, iusque Sacerdotale, & Leuiticum, &c.* XIX.

Iusta hæc aut precatio, aut imprecatio est, aduersus reos violatæ Legis, sicut frequens in Prophetis animaduertitur, *Recordare*, inquit, *aduersus eos*, id est, recordare eorum in malum, in eos scilicet, pro sceleribus admissis grauiter animaduertendo, dicitur enim Deus recordari peccatorum, cum ea punit & vindicat, vnde illa viduæ Saraptanæ querela ad Eliam

B 3. Regum 17. vers. 18. *Quid mihi & tibi vir Dei venisti ad me vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Itaque, sicut supra cap. 6. vers. 14. orabat Nehemias Deum, vt Tobiæ recordaretur, & Sanaballat, optabatque eos puniri his verbis, *Memento mei Domine pro Tobia & Sanaballat, iuxta opera eorum talia*, quia scilicet, rei Iudæorum publicæ, ac sacræ, vehementer aduersabantur, non quo eis malum optaret propriè, vt eis malum erat, sed quo, alii, eorum edocti suppliciis, sapere inciperent, & res sacras, aut promouerent, aut saltem euertere desisterent,

C sic modo, idem optat illis, vt contingat, qui eisdem admissis, ad Hebrææ gentis societatem, & ad illustrem ciuitatis ordinem, polluerunt Sacerdotium, iusque Sacerdotale, & Leuiticum peruerterunt.

Iusta Nehemiæ imprecatio aduersus reos violatæ Legis.

Dicitur Deus recordari peccatorũ cum ea punit & vindicat.

Vers. 30. *Igitur mundaui eos ab omnibus alienigenis, & constitui ordines Sacerdotum, & Leuitarum, vnumquemque in ministerio suo, &c.* Sic nempe, Nehemiæ studium, vt vides, diligens, & accuratum, omnia emendauit, & quasi antiquata, in pristinum vsum, statumque restituit, *mundaui*

D *eos*, inquit, *ab alienigenis, &c.* quia distraxit videlicet Iudæorum profana connubia, *& constitui ordines Sacerdotum, & Leuitarum, vnumquemque in ministerio suo, &c.* intellige, qua ratione, Moyses olim constituerat, & iuxta illum ipsum ordinem quem disposuerat Dauid Rex, vt scriptum est 1. Paralipomenon, 25. & 26. Nathinæos quoque, qui ligna, & aquas, in Templum comportabant, & curauit, vt quæ de Primitiis, & Decimis Lege constituta erant, magno studio obseruarentur, pro quibus orat Deum sibi

propitium fieri, hoc est quod ait, sub- ditque consequenter.

XX. Vers. 31. *Et in oblatione lignorum in temporibus constitutis & in primitiuis, &c.* Nimirum, vti iam dixi, fecit, vt ligna pro sacrificiis, suis temporibus in Templum inferrentur, quod Optimates ipsi, iureiurando olim facturos se receperant, capite decimo, versu trigesimo quarto, item, vt primitiua soluerentur, sub quibus illa etiam intelligi par est commoda, & emolumenta, quæ Sacerdotales, & Leuiticas domos sustentabant, & ornabant. Igitur *& in oblatione lignorum, &c.* id est, in compositione lignorum, ad nutriendum ignem iugiter, in Altari holocaustorum, quod debebat fieri à Sacerdotibus, per vices sibi inuicem succedendo, ita Lyranus; & vero, iam superius, ligna à populo offerri, ad ignem Altaris fouendum, nutriendumque, & ab inferioribus Templi ministris, in Templum deportari atque inferri solita, annotauimus, atque adeo de lignorum illorum oblatione, seu comportatione, seu compositione, hic sermo est.

Agitur hic de lignorũ oblatione, comportatione & cõpositione ad nutriendum ignem iugiter in Altari holocaustorũ.

Memento mei Deus in bonum, amen, &c. Ad extremam capitis partem absoluendam, subsequitur tandem, hæc tanto Duce, ac Principe, cuiusmodi fuit Nehemias, hoc est, religionis suæ amantissimo, & diuini cultus studiosissimo, vere digna vox, qua fœlicem operi suo coronidem imponit, *memento mei Deus in bonum*, inquit, iam tertiùm hoc capite, si bene meminimus, eandem pœne versat repetitque sententiam, quid ita? *dis kai tris to kalon*, quod aiunt, *bis, térve quod pulchrum est*, sed quorsùm tandem spectat tam solemni voce instituta, capitis extremi, totiusque demùm historiæ conclusio? extremam hic ego expositionis meæ sententiam, à Glossa ordinaria mutuari non vereor, paucis leuiter immutatis, sicque concludo, meritissimo quidem iure, talem conditorem & dedicatorem ciuitatis, post multos tam piè quam strenuè exantlatos labores, memoriæ se creatoris, & largitoris bonorum omnium commendare. Addam & illud modo cognatum satis atque finitimum, huic expositioni, quidni (quod iam obiter aliàs innuisse me memini) peramanter cum Deo, sic agat, colloquaturque Nehemias, *Memento mei Deus meus in bonum*, quasi dicat, Domine Deus meus, qui sim, quidve & quorsum fecerim, tute ipse scis, nec meminisse non potes, sed *memento in bonum*, cœlo quidem, non terræ, tibi non hominibus laboraui, quicquid opellæ, ædificandæ ciuitati sanctæ, murisque eius instaurandis, & domus tibi consecratæ, cultui sacro, in integrum restituendo, hactenus impendi, tua vnius causa egi, in te vnum spem meam omnem conieci, in te solum tanquam actionum mearum, futurum remuneratorem certissimum, & liberalissimum, oculos conieci, inspexique, fac ergo, Deus meus, ne expectatione frustratus abeam, ne spe concepta inanis excidam, sed *memento mei in bonum*, & fac quæso, vt omnes labores mei, decursis aliquando vitæ huius fluxæ, ac mortalis spatiis, tui vnius, quæ *merces magna nimis est*, tui, inquam, in quem toto animo semper intendi, quem vbique optaui vnice, quemque etiam nunc ardenter sitio, possessione compensentur. Cæterùm vox, *Amen*, quæ hic attexitur, aut Nehemiæ non est, aut certè, non videtur ad extremam hanc illius deprecationem pertinere, quid significet, *Amen*, alibi diximus, nunc ad intelligendum, quo sensu hoc loco accipi debeat, primum aduerte, vocem hanc, non reperiri in Hebraico textu, neque in Græco, neque in vlla translatione, deinde eius loco, in aliquibus codicibus Hebraicis, esse *Chezec*, quæ vox, fortitudinem significat, & ex Sanctii, vel opinione, vel coniectura, idem quod *vale*, qua voce, author, qui qui sit, aut scriptor, cum lectore loquitur, quem absoluto opere cum pace dimittit, eundem planè sensum habet vox *Salom* quam etiam, ad finem operis, adhibere nonnunquam solent Hebræi, vt pote qua lectori suo, salutem humaniter impertiant, quod si vocem, *Amen* ad finem huius operis attextam, Nehemiæ esse dicamus, & cum superioribus cohærere, hunc quoque satis commodum meo iudicio & vsitatum sensum, habere poterit, quasi dicat, absoluta precatione, *Roboretur aut confirmetur petitio mea*, ego vero id optem vel maxime vt roboretur, & confirmetur à Deo petitio mea qua

Tertium repetita Nehemiæ sententia quid in hac conclusione significat.

Quo sensu hoc loco accipi debeat Amen.

Vox Amẽ quæ hic addita non reperitur in Hebraïco textu, neque in Græco, neque in vlla translatione.

In aliquibus codicibus Hebraicis est vox Chezec, quæ fortitudinem, vel vale significat, qua voce scriptor lectorẽ cum pace dimittit.

summis precibus, votisque omnibus A ab eo contendo, vt in ipsius laudem, & gloriam, cedat is scriptus, editusque commentarius, cui manus extrema imponitur, quoad literæ expositionem die quinto Februarii anno 1640. sequitur extrema extremi huius Capitis Allegoria & Tropologia.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis decimi-tertij.

Mysticum, & morale in illud versus sexti. *In omnibus autem his non fui in Hierusalem, &c.*

Absentiam Principis, aut Prælati, ingens sæpe damnum, ac detrimentum subditis populis importare, præsentiam malum ab eis auertere.

RORSVS ea mens est, sensusque Lyrani, dum
7. ea verba Nehemię vers. 7. expendit, exponitque: *Veni in Hierusalem, & intellexi malum, quod fecerat Eliasib Tobiæ*, sic enim ille, *Per hoc significatur, quod absentia boni Principis de terra sua, & boni Prælati de Ecclesia sua, frequenter sunt occasiones malorum in illis pullulantium, sicut præsentia gubernatoris, est causa salutis nauis, & eius absentia periclitationis.* Et hæc quidem omnia ex ipso Nehemiæ facto arguuntur toto hoc capite, quippe qui collapsam sensim dum abesset ab vrbe Hierusalem Iudæorum disciplinam, præsens ipse postmodum restituit; nemo, vti videbatur in absentia Nehemiæ ab vrbe Hierusalem vicarias eius obire partes aut melius, aut commodius poterat, quàm Eliasib Sacerdos, & is nihilominus absente Nehemia, suum munus pessime administrauit, dum sacra prophanis sacrilega temeritate commiscuit, & confudit, quod in vrbem regressus Nehemias oratione sua testatur, cum ait versu septimo, & octauo. *Intellexi malum quod fecerat Eliasib Tobiæ, vt faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei, & malum mihi visum est valde*; nempe *Rex*, aut Princeps quilibet, suo quisque in dominatu, *qui sedet in solio iudicii dissipat omne malum intuitu suo*, ait Sapiens Prouerbiorum vigesimo, versu octauo, seu vt habet Chaldaica Paraphrasis, *dissipat à facie sua omnes impios*, quo loco Salomon suadere primum videtur Regibus ac Principibus, ne semper domi hæreant, in throno sedentes, sed vrbes nonnunquam ac Regnum inuisant & explorent, aliter enim pleraque scelera & facinora à subditis admissa, ipsos vt lateant penitus necesse est, atque eo forte spectat translatio 70. quæ sic habet. *Cum Rex iustus sederit in throno non obuiat malum in oculis eius*, id est, non occurrit malum, quia videlicet conspectum eius fugit: C hinc nonnulli cum de hoc argumento disputant Solem à Principe imitandum esse dicant, qui non semper in cœli apice super verticem nostrum hæret, sed inde ad Occidentem se demittit, & vniuersam terræ molem per circuitum ambit, & radiis suis loca etiam maxime abscondita introspicit, aliquando etiam obiectis nubibus faciem obducit, absconditque ipse sese, atque ita inuisus quodammodo omnia videt, ac sua luce collustrat, sic Principem, aiunt illi, non semper throno insidere necesse est, sed inde etiam ad

Præsentia gubernatoris est causa salutis nauis, & eius absentia naufragii.

Quomodo Rex dissipat omne malum intuitu suo; Regni sui vrbes lustrando.

Sol à Principe imitandus qui vniuersam terræ molem circuit.

inferiora negotia aliquando se sedemittere, Regnum per semetipsum curiosius inuisere, omnia diligenter explorare, nonnunquam etiam Regiam Maiestatem, si opus est pannosis vestibus, tanquam Solem nubibus occulere, atque inter vulgus se se miscere, vt transgressores liberius agentes deprehendat, ac de sui apud vulgares homines fama, & existimatione doceatur, sic enim, *dissipat omne malum intuitu suo*: certe id sæpissime etiam factitatum à viris principibus non paucis, immo & à plerisque Gallorum Regibus nostrates ferunt historiæ; suadet item Principi hæc eadem Salomonis sententia, si bonos interpretes audimus, ne iudicia & publicam administrationem, quantum commode licet, aliis Magistratibus inferioribus prorsus committat, sed vt per se se gubernationi intersit, solio insideat ipse, & quoad fieri potest, causas agnoscat & iudicet (id cæteros inter nominatissimos Francorum Reges, Ludouicum nonum sanctitatis gloria percelebrem, atque inter Diuos relatum præstare solitum accepimus) & consentanee illud quidem: nam Princeps qui ea ratione publicæ rei præest, facile omnino ac nullo negotio *dissipat omne malum intuitu suo*, vel, vt Hebræa habent, *oculis suis*, id est, suo conspectu prohibet is omnia mala à Regno suo, tum quia liberius insontes sententiam dicit, tum etiam quia plerique omnes à perpetrandis sceleribus abstinent fere, ne forte isthæc Principi qui ipsorum oculis insidet, nota ac manifesta sint, & multis quidem de causis Principis oculos, eiusque intuitum ad improborum coercenda flagitia valere plurimum docet Plutarchus, primum quia aliorum Magistratuum oculos gratia, fauor, aut dona nonnunquam perstringunt, & excæcant, iuxta illud: *Munera excæcant oculos Iudicum*: at Principum, & Magnatum oculi ab his omnibus liberi ac puri esse consueuerunt, deinde quia Regum ac Principum, eorumque omnium, qui summum in alios exercent imperium, oculi ipsi (si quando res postulat) maxime terribiles, seueri ac minaces esse solent, atque ideo ad reos ipsos, aut scelera etiam animo meditantes deterrendos peridonei: denique quia magis acres sunt ad videndum Regum oculi, quippe qui cum ex editissimo loco aspicit, hoc

Principes nonnulli inter vulgus se se immiscuerunt ignoti vt melius quis populi sensus esset intelligerent.

Sanctus Ludouicus ipse per se se subditorũ suorum causas agnoscebat, & iudicabat.

II.

Variæ rationes ob quas Reges dissipant omne malum intuitu suo.

A est, ex supremæ dignitatis fastigio & solio, liberius, & clarius cuncta intuentur, & maiori etiam acie pollent, cum enim superiorum oculos lux atque notitia à Deo inspirata & emissa ad gubernandum & iudicandum acuere soleat, hanc profecto lucem & clariorem, & vberiorem impertiri solet Deus quàm priuatis hominibus, astipulatur huic sententiæ, facitque totus omnino in eam rem D. Thomas in opusculo de regimine Principum lib. 3 cap. 2. vbi non paucis declarat qua ratione Regum oculi maiori lumine B collustrantur quàm aliorum, exemplo Angelorum supremi ordinis, quorum aciem amplior & vberior lux perfundit quàm inferiorum, sic sacra illa ac mystica Ezechielis animalia, quæ diuinæ Maiestatis currum veluti triumphalem vehunt, quæ augustissimum eius gloriæ splendorem spectantis Prophetæ oculis exhibent, ac demum quæ sagacem illam atque omnia gubernantem prouidentiam tam magnifice repræsentant, *plena sunt oculis ante & retro*, Ezechiel. cap. 1. vers. 18. Iam sub diuino illo numine omnia peruidente ac moderante, homines inter, D qui Principes agunt & Magistratus, quos eleganter vocat Themistius, τὴν ὑπονοίαν, *inferiorem prouidentiam*, quis neget cæteris fere oculatiores esse? vt iure à Tertulliano dictus sit Deus, *Totus oculus*; cum illis qui regunt aut pluribus oculis, aut certe perspicacioribus opus sit, quàm illis qui reguntur; tanto igitur, quantum expliciumus illustrati lumine Principes, verius ac certius cuncta intuentur, malis impendentibus obstant diligentius, & de rebus omnibus melius decernunt: adde item eorum oculos vigiles quoque magis esse, quàm priD uatorum: nam cum homines curæ ipsæ ac sollicitudines excitare soleant, alienæ curæ non ita vigiles, propriæ vero insomnes reddunt; quis autem non intelligit vbi de publicis Regni negotiis gerendis tractandisque agitur, inferiores Magistratus, aut Regũ Reiue publicæ administros alienam quodammodo curam in se suscipere, Regem vero aut Principem propriam gerere? atque hæ sunt causæ inter cæteras præcipuæ, ob quas Reges ac Principes Rerum publicarum administrationem gerere debent, ne illas tam vtili auxilio lucis à Deo inspiratæ defraudent, & cum eorum oculi tot no-

Regum ac Principum oculos, & clariori & vberiori lumine perfundi quã aliorum, multis ostendit D. Thomas.

Id per mystica Ezechielis animalia plena oculis indicatur.

Deus, totus oculus.

III.

minibus; aliorum oculis præstent acutiusque peruideant, sane operæ pretium esse videtur, estque omnino perutile, vt ipsi per se res inspiciant, causas cognoscant, & in omnem publicam administrationem intenti sint, vt mala omnia à subditis suis & citius, & commodius arcere valeant, atque vt eorum quorum maxime interest & sensu & exemplo res confirmetur. Eò spectat quod Basilius Imperator, inter ea quæ dictauit Leoni filio præcepisse imprimis dicitur his verbis. *Obstringe te huic necessitati, vt omnia tibi oculis inspicienda esse ducas, & nihil inspectum prætermittas, quippe Imperator cum sis in terris, neminem superiorem habes qui te cogere valeat; sed Regem habes eum qui dominatur in cælis, cui sicut omnia curæ sunt vt Deo, necesse est, & tibi curæ esse vt Regi, nihil ergo per socordiam neglectum prætereas cum te scias esse sub Deo, quemadmodum enim ea quæ a te diligenter inspecta administrantur multum emolumenti capiunt, ita quæ non inspecta neglectim prætereuntur in magnam perniciem labuntur.* Hactenus Basilius Imperator; ad hanc vitæ normam, gubernandique rationem de Magnatibus, ac Principibus quisquis se composuerit, næ in Regnum aut Rempublicam, cui regendæ à diuino numine præfectus fuerit, bona inuehet plurima, & ingentia quoque cum volet à subditis suis plerumque auertet incommoda.

Ex Basilii Imperatoris sententia & monitis ad Leonem filium res confirmantur.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA Capitis decimi-tertij.

Mysticum & morale in illud versus octaui & noni,

Et proieci vasa domus Tobiæ foras de Gazophylacio, præcepique & emundauerunt Gazophylacia & retuli ibi vasa domus Dei, &c.

Quid designat Nehemias proijciens vasa prophana Tobiæ, Ammonitis è Templo.

IV. VOD ad externum diuini numinis cultum sartum tectum tuendum, aut ad Templi decorem, fœdatum, violatumque nonnihil, in integrum restituendum, præstat Nehemias, id vero etiam nobis accuratiori studio perficiendum, vt internam animorum puritatem ab omni labe immunem præstemus; *Tu quoque*, inquit Beda in hunc locum, *quicquid inter fideles infidelitatis & immunditiæ reperetis, continuo proiice foras, vt mundatis cordibus credentium; quia sunt Gazophylacia Domini; cum virtutum fuerint plena diuitiis, vasa Domini inferantur*, id est, *ipsa corda; quæ paulo ante vasa erroris fuerant per culpam, per correctionem vasa Domini fiant, & ibi sacrificium sit bonæ operationis & thus bonæ orationis, vbi prius erat spelunca latronum.* Sic in vtramque Hierusalem siue infimam, siue supremam, siue terrenam, siue cœlestem, nihil immundum, profanum nihil admitti par est. Certè in cœlestem: *Nihil intrat coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium*, ait D. Ioannes Apocalyps. cap. 21. vers. 27. *Foris canes & venefici & impudici & Idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium*, Apocalyps. cap. 22. vers. 15. Nempe quicquid pollutum est vel minimum, inde secluditur longiusque abigitur, sin sensum mysticum à superiore paulo diuersum audire amas, en tibi: *Illi quoque vasa Tobiæ Ammonitis de Gazophylacio Templi eijciunt, vasa domus Dei & thus reponunt; qui excommunicatis Hæreticis,*

Quod præstat Nehemias proiiciens vasa prophana è Templo id

cuique præstandum est ad animũ repurgandum à sordibus vitiorum.

Qui Hæreticos & falsos Catholicos ab-

Ecclesia expellant factũ Nehemiæ repræsentãt.

vel falsis Catholicis, ab Ecclesia expulsis, in eorum gradus, Christo famulaturos subrogant qui fidelibus ei actibus & orationibus deseruiant; Sit Glossa Ordinaria, quæ addit etiam in eandem rem, quod mihi præ cæteris admodum placet, comparandum scilicet esse hoc factum Nehemiæ zelo Christi qui inueniens in Templo vendentes & ementes facit flagellum de funiculis & cunctos foras proiecit, *Sicut enim Nehemias*, inquit, *in cæteris, ita & in hoc personam eius repræsentauit*, & nos quoque illud ipsum, alias, in dissertationibus Allegoricis obseruauimus. Profectò, si ita res habet, apprimè respondet vmbra corpori figura veritati, siquidem in vtroque cùm Nehemiæ, tùm Christi facto ingens erga res sacras & Religiosum Templi cultum zelus emicat; Vtrobique scilicet ab vtroque docendum erat mysticè animos & corpora nostra Templa esse Spiritus sancti quæ continenti studio mundari oporteat, & domum Dei quoque externam ac visibilem, Templumque ipsum materiale diuino cultui consecratum, castè colendum esse ab omnibus atque omni honore & reuerentia obseruandum. *An nescitis quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus sancti*, ait D. Paulus 1. Corinth. cap. 6. vers. 19. & cap. 13. vers. 17. *Si quis Templum Dei violauerit disperdet illum Deus*, vt mirum non sit quod in persona assertoris nostri adeo luculenter impletum audiamus in Euangelio illud Psalmi 68. vers. 10. *Zelus domus tuæ comedit me*, cum semel, & iterum, initio scilicet prædicationis suæ Ioann. cap. 2. vers. 14. & paulo ante passionem suam Matth. cap. 21. vers. 12. aduersus Templi prophanatores exarsit. Nimirum zelus hic fuit iusta Christi indignatio (vt notat Euthymius) aut potius ardor & æstus animi, ad amoliendum ea quæ Deum, quem summè amabat, Deique honorem offendebant, qui proinde iram & indignationem, quasi cotem assumpsit, vt eo se acueret, & audacter se suamque vitam & famam pro tuendo Dei honore exponeret, vt iam olim multis ante sæculis in Christi ipsius typo perfecerat Nehemias. Et quidem magna prorsus debetur ab omnibus Dei cultoribus Templo reuerentia, ea scilicet quam ipsius Dei domui & habitationi non indebitam quisque intelligit, Chri-

Christus eiiciens vendentes de Templo & Nehemias vasa prophana, docent & Templis materialibus honorem exhibendum & Templis spiritualibus curam & studium adhibendũ vt à rerum terrenarũ amore minus puro repurgentur.

A stum enim in Euangelio sic de Templo loquentem audio, *Domus mea domus orationis vocabitur, &c. Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Quare sicut herus aut dominus quisque iniuriam domui suæ factam, vt sibi ipsi factam persequitur & vlciscitur, sic at Christus iniuriam Templo illatam, sibi illatam existimauit, & vt talem seuerius vindicauit. Vnde appositè monuit S. Augustinus in Regula, *Nemo*, inquit, *in oratorio aliquid agat, nisi ad quod factum est, & vnde nomen habet*. Ac licet, vt obseruat Beda in caput secundum Ioannis cum de vendentibus & ementibus in Templo disputat, *Viderentur licitè vendi in Templo quæ ad hoc emebantur, vt in eodem Templo offerrentur Domino, tamen nolens ipse Dominus aliquid in domo sua terrenæ negotiationis ne eius quidem quæ honesta putaretur exhiberi, dispulit negotiatores iniustos & foras, omnes simul cum iis quæ negotiabantur eiecit, &c.* tùm subiungit idem Author, *Quid putamus fratres mei, quid putamus faceret Dominus, si nos dissidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos, qui hostias quæ sibi immolarentur in Templo ementes vidit, & eliminare festinauit?* Hactenus ille. Videant ergo etiam atque etiam & secus diligentius considerent quàm à Christo summo omnium iudice flagellandi aliquando sint, qui sacrosancta Christianorum Templa, in quibus corporaliter habitat sub sanctissimo Eucharistiæ Sacramento seu garriendo & confabulando puériliter, seu inania meditando, & huc illuc circumspiciendo indecorè, seu lasciuiendo potandove impudenter profanare non verentur. *Ad diuos adeunto, castè pietatem adhibento, qui secus faxit Deus vindex esto*, vt ferebat antiqua Romanorum Lex. Sin autem & Nehemiæ, & Christi ipsius zelum, erga Templi cultum ad mentes nostras quæ Templa sunt Spiritus sancti repurgandas ab omni vitiorum labe referri volumus, quemadmodum id fieri congruè possit, audi ex Augustino qui sciscitanti sibimetipsi, *Quis comeditur zelo domus Dei?* sic respondet, *Qui omnia quæ forte ibi videt peruersa satagit emendare, non quæ sit si emendare non potest tolerat, gemit, & apud se dicit, Tabescere me fecit zelus meus quia obliti sunt verba tua inimici mei*, vt aiebat

Cur adeò seuere vindicauit Christus ementes & vendentes in Templo.

VI. Quomodo in nobis & in aliis domus Dei purganda ex zelo diuini honoris.

B

C

D

V.

olim Psaltes Regius Psalm. 118. vers. 139. vbi in te primum, & in studium repurgandi tui ardorem tuum explicueris. Si vis aliquid amplius, si optas zelum tuum foras prorumpere, & æstuante charitate, è propria domo in alienam, è tua ipsius ad proximi conscientiam extendi, modum facilem expeditamque rationem, ex Beda iam ante citato condisce; *Zelemus & nos fratres*, inquit, *domum Dei, si viderimus fratrem qui ad domum Dei pertinet superbia tumidum, detractionibus assuetum, si ebrietati seruientem, si luxuria eneruatum, si iracundia tumidum, si alij cuiquam vitio substratum, studeamus in quantum facultas suppetit castigare, polluta ac peruersa corrigere,* A *& si quid de talibus emendare nequiueris, non sine acerrimo mentis sustinere dolore, & maximè in ipsa domo orationis vbi corpus Dei consecratur, vbi Angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid nostram fraternamve orationem impediat totis viribus agamus.* Hactenus Beda, quo vt vides nihil ad institutum nostrum accommodatius dici potest: Hoc siquidem est Templum religiosè venerari & sanctè, hoc *vasa prophana* è domo Dei eiicere, Christiano more, hoc demum est *Nehemiæ* nostri atque adeo Christi ipsius zelum ardentissimum erga cultum locis sacris ex- B hibendum sanctissimè imitari.

ALLEGORIA ET TROPOLOGIA
Capitis decimi-tertij.

Mysticum & morale in illud vers. 17. *Et obiurgaui Optimates Iuda, & dixi eis: Quæ est hæc res mala quam vos facitis & prophanatis diem Sabbati, &c.*

De Festorum dierum sanctificatione, & quid mysticè indicetur per alienigenas qui Iudæos inducunt ad violandum Sabbatum vers. 15. & 16. & per portas Hierusalem clausas eodem die Sabbati, versu decimo nono.

VII.

NOTIS his versibus, strenui Ducis vigilantisque Nehemiæ cura solers, ac diligens studium in coercenda profanatione Sabbati: satis apertè indicat, quanti apud Deum meriti sit, quantiue facienda non externa modo externi veluti ac cæremonialis, sed multo etiam magis interna mystici ac spiritualis Sabbati perfecta vndecumque obseruatio, vt in singulorum versuum mysterio detegendo sigillatim nihil admodum laborare necesse sit: Primùm enim, vis scire quid mysticè significetur per portas clausas Hierusalem ex præce- C pto Nehemiæ, vt ipse loquitur, his verbis: *Dixi & clauserunt ianuas & præcepi vt non aperirent eas vsque post Sabbatum*, ex Beda sic accipe, *Conscientia nostra*, inquit ille, *si à vitiis purgata Deo habitatore gaudet, vocari potest Hierusalem, cuius portæ sunt corporei sensus, per quos quæ foris aguntur, ad notitiam nostræ mentis quasi intrando pertingunt, quos in die Sabbati claudere iubemur, vt cum Deo vacare in psalmis & orationibus quærimus, quicquid exterius agitur, ab animo propulsetur, solumque iudicem in occulto, libera mente precemur, & laudemus. Et quia nemo repente fit summus, sed longo conuersationis sanctæ profectu debet quis-* Clausæ portæ Hierusalem in die Sabbati indicant in oratione internam animi quietem necess-

fariam itāque ad hanc perfectionem & pacem mentis gratia Duce peruenire, ideo merito sequitur, infra scilicet vers. 22. quod rursum ait Nehemias, *Dixi quoque Leuitis vt mundarentur & venirent ad custodiendas portas & sanctificandum diem Sabbati, &c. Nam mundari eos à quotidiano operis exercitio necesse est, qui portas sensuum, ab incursu turbulentæ cogitationis custodire cupiunt qui cupit diem Sabbati sanctificare*, id est, *otium orationis, psalmodiæ, lectionis sanctæ, & lachrymarum, sibi vtile facere, necesse est vt mundetur eius conscientia, multa sedulitate & solertia, vt intentionem bonæ actionis consummare valeat.* Iam vero de alienigenis qui Iudæos inducunt ad Sabbati violationem vers. 15. & 16. & moraliter & Allegoricè sic ex prædictis satis commode licet exponere Agunt quidem Sabbatum verè mysticum ac spirituale qui ab huius mundi curis ad tempus separati, orationibus vacant, & in cœlestium rerum contemplatione purificatam mentem exercent, sed diem Sabbati alienigenæ quærunt prophanare, cum terrenæ cogitationes nos in tempore orationis importune conturbant, & memoria vel delectatione temporalium rerum ab intimo amore retrahunt, *imponunt & onerant*, (quod est in textu, vers. 15. & acerbissime fert Nehemias) *super asinos vinū, & ficus & omne onus, & inferunt in Hierusalem die Sabbati.* cum oblectamentis carnalibus stultos animi motus onerantes, quietem cordis Deo dicatam violare conantur, sed his improbarum cogitationum tumultibus, ne Sabbatum nostrum disturbent, obsistit impense, contradicitque Nehemias, cum districta solertia iuuante Domino, inutiles de corde nostro cogitationes, & inepta phantasmata tempore orationis excludimus, *contestatur enim eo*, (ad exemplum scilicet Nehemiæ qui hoc facit) *vt in die qua eiusmodi communia habere liceat vendant*, cum hunc suis cogitationibus, deuota Deo anima modum imponit, vt in tempore orationis, à transeuntium rerum curis abstineant, nec tamen aliis temporibus vbi opportunitas dictauerit ab iis prorsus intuitum auertant, sed suum quodque tempus singulis functionibus congrua moderatione distribuant atque dispensent;

Fariam sā-susque frænandos ne liberius euagentur.

Quid sit mystice imponere super asinos omne onus, & inferre in Hierusalem die Sabbati.

B

C

D

VIII. cæterum vsque adeo diei vnius in hebdomadæ circulo sanctificatio cùm in- A terna, tum externa, summo rerum omnium Creatori placuit, vt propterea iam ab ipsis mundi nascentis cunabulis sanctificatum hunc à se diem, ac peculiari benedictionis priuilegio donatum, atque ipsiusmet Dei requieti destinatum perceIebrem nobis venerandumque reddiderit Genes. cap. 2. vers. 3. *Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus vt faceret*; quo ex loco (si probe mysterium intelligitur) compertum etiam habemus, ad quietem animæ à seruilibus ac terrenarum rerum curis feriatæ captandam, atque ad obsequium summo conditori Deo præstandum diuinitus institui dies festos in Ecclesia: certe de festis in Christi Domini honorem celebrari solitis, ita loquitur D. Gregorius Nazianzenus, in oratione de Natiuitate Domini: *Proh! quot mihi festos dies singula Christi mysteria suppeditant*, inquit ille, *quorum omnium vnum caput est, atque vnus hic scopus, scilicet mea perfectio, & instauratio*. quem nos institutæ cuiusuis solemnitatis finem propositum nisi assequimur, profecto sacris diuinisque rebus illudimus, adeo, que Dei ipsius iram vindicem in nos appellamus, stupendum in eo genere est, quod ex sanctorum Patrum lectione licet animaduertere, scilicet nonnullos esse, qui dum Prophetarum dicta diligentius expendunt, non temere suspicantur, maxime propter profanatas violatasque turpiter Dei solemnitates à populo Hebræorum, excidium eorum captiuitatemque contigisse, quàm populi in legem præuaricantis stragem extremamque perniciem, Deus ipse suam veluti festiuitatem vocauerit per Oseam cap. 9. vers. 5. his verbis. *Quid facietis in die solemni, in die festiuitatis Domini: ecce enim profecti sunt à vastitate, &c.* Sic enim exponit D. Hieronymus, *cum venerit dies festiuitatis, & sæuissimus hostis ingruerit, quæ mea solemnitas est, quam ego placabilem habeo hostiam, quia me de meis hostibus vindicat, & iniuriæ ponit modum, & flagellat impios.* Hæc D. Hieronymus. Neque vero id dubiis admodum coniecturis, ex authore etiam nostro petitis assequi difficile est, eo siquidem satis aperte hæc verba Nehemiæ referuntur vers. 17. & 18. *Et obiurgaui Optimates Iuda, & dixi eis, quæ est hæc res mala quam vos facitis & profanatis diem Sabbati? nunquid non hæc fecerunt*

Ab ipso mundi exordio Sabbatum benedixit & sanctificauit Deus.

Ad quid instituti dies festi in Ecclesia.

Ob sacras festiuitates male à populo Hebræorum obseruatas captiuitatem illis contigisse quidam è SS. Patribus, è Prophetarum oraculis deducunt.

fecerunt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem hanc, & vos additis iracundiam super Israel violando Sabbatum. Quidni iam Christianis idem ipsum pertimescendum sit, si quod olim Iudæi idem peccant his temporibus? hinc est quod grauiter profecto, atque acerbe semper inuecti sunt Ecclesiæ sanctissimi Patres aduersus ir-

IX. religiosam, falsamque pietatem hominum prorsus amentium, qui dies diuino cultui consecratos, festiuosque liberiore viuendi, epulandi, vestiendi, obambulandi, iocandi, & quod horribile dictu est, peccandi palam, lasciuiendique licentia profanare consueuerunt, notum illud est D. Hieronymi ad Eustochium. *Prouidendum est, vt solemnitatem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus, quia valde absurdum est nimia saturitate velle honorare martyrem quem scias Deo placuisse ieiuniis*, id à D. Gregorio Nazianzeno expresserat dignus magistro discipulus, oratione 38. vbi de Christi Domini natali die sancte celebrando sic disserit non longe ab initio. *Quocirca non vt in publicis festis fieri solet, sed diuine, non mundane, sed supramundane, non nostra, sed nostri, vt rectius loquar, Domini, non quæ infirmitatis sunt, sed quæ curationis, non quæ creationis, sed quæ recreationis celebremus, id autem qua ratione consequemur? nempe si nec domus vestibula coronis cingamus, nec choros agitemus, nec vicos ornemus, nec oculum pascamus, nec aurem cantu mulceamus, nec olfactum muliebriter deleniamus, nec gustui lenocinemur, nec tactui gratificemur, promptis inquam illis ad vitium viis, & peccati ianuis, nec teneris & circumfluentibus vestibus emolliamur, quarum quod pulcherrimum est, nulli vsui est, nec gemmarum splendoribus, nec auri fulgoribus, nec colorum artificiis natiuam pulchritudinem ementientibus, atque aduersus diuinam imaginem excogitatis, nec comessationibus & ebrietatibus, quibus cubilia & impudicitias adiuncta esse scio, quandoquidem malorum magistrorum malæ doctrinæ sunt, vel potius malorum seminum malæ segetes, nec fragrantia vina, coquorum lenocinia, ingentis sumptus vnguenta in precio habeamus, nec terra & mare pretiosum nobis stercus dono offerant (hoc enim honore*

Acerbe inuehuntur sancti Patres in profanantes festa.

A *delicias afficere soleo) nec alius alium intemperantia superare contendamus.* Ita Gregorius Nazianzenus stylo sane acri ac vehementi, qui & ibidem post paulo, subiicit hæc & memoria, & commendatione digna. *Verum hæc Gentilibus ac Gentilitiis pompis, festisque relinquamus, qui etiam iis quos sacrificiorum nidor oblectat Deorum nomen tribuunt, aptéque proinde diuinum numen ventre colunt, malis vtique malorum dæmonum, & fictores, & Sacerdotes, & cultores, at nos à quibus Verbum adoratur, si quid deliciis, dandum est, in sermone* B *delectemur, atque in lege diuina, & narrationibus cum aliis, tum iis præsertim, quæ præsenti festo consentaneæ sunt, &c.* Ad hæc adiungo illud Diui

X. Augustini, libro de decem chordis quod in Christianos æque atque in Iudæos conuenit, meritoque dici potest, *melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quam si in theatro seditiosus existeret, & melius fœmina eorum die Sabbati lanam facerent, quam quod tota die, in Neomeniis suis impudice saltarent*, & in commentariis in Psalmum nonagesimum primum vbi C de Sabbato cordis quod mysticum & spirituale nos hic appellamus eleganter disputat in hunc modum dum titulum Psalmi explicat & exponit, qui sic habet Psalmus Cantici in die Sabbati. *Ecce, inquit, & hodiernus dies Sabbati est, hunc in præsenti tempore, otio quodam corporaliter languido, & fluxo, & luxurioso celebrant Iudæi, vacant enim ad nugas, & cum Deus obseruari præceperit Sabbatum, illi in his quæ Deus prohibet, exercent Sabbatum, vacatio nostra à malis operibus, vacatio illorum à bonis operibus est, melius est enim arare quam salta-* D *re, illi à bono opere vacant ab opere nugatorio non vacant, nobis Sabbatum indicit Deus, quale? primo vbi sit videte, intus est, in corde est Sabbatum nostrum: multi enim vacant membris, & tumultuantur conscientia, omnis homo malus Sabbatum habere non potest, nusquam enim illius conquiescit conscientia*, quæso Lector hanc vocem expende, *omnis homo malus Sabbatum habere non potest*, immo ad attextam illico rationem attende, *quia, inquit, nusquam illius quiescit conscientia, & necesse est, vt in perturbationibus viuat*; Deus bone! quàm paucis igitur Deus festus vere festus est, & Sabbatum, si in illorum animis

Quomodo a Christianis festa religiose celebranda.

Quid sit Sabbatum cordis quod magno studio Christianis celebrandum.

fariam iè-susque fra-nandos ne liberius enagentur.

que ad hanc perfectionem & pacem men- A tis gratia Duce peruenire, ideo merito sequitur, infra scilicet vers. 22. quod rursum ait Nehemias, *Dixi quoque Leuitis vt mundarentur & venirent ad custodiendas portas & sanctificandum diem Sabbati, &c. Nam mundari eos à quotidiano operis exercitio necesse est, qui portas sensuum, ab incursu turbulentæ cogitationis custodire cupiunt qui cupit diem Sabbati sanctificare*, id est, *otium orationis, psalmodiæ, lectionis sanctæ, & lachrymarum, sibi vtile facere, necesse est vt mundetur eius conscientia, multa sedulitate & solertia, vt intentionem bonæ actionis consummare valeat.* Iam vero de alienigenis qui B Iudæos inducunt ad Sabbati violationem vers. 15. & 16. & moraliter & Allegoricè sic ex prædictis satis commode licet exponere Agunt quidem Sabbatum verè mysticum ac spirituale qui ab huius mundi curis ad tempus separati, orationibus vacant, & in cœlestium rerum contemplatione purificatam mentem exercent, sed diem Sabbati alienigenæ quærunt prophanare, cum terrenæ cogitationes nos in tempore orationis importune conturbant, & memoria vel delectatione temporalium rerum ab intimo amore retrahunt, *imponunt & onerant*, C (quod est in textu. vers. 15. & acerbissime fert Nehemias) *super asinos vinus, & ficus & omne onus, & inferunt in Hierusalem die Sabbati.* cum oblectamentis carnalibus stultos animi motus onerantes, quietem cordis Deo dicatam violare conantur, sed his improbarum cogitationum tumultibus, ne Sabbatum nostrum disturbent, obsistit impense, contradicitque Nehemias, cum districta solertia iuuante Domino, inutiles de corde nostro cogitationes, & inepta phantasmata tempore orationis excludimus, *contestatur enim eo.* (ad exemplum scilicet Nehemiæ qui hoc facit) *vt in die qua eiusmodi communia habere liceat vendant*, cum hunc suis cogitationibus, deuota Deo anima modum im- D ponit, vt in tempore orationis, à transeuntium rerum curis abstineant, nec tamen aliis temporibus vbi opportunitas dictauerit ab iis prorsus intuitum auertant, sed suum quodque tempus singulis functionibus congrua moderatione distribuant atque dispensent; cæterum vsque adeo diei vnius in hebdomadæ circulo sanctificatio cùm in-

Quid sit mystice imponere super asinos omne onus, & inferre in Hierusalem die Sabbati.

VIII.

terna, tum externa, summo rerum omnium Creatori placuit, vt propterea iam ab ipsis mundi nascentis cunabulis sanctificatum hunc à se diem, ac peculiari benedictionis priuilegio donatum, atque ipsiusmet Dei requieti destinatum percelebrem nobis venerandumque reddiderit Genes. cap. 2. vers. 3. *Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus vt faceret*; quo ex loco (si probe mysterium intelligitur) compertum etiam habemus, ad quietem animæ à seruilibus ac terrenarum rerum curis feriatæ captandam, atque ad obsequium summo conditori Deo præstandum diuinitus institui dies festos in Ecclesia: certe de festis in Christi Domini honorem celebrari solitis, ita loquitur D. Gregorius Nazianzenus, in oratione de Natiuitate Domini: *Prob! quot mihi festos dies singula Christi mysteria suppeditant*, inquit ille, *quorum omnium vnum caput est, atque vnus hic scopus, scilicet mea perfectio, & instauratio.* quem nos institutæ cuiusuis solemnitatis finem propositum nisi assequimur, profecto sacris diuinisque rebus illudimus, adeoque Dei ipsius iram vindicem in nos appellamus, stupendum in eo genere est, quod ex sanctorum Patrum lectione licet animaduertere, scilicet nonnullos esse qui dum Prophetarum dicta diligentius expendunt, non temere suspicantur, maxime propter profanatas violatasque turpiter Dei solemnitates à populo Hebræorum, excidium eorum captiuitatemque contigisse, quam populi in legem præuaricantis stragem extremamque perniciem, Deus ipse suam veluti festiuitatem vocauerit per Oseam cap. 9. vers. 5. his verbis. *Quid facietis in die solemni, in die festiuitatis Domini: ecce enim profecti sunt à vastitate, &c.* Sic enim exponit D. Hieronymus, *cum venerit dies festiuitatis, & sæuissimus hostis ingruerit, quæ mea solemnitas est, quam ego placabilem habeo hostiam, quia me de meis hostibus vindicat, & iniuriæ ponit modum, & flagellat impios.* Hæc D. Hieronymus. Neque vero id dubiis admodum coniecturis, ex authore etiam nostro petitis assequi difficile est, eo siquidem satis aperte hæc verba Nehemiæ referuntur vers. 17. & 18. *Et obiurgaui Optimates Iuda, & dixi eis, quæ est hæc res mala quam vos facitis & profanatis diem Sabbati? nunquid non hæc*

fecerunt

Ab ipso mundi exordio Sabbatum benedixit & sanctificauit Deus.

Ad quid instituti dies festi in Ecclesia.

Ob sacras festiuitates maledi populo Hebræorum obseruatas captiuitatem illis contigisse quidam è SS. Patribus, è Prophetarum oraculis deducunt.

fecerunt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem hanc, & vos additis iracundiam super Israel violando Sabbatum. Quidni iam Christianis idem ipsum pertimescendum sit, si quod olim Iudæi idem peccant his temporibus? hinc est quod grauiter profecto, atque acerbe semper inuecti sunt Ecclesiæ sanctissimi Patres aduersus irreligiosam, falsamque pietatem hominum prorsus amentium, qui dies diuino cultui consecratos, festiuosque liberiore viuendi, epulandi, vestiendi, obambulandi, iocandi, & quod horribile dictu est, peccandi palam, lasciuiendique licentia profanare consueuerunt, notum illud est D. Hieronymi ad Eustochium. *Prouidenaum est, vt solemnem diem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus, quia valde absurdum est nimia saturitate velle honorare martyrem quem scimus Deo placuisse ieiuniis*, id à D. Gregorio Nazianzeno expresserat dignus magistro discipulus, oratione 38. vbi de Christi Domini natali die sancte celebrando sic disserit non longe ab initio. *Quocirca non vt in publicis festis fieri soles, sed diuine, non mundane, sed supramundane, non nostra, sed nostri, vt rectius loquar, Domini, non quæ infirmitatis sunt, sed quæ curationis, non quæ creationis, sed quæ recreationis celebremus, id autem qua ratione consequemur? nempe si nec demum vestibula coronis cingamus, nec choros agitemus, nec vicos ornemus, nec oculum pascamus, nec aurem cantu mulceamus, nec olfactum muliebriter deliniamus, nec gustui lenocinemur, nec tactui gratificemur, promptis inquam illis ad vitium viis, & peccati ianuis, nec teneris & circumfluentibus vestibus emolliamur, quarum quod pulcherrimum est, nulli vsui est, nec gemmarum splendoribus, nec auri fulgoribus, nec colorum artificiis natiuam pulchritudinem ementientibus, atque aduersus diuinam imaginem excogitatis, nec comessationibus & ebrietatibus, quibus cubilia & impudicitias adiuncta esse scio, quandoquidem malorum magistrorum malæ doctrinæ sunt, vel potius malorum seminum malæ segetes: nec fragrantia vina, coquorum lenocinia, ingentis sumptus vnguenta in precio habeamus, nec terra & mare pretiosum nobis stercus dono offerant (hoc enim honore delicias afficere soleo) nec alius alium intemperantia superare contendamus.* Ita Gregorius Nazianzenus stylo sane acri ac vehementi, qui & ibidem post paulo, subiicit hæc & memoria, & commendatione digna. *Verum hæc Gentilibus ac Gentilitiis pompis, festisque relinquamus, qui etiam iis quos sacrificiorum nidor oblectat Deorum nomen tribuunt, apteque proinde diuinum numen ventre colunt, mali vtique malorum dæmonum, & fictores, & Sacerdotes, & cultores, at nos à quibus Verbum adoratur, si quid deliciis, dandum est, in sermone delectemur, atque in lege diuina, & narrationibus cum aliis, tum iis præsertim, quæ præsenti festo consentaneæ sunt, &c.* Ad hæc adiungo illud Diui Augustini, libro de decem chordis quod in Christianos æque atque in Iudæos conuenit, meritoque dici potest, *melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quam si in theatro seditiosus existeret, & melius fœmina eorum die Sabbati lanam facerent, quam quod tota die, in Neomeniis suis impudice saltarent*, & in commentariis in Psalmum nonagesimum primum vbi de Sabbato cordis quod mysticum & spirituale nos hic appellamus eleganter disputat in hunc modum dum titulum Psalmi explicat & exponit, qui sic habet Psalmus Cantici in die Sabbati. *Ecce*, inquit, *& hodiernus dies Sabbati est, hunc in præsenti tempore, otio quodam corporaliter languido, & fluxo, & luxurioso celebrant Iudæi, vacant enim ad nugas, & cum Deus obseruari præceperit Sabbatum, illi in his quæ Deus prohibet, exercent Sabbatum, vacatio nostra à malis operibus, vacatio illorum à bonis operibus est, melius est enim arare quam saltare, illi à bono opere vacant ab opere nugatorio non vacant, nobis Sabbatum indicit Deus, quale? primo vbi sit videte, intus est, in corde est Sabbatum nostrum: multi enim vacant membris, & tumultuantur conscientia, omnis homo malus Sabbatum habere non potest, nusquam enim illius conquiescit conscientia*, quæso Lector hanc vocem expende, *omnis homo malus Sabbatum habere non potest*, immo ad attextam illico rationem attende, *quia*, inquit, *nusquam illius quiescit conscientia, & necesse est, vt in perturbationibus viuat*; Deus bone! quàm paucis igitur Deus festus vere festus est, & Sabbatum, si in illorum animis

Margin notes:
IX. — *Acerbe inuehuntur sancti Patres in profanantes festa.* — *Quomodo a Christianis festa religiose celebranda.* — X. — *Quid sit Sabbatum cordis quod magno studio Christianis celebrandum.*

commotione aliqua (vt fere fit) perturbatis, quies non est, ac proinde nec Sabbatum! pergit Augustinus. *Cui autem bona est conscientia, tranquillus est, & ipsa tranquillitas Sabbatum est cordis, attendit enim promissorem Dominum, & si laborat in praesenti, extenditur spe futuri, & serenatur omne nubilum tristitia,* sicut dicit Apostolus, *spe gaudentes, ipsum autem gaudium in tranquillitate spei nostrae, Sabbatum nostrum est, hoc commendatur, hoc cantatur in ipso Psalmo, quomodo sit homo Christianus in Sabbato cordis sui,* id est, *in vacatione, & tranquillitate, & serenitate conscientiae suae imperturbatus, &c.* Huc vsque Diuus Augustinus de Sabbato cordis Christianis omnibus, per quam necessario, vt vere & caste festos dies in Ecclesia institutos sanctificare censeantur;

Homo malus, & perturbata conscientia non potest agere Sabbatū.

XI. obsecro, si iam reuiuiscerent sanctissimi Patres, quibus sententiarum aculeis, quo verborum pondere perstringerent, damnarentque, non tam epulas, aut vestium lenocinia, aut inanium pomparum fercula, quae diebus festis maxime se produnt, quam turpitudinum commercia, meretricia spectacula, ludorum lusuumque procacitates, atque aestuantia libidinum incendia, quae in publicum proferunt, atque omnium oculis exhibent se se, miserrima hac tempestate, prorsus aequiori iure in huius temporis tam nefariam consuetudinem quam in veterum temporum apud Hebraeos indignabundus diceret Dominus illud Isaiae c. 1. vers. 14. *Neomeniam, & Sabbatum, & festiuitates alias non feram, iniqui sunt coetus vestri calendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea,* in quem locum Tertullianus libro secundo contra Marcionem capite centesimo vigesimo secundo, sic exponit. *Solemnitates vestras, Sabbata vestra,* Paraphrastice, *vestra dicit, quae secundum libidinem suam non secundum Religionem Dei celebrando sua iam non Dei fecerant, &c.* Simile argumentum legere est apud Oseam capite octauo, versu centesimo trigesimo primo. *Hostias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non suscipiet eas,* quem locum sic explicat Diuus Hieronymus. *Altaria idcirco fecerunt, non vt mihi placerent, sed vt multis hostiis* A *immolatis carnes earum comederent; non eas suscipiet Dominus, quas non illi, sed suo ventri immolauerunt, & gutturi;* sic ille. Ad extremum hic addo cum in anniuersariis, festis, diebusque solemnioribus instituendis id potissimum spectarit Ecclesia, nobisque propositum esse voluerit, vt quae Christus Dominus salutis nostrae gratia, & fecit, & passus est, ea diebus illis assiduo, & grato animo recolentes, ipsius amore inflammemur, quo scilicet diligenti cura, ac sedula pietate gratias B agendo, nobis ipsummet ipsis magis deuinciamus, quos cumulatioribus postea beneficiis afficiat, quàm aegrè munificentissimo bonorum omnium largitori esse oportet, cum beneficentiae suae fontes occludi à nobis aut exsiccari animaduertit rei eius praestandae incuria, quam vt bene ab illo nobis esset, instituendam, commendandamque praeceperit: quam praepostere res versantur animorum nostrorum peruersitate, cum pro gratiis agendis, & propitiandi numinis loco, in scelus imus praecipites liberius; & peccata peccatis inuoluimus, quo C tempore caelestem gratiam in nos deriuare copiosius, & vindicem Dei manum votis, & precibus maiori studio à ceruicibus nostris depellere commonemur, quo in loco lubet profecto admirari immensam Dei erga humanum genus benignitatem, qui cum nostrae nos salutis, quae in ipso agnoscendo, amando, colendo, tota est posita, plurimis quotidie, maximisque beneficiis admonet; atque ad se animos nostros reuocat, adeo vt nisi essemus mente turpiter obstinata, atque in carnis nostrae voluptatibus foede ob-D firmata nunquam alio cogitationes nostras auerteremus, insuper etiam noua saepenumero & subministrat, & commonstrat adminicula, quae praeclarissima quaeque sua in nos beneficia ad memoriam adducant, quo digni reddamur acceptis, & ad alia accipienda paratiores simus animoque instructiores, cum nos quasi volentes nolentes, aut certe incurios alioqui, & rerum diuinarum immemores ad ea exequenda inducit, hortatur, impellit, quae nostri in eum obsequii sunt hortante etiam nemine; cum certis quibusdam die-

bus *vacare* nos iubet, & videre, *quam suauis ipse est*, ac proinde quàm amandus, & quanto studio colendus complectendusque in perpetuum, sic diem puta Dominicam, cæterasque anni augustiores celebritates institutas nouimus, vt diebus illis præsertim tota hæreat, defixaque sit in rebus cælestibus recolendis, retractandis, perscrutandis, ac demum degustandis, animorum nostrorum cura, atque industria, vt ne vnquam Dei ipsius optimi maximi quoad fieri poterit, nos capiat obliuio, dum statis temporibus diuinorum mysteriorum memoriam ardentiori studio, & maiori pietatis sensu refricare satagimus, ni hoc sentis, & sapis quisquis es, Christiani nomine indignus es, qui secus facis, vt in Deum, sic in teipsum peccas. qui diuinis muneribus orbari ipse, quibus diebus largius, & conceduntur, & vberius e cœlo depluunt, ambitioso flagitio, & sacrilega quadam impietate non vereris, verbo multa complector, si dies Deo consecrati dicatique, dicti, *dies Domini sunt*, fac illos Deo gratos, fac placabiles tibi, fac illos, vtique hilares & amœnos, id si nosti fac tu ipse, vt facto illud atque opere commonstres, alioquin vt in Iudæos olim, sic nunc quoque in Christianos rursum illud intonabit Dominus iam ante ex Isaia petitum. *Iniqui sunt cœtus vestri, solemnitates vestras odiuit anima mea.* Ex quibus omnibus sic tandem licet concludere: Si dies festos, ac diuino cultui consecratos festos nobis sanctosque esse volumus illis potissimum diebus, *in spiritu, & veritate* externo simul internoque cultu diuini numinis conciliandi curam nobis debere esse præcipuam.

FINIS.

INDEX RERVM NOTATV DIGNIORVM,

quæ in hoc Libro comprehenduntur.

Prior numerus denotat paginam, posterior columnam.

Iudicia.

Iusti.

L.

Labor.

Lachryma.

Lætitia.

Lapis.

Laudare.

Lazarus.

Leuita.

Lex

INDEX RERVM.

FINIS INDICIS.